Fr. Nicholas Meyer

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

4 E 3
SECTION SHELF

ANTONII BALLERINI

E SOCIETATE IESU

OPUS THEOLOGICUM MORALE

IN BUSEMBAUM MEDULLAM

ABSOLVIT ET EDIDIT

DOMINICUS PALMIERI

EX EADEM SOCIETATE

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

VOLUMEN IV.

CONTINENS

TRACTATUM IX. DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS
et TRACTATUM X. EX PARTE H. E. DE SACRAMENTIS IN GENERE
DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, EUCHARISTIA

EDITIO TERTIA

IN NONNULLIS AUCTA ET EMENDATA

240
B19/03
v.4

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

PRATI
EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1900

FRANCISCUS M. CARINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU.

Cum opus, cui titulus *Antonii Ballerini e S. I. opus theologicum morale etc.* a Dominico Palmieri nostrae Societatis Sacerdote rursus edendum aliqui eiusdem societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae in commemoratione omnium fidelium defunctorum, anno 1899.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Prati. — Can. Archid. Ioachim Gori, Vic. Gen.

TRACTATUS IX.

DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS.

I. Cum omnes fideles sicut praecepta Decalogi, ita etiam alia praecepta, quae pertinent ad statum et officium uniuscuiusque, teneantur scire sub peccato mortali; ita ut ipsa eorum ignorantia vincibilis, licet non sequatur transgressio, sit peccatum mortale (Sylv. Sayr. Sanch. Bald. t. 1. l. 1. d. 9. n. 8. et 9.): hinc post praecepta omnibus communia, agendum de praeceptis propriis certorum statuum in particulari.

1. * Quod A. ait de ignorantia vincibili, quae peccatum est, confer cum dictis Tract. I. *de Ignorantia* n. 90. deinceps. Certos tantum A. attingit status, seu potius conditiones hominum; nam plures, de quibus deinde agit, non sunt vere status sed potius officia nec de qualibet vitae ratione tractare oportebat: quaedam tamen vel praeterita ab A. vel nostrae aetati magis accomodata subiicere curabimus. *

CAPUT I. (a)

* DE STATU RELIGIOSO. *

DUB. I.

Quid sit status religiosus.

II. Respond. Status Religionis est fidelium ad divinae caritatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae paupertatis, castitatis et obedientiae, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus.

Dico, *ab Ecclesia;* quia, etsi olim Episcopi Religiones approbare poterant, postea tamen in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio statutum est, ne nova Religio inducatur, nisi approbata a Papa. Ratio est; quia cum Religio sit communitas sacra, in qua debet esse spiritualis iurisdictio, haec autem a Papa proveniat, decens est, ut talis communitas ab eodem approbetur. Laym. l. 4. t. 5. c. 1.

Ad essentiam Religionis non requiruntur vota sollemnia. Ratio est, quia qui in Societ. IESU vota simplicia edunt, sunt veri Religiosi, uti definivit Gregor. XIII. in bulla *Ascendente Domino.* Laym. l. c. n. 4.

2. Oportet haec distinctius explicare. Et primo definienda significatio vocis *religio.* Itaque, ut ait Lessius l. 2. c. 41. n. 2., Religio tripliciter accipitur: primo pro virtute, qua Deus colitur et de hac actum est in tr. VI. sub I. praecepto ab initio: deinde pro forma cultus divini omnibus

---

(a) Paucissima in hac re reliquit Ballerini, quae suis locis inseremus. E.

communi et necessaria, quam homo profitens mancipatur obsequio divino, ut Deum, sicut oportet, revereatur ac aeternam consequatur salutem (religio falsa nonnisi improprie vocatur *religio*), cuiusmodi olim fuit aut religio naturalis aut iudaica et nunc est religio christiana: tertio pro certa forma cultus, intra ambitum huius ipsius formae communis, qua certa forma homo speciali modo et perfectius se addicit divino obsequio. Religio hoc pressiore sensu accepta supponit id quod religio christiana exigit ac praeterea addit quaedam non omnibus praecepta, quae ad perfectionem christianam assequendam sunt maxime idonea. Qui hunc vivendi modum profitentur, dici solent *Religiosi:* hoc ergo speciali sensu nunc accipitur vox *Religio.*

Quia igitur Religio est quidam vivendi modus, quo homo tendit ad perfectionem christianam; videndum est in primis, quae requirantur ex communi DD. doctrina, ad istam perfectionem.

3. Perfectio christiana essentialiter sita est in caritate, qua Deo unimur et qua nihil excellentius est, in caritate autem perfecta; cuius perfectio, iuxta Suarez *de Religione, de Statu perfectionis,* l. 1. c. 4. n. 11. sita est in *convenienti dispositione seu habilitate proxima ad perfecte semper operandum iuxta Christi praecepta et consilia.* Porro, ut docet s. Thomas 2. 2. q. 184. a. 3., perfectio christiana principaliter et essentialiter consistit in observatione praeceptorum; quia sine hac illa esse nequit et cum observatio plena praeceptorum etiam minimorum obtinet, perfectio quoque habetur, unito arctissime homine cum Deo per caritatem. *Secundario* vero perfectio christiana et *instrumentaliter* consistit in consiliis, quae aptissima media sunt obtinendae perfectioni. Praeceptorum vero et consiliorum diversum munus sic breviter ibidem describit s. Doctor: « Nam praecepta, alia a praeceptis caritatis, ordinantur ad removendum ea, quae sunt caritati contraria, cum quibus scilicet caritas esse non potest: consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus caritatis, quae tamen caritati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum secularium et alia huiusmodi (quae possunt esse occasio mali vel minoris boni Suarez l. c. l. 1. c. 8. n. 7.)... Et inde est, subdit, quod in collationibus Patrum dicit abbas Moyses: ieiunia, vigiliae, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt; quia non in ipsis consistit disciplinae illius finis, sed per illa pervenitur ad finem. Et supra praemisit, quod ad perfectionem caritatis istis gradibus ascendere nitimur ».

Perfectio autem caritatis quadruplex distinguitur (Bellarm. *de Monachis* c. 2.). Prima est, qua diligitur Deus, quantum est diligibilis, ut tanta sit perfectio dilectionis, quanta dilecti: haec perfectio propria

est solius Dei. Secunda est, qua diligitur Deus quantum a creatura diligibilis est, ut semper de Deo cogitet et affectu in eum feratur, nullos motus impedientes aut contrarios experiens: haec est dilectio beatorum. Tertia est, qua diligitur Deus, quantum potest creatura mortalis, remotis impedimentis, eum diligere, eius servitio totaliter mancipata. Haec est perfectio, ad quam tendit religiosus. Quarta ea est, quae essentiali contenta est, quae nempe appretiative diligit Deum super omnia et haec est necessaria omnibus christianis atque haec requiritur, ut patet, imo supponitur in religiosis: quibus idcirco necesse est omnia praecepta servare.

4. Porro circa consilia triplex heic quaestio fieri potest, 1° an sint: 2° quot sint: 3° quae sint praecipua et 4° quae necessaria sint pro acquirenda perfectione.

Heretici Protestantes negarunt esse in Lege Nova consilia, contendentes omnia esse in praecepto. Cur vero? quia nempe quaecumque sit actuum nostrorum perfectio, quidquid boni et praestantis agere valeamus, id totum sub praecepto Domini continetur, qui dixit Matth. V. 48. XXII. 37. *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua.* Apostolus quoque praecipit Philipp. IV. 8. 9. *Quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque iusta, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate: quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite et Deus pacis erit vobiscum.* Quidquid ergo confert ad perfectionem, per quam similes Deo evadamus, ad dilectionem Dei ex toto corde, ad imitationem Apostoli, qui profecto et ea in se ostendit, quae a Catholicis consilia vocantur, in praecepto est, hoc est faciendum, ut Deus sit nobiscum, ut faciamus satis praecepto caritatis. Quis locus restat consiliis?

Verum doctrina catholica est, in lege Christi praeter praecepta, dari consilia. Consilium, e catholicorum doctrina, versatur 1° circa actum bonum non praeceptum: id tamen non sufficit; nam et uxorem ducere est actus bonus nec praeceptus 1. Cor. VII. 28. 38., quod nemo tamen dixerit esse in consilio: neque sufficit actum esse bonum, qui possit esse materia voti; nam et observationem praeceptorum vovere licet: sed consilium versatur 2° circa actum bonum, qui melior sit suo opposito per se bono aut sui negatione non mala: ut virginitas prae coniugio, ieiunium prae temperantia etc.

Consilia haberi praeter praecepta, constat manifeste ex doctrina Apostoli, consilium a praecepto aperte distinguentis, ut in certa materia illud affirmet, hoc neget. 1. Cor. VII. 25. *De virginibus praece-*

ptum Domini non habeo, consilium autem do, utique ex dictamine Spiritus S.; ait enim se id consulere tanquam illum, qui ex misericordia Dei consecutus est, esse fidelem h. e. fidelem verbi Dei dispensatorem (ibid. IV. 2.). Quocirca paulo post subdit v. 40.: *Beatior erit* (vidua), *si sic* (innupta) *permanserit, secundum meum consilium: puto autem* (meiosis est), *quod et ego Spiritum Dei habeam.* Quod vulgatus reddit *consilium*, graece est utroque in loco γνώμη *sententia:* sed sententia de actu bono, quem negamus quidem esse praeceptum et ad quem tamen hortamur, quid est nisi consilium? Porro in re, quam Apostolus ex instinctu Spiritus S. fidelibus consulit, character illè reperitur, quem diximus proprium consiliorum. Ait enim v. 38. *Igitur qui matrimonio iungit virginem suam* (h. e. *carnem suam virginem*, ut iam explicavimus in tr. de Matrimonio) *bene facit et qui non iungit*, MELIUS FACIT. Ergo quaedam bona sunt in consilio et non omnia sunt praecepta.

Ita Dominus Matth. XIX. 11. 12. commendat continentiam seu virginitatem prae matrimonio, quin illam praecipiat, relinquens arbitrio hominis, qui capere potest pretium illius. Docet scilicet Christus virginitatem esse bonum, esse bonum praestantius bono matrimonii; quod significat affirmans ex dono esse speciali supernaturalis gratiae, quod quis cognoscat excellentiam virginitatis eamque diligat; cum bonum matrimonii naturale sit et omnibus naturaliter notum: virginitatem tamen Dominus non praecipit, at eam commendans certe consulit: ergo. Pariter ibid. 16. 22. cum adolescenti interroganti, quid sibi faciendum sit, ut habeat vitam aeternam, respondisset, *servanda esse mandata:* significavit ad finem ultimum consequendum, id unum necessarium esse idque sufficere, observationem praeceptorum. Cum proinde adolescenti affirmanti se omnia mandata custodisse et nihilominus rursus sciscitanti, quid sibi desit, respondit: *si vis perfectus esse*, non de re loquitur necessaria ad salutem, cum sit res superaddenda observationi mandatorum, sed loquitur de re permissa libero eius arbitrio, quam tamen ipsi consulit, inquiens: *vade, vende quae habes* etc. cf. Bellarminum *de Monachis* c. 9.

Et sane absurda est affirmatio, omnia bona, quae fieri possunt, esse praecepta singulis et semper; nam sic impossibilis esset frequenter eorum observatio, ut matrimonium et virginitas, cura infirmorum et contemplatio etc. Tum certum est, nulla lege aut naturali aut positiva sive divina sive humana praecipi quodlibet bonum: id de lege positiva satis constat, cuius ordinationes definitae sunt. Et quamvis Deus potuerit exigere a singulis hominibus, ut quidquid ipsis occurrit quolibet instanti melius faciendum, id facerent tanquam debitum suo dominio supremo suisque beneficiis, certum est tamen, id non exegisse, cum legi naturali

pauca solum superaddiderit praecepta circa virtutes theologicas et Ecclesiae constitutionem. Porro lex naturalis, eo quod talis, id solum praecipit, quod ratio ostendit cum essentiis rerum esse connexum, at plura sunt bona, quae hunc nexum necessarium non habent. Neque gratitudo debita Deo efficit, ut quidquid boni facere possumus, id debeamus ex praecepto facere, ut salvi simus; cum gratitudo e contrario, ut plene se exerceat et manifestet, animum potius spontaneum requirat, ab obligatione praecepti expeditum. Quocirca et bonae actiones sunt in praecepto positae, quae nempe necessariae sunt, sive absolute sive in certa hypothesi, ut recti simus atque aliae actiones bonae sunt libero nostro arbitrio permissae, ut eo magis amorem nostrum gratumque animum erga Deum ostendere valeamus, quo illae minus necessariae sunt nobis pro consecutione nostrae felicitatis. Cf. Suarez l. c. c. 7.

5. Iam vero verba Domini Matth. V. 48. non de perfectione generatim loquuntur, sed de ea, quae sita est in dilectione inimicorum, quam Christus praecipit v. 44.: *ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos* etc. Huius paternae dilectionis imitationem Dominus praecipit, ut simus similes Patri: et quia haec est perfectio, concludit: estote ergo perfecti (in hac re), sicut Pater vester caelestis perfectus est: similitudinem commendans, non aequalitatem neque ullum gradum similitudinis determinans, sed solum id exigens ut diligamus inimicos eisque bene faciamus; sic enim, ait, similes erimus Patri.

Dilectio autem Dei ex toto corde, anima, mente viribusque totis, vere habetur, cum Deus est finis supremus omnium nostrarum actionum, is praefertur omnibus unusque diligitur ut summum bonum. Id ergo sufficit, ut praeceptum impleatur. At illud fieri potest, etiamsi omittantur plura bona eademque meliora. Cf. s. Thom. 2. 2. q. 24. a. 8. q. 184. a. 2. Suarez l. c. c. 9. nn. 5. seqq.

Vel dici potest, quod hoc praecepto perfecta caritas praecipitur, in eo sita ut ab omni offensa Dei sive gravi sive levi abstineamus; nam et leves offensae sive peccata venialia sunt prohibita et qui haec omnia vitat, profecto totis viribus et toto corde diligit Deum: verum praecipiuntur haec omnia non sub eadem obligatione et poena, sed iuxta eorum naturam quaedam sub gravi, quaedam sub levi.

Et nihilominus plura supersunt opera bona, sine quibus vitatio singularum culparum consistere potest atque opera bona etiam meliora, ut iugis contemplatio, cura infirmorum, virginitas etc.

Tandem hortatio Apostoli Philipp. IX. 8. 9. huc redit, ut quidquid fideles secum reputant, rationem ineuntes (λογίζονται) utique ut agant, sit verum, sanctum, pudicum etc., nimirum ex omnibus, quae vera

sunt, sancta, publica etc., rite perpendentes, eligant materiam agendi: item ut ipsum imitentur, quod et Corinthios monet 1. Cor. XI. 1. sed utique in iis, quae et ipsos facere oportet, non in omnibus, quae in Paulo vidissent; non sane in itineribus, in Apostolatu etc.

6. Igitur praeter praecepta, sunt et consilia. Quot vero sunt? Suarez l. c. c. 8. distinguit consilia in universalia et particularia. Universale consilium dicitur, non quidem formaliter, cum consilia sint de actionibus et actiones sint in singularibus, sed causaliter, sive universali causalitate, quatenus actus bonus, circa quem consilium versatur, non consulitur solum propter eius honestatem, sed et propter utilitatem quam confert exercitio et perfectioni caritatis aliarumque virtutum. Particulare consilium est, quod versatur circa actionem, quae solum propter eius honestatem praefertur minoribus bonis.

Prioris generis sunt tria, consilium nempe perfectae castitatis, paupertatis et obedientiae, quibus addi potest consilium obligandi se voto ad exercitium harum virtutum. Ea κατ' ἐξοχήν consilia evangelica vocantur. Cf. s. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. Dices, consilium abstinendi a delectabilibus cibi et potus conducit ad profectum aliarum virtutum, item exterior castigatio carnis: ergo non est, cur haec a censu consiliorum universalium excludantur. Respondeo: primum ex his sub paupertate contineri; non enim est pauperum lautitias quaerere: alterum sub castitate, ut eius instrumentum, si quando opus est. Ceterum ea divisio non est magistralis et si tibi placet alia consilia, praeter tria supradicta, recensere inter universalia, integrum tibi est, dummodo rationabiliter agas.

Particularia consilia plurima sunt nec certo numero comprehendi possunt; vagantur enim per omnes virtutes et res quoque comprehendunt, quae sub praecepto, in definitis circumstantiis, cadunt. Ita Missam audire diebus festis, praeceptum est, aliis diebus erit consilium: idem dic de ieiunio, de frequentatione Sacramentorum etc. Caritas erga proximum est virtus praecepta: sed uberior eleemosyna, cura infirmorum alienorum per totam vitam suscepta atque huiusmodi sunt in consilio. Cf. Suarez c. 8.

Iam patet, quae consilia sint praestantiora. Ea sunt quae vocari diximus antonomastice consilia evangelica. Sane, ut argumentatur Thomas 2. 2. q. 186. a. 7., per haec removentur impedimenta, quae obsistere possunt, ne hominis affectus totaliter feratur in Deum, tollitur inquietudo sollicitudinis circa negotia secularia, se homo tanquam holocaustum dedicat Deo, ei offerens quidquid habet. Quocirca, ex universali Ecclesiae consensu, haec (voto confirmata) requiruntur ac sufficiunt, ut quis sit verus religiosus.

7. Consilia evangelica dicuntur eo quod in Evangelio demonstrentur et Christum habeant auctorem, qui verbo et exemplo haec docuit. Sane consilium perfectae castitatis continetur verbis Domini allatis ex Matthaeo XIX. 11. 12. n. 6. adde et verba Apostoli 1. Cor. VII. 25. 40., ex Spiritu Christi loquentis ibid.: exemplum autem Ipsius hac in re evidens est, qui ex virgine nasci voluit et virgo sanctus, innocens, impollutus fuit. Consilium paupertatis prostat in verbis Domini pariter ex Matthaeo productis XIX. 16.-22. ibid.: exemplum quoque ipsius manifestissimum est. Quoad obedientiam, advertendum est, non agi de obedientia, quae immediate praestetur Deo sive per se ipsum sive per nuntium voluntatem suam manifestanti, cuiusmodi ex. gr. fuit obedientia Abrahami; atque ea est, quam Deo exhibemus, cum legem eius, eo quod Dominus et Legislator noster est, servamus: sed de ea obedientia agi, quae (propter Deum) praestatur homini, qui, utique auctoritate Dei fretus, sed suo tamen iudicio suaque voluntate nos regat. In qua, ut id obiter dicamus, specialis est difficultas; nam quicumque Deum esse credit, nullam in eo experitur difficultatem, quod se Deo subiiciat obediendo, nisi ratione materiae praeceptae, quae non raro difficilis est: heic vero ipsa subiectio hominis homini huiusque iudicio et voluntati difficilis est, quamvis homo nomine Dei imperet, quod non impedit quominus superior proprio iudicio et arbitrio utatur, eoque se et alios regat. Obedientia proinde, de qua loquimur, abnegatio est specialis propriae libertatis propriique iudicii, cum haec, propter amorem Dei, subdimus iudicio et arbitrio alterius nobis similis et non raro, secundum naturales animi dotes, inferioris.

Consilium idcirco talis obedientiae dicendus est Christus nobis dedisse, cum dixit Matth. XIII. 24. *Si quis vult post me venire*, ABNEGET SEMETIPSUM *et tollat crucem suam et sequatur me;* prout enim his verbis *abneget semetipsum* omnis abnegatio intelligi potest, ea quoque comprehenditur, quae non est praecepta, qualis est obedientia ex libera electione homini praestita, quae est propria abnegatio sui h. e. rationis suae suique liberi arbitrii, quibus homo est homo. Cf. Bellarminum *de Monachis* c. 9.

Exemplum certe huius obedientiae praestitit Dominus privatae vitae suae tempore, cum subditus esset parentibus Luc. II. 51., non quidem ex obligatione, quae divinae personae repugnabat, sed ex libera electione, volens intra domesticos parietes ea praestare et agere, quae parentes sui, prout ipsis videbatur, ab eo postulabant.

Si consilia conferas cum praeceptis, quae circa eandem materiam versantur, patet consilia praestantiora esse praeceptis. Sane perfectius est *vade vende quae habes et da pauperibus*, quam *non furaberis*, atque

consilium *virginitatis* perfectius quid continet quam praeceptum, *non moechaberis*. Rursus si comparatio fiat hominis servantis praecepta et consilia cum homine servante solum praecepta, ille est certe perfectior: consilia sane servari nequeunt, nisi una et praecepta serventur. Tandem per se maior requiritur caritas, ut ab licitis quoque abstineamus, quam solum ab illicitis: unde observatio praecepti caritatis maiorem obtinet gradum in observante consilia, quam in observante solum praecepta. Cf. Bellarm. *de Monachis* c. 6.

8. Ut perfectio obtineatur, quae, ut iam diximus, omnibus christianis est possibilis, praeter observationem eorum, quae sunt praecepta, requiritur ne observatio aliquorum consiliorum sive universalium sive particularium? Affirmat Suarez l. c. c. 10. n. 3. atque, attenta infirmitate naturae, certum est. Nam per se, si quis servaret omnia praecepta tum affirmativa tum negativa et inter haec, quae prohibent non tantum peccata mortalia sed et venialia, ut idcirco nullus inordinatus affectus in eo esset, hic, puto, perfectionem esset assecutus: sed profecto nisi quis se dedat exercitio quoque aliquorum actuum, qui praecepti non sunt, ex. gr. seriae meditationi, frequentiae Sacramentorum, poenitentiae operibus etc., is nunquam perficiet ut ab omni culpa gravi in genere venialium saltem habitualiter abstineat. Hinc hortatio Christi: *si vis perfectus esse, vade* etc. et Apostoli, *si volumus sine impedimento Domino servire*, castitas servanda. Haec non dicuntur necessaria simpliciter, sed dicuntur media esse ad perfectionem obtinendam et facultatem eius praebere atque aut haec aut alia aequivalentia servanda erunt pro acquirenda perfectione.

Atque de perfectione satis.

9. Cum religio dicatur esse status, videndum est, quid sit status. Omissa significatione prima atque physica vocis, in morali ordine duplex est potissima eius significatio. Prior est, ut status dicatur conditio quaedam constans, non facile mobilis aut vere immobilis vitae: sic status viatorum, beatorum, damnatorum. Altera pressior est, qua status dicitur conditio vitae in libertate vel servitute sita, causam permanentem stabilitatis habens. Sive in spiritualibus sive in civilibus haec est propria ratio status, ait s. Thomas 2. 2. q. 183. a. 1.; ad quem non sufficit immobilitas, sed requiritur id quod respiciat obligationem personae hominis, prout scilicet aliquis est sui iuris vel alieni. Non ait s. Doctor requiri obligationem sed quod respiciat obligationem, sive respectum, ordinem quendam ad obligationem: id vero dupliciter fieri potest, *affirmative*, quod locum habet in eo, qui est iuris alieni, *negative*, quod contingit in eo, qui est sui iuris. Cf. Caietanum ibid.

Hinc status distinguitur ab officio et a gradu seu dignitate. Quia

« officium dicitur per comparationem ad actum », qui exercendus est: « gradus autem dicitur secundum ordinem superioritatis et inferioritatis. Sed ad statum requiritur immobilitas in eo, quod pertinet ad conditionem personae », ut nempe sit sui iuris vel alterius. Ibid. ad 3^{m}. Quocirca ut in eodem artic. monet s. Doctor, in iure civili dicitur, quod ei, qui a Senatu amovetur, magis dignitas quam status aufertur. Ita sane Iustinianus *Inst. de Capitis diminutione* §. 5. « Quibus dignitas magis, quam status permutatur, capite non minuuntur et ideo a Senatu motos capite non minui constat ». Et paulo ante §. 3. dixerat: « Minima capitis diminutio est, quum civitas retinetur et libertas (publica), sed status hominis commutatur, quod accidit in iis, qui cum sui iuris fuerint, coeperunt alieno iuri subiecti esse vel contra ». Hoc pacto, ait Caietanus ibid., distinguitur status secularis a regulari (quae distinctio valet etiam in clero); quia scil. regularis habet vinculum, quo caret secularis.

Itaque status requirit obligationem personae vel immunitatem ab ea atque utrumque ex causa permanente. Ita baptizatus, obligatione suscepta Deo in Ecclesia eius serviendi, statum habet: presbyter ordinatus, obligatione suscepta Deo ministrandi et caste vivendi, in statu est; coniuges obligatione mutua contracta, statum habent. Homines liberi, nemini addicti, statum habent libertatis seu immunitatis, cuius causa permanens est ipsum homini innatum ius sua libertate utendi cf. Suarez l. c. c. 1. n. 9. Hic tamen status minus firmus est; quia ipsa libertate hominis mutari frequenter potest: ut idcirco adolescentes non censeantur esse in statu, sed electuri esse statum, aliqua contracta obligatione: nisi firmiter statuant tales manere h. e. caelibes in seculo, qui et ipse est aliquis status, immunitas scil. permanens ab obligationibus coniugalibus.

In spiritualibus, quae interiora sunt ordinemque habent immediate cum Deo, duplex, iuxta Apostolum Rom. VI. 16. 20., distinguitur servitus et libertas. Nam quis est servus peccati seu diaboli et liber est a iustitia et hic est status peccati, per se immobilis, nisi Deus succurrat: tum quis servus est Dei, liber a peccato et haec est vera libertas et est status iustitiae seu gratiae, per se perennis, nisi malitia voluntatis humanae obstet.

Nihilominus quoniam, ut ipse s. Thomas monet q. 184. a. 4., de statibus heic loquimur, prout ex iis quaedam Ecclesiae pulcritudo consurgit, status spiritualis spectatur a nobis secundum ea quae exterius aguntur et in Ecclesia videntur.

In Ecclesia ergo, praeter communem statum fidelium, status est, in quo quis se obligat ad perfectionem vel sectandam (religiosi) vel exercendam (episcopi et analogice presbyteri).

10. Ut de statu acquirendae perfectionis nunc loquamur, constat quod obligatio acquirendae perfectionis per observationem consiliorum, oriri debet vel ex lege vel ex propria promissione. Porro nulla est lex, quae hominem obliget ad observanda consilia, quae ab ipso Deo permissa sunt liberae electioni fidelium. Promissio ergo necessaria est, ut talis obligatio exsistat: ut autem obligatio sit perfecte firma, debet esse ex voto, h. e. promissio Deo facienda est, Deo, inquam; agitur enim de re non ad hominis commodum, sed ad cultum Dei pertinente. Sane obligatio ex voto ad servanda consilia est religiosa tum ratione materiae tum ratione originis; votum enim est actus religionis: at si obligatio sit solum ex promissione facta homini, nonnisi ratione materiae religiosa erit, et sic status religiosus, qui in obligatione consistit, causam non habebit religiosam.

Ex dictis sequitur, non perinde esse, in statu perfectionis acquirendae versari, ac tendere ad perfectionem: istud enim observatione praeceptorum et aliquorum consiliorum etiam particularium, absque obligatione voti, contineri potest; illud obligationem ex voto postulat. Sane Episcopatus dicitur status perfectionis exercendae ideoque haec iam supponitur acquisita ab eo, qui Episcopus creatur, et idcirco ad perfectionem iam tetenderit; nihilominus frequentissime Episcopi eliguntur ex iis, qui votum tantum castitatis habent propter ordinem susceptum et identidem olim ex iis sumebantur, qui nec castitatem fuerant professi.

11. Ut penitius indolem status religiosi investigemus, nonnullae expediendae sunt quaestiones, 1° an tria vota evangelica necessaria sint ut status sit perfectionis et status religiosus: 2° an praeter promissionem seu votum, traditio voventis requiratur pro statu religioso: 3° an vota religiosa emitti possint et haberi possit religio, non interveniente auctoritate Ecclesiae; 4° an requiratur pro statu religioso vita communis: 5° quo iure exsistant ordines religiosi.

Ad primam quaestionem quod spectat, constat ex dictis nomine status perfectionis, communi usu, intelligi statum quo ad perfectionem tenditur, non quo iam perfectio obtenta est. Iam vidimus perfectionem obtineri haud posse absque aliquorum consiliorum observatione n. 8.: at certe non apparet necessitas trium consiliorum evangelicorum, ut quis perfectus evadat; nam et coniugatus, dives, suique iuris potest, si velit, sanctus evadere. Idcirco verba Domini Matth. XIX. 21.: *si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus*, sensum affirmativum habent, voluntariam paupertatem esse medium illudque maxime aptum ad obtinendam perfectionem; non vero exclusivum, h. e. sine voluntaria paupertate nequis esse perfectus: etsi difficile sit diviti non solum perfici sed et salvari; sed quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum ibid. vv. 23. 26.

Iam si homo consilia particularia, quae observat, voto confirmet et sic ad perfectionem sectandam se obliget, cur negabitur esse in aliquo statu perfectionis? Non erit quidem completus status perfectionis: sed aliquis certe erit, licet incompletus et rudis.

Pariter quoad religiosum statum, etsi ex usu communi loquendi ille soleat intelligi, quo ad perfectionem tenditur ope observationis consiliorum evangelicorum: nihilominus distinguendum est inter statum religiosum pressiori sensu et κατ' ἐξοχήν dictum atque statum religiosum latiori sensu acceptum.

Si priori sensu accipiatur, tria vota necessaria sunt: nam per ea tantum removentur omnia impedimenta perfectionis et homo complete, veluti holocaustum, Deo dedicatur. Cf. s. Thom. q. 186. a. 7. atque haec est Ecclesiae sententia. Si altero sensu status religiosus accipiatur: en quod habet Suarez op. cit. l. 2. c. 1. n. 1. « Latiori seu generaliori quodam significatu, status religiosus sub se comprehendit alios vivendi modos, in quibus homines voluntarie se offerunt divino cultui et obsequio, ad aliquam consiliorum observationem se obligando. Et sic comprehendit non tantum proprios et completos religiosos, sed etiam continentes, qui per solum votum castitatis se Deo obligant... Sic enim iuris canonici interpretes (cf. Schmalzgrueber l. 3. tit. 34. n. 2.) in rubrica de regularibus, docent nomen religiosi vel regularis stricte sumptum significare eum, qui tria substantialia vota in religione approbata professus est, late vero comprehendere omnes, qui per aliquod votum et specialem vivendi modum Dei servitio consecrantur », ex. gr. per votum perseverantiae in observatione certarum regularum Instituti alicuius ab Ecclesia approbati.

12. Ad alteram quod spectat quaestionem, supponendum est, sermonem esse de statu religioso presse sumpto; nam, si latius accipiatur, cum sufficiat aliquod votum rei in consilio positae, satis profecto erit et votum simpliciter consiliorum evangelicorum, citra traditionem. Quid porro intelligitur nomine traditionis? Quemadmodum votum est promissio, ita traditio est quaedam donatio. Vi promissionis obligaris quidem dare quod promisisti; at adhuc res est tua et si alteri das, valide das: per traditionem rem ipsam das, quae transit in dominium alterius. Id locum habet et in votis: voves te bona tua in expensas divini cultus erogaturum; obligatione teneris ad erogandum, sed nondum data sunt et tua manent. Verum praeter obligationem sponte susceptam aliquid pro Deo faciendi potestne Deo aliquid donari seu tradi et ab ipso acceptari? Ratio dubitandi est, quia Deus iam ex se est absolutissimus omnium Dominus: quo ergo spectaret donatio? praeterea Deus, secundum ordinariam providentiam suam, non suscipit

peculiarem curam gubernandi privatam personam aut eius res, immediate per se ipsum: qualis ergo eius acceptatio concipi potest?

Verum priori argumento respondetur, quod dominium Dei non impedit quominus homo de se suisque rebus libere disponere valeat, etiam contra voluntatem Dei. Liberum exercitium potestatis naturalis, quod Deus homini reliquit, potest homo velle Deo cedere, quemadmodum potest cedere homini. Et sicut cedendo alteri ius de se suisque disponendi, transferret in hunc alterum rerum suarum dominium et ipse eius servus fieret, ita cedendo idem ius Deo, fieret novo titulo eius servus atque eiusdem bona evaderent novo titulo bona Dei.

Alterum autem argumentum id solum demonstrat, Deum non per se immediate acceptare dona, quemadmodum acceptat h. e. probat et gratas habet promissiones; sed acceptare mediante ministerio hominum, qui eius nomine regimen personarum atque administrationem rerum gerunt, quae honori et cultui Dei dicata sunt. Sic in V. L. quae sibi offerri iubebat Deus ut Dei esse putarentur, ea sacerdotibus aut levitis cedebant.

Ex his patet traditionem sui suarumque rerum Deo possibilem esse.

Iam vero quod status religiosus presse sumptus comprehendat huiusmodi traditionem, ex eo ostenditur, quod status religiosus presse sumptus continet completam et perfectam dedicationem, libere admissam, hominis Deo: ea autem locum habet per traditionem. Et sane hic est conceptus status religiosi non solum apud Scholasticos sed et apud Patres. Ex quibus duos retulisse sufficiat. S. Thomas q. 186. a. 7. statum religiosum vocat « quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo » et religiosos dicit proinde « se mancipare totaliter divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes » art. 1. Atqui qui se servum constituit, se tradit in dominium alterius. S. Basilius *de Instit. Monach.* serm. 1. « Ubi quis sponte sua professus est, hic Deo custodire seipsum debet veluti eorum aliquid, quae donata sunt Deo ». Et in *Regulis fusius explicatis* reg. 14. ait: « sacrilegum *furtum* committi, si res sic Deo dicata subtrahatur » cf. Suarez l. c. l. 2. c. 4. n. 5.

Per huiusmodi traditionem sui ex parte voventis et acceptationem ex parte ministri Dei distinguitur status religiosus a simplici statu vel completo perfectionis acquirendae, ad quem satis sunt tria consilia evangelica, voto firmata. Ea traditio et acceptatio spectatur in Ecclesia veluti quid proprium et essentiale status religiosi presse sumpti atque, ut patet, iam aetate Basilii hic erat conceptus status religiosi.

Et sane Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino,* demonstrat tria vota Scholasticorum, tametsi simplicia, vere in statu religioso constituere, *eo quod per ea ipsi se Societati dedicant atque actu tradunt seque divino servitio in ea mancipant.*

13. Quapropter professio religiosa, quae sita dicitur in tribus votis substantialibus, perficitur et absolvitur hac traditione et respondente acceptatione. Nec perinde est vovere et se tradere; cum votum sit promissio, traditio autem donatio. Porro professio religiosa traditionem et acceptationem requirit, ut verum sit, hominem se Deo in suis ministris donasse, quod est esse religiosum; requirit vero traditionem et acceptationem in aliquo ordine aut Instituto ab Ecclesia approbato; quia ex lege canonica, ibi solum haberi potest status religiosus. Cf. Bouix *de Iure Regularium* tom 1. p. 1. sect. 2. prop. 6. et Suarez *de Religione* tr. 7. l. 6. c. 2. n. 26.

Si quis ergo Deo voveret paupertatem, castitatem et obedientiam praestandam alicui, puta confessario, quin hic acceptet, imo quin votum factum noscat, ille in statu perfectionis utique esset atque in statu quoque religioso late sumpto, non autem in proprie dicto statu religioso.

Quaeres quo tandem redeat haec traditio distincta a simplici voto. Respondeo, generatim eo redire, ut homo non sit amplius sui iuris, sed alterius, scilicet Religionis, imo Deo, qui per praelatos Religionis eum acceptat tanquam novo titulo dedititium et servum. Speciatim in voto obedientiae traditio eo redit, ut homini Dei nomine acceptanti potestas dominativa acquiratur in voventem, ut is ius habeat hunc regendi eiusque voluntates irritandi. Per votum paupertatis a Deo acceptatum amittit homo ius licite saltem disponendi de qualibet re sua et tenetur in omnibus huc spectantibus voluntatem sequi sui praelati, loco Dei hac in re eum regentis. In voto castitatis, cuius observatio in negatione seu abstinentia consistit, et per quod nullum ius homini tribui potest, difficile est dictu quid traditio praestet praeter ipsum votum nec reperio rem satis ab auctoribus declarari nisi ab iis, qui, ex errore, effectum sollemnitatis voti, ut proprium effectum intrinsecum voti religiosi putabant.

Verum advertendum est traditionem, de qua loquimur, esse proprie traditionem personae, quae se Deo offert per suos ministros; opus autem non esse, ut singulis votis seorsim spectatis traditio quaedam respondeat: sed satis esse, si simul iuncta perficiantur ea traditione, qua homo desinit esse sui iuris, Deo donatur et ab eo acceptatur per suos ministros, qui idcirco et in materia castitatis regere religiosum poterunt et rationem transgressionum voti ab eo exigere.

14. Quoniam diximus vota religiosa a Deo acceptari per suos ministros, iam constat, quam partem habere possit et debeat auctoritas ecclesiastica in emissione votorum religiosorum: quae est quaestio tertio loco proposita. Quaestio duo respicit, nempe auctoritatem Ecclesiae pro acceptatione votorum et auctoritatem Ecclesiae pro appro-

batione regulae. Quoad primum, affirmandum videtur, auctoritatem Ecclesiae requiri, ut idonei sint acceptatores votorum nomine Dei. Ministri enim in iis, quae ad cultum Dei spectant, ii sunt, qui ab Ecclesia constituuntur. Oportet ergo ut vota religiosa a Praelatis Ecclesiae vel ab iis, quos ipsa delegat aut approbat ad tale munus, acceptentur.

Et sane si de statu religioso agitur, qui ab ipsa Ecclesia publice recognoscendus sit, nulla in hac re potest esse dubitatio.

Verum, re per se spectata, quaestio fit a Theologis, an vere religiosus esset, qui vota emitteret in manibus alicuius privati hominis a se electi et cui se sponte subiiceret tanquam pro se locum Dei tenenti et ne quaestio misceatur de necessitate approbationis regulae, pone illum vota emittere servanda secundum regulam iam ab Ecclesia probatam. Suarez op. cit. l. 2. c. 15. nn. 7. 10. censet probabile esse, quod ille homo, imo communitas ita agens, sit in statu religioso idque Bouix l. c. pr. 10. ut probabilius habet.

Quia « ad acceptandum votum non est necessaria specialis potestas a Deo commissa: sed sufficit, ut secundum rectam et prudentem aestimationem iudicetur id esse honestum et gratum Deo; nam per hoc sufficienter intelligitur Deum acceptare quod ad suum obsequium aliquis, electus tanquam minister eius, acceptat ». Ita apud Suarez l. c.

At nisi aliquo modo Ecclesia probet eos, qui acceptant, certum est, eandem Ecclesiam non habituram publice tales homines ut religiosos, sed ab ea ipsos ut seculares consideratum iri, licet pios et devotos ac praeterea certum est huiusmodi vota posse ab Ecclesia irritari, ut nulla per eadem constituatur religio seu status perfectionis.

15. Alia quaestio est de approbatione regulae. Regula aliqua in statu religioso necessaria est, quae modum determinet, quo vota sint servanda, quo ad perfectionem tendendum sit, quo Praelatis subesse oporteat et vita communis agenda, quo finis peculiaris alicuius status sit consequendus. Quaeritur an Ecclesiae approbatio necessaria sit, ut ea censeatur regula idonea vimque habeat constituendi eius observatores in statu religioso seu perfectionis.

Si quaeritur tantum, an, citra approbationem Ecclesiae, censeri possit regula idonea, non est cur id negetur; sufficit enim ad hoc prudentia, quae in privatis quoque viris praesertim sanctis, facile reperitur. Et sane regulae a privatis primum excogitatae sunt, quarum plures, nulla mutatione inducta, approbatae deinceps fuerunt. Quid prohibebat illas regulas, ante iudicium Ecclesiae, censeri speculative idoneas? At si quaeratur, utrum approbatio Ecclesiae necessaria sit, ut regula valeat efficiatque veros religiosos, paulo aliter dicendum est. Approbatio Ecclesiae continet iudicium de regulae idoneitate et auctoritatem prae-

stat, ut ea in usum deducatur. Iam si in hypothesi loquamur, quod nulla exstet prohibitio Ecclesiae vetantis, ne absque eius approbatione, regula religiosa suscipiatur, videtur admitti posse regula, quin positive ab Ecclesia probetur. Nam in qualibet societate ius est privatis convenire in aliquem coetum particularem pro certo scopo, sub certis legibus, dummodo et scopus et leges iuri naturae sint consentaneae, nec repugnent legibus societatis. Atqui scopus obtinendae perfectionis est maxime conformis iuri naturae et iuri divino legique ecclesiasticae: leges autem, quibus regatur particularis coetus hunc finem intendens, condi possunt sanae et iustae ante approbationem Ecclesiae. Ergo semel ac ius est profitendi vitam religiosam, integrum est privatis sub certa regula se associare, quandiu non prohibeantur.

16. Verum et Ecclesiae ius competit prohibendi, non quidem vitam religiosam, sed ne regula publica proponatur, quam prius ipsa non probaverit. Ipsa est enim magistra morum et disciplinae officiumque habet cavendi abusus, qui facile irrepere possunt. Et in qualibet societate ius est penes auctoritatem socialem edicendi, ut privati coetus nulli sint nulloque iure publico gaudeant, quos ipsa non probaverit, cum merito timetur, ne societati nocumento esse possint. Et quemadmodum Ecclesia irritare potest certa matrimonia, ita et certas professiones religiosas. Profecto si Ecclesia acceptare debet vota religiosa, nequit cogi ad ea acceptanda, quae fierent secundum regulam sibi ignotam et sibi non probatam. Auctor rationem reddit: quia in Religione, quae est communitas sacra, debet esse spiritualis iurisdictio, quae ab ecclesiastica potestate provenire debet: quae ratio et pro acceptatione facienda ab Ecclesia valeret. Sed haec ratio vim proprie habet solum in *Religionibus,* quales aetate Auctoris exsistebant, non in piis et religiosis Institutis. Cf. n. seq. 32. Ceterum ordo perfecte religiosus esse potest absque iurisdictione, ut patet in monialibus sollemniter professis.

Olim singulis Episcopis facultas permissa erat pro suis dioecesibus probandi Instituta religiosa; deinde vero, ne nimia religionum differentia gravem in Ecclesia confusionem induceret, sub Innocentio III. in Conc. Later. IV. revocata est talis facultas ad Apostolicam Sedem, tanquam aliqua ex causis maioribus vetitumque est ne praeter regulas religiosas in Ecclesia iam probatas, aliae invenirentur, sive ne novae invenirentur religiones, utique sine beneplacito s. Sedis. Idque in Conc. Lugd. confirmavit b. Gregorius X. Cf. c. fin. *de Religiosis Domibus* et c. un. eod. tit. in. 6.

Regulas religiosas ab Ecclesia iam a longo tempore probatas et pluribus ordinibus communes solent Canonistae recensere quatuor,

nempe s. Basilii, s. Augustini, s. Benedicti, s. Francisci, quas plures Ordines servant, propriis tamen, pro suo singuli peculiari scopo instructi Constitutionibus. Adde propriam privatamque regulam, ab Ecclesia approbatam habere Carthusianos, qui ante Innocentium floruerunt, ut idcirco eorum regula ab Conc. Later. implicite cum aliis regulis probata sit dicenda: tum Minimos et Societatem Iesu. Sed et Carmelitae (cf. c. 1. §. 2. *de Religiosis domibus in* 6.) ac Teresiani regulam propriam habent. Cf. Schmalzgr. tit. *de Regularibus* n. 8. Mitto regulas recentiorum Institutorum, de quibus paulo post.

17. Regulae, quas Ecclesia probat, feruntur pro communitatibus religiosis atque hic est frequentior modus profitendi religionem isque solum nunc probatus, ut vita communis ineatur.

Cum vitam communem heic dicimus, intelligimus coetum plurium una viventium sub obedientia unius. Quaeritur autem an status religiosus, per se, praecisa interdictione Ecclesiae, quae id reprobet, consistere possit cum vita solitaria, sive, ut clarius dicamus, an necessaria sit pro statu religioso vita communis. Re per se spectata, quid prohibet aliquem tria consilia vovere, puta, in manu Episcopi eique se subiicere ab eoque regi? Hic reapse haberet, quod requiritur ad religionem et ad statum; quamvis solus viveret vel domi suae: non ergo vita communis necessaria per se est. Cf. Suarez op. cit. l. 2. c. 4. et Bouix l. c. pr. 9. Hic tamen modus vivendi nunc ab Ecclesia non habetur ut status religiosus; vota enim religiosa facienda sunt in religione ab Ecclesia approbata, ex decreto Conc. Later.: sed prioribus Ecclesiae seculis valuisse dicendus est.

18. Ex hactenus dictis soluta manet quaestio ultimo loco proposita, quo iure sit in Ecclesia status religiosus. Nam cum essentia status religiosi sita sit in professione consiliorum evangelicorum, pro acquirenda perfectione; consiliorum vero et desiderii perfectionis auctor sit Christus, qui consulens meliora consulit etiam modum perfectiorem se addicendi exercitio consiliorum, h. e. mediantibus votis, quorum usus est de iure naturali, in lege gratiae confirmatus: secundum haec, status religiosus in Ecclesia est de iure naturali ac divino neque ab ulla potestate humana vel ecclesiastica auferri potest.

Quatenus vero status religiosus certam vivendi formam in communi complectitur certamque regulam, certas facultates praelatorum et ecclesiasticam iurisdictionem ac certa religiosorum privilegia: cum haec a Deo immediate constituta non sint sed ab Ecclesiae auctoritate; secundum haec, status religiosus iuris est ecclesiastici. Cf. Bellarm. *de Monachis* c. 4.

19. Diximus finem status religiosi esse perfectionem christianam obtinendam. Ne tamen exinde putes unam esse tantum posse religionem.

Nam, ut ait s. Thomas q. 188. a. 1.: « Status religiosus est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem caritatis. Sunt autem diversa caritatis opera, quibus homo vacare potest, sunt etiam diversi modi exercitiorum. Et ideo religiones distingui possunt dupliciter. Uno modo, secundum diversitatem eorum, ad quae ordinantur, sicut una religio ordinatur ad peregrinos hospitio excipiendos et alia ad visitandos vel redimendos captivos. Alio modo potest esse diversitas religionum secundum diversitatem exercitiorum, puta quod in una religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium vel per nuditatem aut per aliquid aliud huiusmodi. Sed quia finis est potissimum in unoquoque, maior est religionum diversitas, quae attenditur secundum diversos fines, ad quos religiones ordinantur, quam quae attenditur secundum diversa exercitia ». Itaque « tria essentialia vota pertinent ad exercitium religionis, sicut quaedam principalia ad quae omnia reducuntur. Nam siqua sunt instituta in religionibus ad procurandum victum, puta labor, mendicitas vel alia huiusmodi, referuntur ad paupertatem, ad cuius conservationem religiosi per hos modos victum procurant. Alia vero, quibus corpus maceratur, sicut vigiliae, ieiunia et siqua sunt huiusmodi, directe ordinantur ad votum continentiae observandum. Si qua vero in religione instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei et proximi, puta lectio, oratio, visitatio infirmorum vel si aliquid est huiusmodi, comprehenduntur sub voto obedientiae, quod pertinet ad voluntatem, quae, secundum dispositiones alterius, suos actus ordinat ad finem. Ad observandum autem unumquodque eorum (votorum) diversimode aliquis sese disponere potest, puta ad votum continentiae servandum se disponit aliquis per loci solitudinem, per abstinentiam et per mutuam societatem et per multa alia huiusmodi. Et secundum hoc patet, quod communitas essentialium votorum compatitur diversitatem religionum tum propter diversas dispositiones, tum etiam propter diversos fines » ibid. ad 2^{m} una cum q. 186. a. 7. ad 2^{m}.

Hinc, ut in seqq. idem s. Doctor docet, potest institui religio ad contemplandum, ad opera vitae activae corporalis pro obsequio proximorum, qui infirmi curentur e. gr. aut peregrini hospitio recipiantur etc., ad militandum quoque, tum ad opera vitae activae spiritualis, ad praedicandum, confessiones excipiendas, etiam studendum: summum autem gradum in religionibus tenere, quae ordinantur ad docendum et praedicandum, q. 188. aa. 2.-6.

Quocirca specialis finis intentus voto quoque firmari potest ut assistentia infirmis, missiones infidelium: item voto firmare licet speciale

alicuius virtutis exercitium, ut non ambire dignitates easque recusare etc.

20. Diximus votis firmari statum religiosum. Duplex autem est genus voti: votum nempe simplex et sollemne, quae quid differant tum in se tum in effectu, iam dictum est in tr. *de Voto ab init.* vol. 2.

Iam vero constat nunc per vota quoque simplicia constitui posse aliquem vere religiosum. Sic enim in Societate Iesu vota simplicia Scholasticorum ac Coadiutorum formatorum veros efficiunt religiosos, ut definivit Gregorius XIII. Constit. *Ascendente Domino* etc. atque nunc in omnibus Ordinibus religiosis vota simplicia, quae ex decreto Pii IX. emittuntur post Novitiatum, idem praestant. Adverte nihilominus, aliud esse, quod quis sit *vere religiosus* per sola vota simplicia, aliud, quod aliquod Institutum cum solis votis simplicibus sit *Ordo religiosus:* illud, non hoc, dixit Gregorius XIII. Scholastici et Coadiutores formati Societatis Iesu vota emittunt in Instituto, quod gaudet professione sollemni: id non contingit in iis Institutis, quae solis votis simplicibus ligantur.

Auctoritate idcirco Apostolicae Sedis discrimen quoddam intercedit, ut nempe illud solum Institutum censeatur et dicatur simpliciter *Religio, vera Religio, Religio regularis, Ordo regularis, cui privilegia competant Ordinis regularis* in quo (quamvis non ab omnibus) emittuntur vota sollemnia, ceteris relicta appellatione *Instituti, Societatis, Congregationis piae et religiosae* sed *secularis,* subiectae auctoritati Episcopi, sicut ceterus clerus secularis cf. Bouix op. c. §. 2. sect. 1. c. 1. Lucidi *de Visit. ss. Liminum* vol. 2. c. 4. 1. 164. seqq. Si vero, ut frequenter solet, Romana Sedes seu s. C. Episcopp. et Regg. huiusmodi Instituta eorumque regulas ac vivendi morem probaverit, quoad haec, sunt ipsa exempta, ut par est, ab Episcopi iurisdictione. Cf. Lucidi l. c. (a).

Iuverit heic notare quandam differentiam inter votum religiosum simplex et votum sollemne. Ea est quod in sollemni professione adest reciproca obligatio perpetua inter religiosum se tradentem et religionem acceptantem; in professione vero votorum simplicium est quidem obligatio perpetua ex parte se tradentis, non vero ex parte religionis acceptantis; quae reservat sibi ius, si expedire videbitur, dimittendi religiosum. Ita in Societate Iesu et ex recenti decreto Pii IX. in omnibus

---

(a) Nihilominus, quia nulla est lex sine exceptione, Leo XIII. decr. 16 mart. 1886. statuit pro Ordine Teutonico, ut ipsi equites, qui principaliora sunt eius membra, vere quidem religiosi fieri pergant, vota autem simplicia tantum emittant. (Lehmkuhl, vol. I, n. 502.).

Ordinibus quoad vota simplicia emissa post novitiatum: ex Declaratione data 12. Iun. 1358. a Congr. sup. stat. Regg. art. 1. In Societate Iesu valet id etiam quoad Coadiutores formatos: cf. Suarez *de Inst. Soc. Iesu* l. 7. c. 2. nn. 3. 6. Idcirco id valere constat in omnibus votis simplicibus etiam ultimis et perpetuis, quae fiunt in pluribus recentibus Institutis, praesertim feminarum. Iam vero in hac re adverte 1° id non officere conditioni *status* religiosi; nam quemadmodum vere est in statu servitutis, qui nequit se ab obligatione serviendi eximere, etsi possit semper a domino manumitti; ita religiosus, qui nequit suo arbitrio religionis iugum excutere, vere est in statu religioso, quamvis a religione dimitti possit. Cf. Pirhing, in tit. *de Regularibus* n. 6. Traditio proinde religiosi absoluta est et completa. Tum 2° nulla iniuria fit religioso, qui hoc pacto acceptatur; nam hic sciens et volens huic conditioni acquiescit; scienti autem et volenti non fit iniuria: ceterum cum dimittitur, ad omni votorum obligatione liberatur. 3° Ex decreto citato Congregationis super Statu Regularium, art. 5., nemo ex causa infirmitatis, quae supervenerit post professionem votorum simplicium, dimitti potest.

21. Adverte, ab aetate Conc. Lateran. IV. prohibitas esse novas religiones, quas Apostolica Sedes non approbaret: hanc legem de Religionibus proprie dictis intellexisse videtur s. Alphonsus, qui absque petita approbatione s. Sedis, Institum religiosum condidit, sub Episcoporum auctoritate. Deinde, vidente et non contradicente s. Sede, consuetudo seculo nostro invaluit, ut Episcopi, propria auctoritate, pia et religiosa Instituta aut conderent aut approbarent. Cf. Bouix l. c. c. 2. sect. 3.

Et ad feminarum conventus quod spectat, iusserat Bonifacius VIII. conditionem eorundem necessariam esse perfectam clausuram Const. *Periculoso, de statu Regularium* in 6. Clausurae legem innovavit. Trid. Syn. sess. 25. *de Regularibus* c. 5., tum Pius V. Const. *Circa pastoralis* vetuit esse monasteria monialium, in quibus clausura non servaretur et vota sollemnia non emitterentur. Deinde vero, manente utique incolumi semper lege, ut professio votorum sollemnium a clausura non separaretur, tolerari coeptum est, ut puellarum sive mulierum congregationes exsisterent, quae sub aliqua regula viverent, votaque simplicia emitterent, quae congregationes dici solebant. *Conservatoria.* Cf. Bouix op. cit. p. 3. c. 2. §. 1. exemplum afferentem ex aetate Innocentii XII.

Coeptum est, inquam, *tolerari*, quia quamvis regulae approbarentur, non approbabatur tamen ipsum Conservatorium seu Institutum, eo quod mulieres viverent sine clausura, contra praescriptum decretalis

Bonifacii VIII. et decretorum Conc. Trid. ac Constit. s. Pii V. cf. ibid. Tandem vero « nuperrimis hisce temporibus (ut ait Lucidi op. cit. c. 5. n. 296. vol. 2.). seposita disciplina tolerandi Instituta, de quibus loquimur (monialium nempe sub certa regula viventium, cum votis simplicibus sine clausura), mos inductus fuit, ut gravibus et iustis accedentibus causis, Apostolica approbatio iis non amplius denegetur ».

Unde resolves.

III. 1. Non sunt Religiosi ii Ordines militares, qui coniugalem castitatem tantum vovent: sunt tamen vere Religiosi milites s. Ioannis et Teutonici eorumque similes, cum tria vota substantialia habeant. Similiter ex Fratribus et Sororibus Tertiariis, sive Ordinis sancti Francisci sive aliorum, tantum sunt Religiosi, qui in Religione approbata, secundum certam Regulam, tria vota substantialia emittunt. Contra autem ii non sunt, qui licet tria ista emittant et communiter vel seorsim habitent, regulam tamen a Sede Apostolica approbatam non profitentur. Laym. l. c.

22. Fuerunt Ordines militares, qui sollemnem professionem trium votorum emitterent, ut Templariorum, Teutonicus (*a*) et Melitensis.

Fuerunt alii militares Ordines, in quibus sola castitas coniugalis vovebatur, cuiusmodi erat ordo ss. Mauritii et Lazari. Hoc votum per se simplex est; quia non habet effectum proprium sollemnitatis atque idcirco alia duo quoque, si addantur, simplicia sunt; quia, ut rescripsit s. Poenitentiaria anno 1820. (apud Lucidi op. cit. c. 5. n. 298.), *secundum sollemnis religiosae professionis naturam atque Ecclesiae disciplinam, votum unum sine alio sollemne esse non potest.* Ubi simul statuitur sollemne votum castitatis reddere inhabilem in perpetuum et immutabiliter ad matrimonium contrahendum. Quia vero tandem sollemnitas ab Ecclesia pendet, nihil, puto, prohibebat olim, ut haec quoque vota inter sollemnia recenserentur.

Quoad religiones militares voventes castitatem coniugalem, adverte duo, cum Suarez *de Religione* tr. 9. l. 1. c. 4. Nempe 1° etsi voveatur castitas coniugalis, potest hoc votum plura complecti, quae sunt tantum consilii, ut quod virgo accipiatur, quod nuptiae semel ineantur, quod certis diebus abstineatur a congressu etc. atque adeo huiusmodi votum, cum sit de re non tantum praecepta, sed et consilii, esse in genere eorum votorum, quae sunt propria religionis.

2° Huiusmodi Ordines, ab Ecclesia approbatos, esse certe *Instituta religiosa;* quia eorum status est status perfectionis et status religiosus. Est status perfectionis, quia praeter praecepta, ad plura se obligant, quae sunt consilii, tum circa usum bonorum, tum circa castitatem, ut diximus, tum circa obedientiam, quam spondent summo

(1) Cf. not. ad n. 20.

Magistro, tum praesertim quoad defensionem bellicam populi christiani ac vitae profusionem in acie pro fidelium salute et gloria Dei. Non autem requiritur ad statum perfectionis, ut summa perfectio paupertatis, castitatis, obedientiae servetur: alioquin quot religiones forent in statu perfectionis? Tum horum, de quibus loquimur, Ordinum status est religiosus; quia votis confirmatur perfectionem gignentibus, quia habetur traditio voventium et acceptatio eorum per eos, quos Ecclesia constituit et accessit eiusdem Ecclesiae approbatio. « Absolute asserendum censemus, ait Suarez l. c. n. 26., hos milites quoad statum esse proprie religiosos, quamvis quoad usum et observantiam revera non vivant simpliciter religiose; sed valde secundum quid; hoc enim negare non possumus, nisi adulatores videri velimus ».

Huiusmodi censebantur in Hispania Ordo s. Iacobi Calatravae et Alcantarae, in Lusitania Ordo s. Iacobi et de Avis (nomen est castri muniti) qui Ordines, quamvis ab initio (sec. XII.) integram castitatem voverint, deinde vero obtinuerunt, ut solam coniugalem voverent; quod votum, ut monet Suarez l. c., magis est accomodatum eorum Instituto.

IV. 2. Religiosi non sunt, qui, edito voto perpetuae paupertatis et castitatis, obedientiam vovent Confessario aut Episcopo. Ratio est, quia tali voto non subiiciuntur iurisdictioni spirituali, quae a Deo, medio eius Vicario, provenire debet. ibid. n. 7.

23. De hac re iam actum est. Et quoad vota facta in manu Episcopi cf. dicta n. 17. ubi aliam ab ea, quam A. proponit, dedimus rationem, cur talis vovens non censeretur modo religiosus.

V. 3. Etsi Papa in votis sollemnibus Religionis dispensare possit, ut quis desinat esse Religiosus: non potest dispensare tamen, ut quis manens Religiosus substantialibus votis non teneatur; quia ad essentiam Religionis illa spectant. Laym. l. c. n. 8. ex Nav. etc.

24. Papam dispensare posse in votis sollemnibus probatum est V. 1. n. 410. seqq. atque ita etiam perfecte dispensare, ut quis desinat esse religiosus.

Sed quaeri potest, an hoc pacto dispensare possit, ut nempe dispenset quidem in aliquo ex his tribus votis, efficiens tamen, ut dispensatus maneat adhuc religiosus propter alia duo vota.

Quidam negant, ut Anacletus in tit. *de Regular.* 12.; quia, aiunt, tria vota sunt de essentia religionis et quidem iure divino. Verum illud prius valet de essentia status perfecte religiosi; ceterum, si statum religiosum late sumis, quid prohibet religiosum dici statum, in quo continentia et obedientia servetur? (n. 11.).

Quod spectat ad alterum, de iure quidem divino est, quod perfectionis sit tria ea vota servare: sed quod tria simul serventur et quod religio

non sit, nisi ubi tria simul servantur, iuris humani est et ecclesiastici, praeformante tantum magisterio divino.

25. Ceterum, si quaeratur an Papa unquam dispensaverit in voto sollemni, legendus Commentarius historico-canonicus P. Nilles, qui, saltem quod spectat ad votum sollemne castitatis, ostendit monumenta vetera et nova afferri solita, pro demonstratione huius facti, vel nullius vel admodum dubii esse valoris.

Concessit identidem ss. Pontifex, ut religiosus professus matrimonium iniret: ita tamen, ut mortua coniuge, ad monasterium rediret, quo votum pridem emissum sancte sicut prius servaret, quin iuberetur rursus profiteri. Ita dispensatum fertur ab Alexando III. cum Nicolao Iustiniani Patritio veneto, qui post sobolem susceptam, vivente adhuc ac consentiente atque continentiam vovente uxore, *voti veteris religionisque non immemor, ad monasterium reversus est, miraculis postea clarus*. Plenius Pius IX. anno 1866. 16. mart. iussit dispensari cum professo ordinis Militaris Hierosolymitani (Melitensis) super votis sollemniter emissis, *praeter votum castitatis*, ut in ipso rescripto dicitur. Quoad hoc votum enim, permissum quidem est equiti matrimonium, pro sobole habenda, contrahere ac debitum coniugale reddere et exigere, sed simul loco observationis voti, quaedam pia opera iniuncta, *ut memor* (haec sunt verba rescripti) *esse possit obligationis suae*. Deinde subditur: *Sciat autem orator, se contra praefatum castitatis votum facturum, si extra licitum matrimonii usum deliquerit et si mulieri, quam in uxorem ducet, supervixerit, ad castitatem servandam omnino teneri*, UTPOTE EODEM VOTO UT PRIUS OBSTRICTUM *nec aliud matrimonium contrahere posse absque nova s. Sedis licentia*. Neque cum Romana Sedes extinguit et abolet aliquem Ordinem regularem, solet professos dispensare a votis. Cf. Bullam Pii V. pro extinctione Ordinis Fratrum Humiliatorum §. 6.

Ergo dispensatio data est ab observatione eaque temporanea voti, non ab eius obligatione. Idem valere censemus in dispensatione, quam ex concessione s. Sedis Episcopi morituris concedere possunt ab impedimentis dirimentibus professionis et Ordinis (cf. tr. *de Matrim. de Dispensationibus*), ut mortua nempe uxore, ad castitatem servandam teneantur.

Ergo nulla in his casibus opus est, cum redit professus, renovatione votorum; nam manet semper religiosus obstrictus voto.

Ergo qui ita dispensatur, ut eo peracto, propter quod data fuit dispensatio, teneatur ad monasterium redire, vere fuit interim semper religiosus, saltem in actu primo; quia semper obligatus mansit suae professioni suaeque religioni.

Haec colligit cit. Auctor ex praxi s. Sedis in dispensando a voto sollemni et rector. Monemus tamen hanc praxim non esse propriam dispensationis voti sollemnis castitatis; nam et in dispensando voto simplici castitatis ita s. Sedes se gerere solet. Cf. *de Matrimonio*, ubi *de Impedim. impedient. de Voto.*

Ergo ad essentiam religionis spectat voti obligatio: observatio vero, auctoritate competenti, suspendi potest, quin desinat quis esse religiosus.

26. Porro quemadmodum Papa dispensare potest a voto sollemni, ita nutu suae auctoritatis, re non mutata nihilque scientibus religiosis, efficere potest ut eorum votum sollemne desinat esse tale et evadat simplex atque votum simplex fiat sollemne. Si enim voto simplici accedit ea acceptatio Papae, qua votum confirmat et sub sua speciali custodia suscipit, votum fit sollemne: si talis acceptatio auferatur, votum ex sollemni fit simplex. Nec consensus religiosi requiritur, ut votum eius simplex fiat sollemne; quia ipse iam se plene et absolute tradidit religioni non secus ac professus sollemniter et favor ei conceditur: nec ut sollemne votum fiat simplex, saltem valide; quia res tota sita est in potestate Pontificis, qui favorem absque iniuria auferre potest.

Locuti sumus de dispensatione votorum sollemnium: porro vota simplicia religiosa quae adeo frequentia aetate hac sunt, quis dispensare valet?

Respondeo. 1° Vota simplicia, quae in Religionibus habentibus vota sollemnia eduntur post Novitiatum, ante sollemnem professionem, dispensari possunt a solo Papa; eadem tamen cessant, facta legitima dimissione talis professi ab Ordine. Ita in Responso s. Congr. super statu Regular. ex mandato Pontificis artt. 2. et 3. die 12. Iun. 1858.

2° Vota simplicia in iis religiosis Institutis, quae sollemni professione carent, si particulari decreto aut privilegio Apostolicae Sedis reservata sint Papae, patet a nemine alio posse dispensari. Id locum habebat pro presbyteris Congregationis Missionum, ex Constit. Benedicti XIV. *Quo magis* (Lucidi. c. 5. n. 341.).

3° Ceterum « hodiernis temporibus, in approbatione cuiuslibet recentis Instituti, iuxta communiter receptam disciplinam, solet a s. C. Episcc. et Regg. apponi clausula, ut vota, quae in istis votorum simplicium Institutis eduntur, a sola Apostolica Sede dispensari possint ». Verba sunt eiusdem Lucidi l. c. Imo in congregationibus feminarum, ubi vota sint non ad tempus, sed in perpetuum, non desinunt per legitimam dimissionem, sed per solam dispensationem s. Sedis. Cf. Collectanea Bizzarri p. 789.

Item simplex votum *perseverantiae,* quod in certis Institutis editur, reservari solet Papae. Imo iam generaliter Benedictus XIV. Constit. *Convocatis* 7. kal. Nov. 1749. directa ad Poenitentiarios, ubi amplissimas eis concedit facultates, dixerat §. 32. « Denique quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praeiudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota quamvis simplicia seu perseverantiae seu alia emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate (quacum idcirco quidam contractus onerosus initur) et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant ». « Iam vero, subdit Lucidi l. c. n. 351., si huiusmodi potestas s. Poenitentiariae minime inhaeret, multo minus Episcopis inesse dicenda est ». Cf. s. Alph. l. 3. n. 255.

4° At si Congregationes seu Instituta nondum sint ab Apostolica Sede approbata, potest Episcopus dispensare eorum vota, dummodo 1° non sint aliunde iam reservata Papae, cuiusmodi est *votum perpetuum et absolutum* perfectae castitatis ac 2° *dummodo ius ex contractu oneroso acquisitum tertii, ipso rationabiliter invito, non laedatur.* Ita C. s. O. 2. Aug. 1876. apud Bucceroni *Enchiridion Morale* pag. 73.

VI. 4. Religiosus promotus ad Cardinalatum vel Episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus suae religionis, etsi quoad aliquos effectus paupertatis et obedientiae exemptus censeatur. Deinde, etsi iugo Regulae absolutus sit quoad culpam et poenam; tamen ex obligatione moralis honestatis, ea servare debet, quae eum decent et cum eius munere consistunt. Hinc quoad habitum, sui Ordinis colorem deferre debet, etsi quoad figuram, Episcopis secularibus se conformare possit, ut Clemens VIII. concessit apud Sanchez 6. *Mor.* c. 6. Imo, si Episcopatum resignet, vel ob culpam deponatur, absque degradatione tamen, non tenetur ad regularem observantiam redire; quia retinet eminentiam Episcopalem, ob quam ab obedientia regulari exemptus fuit. Ibid. ex s. Th. Rodrig. Sanch. etc. Secus est de Cardinali Religioso, qui non est Episcopus; hic enim, relicto Cardinalatu, nihil retinet ex dignitate Cardinalitia ideoque si Papa eius renunciationem acceptarit, tenetur redire ad obedientiam regularem sui Ordinis. Pal. de Lug. *Resp. mor.* l. 5. d. 12.

27. In primis advertatur, quod ait Suarez *de Relig.* tr. 8. l. 3. c. 16. n. 4. « Certum est religiosum, cum fit Episcopus, non amittere substantialem statum religiosi. Ita docet s. Thomas 2. 2. q. 185. a 8. et est communis omnium sententia ». Dispositio enim ad perfectionem, cuiusmodi est in statu religioso, non tollitur adveniente perfectione, qualis est in statu episcopali, nisi forte quatenus cum ea repugnat. Atqui obligatio votorum non pugnat cum perfectione Episcopatus: qua de re paulo post.

Porro de quaestione, quam tangit A., actum est data opera in s. Congr. Episcc. Regg. die 6. Maii 1864., ubi ad quaestionem: *an et quomodo Episcopus regularis teneatur ad regulam servandam, quam*

professus est? prodiit haec decisio. *Affirmative, ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. incipientis* Custodes: *nempe Episcopus regularis tenetur observare regulas suae religionis, quae materiam voti paupertatis determinant: item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione, gravi vel levi, observare, qua tenebatur, antequam assequeretur dignitatem episcopalem; ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant* ». Apud *Acta s. Sedis.* Vol. 1. p. 465. Cf. Bouix *de Iure Regularium* p. 5. c. 8. q. 5. Conferendus s. Thomas 2. 2. q. 185. a. 8., cuius doctrina confirmata est hoc responso.

Haec s. Congregationis sententia alia est ab ea, quam s. Alphonsus l. 4. n. 3. q. 2. plures doctores secutus ceu probabiliorem tradit: regulares ad episcopatum evectos sub nulla culpa esse obligatos ad regulam, sed solum ex honestatis debito, quod tamen ne sub levi quidem obligat. In cuius doctrinae confirmationem citat c. unic. *Statutum* c. 18. q. 1. ubi dicitur: « Monachus, *quem canonica electio a iugo regulae monasticae professionis absolvit* etc. ». Verum, ut merito observabat eruditus Consultor (cf. *Acta cit.* p. 461. seqq.), 1° de huius canonis genuitate dubitatur, tum 2° canon est Concilii provincialis Altheimensis in Rhaetia nec ex eo, quod a Gratiano in suam collectionem insertus est, nactus est vim legis universalis. E contrario extant decreta Romanae Sedis, disserte edicentia, regularem Episcopum non esse exemptum ab obligationibus suae professionis, ut Innocentii III. epist. ad Episcopum Pinnensem ex Abbate Cisterciensi assumptum ad Episcopatum: decretum Alexandri VII. emissum die 26. iul. 1662. et Benedicti XIII. Const. *Custodes* ann. 1725. quae videre est l. c. p. 459.-460.

28. In responso cit. s. Congr. nihil dictum de obedientia: nam satis est evidens, quod, etsi voti obligatio maneat; nam non desinit esse regularis qui episcopus creatur, attamen, cum hic collocetur inter principes Ecclesiae, ordo postulat ut non debeat voluntati praelatorum Religionis subesse. Veruntamen, *vi eiusdem voti,* ut Theologi censent et Canonistae, tenebitur ei obedire, cui Ordo totus religiosus et praelati religionum subsunt et cui quilibet religiosus, religionem profitens se subiicit, nimirum Romano Pontifici, cuius speciali iurisdictioni in Ordines religiosos se subdit quilibet religiosus et quaelibet religio ab eo auctoritatem iurisdictionis obtinens: ut idcirco religiosus, promittens obedientiam praelato eique se tradens, qui potestatem proinde tum dominativam in eum acquirit, propter traditionem, tum potestatem iurisdictionis, quam a s. Sede acceptam in eum iure exercere potest, censeatur promittere obedientiam quoque Rom. Pontifici, a quo est

omnis iurisdictio in religione. Atque haec valere quoque credenda sunt in Episcopo tantum titulari; nam dignitatis excellentia par est. Unde patet regulares Episcopos adhuc obedientiae votum servare posse. De voto castitatis nihil opus est dicere.

Quoad paupertatis votum, illud intercedit discrimen, quod, cum prius regularis monasterio acquireret, nunc ecclesiae suae acquirat et quidem ecclesiae *quoad proprietatem*, ad proprium honestum commodum *quoad usumfructum et administrationem;* id enim nedum dignitas, sed episcopale officium requirit. Cf. Ferraris v. *Episcopus* art. 7. n. 11.

An regulares Episcopi possint esse heredes et cui acquirant, diximus in vol. praeced. nn. 1044. seqq.

29. Advertendum est, quod regularis professus in Ordine, qui incapax sit dominii etiam in communi, cuiusmodi sunt Minores de Observantia, qui professus proinde nec sibi nec monasterio acquirere hereditatem valet (cf. dicta l. c.), si hic nihilominus regularis fiat Episcopus, recuperat ius successionis ad hereditatem sibi delatam; dummodo hereditas alicui tertio iam acquisita non fuerit ante promotionem ad Episcopatum: ceterum nihil plus obtinet, quam alii Episcopi regulares ideoque ita succedere potest, ut res quoad proprietatem acquirantur ecclesiae, quoad usumfructum ipsi regulari. Ita responsio s. Congr. Conc. apud Ferraris l. c. n. 17.

Loquitur deinde A. de regulari Episcopo, qui Episcopatum resignet aut deponatur. Iam vero, ait Bouix l. c. q. 8. « ante Benedictum XIII. existimabant multi doctores, religiosum, qui episcopatu cessit vel depositus fuit, non teneri, ad monasterium redire. Sed dictus Pontifex Const. *Custodes* contrarium sancivit in hunc modum: *dimisso Episcopatu seu quacumque alia dignitate, ad quam evecti fuerint, vel perfuncto munere sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur, sub poena privationis pontificalium et si manserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.* Haec suspensio non amplius viget.

VII. 5. Religiosus ad Parochiam promotus, cum votis astrictus maneat, tenetur deferre habitum Religionis Regulamque observare in omnibus, quae cum suo munere consistere possunt. Idque non tantum secundum moralem honestatem, sed sub obligatione gravis culpae, si ad eam Regula obliget. Ita Laym. l. 4. t. 5. cap. 1. num. 12. et 14. Ubi addit, etsi Parochus Religiosus in iis, quae ad regulam spectant, subiectus maneat superiori; iam tamen consuetudine multis locis observari, ut non tantum in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed etiam in plerisque aliis, ab obedientia Praelati eximatur et Episcopo subiiciatur. Vid. Sanch. l. 6. *Mor.* c. 6. n. 36.

30. Obligatio religiosi promoti ad parochiam, servandi regulas sui Ordinis manifeste colligitur ex obligatione modo demonstrata religiosi Episcopi. Analogice autem eodem est pacto intelligenda: ut excusetur

religiosus parochus ab iis, quae vel in eius habitatione, si alia est a monasterio, nequeunt servari, vel officii sui exsecutionem impedirent aut cum eo non possent componi. Suarez op. cit. tr. 8. l. 3. c. 19. n. 6.

Quod spectat vero ad obedientiam, distinguit Suarez inter beneficium parochiale unitum seu subiectum pleno iure monasterio et non unitum pleno iure (cf. Bouix op. cit. p. 5. c. 3. §. 1.). In priori hypothesi, cum parochus, qui est reapse vicarius, sit amovibilis ad nutum (nisi Episcopus vi decreti Tridentini c. 7. sess. 7. *de Reformatione,* aliter statuerit) praelati monasterii, penes quod est titulus parochialis, certum est, religiosum parochum sub obedientia adhuc esse praelati sui in iis, quae non spectant ad curam. In illis vero, quae ad curam spectant, non praelato suo, sed Episcopo subesse et obedire tenetur; quia cum populus regendus maneat subiectus Episcopo, idcirco talis Parochia, quoad curam animarum, manet secularis et Episcopo subiecta, cuius visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni subest non solum in iis, quae concernunt curam animarum sed et proprios mores, ut statuit Benedictus XIV. Const. *Firmandis* 6. nov. 1744., cum agitur de visitandis ab Episcopo Regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum secularium. Schmalzgr. l. 3. tit. 27. n. 10. In altera hypothesi, religiosus a suo quidem praelato praesentatur, sed ab Episcopo instituitur vicarius perpetuus (c. 1. *de Cappellis Monachorum* in 6.): idcirco non est amovibilis ad voluntatem praelati sui. Ex quo infert Suarez l. c. nn. 23. 24., quod talis religiosus translatus ad tale beneficium, durante eo statu, maneat liber ab obedientia praelati (addit etiam a iugo regulae, quae sententia temperanda iuxta dicta paulo ante n. 27.); quia separatur a corpore religionis et dedicatur atque unitur ecclesiae, cuius est beneficium parochiale. « Quod vero Episcopo parochus religiosus, *ex voto obedientiae,* tamquam Abbati (praelato) suo obedire teneatur, id credibile haud esse, ait Laym. l. 4. tr. 5. c. 1. n. 12.; cum Episcopo obedientiam non promiserit: quae ratio nimis probat. Nam idem valeret et in secularizatis et eiectis. Cf. ergo dicenda inferius sub n. XLIX. 2.

Dub. II.

Quae requirantur ad valorem professionis religiosae.

VIII. Respond. Ad valorem eius tres requiruntur conditiones. 1. Est qualitas, seu aptitudo voventis, scilicet ut, iuxta Trident. sess. 25. cap. 15. *de Regularibus,* decimum sextum aetatis annum expleverit annumque integrum cum religioso habitu steterit in probatione nullumque habeat impedimentum, quod, per statuta a Pontifice confirmata, in isto Ordine substantiale esse censeatur. Azor, tr. 1. lib. 12. cap. 2. qu. 6. et 7. Rodrig. tr. 2. cap. 6.

2. Conditio, consensus et acceptatio expressa vel tacita Praelati Ordinis; per

hanc enim Religioni incorporari debet. Idque ordinarie, non tantum cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli, aut certe maioris aut principalioris partis, secundum cuiuscumque Ordinis statuta. Navarr. Less. c. 41. d. 7.

3. Ut professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eo quod in Professionem consentire noluerit. Itemque metus reverentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiarum et imperii saepius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adiunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex Religione egrediatur: haec enim vel singula, vel certe simul iuncta, considerata conditione hominis rudis, timidi etc., metum iustum incutere possunt et professionem irritare, ut docet Laym. cum aliis l. 4. tr. 5. cap. 5. Less. lib. 2. cap. 43. d. 7.

31. Quoad 1ª conditionem adverte primum, quod ex decreto Pii IX. edito per Congr. super Statu Regularium 25. Ian. 1848. « in quocumque Ordine virorum, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in eis emittantur vota sollemnia, sive simplicia et licet agatur de Ordinibus etc. qui ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehendantur, nisi de iis specialis, individua et expressa mentio fiat; *nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans, post expletum* 15. *annum aetatis suae, ultra annum, moratus fuerit* ».

Circa quod decretum advertit Bouix *de Iure Regul.* p. 4. sect. 1. c. 4. §. 3. non requiri ad legitimam postulantis admissionem consensum Episcopi, sed solum testimoniales litteras. Has requiri ad liceitatem, non ad validitatem, ut idcirco nequeat impugnari ut invalida professio, ubi istud decretum antea non fuerit observatum: quemadmodum declaravit s. Congr. 16. Ian. 1862. apud Lucidi op. cit. c. 4. §. 4. n. 137. Item dispositionem hanc Pii IX. non auferre obligationem sumendi informationes de iure communi requisitas.

Porro si Ordinarius nequeat dare litteras testimoniales, quia personam ignorat, potest admitti postulans, dummodo alia accurata informatione illi defectui suppleatur. Ex responso s. Congr. 25. ian. 1848. n. 3. Si vero Ordinarius nolit dare litteras testimoniales, quas dare tenetur, recurrendum est ad s. Congr. sup. statu Regg. Ibid. n. 6. cf. Lucidi op. cit. c. 4. n. 133. seqq.

32. Nunc quod spectat ad id quod A. habet de prima conditione, istud est decretum Tridentinum sess. 25. c. 15. « In quacumque religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante 16. annum expletum nec qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem aut ad alios quoscumque effectus ». Et c. seq. « Finito tempore novitiatus, Superiores, novitios,

quos habiles invenerint, ad professionem admittant aut e monasterio eos eiiciant ».

Non sufficit, ait Schmalzgr. tit. *de Regularibus* n. 65., annum probationis vel aetatem requisitam ad professionem esse completam moraliter, sed oportet compleri de momento in momentum : idcirco si quis hodie hora septima pulsata inchoasset probationem, anno sequente inutiliter profiteretur, si professionem emitteret quadrante ante appulsum horae septimae. Idem dicito, si quadrans horae desit ad explendum annum 16. Quia vero annus bissextilis est annus unus, non secus ac alii; qui die 24. febr. in festo s. Matthiae novitiatum inchoasset, sequente anno bissextili exspectare deberet diem 25.; quia, iuxta acceptionem civilem et ecclesiasticam, illa die expletur annus inceptus die s. Matthiae anno praeced. sive dies 24. et 25. in anno bissextili pro una habentur.

A lege cit. c. 16. Trid. Syn. excipit expresse Societatem Iesu, quae biennium probationi praescribit et professionem differt multo post novitiatum.

Ceterum haec dispositio, ut, expleto anno novitiatus, novitius aut admittatur ad professionem, aut dimittatur, « intelligenda est, ait Reiffenstuel in tit. *de Regularibus* n. 68., *nisi iusta subsit causa* professionem differendi, prout declaravit s. Cong. Conc. et cum aliis bene observat Pirhing ».

33. Imo nunc ex decreto Pii IX. edito per organum s. Cong. super Statu Regularium, 19. martii 1857. nova lex inducta est pro religiosis familiis virorum, in quibus sollemnia vota emittuntur. Scilicet « peracta probatione et novitiatu ad praescriptum s. Conc. Trid., Constitutionum Apostolicarum et statutorum Ordinis a s. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum 16. ab eodem Conc. Trid. statutam vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a s. Sede approbatis requiratur et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Const. Clementis VIII. *In supremo* praefinita est ». Non ante scil. annum vigesimum admittendi hi ad novitiatum.

Sequitur decretum Pii IX.: « Professi post triennium, a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum sollemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit ».

Idem porro Pontifex die 7. febr. 1861. sollemni Constit. *Ad universalis* declaravit ac decrevit quoad religiosas virorum familias, in quibus sollemnia vota emittuntur « nullam omnino, irritam et nullius roboris

fore professionem votorum sollemnium, tam scienter quam ignoranter, quovis modo, praetextu et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis et conversis, qui, licet probationem et novitiatum, prout de iure, expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium et in ea per triennium integrum non permanserint; quamvis vel a superioribus, vel a novitiis vel ab utrisque intentio habeatur respectiva recipiendi ad vota sollemnia et ea emittendi ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum sollemnium praescripti ».

34. Conc. Trid. mentionem facit habitus religiosi et novitiatum inchoari ponit a susceptione habitus. Necessariam esse, de iure communi, regularis habitus susceptionem et per integrum novitiatus annum gestationem, est communis doctorum sententia, ait Bouix *de Iure Regularium* p. 4. c. 5. III. 2., pro qua et citantur a Ferraris v. *Habitus* n. 3. duae s. Congr. Episcc. et Regg. declarationes. « Diximus, subdit idem Bouix, *de iure communi;* quia de iure particulari potest aliquis Ordo religiosus ad nullum habitum regularem teneri, si nempe ita ipsius institutum a Sede Apostolica fuerit approbatum: cuiusmodi est Institutum Societatis Iesu, iuxta quod (Exam. gen. c. 1. §. 13.) tota probatio in veste seculari peragi potest ».

35. Quod spectat ad annum, quo quis novitiatum inchoare potest, in iure quidem nulla reperitur statuta praecise aetas: Clemens VIII. Const. *Cum ad Regularem* solum iussit, ut in ea sit aetate, quam religiosi Ordinis, in quo recipitur, Instituta et ordinationes requirunt, absque ullo addito decreto irritante. Quoad conversos autem, voluit non recipi ante 20^{m} aetatis annum. Nihilominus s. Congregatio ut refert Ferraris v. *Annus reprobationis* n. 5. statuit: *Recipiendi Novitii* 15^{m} *saltem aetatis suae annum attingant.*

Ad moniales tamen quod attinet, adverte cum s. Alphonso l. 4. n. 5. prohiberi a Trid. Syn. sess. 25. *de Regularibus* c. 17. ne puellae ante 12^{m} annum expletum, h. e. antequam pubertatem ingressae sint (nunc vero ex decreto s. Congr. Episcc. et Regg. 23. maii 1659., ut refert Ferraris v. *Moniales* art. 1. n. 72., non nisi post expletum annum 15.: licet tamen pro iunioribus indultum petere Apostolicum) suscipiant habitum regularem; firma utique manente lege c. 15. lata, pro mulieribus aeque ac pro viris, ne ante 16^{m} annum expletum professio fiat. Unde patet, quod, cum novitiatus a suscepto habitu annum durare debeat, non repugnat Tridentino, si inter novitiatum exactum et professionem spatium trium etiam annorum intercedat. Iubet praeterea Trid. Syn. explorari accurate ab Episcopo vel eius Vicario aut Delegato voluntatem feminarum, priusquam professionem emittant.

36. Iam vero, ut declaremus magis quae spectant ad tempus annui novitiatus, tenendum est, novitiatum debere esse continuum: qui idcirco 7. mensibus in tyrocinio exactis egrederetur et post aliquod tempus rediens, alios quinque menses in tyrocinio poneret, is nequiret admitti ad professionem, quae nulla foret. Ratio est, ait Schmalzgr. l. c. n. 68., quia quando iura certum tempus ex die aliquo designato (heic est dies susceptionis habitus) ad alium diem requirunt, in dubio intelligenda sunt de tempore continuo. Hinc etsi brevissimo temporis spatio quis a monasterio, *dimisso habitu, cum animo non redeundi* egrederetur, etsi facti poenitens statim reverteretur, novitiatum rursus inchoare deberet. Bouix op. cit. p. 4. c. 5. n. 6. Si vero novitius, *retento habitu*, per breve tempus aufugiat, non censetur interruptus novitiatus. Idem citans Thesaurum Resoll. Certe si statim novitius revertatur, id non improbabile esse, ait Pichler tit. *de Regularibus* n. 7. atque hanc esse praxim Congr. Conc. seu normam, quam sequitur, habes apud Acta s. Sedis, vol. 3. p. 119.

Lex continuitatis intelligenda est, nisi aliqua iusta causa exeundi subsit et superiorum licentia accedat. Nam « novitiatus non dicitur interruptus, si novitius extra claustra ex iusta causa et cum licentia superioris absit, iuxta sententiam, quam amplexa est s. Congregatio ». In thesauro Resoll. apud eundem Bouix l. c. Hinc Reiffenstuel tempus istud commorationis extra claustra ad sex quoque menses extendit, tit. *de Regularibus* n. 107. et Schmalzgr. cum aliis l. c. n. 62. ad maiorem anni partem. Ratio est, quia qui ex superioris licentia abest censetur adesse et alioquin, cum adhuc sit sub obedientia superioris, probari potest.

Neque continuitas requisita censenda est deesse, si novitius per 10. quoque menses infirmus decumbat. Ita in thesauro ibid.

Porro exacto anno probationis, si novitius exeat et postea poenitens redeat, recipi ad professionem potest; quia iam reapse probatus est (ut supponimus) et necesse non est, ut iam monuimus, novitiatum excipi immediate a professione. Excipit Schmalzgr. l. c., si mutatio notabilis interna acciderit, sive circa novitium sive in ipsa Religione: cf. Ferraris v. *Professio regularis* n. 64.

37. Locus peragendi novitiatum est monasterium seu domus religiosa. Patet ex cap. 3. *Is qui, de Regularibus* in 6.: ubi dicitur: « Quod si per totum sequentem annum *in monasterio* permanserit ». Et sane finis novitiatus est, ut et novitius experiatur religionem et religio novitium: qui vero id fieri potest, si novitius in seculo vivat extra obedientiam religionis?

Clemens VIII. in decreto *Regularis disciplinae*, 12. Mart. 1596. pro Italia et insulis adiacentibus, prohibuerat sub poena nullitatis, ne novitiatus fieret praeterquam in monasteriis auctoritate Apostolica ad hoc designatis (a qua tamen lege non paucos Ordines exceperat) et ne alibi quam ibi professio emitteretur. Cf. Const. Benedicti XIV. *Si datam* §. 6.

Porro, novo introducto iure, dubium propositum est s. Congr. sup. Stat. Regg. hoc pacto. « Iuxta Const. Clementis VIII. professio votorum sollemnium emittenda est in conventu Novitiatus. Ad praescriptum vero legis latae die 19. Martii 1857. art. 10. professi votorum simplicium debent manere in domibus professorii et studiorum. Hinc quaeritur, an professi votorum simplicium, ut suo tempore ad professionem votorum sollemnium admittantur, transferendi sint in conventum Novitiatus, vel eam emittere possint in conventu, in quo morantur ». Responsum est: « Ssmus in Audientia habita die 9. Dec. 1859. ab infras. Secretario s. Congr. sup. Stat. Regg., attenta lege de emittendis votis simplicibus die 19. mart. 1857. lata, statuit, atque constituit ut, litteris Apostolicis Clementis VIII. aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere professionem votorum sollemnium suo tempore emittere possint in conventu seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in domo peracti novitiatus ». Apud Lucidi, op. cit. c. 4. n. 146

Quod spectat ad renuntiationem bonorum faciendam a novitiis, iam diximus vol. praec. n. 1006. seqq. ibique novam dedimus ordinationem Pii IX.

Nota. His legibus quae tempus et locum novitiatus respiciunt, illi Ordines religiosi tenentur, pro quibus latae sunt, nempe Ordines proprie dicti, in quibus sollemnia emittuntur vota: non vero Congregationes seu Instituta votorum simplicium. Cf. Bouix l. c.

38. Quod spectat ad 2^{m} conditionem ab. A. memoratam, perpende superius dicta de traditione et acceptatione nn. 12. 14. 20. Si casum fingas, quod profitendi animum novitius habeat, praelatus vero non acceptet, nulla orietur in novitio obligatio et nulla erit professio: quia est ad modum contractus reciproci. Laymann l. c. n. 5. Veteres loquebantur quoque *de tacita* professione: de qua et ius canonicum loquebatur. Nunc tacita professio est antiquata. Ita in declaratione edita iussu Pontificis a Congr. saepius memorata, die 12. iun. 1858. ubi art. 11. edicitur: « Ad valide emittenda vota sollemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa et ideo professio tacita omnino abrogata est ».

39. Tertia conditio, si non ex lege naturae certe ex iure est ecclesiastico c. 1. *de His quae vi metusve causa fiunt.* Oportet autem 1° ut metus sit *ab extrinseco iniuste* incussus: nam si ab intrinseco est, actus est satis liber et perfecte liber esse potest, ut si quis ex metu inferni religiosus fiat: si vero metus sit iuste incussus, actus est debitus ideoque valet. Oportet 2° ut metus sit *gravis* c. ult. *Qui clerici vel voventes;* ubi eo quod modica coactio censeretur, votum mulieris ratum est habitum. Oportet 3° ut metus sit ratio determinans assensum in professionem religiosam: quocirca cum agitur de irrita declaranda professione causa metus, requiritur, ut demonstretur, metum incussum fuisse praecise ad extorquendum consensum in professionem. Cf. Acta s. Sedis. V. 1. p. 31.

Ex dictis iam in tr. *de Actibus humanis, de Metu* Vol. I. 70. patet metum gravem esse quoque, qui sit *relative gravis* atque hunc sufficere, ne professio valeat: idem est enim effectus, absentia scilicet illius pleni consensus, qui in professione postulatur. Idcirco metus *reverentialis,* qui gravis sit, quique talis certe est cum praevertunt minae vel verbera, sufficiens censendus est ad irritandam professionem. Cf. Bouix op. cit. p. 4. c. 2. et Laymann l. 4. tr. 5. c. 5. n. 6.

In foro quidem externo non habetur ratio metus levis; sed in foro conscientiae, quantumvis metus, per se spectatus, censeatur levis: videndum erit, utrum necne expresserit ab invito consensum.

40. Addere quaedam licet circa professionem. Docet Schmalzgr. loc. cit. n. 180. professionem, attento iure communi, fieri posse per procuratorem, quemadmodum obligatio matrimonii per procuratorem suscipi potest idque ex eo generali principio, quod omnes actus, nisi specialiter interdicantur, fieri per procuratorem possunt: in hac autem re, nulla est prohibitio a iure. Ita et Anacletus tit. *de Regularibus* n. 174. An vero id nunc quoque valeat post disciplinam inductam a Pio IX. valde dubito.

Docet idem Schmalzgr. ibid., professionem fieri posse sub conditione de futuro, quae tamen substantiae religiosi status non repugnet: qua conditione impleta, professio transit in absolutam. Ratio est; quia par est ratio ac in Matrimonio. Consentit Anacletus n. 175. Sanchez autem, quem Schmalzgr. allegat ex l. 5. *Moralium* c. 4. n. 88., sententiam hanc non ut certam tradit, sed solum ut probabiliorem. Monet idem Sanchez ibid. n. 101. professionem valere, dum quis se obligare intendit, etsi animum habeat non servandi; quia de essentia professionis non est velle vota servare, sed velle se obligare ad eorum observationem. Cf. dicta in praeced. Vol. n. 921.

Professio valet, ait rursus Schmalzgr. l. c. n. 188. etsi ille, qui eam acceptat, sit excommunicatus vitandus vel suspensus ab admissione ad professionem ; quia talis excommunicatio vel suspensio admissionem tantum facit illicitam, non invalidam; nam non privatur superioritate, cuius solius est actus admissio. Cf. praeterea dicenda sub Dub. V.

41. Quaeritur quinam sint effectus professionis. Primus enumeratur remissio omnium peccatorum quoad culpam et quoad poenam, dummodo qui profitetur sit in statu gratiae. Ita Bouix l. c. §. 4. c. 6.; sed apposita conditio excludit quod prius dictum est, remitti peccata quoad culpam: ut idcirco excidisse ea verba imprudenti censenda sint, et alii DD., ut par est, de sola remissione poenae loquuntur. Haec doctrina de perfecta remissione poenae debitae peccatis iam quoad reatum culpae remissis, tribuitur s. Thomae 2. 2. q. 189. n. 3. ad 3. Et sane s. Thomas ibi non loquitur de remissione quoad culpam, sed de remissione poenae ; nam loquitur de satisfactione: « in satisfactionem, inquit, pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per religionis ingressum, quae excedit omne genus satisfactionis, etiam publicae poenitentiae », qua quidem peracta, remissio totius reliquae poenae coram Deo concedebatur. Et sane professio religiosa est professio quaedam poenitentiae publicae: discrimen tamen est, quod olim remissio totius reliquae poenae obtinebatur, confecto curriculo poenitentiae, ab Ecclesiae clavibus, heic ab exordio obtineretur et per se: quocirca argumentum non est demonstrativum. Quare s. Thomas id non asserit ut certum, sed ut probabile: « rationabiliter, ait, dici potest, quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum (*quoad poenam*, ut fert consueta formula etc. nisi velis etiam profitentem in statu peccati, eam consequi) ». Unde concludit « si tamen non absolverentur per hoc *ab omni reatu poenae*, nihilominus ingressus religionis utilior est, quam peregrinatio Terrae sanctae etc.

Haec tamen ultra modum, absque ratione, amplificantur, cum eadem vis asseritur privatae renovationi professionis, quoties ea fiat; quamvis id non improbabile censeat Laymann *de Statu religioso* c. 10. n. 2. Sed quisque videt, non perinde esse obligationem sibi imponere et obligationem, quam nequeas exuere, ratam habere seu animo approbare. Illud difficile est, hoc nulla difficultate laborat.

Ceterum iam s. Sedes indulgentiam plenariam concessit non solum profitentibus sed et ingredientibus Novitiatum, si utrique confessi fuerint et communione refecti. Paulus V. Const. *Romanus Pontifex* 23. Mai. 1606.

42. Alter effectus est exstinctio omnium votorum prius emissorum: colligitur ex c. *Scriptura, de Voto et voti redempt.* Excipe nisi priora vota sint in favorem tertii, cui ius sit acquisitum. Sanchez *Moral.* l. 5. c. 5. n. 45.

Textus autem iuris citatus loquitur de eo, qui vota praecedentia commutat in professionem. Unde Suarez tr. 7. l. 6. c. 14. nn. 12. 14. censet probabile esse, quod vota compossibilia cum professione non exstinguantur ipso facto per professionem, sed quatenus profitens vult ea commutare in melius h. e. in professionem. Probabile id ait Suarez, non certum, propter tot ac tantorum virorum auctoritatem in contrarium.

Commutatio haec fieri potest etiam a profitentibus vota simplicia in religione: quia religiosus status est quid perfectius. Gregorius XIII. *Ascendente Domino.*

Tertio relaxat Irregularitatem ex defectu natalium, relative ad sacros ordines suscipiendos, non vero ad praelaturas. c. 1. *de Filiis presbyterorum:* « Ut filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati, ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant vel in congregatione canonica regulariter viventes: praelationem vero nullatenus habeant ». Ceteras irregularitates per professionem non auferri, communior habet sententia, apud Ferraris v. *Professio,* n. 102. et Anacletum n. 189.; quia iura de iis silent.

Quartus effectus est, quod liberat professum a patria potestate; transfertur enim in potestatem praelati: liberat autem quoad ea quae professo damnosa et religioni minus congrua sunt: nam quoad ea, quae utrique utilia sunt, patria potestas manet, ne quod ob gratiam ipsi conceditur, in eius dispendium detorqueatur, contra reg. 61. iuris in 6. Ita Schmalzgr, l. c. n. 207. Hinc retinet professus ius successionis.

Quinto dirimit matrimonium ratum: Trid. Syn. sess. 24. can. 6.

43. Cum nunc ante professionem sollemnem, vota simplicia proferantur duratura triennium, quaesitum est, an coniux in seculo manens tandiu exspectare debeat. Responsum est a Pontifice 24. Ian. 1861.: quoniam sola sollemnis professio matrimonium ratum dirimit; in his adiunctis vel ipse emissurus vota vel eius coniux poterit recurrere ad Apostolicam Sedem, pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota sollemnia. Apud Lucidi op. cit. c. 4. n. 148.

Sexto, addit Bouix l. c., ita per professionem firmatur bonorum abdicatio, ut professus etiamsi a Sede Apostolica secularizationem obtinet, nullum tamen ius in bona recuperet. Nam renuntiatio, secuta professione, absoluta evadit: porro professio etiam in secularizato manet. « Firmo autem remanente voto paupertatis, semper renuntians

est incapax possidendi, licet claustra reliquerit, ut tradit Rota ». Ita in quadam causa Pisaurensi 15. Sept. 1804. decisum fuit. Cf. apud Acta s. Sedis in vol. 4. App. 10[m].

Obtenta utique secularizatione, cum vinculum inter professum et monasterium seu ordinem rumpatur, recuperat professus suam iuridicam personalitatem ad vindicanda coram civili Tribunali sua iura, puta successionis obvenientis; usum tamen et proprietatem bonorum, propter votum paupertatis, habere nequit, nisi nova accedente dispensatione. Cf. Acta s. Sedis vol. 6. p. 402. seqq.

Ceteros effectus, qui ex dictis de statu religioso intelligi possunt, cf. apud Schmalzgr. l. c. nn. 206.-208. An vero excuset professio a debitorum solutione, dicemus infra sub Dub. IV. ubi de iure Monasterii in bona religiosi. Quaestio enim eo redit, an teneatur Monasterium solvere debita professi.

Hactenus dicta valent in professione proprie dicta votorum sollemnium: quod spectat ad vota simplicia Societatis cf. eundem Schmalzgr. l. c. nn. 209. 210. vel eiusdem Societatis Institutum; quoad alia Instituta votorum simplicium cf. eorum privilegia.

44. Identidem forte opus erit nosse Confessario, quinam possint ad professionem admittere. Spectare id muneris ad superiores regulares manifestum est ex verbis Trid. Syn. sess. 25. *de Regularibus* c. 16. ». Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant aut e monasterio eos eiiciant »; cf. et c. *Porrectum, de Regularibus.* Idem constat ex novo decreto iussu Pii IX. edito: *Regulari disciplinae* 25. an. 1848.

Sane necesse est, ut professio ideoque traditio sui fiat in manibus eius, qui potestatem habet incorporandi aliquem tali religioni: talis porro est ipsa religio vel eius superior, multoque magis Romanus Pontifex. Cum autem acceptatio fiat in religione approbata a s. Sede, iam auctoritas huius in acceptandis votis intervenit.

Porro id et in Monialibus valet, ut Praefectae monasterio seu Abbatissae possint, de iure communi, admittere ad professionem novitias suas. Ita Schmalzgr. l. c. n. 186. cum aliis. Idque supponitur c. *Consulit, Qui clerici* etc. Ratio est, ait idem; quia acceptatio haec non est actus iurisdictionis spiritualis pertinentis ad claves Ecclesiae, sed superioritatis cuiusdam, quam Abbatissa, probante s. Sede, habet in suas moniales. Illa enim acceptatio nihil aliud est, ait Sanchez op. cit. l. 5. c. 4. n. 78., quam admittere nomine religionis obligationem illam, qua profitens religioni se adstringit et obligare religionem professae ipsi. Ita Ferraris v. *Moniales* art. 1. n. 101.: « Quamvis professio monialium in manu Ordinarii (aut praelati regularis, si regularibus

moniales sint subiectae) principaliter, non autem Abbatissae, fieri soleat: tamen si fiat in manu superiorissae, de consensu maioris partis capituli, est valida; cum superiorissa per se sola cum dicto consensu maioris partis monialium illam possit recipere, nisi obstent peculiares constitutiones religionis. De iure enim Monialium receptio non spectat ad Ordinarium, sed ad Abbatissam et monasterium ». Quod in seqq. auctoritate confirmat.

Si monasterium aut Ordo, in quo professio facienda est, non sint exempta a iurisdictione Episcopi, potest Episcopus ad professionem admittere, quod maxime contingere potest in monasteriis Monialium Ordini non subiectis. Ita Schmalzgr. l. c. n. 183. coll. Sanchez. l. c. n. 74., qui tamen addunt, opus esse in eo casu ut huiusmodi admissio fiat, cum consensu maioris partis capituli, quem Praelatus in re ad monasterium spectante exquirere debet.

Ceterum in singulis casibus, ut sciatur quis possit ad habitum et professionem recipere, recurrendum in primis est ad consuetudines, privilegia et statuta cuiusque Ordinis; ut cum Fagnano loquitur Bouix l. c. c. 5. §. 1.

Tandem constat, quod ille, cui iure ordinario competit potestas recipiendi, potest eam alteri delegare. Ita c. *Ad apostolicam, de Regularibus,* ubi dicitur: « Abbate vel per se vel per alium professionem recipiente ». Unde colligunt laicum quoque delegari posse. Veniamus ad resolutiones A.

Unde resolvuntur sequentes Casus.

IX. I. Is, qui Professionem irritam edidit, ex defectu alicuius conditionis ex iam dictis, nisi eam postmodum tacite vel expresse ratificaverit, egredi e religione et uxorem ducere potest; licet, ob evitationem scandali, causam egressus dicere debeat et si ad forum externum causa deveniat, defectum Professionis probare idque intra quinquennium a die Professionis; post illud enim non auditur, iuxta Trid. c. 19. sess. ead. Quia praesumitur eam interea ratificasse.

45. Auctor loquitur de *tacita* ratificatione professionis. Quaeritur ergo: an professio invalide emissa, remoto impedimento, possit tacite convalidari. Olim tacita professio valebat, quam ex iure communi non quodlibet signum, sed duplex inducebat, nempe gestatio continua habitus regularis et exercitium actus proprii professorum. Cf. cc. 8. 9. 4. *de Regularibus* et c. l. eod. tit. in 6. iis nempe exsistentibus praesumebatur animus profitendi: quae tamen praesumptio manifestae cessisset contrariae veritati. Iam vero, arguebat Reiffenstuel in tit. *de Regularibus* n. 213., « plus non requiritur ad professionem ratificandam, quam ad eam primitus valide emittendam; atqui professio primitus

tacite fieri potest, ergo etiam tacite ratificari poterit ». Atque hanc aiebat communem esse sententiam. Cf. Schmalzgr. in tit. *de Regularibus* n. 155. seqq. Qui ad eam tria requirit. 1° Ut impedimentum sit sublatum, cum ratificatio ponitur: 2° ut ratificans sciat professionem iam a se primitus factam fuisse nullam; nam hoc est ipsum obiectum ratificationis atque huc spectat ratificatio, ut velim valere id, quod prius fuit invalidum: atqui nequeo id velle, nisi sciam invalidum fuisse. Aliis verbis: oportet, ut velim primitus valide vovere seu valide me obligare, non velim solum agere secundum obligationem, quam, ex errore, puto me contraxisse, etsi ea mihi placeat. Cf. et Ferraris v. *Professio regularis,* n. 86. et Anacletum l. c. n. 215. 3° requiritur proinde novus consensus, ille nempe, quo rata habetur professio. Tacitam posse esse ratificationem putarunt plures Syn. Trid. sess. 25. *de Regularibus* c. 19. implicite confirmasse vel certe supposuisse, cum statuit, ne ullus post quinquennium ab emissa professione, contra eius valorem posset reclamare. Quae vero ratio fuit decreti? Si Anacleto credimus, ea fuit, iuxta unanimem consensum doctorum, ut habet etiam A. noster, quia is, qui quinquennium non reclamavit, merito praesumitur professionem suam saltem tacite ratificasse. Id saltem dicenda est Syn. Trid. supposuisse, etsi dicamus aliam fuisse causam decreti, puta ad praecidendas lites et molestias religiosorum. Secus enim, aiunt, quo iure cogeretur non professus ad vitam regularem? At de vi huius argumenti paulo post dicendum erit. Advertimus nunc, quod ex vi decreti Trid. professio tacita per gestationem habitus etc. non praesumitur, si haec sit minor quinquennio.

46. Verum an nunc post decretum 12. Iun. 1858. valida haberi possit tacita professionis ratificatio, merito dubitatur: cf. Acta s. Sedis vol. 8. p. 41. seqq. Argumentum partis negantis huc redit. Pius IX. decreto lato 12. Iun. 1858. statuit art. 11. *Ad valide emittenda vota sollemnia post vota simplicia requiritur professio* EXPRESSA *et ideo professio* TACITA *omnino abrogata est.*

Itaque professio tacita est abrogata et quidem *omnino*, quocumque scilicet pacto: atqui tacita ratificatio professionis primitus invalidae est quaedam tacita professio: ergo, si tacita professio est omnino abrogata, tacita quoque ratificatio professionis invalidae abrogata est.

Id certe valet in professione sollemni, de qua in priore parte decreti disserte agitur. At valet ne etiam in professione votorum simplicium, quae in recentibus decretis Pii IX. et Actis Congregationum vocatur et ipsa professio? Advertimus professionem tacitam omnino abrogatam dici. Cum legislator id dicit, non potuit non intendere animum ad illam professionem tacitam, quam ius canonicum olim probabat et quae non erat nisi sollemnis. Professio ergo tacita iuris canonici abrogata est.

Porro ea abrogata, quodnam in iure est amplius subsidium pro professione tacita votorum simplicium? profecto nullum. Ex iure ergo nihil modo potest efferri, quo sustineatur professio tacita votorum simplicium. Idcirco nec eorum tacita ratihabitio iure valere potest.

Abrogata vero professione tacita et tacita ratificatione, cessat praesumptio iuris, quod talis professus animo consenserit in professionem; qui proinde consensus aliter probari non poterit, quam per expressam ratificationem.

Adde quod in seq. quaestione dicemus n. 51., non videri Romanas Congregationes rationem nunc habere ratificationis professionis per aliquos subsequentes actus.

47. Argumentum partis affirmantis hoc est. Non eo ipso, quod abrogata est tacita professio, censenda est abrogata tacita ratihabitio professionis; differunt enim. Nam in tacita professione, nulla exsistit professio expressa: in tacita vero ratihabitione, exstitit professio expressa, invalida quidem, sed quae nunc convalidatur. Abrogatio ergo professionis tacitae eademque etiam totalis (omnino) non complectitur necessario abrogationem tacitae ratificationis, sed intelligi merito potest abrogata tantum quaelibet professio tacita, quae sola subsistat, non professio tacita, quae subsequatur et convalidet professionem inutiliter antea expressam.

Et cum abrogatio legis et consuetudinis atque libertatis limitatio sit odiosa, non oportet, ultra necessarium sensum protendere vim huius recentis abrogationis.

Quod ex abrogatione professionis tacitae non sequatur abrogatio tacitae ratificationis, probatur etiam idonea comparatione. Vi Tridentini decreti abrogatum est matrimonium *clandestinum*: perperam vero exinde concluderes abrogatam esse clandestinam ratificationem matrimonii iam antea sollemniter celebrati sed invalide; quae ratificatio clandestina (h. e. remotis arbitris, re acta inter solos sponsos) in pluribus casibus et valet et licet. Unde inferimus, quod eo ipso, quod abrogetur quaedam forma pro contrahenda obligatione, non bene infertur abrogatam esse eandem formam pro ratificanda obligatione prius invalide contracta.

Hoc argumentum, ut patet, non nititur similitudini exsistenti inter matrimonium et professionem, quae dicitur quoddam spirituale coniugium: sed nititur huic facto a lege probato, quod forma abrogata pro contrahendo, non est abrogata hoc ipso pro ratihabendo contractu perperam prius gesto. Cur ergo idem non dicemus in nostro casu?

Lector iudicet vel consulat peritiores.

In praxi quidem, si vera foret vel saltem vere probabilis opinio af-

firmans, valere adhuc tacitam ratihabitionem, ea certe utilis foret illi, qui in professione primitus emittenda, animum contrarium gesserit, nolens profiteri vel non plene libere profitens ob metum ex causa sibi soli nota atque eum deinceps sui facti poeniteret; durum enim ipsi esset petere, ut rursus ad professionem admittatur, cum suo dedecore et periculo etiam, ne reiiciatur. Ita Collector Actorum s. Sedis v. 5. in fine notae p. 412. ait: « Forte ex paritate rationis convalidari dici potest professio, si fuerit nulla ex causa occulta, ut de matrimonio traditur ».

48. Illud certum est, quod s. Congr. Conc. pluries declaravit, quod renovatio votorum, quae quotannis fit in quibusdam religionibus, ex praescripto regulae, a Sede Apostolica probatae, non convalidat professionem nulliter emissam. Ita in causa Lingoniensi 12. Apr. et 30. Decemb. 1698. s. Cong. hanc rationem reddidit: *Quia cum haec ratificatio sit necessaria et ex regula, nequit censeri voluntaria approbatio.* Cf. Ferraris l. c. n. 109.

Idem dicendum, si Episcopus ordinaturus regulares, iuberet eos ante ordinationem ratificare suam professionem: haec ratificatio non convalidaret professionem, ut declaravit Benedictus XIII. in Concilio provinciali romano apud Ferraris l. c. n. 108.

Verum si in aliquo Instituto declaretur legitime et renovantes vota antecedenter doceantur, quod renovationes Votorum habiturae sint vim primae nuncupationis, si forte, ob defectus aetatis, temporis ponendi in novitiatu aliosque similes, prima vota vim suam non obtinuerint, tunc qui, id sciens et prudens, vota emittit in renovationibus ex regula praescriptis, vult vere et ipse, si forte priora vota fuerint nulla, de novo se obligare et idcirco haec est vera voluntaria obligatio, non secus ac illa, qua se obstringit, qui primitus vota sua nuncupat. Ita in Societate, decreto 22. Congr. Gener. 8^{ae} statutum est pro renovationibus votorum simplicium, quae a Scholasticis fiunt.

49. In ista disputatione innuimus interpretationem adhibitam a pluribus iuris canonici interpretibus, decreto Trid. sess. 25. c. 19. *de Regularibus:* scilicet praesumere Synodum quod nulliter ab initio, ob causam irritantem actum, professus, si quinquennio perduravit sub habitu et obedientia religionis, quin reclamaret, ratificaverit tacite suam professionem. Unde, cum praesumptio debeat cedere veritati, iidem canonistae inferunt, quod habet et A., nimirum hunc invalide professum 1° non teneri ratificare suam professionem; 2° neque teneri manere in religione, sed posse tuta conscientia discedere occulte atque etiam nubere, dummodo tamen id sine gravi scandalo aut alio maiore incommodo aut praeiudicio fieri possit. Ita Anacletus in tit. *de Regu-*

laribus n. 205., citans Navarrum, Sanchez, Laymann, Pirhing etc. et affirmans esse sententiam *communem* aliorum. His tamen vehementer obstitit doctissimus Fagnanus in c. *Si quis, de Regularibus,* cuius sententiam probabiliorem censet Bouix op. cit. P. 4. sect. 2. c. 19. §. 3.

Decretum Tridentini est: « Quicumque regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse religionem aut etiam dicat ante aetatem debitam professum fuisse aut quid simile velitque habitum dimittere quacumque de causa aut etiam cum habitu discedere sine licentia superioris, *non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis* et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram superiore suo et Ordinario ». Elapso idcirco quinquennio, non amplius audiendus erat atque ita declaraverat Gregorius XIII., ut testatur Benedictus XIV. in Const. *Si datam* §. 13. referens decretum Congr. Conc. 5. Mart. 1598. huius haec sunt verba.

« Gregorius XIII. e sententia Congr. Conc. declaravit, eos, qui per vim et metum se religionem professos esse praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegarent, vim et metum semper durasse ». Quod ut per transennam dicamus, satis ostendit, rationem decreti non fuisse praesumptionem tacitae ratificationis.

Deinceps vero ex benignitate Sedis Apostolicae indultum est, ut etiam post quinquennium audiri possint, concessa ipsis *restitutione in integrum*, seu restituto ipsis eodem iure reclamandi, quod habuerant intra quinquennium. Cf. eand. Const. §. 14.

Si vel intra vel post quinquennium reclamans religiosus causam non vincat in iudicio seu non probet suam professionem fuisse invalidam, cogitur in religione manere et discedens subiicitur poenis apostatarum. Cf. Constit. Benedicti XIV. *Si datam* §. 11. et 16.

50. Duplex ergo se offert ratio interpretandi decretum Tridentinum quoad illam partem, qua praecipit, ut post quinquennium religiosus reclamans non audiatur ideoque intra claustra manere debeat et religiosam vitam observare. Prior est, quam diximus plures canonistas sequi: nimirum Concilium praesumit, religiosum per quinquennium in monasterio sub regulari obedientia viventem et non reclamantem, ratificasse tacite suam professionem atque hanc praesumptionem, cum non admittat ullas probationes in contrarium; non enim amplius auditur religiosus, esse non solum iuris sed de iure, ut ait Sanchez *de Matr.* l. 7. disp. 37. n. 16. et Anacletus l. c. n. 199.

Hac interpretatione posita, quoniam, in foro conscientiae, praesumptio etiam de iure cedit veritati, sequitur, eum, qui novit se non esse professum, posse, remoto scandalo, religionem deserere atque etiam nubere, nisi aliud obstet.

Sane res durissima foret, ut cogeretur vitam regularem servare quis invitus, qui non se obligavit nec vult obligare; quando ad eam, ex ipso Ecclesiae praescripto, plena libertas postulatur.

Nec deest ex casu simili confirmatio huius sententiae in iure canonico. Nam in c. *Litteras, de Restit. Spoliat.* et. c. *Inquisitioni, de Sententia Excomm.* statuitur, mulierem, quae novit matrimonium suum nullum esse ob impedimentum occultum, licet probare id nequeat, non teneri adhaerere viro suo putato, quamvis Ecclesia id ei praecipiat sub poena excommunicationis: *debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale* c. cit. *Inquisitioni.* Praeceptum scilicet Ecclesiae heic innititur praesumptioni, quae veritati locum dare debet. Ergo a pari qui scit professionem suam esse nullam, non tenetur se gerere ut religiosum, etsi id ei a Trid. praecipiatur sub poenis apostatarum.

51. Verum interpretatio haec, quod Tridentinum decretum iubens non audiri reclamantem post quinquennium, innitatur praesumptioni tacitae ratificationis, 1° non est necessaria; quia, ut mox videbimus, alia adhiberi potest: 2° etsi ea, dum ad unguem servabatur lex Tridentina, ut nempe reapse post quinquennium amplius non admitteretur reclamatio religiosi, potuerit habere speciem veritatis (cf. tamen quod observavimus ad declarationem Gregorii XIII. n. 49): attamen postquam introductus est mos, per beneficium restitutionis, admittendi reclamationes post quinque, decem, viginti, triginta annos a professione, qui locus concipi potest huic praesumptioni, quae reipsa nihil operatur? Audi Collectorem *Auctorum s. Sedis* vol. 5. p. 412. in nota: « Inspecta, ait, praxi, quae viget in huiusmodi causis Romae iudicandis, dicendum videtur, vota nulliter emissa per subsequentes actus non convalidari (ergo nec per quinquennalem gestationem habitus atque obedientiam sub praelatis). Nunquam enim ponitur dubitandi formula: an professio initio nulla, fuerit convalidata per subsequentes actus; sed disputatur tantum, an concedenda sit restitutio in integrum, ob lapsum quinquennii et ad hanc restitutionem concedendam, praesertim post Const. *Si datam*, in examen revocantur causae nullitatis professionis. Contra si professio revalidari posset per subsequentes actus, in examen praeterea revocandi omnino essent actus, ob quos dici forte posset revalidata professio ». Scilicet de tacita ratificatione professionis Ecclesia non est sollicita: non ergo ea praesumitur. Quid ergo? mutata est Ecclesiae disciplina? Id profecto opus haud est dicere: sed potius dicendum, aliter Ecclesiam esse interpretatam decretum Trid., nimirum iuxta alteram interpretationem, quam subiicimus, soluturi deinceps alia argumenta prioris.

Refert utique Ferraris v. *Professio regularis*, n. 87. olim cum restitutio in integrum reclamanti post quinquennium concedebatur, appositam fuisse clausulam: *dummodo professionem tacite vel expresse non ratificaverit:* sed nonne hoc ipsum in dubio positum ostendit, pacificum quinquennium non praebuisse causam praesumptionis iuris et de iure tacitae ratificationis? At cum fieri potuerit, ut reipsa reclamans tacite consenserit et voluerit ratificare professionem, illa clausula eius conscientiam conveniebat.

52. Itaque haec est altera interpretatio Fagnani. Post tranquillum quinquennium in religione, Conc. Trid. ad vitanda scandala, turbationes monasteriorum et molestas ac perennes lites, iubet religiosum non quidem professionem emittere, sed in monasterio manere sub obedientia religionis ac religiose vivere, quod quidem per se est tandem bonum honestum, apprime utile atque etiam delectabile. Hoc pacto praxis Romanorum Congregationum nullam praebet difficultatem. Auctoritas R. P. temperavit rigorem decreti Trid., quatenus per *extraordinarium* favorem restitutionis in integrum, permittit reclamari etiam post quinquennium: retenta semper lege obligante reclamantem ad vitam religiosam, si nequeat probare professionem suam primitus emissam fuisse nullam.

Verum huiusmodi lex, obligans non professum ad vivendum religiose estne iniusta? Perpende, quod modo, concessa restitutione, lex non obligat nisi eum qui nequeat probare nullitatem suae professionis. Non ergo plures afficit lex, imo per accidens est, quod afficiat non professum. Sed habita etiam ratione solius Trid. decreti, respondemus distinguendo: si nulla causa sit maioris boni, cuiusmodi est certe bonum publicum, *transeat:* si sit causa maioris boni et si lex illud prospiciens pendeat tandem ex facto libero ipsius privati, de cuius bono agitur, *nego.* Agitur scilicet de publico scandalo vitando, de quiete et existimatione status religiosi, de auferenda occasione religiosis tepidis egressum meditandi et moliendi: haec bona communia praevalere debent libertati privati, qui tandem fateri debet, se facto suo libero, quamvis non culpabili, causam dedisse huic obligationi, quae ipsi imponitur.

Et sane nonne fatentibus iis, qui aliter opinantur, lex naturalis praecipit talem religiosum manere sub obedientia religionis, etsi nolit profiteri, quando gravia scandala aut similia damna essent obventura? Ergo iusta est lex, quae ob cavenda huiusmodi mala, eam imponit obligationem.

Porro lex positiva hoc uno differt a lege naturali, quod ad praecavenda huiusmodi mala, quae non tantum possibilia, sed probabilissima sunt, normam communem statuit, definito certo tempore, ultra

quod amplius non liceat reclamare, sed vivendum sit sub regula religiosa et sic determinat praxim obligationis naturalis. Id autem est intra limites potestatis legis humanae.

Haec proinde lex ecclesiastica iusta est et obligat in conscientia, non secus ac, praecisione ab ea facta, obligaret in certis casibus particularibus lex naturalis. Est sane lex, quae normam agendi talibus religiosis praescribit, mores idcirco respicit, habens praeterea adiunctam sanctionem gravissimarum poenarum.

Nec est comparanda cum ea, quae iubeat mulierem alicui adhaerere qui in foro externo probetur suus esse vir, re tamen vera non sit talis: cui legi, quamvis excommunicatione munitae, non solum licet, sed oportet non parere. Discrimen est manifestum; nam 1° haec non est lex, sed quoddam particulare praeceptum: 2° hoc praeceptum obligat ad illicitum et malum; at obligatio imposita a Trid. ad nullum malum est, sed potius ad melius. Et sic alia etiam argumenta contraria sunt soluta.

Censemus ergo in hac secunda sententia manendum esse.

Quapropter duplex doctrina A. in hac 1ª resol., caute accipienda est.

53. Occasione anteactae quaestionis, aliam instituit Bouix l. c. c. 11. an scilicet professio nulliter emissa valeat quandoque saltem tanquam volum simplex.

Certe si nullitas sit ex defectu consensus in id, quod vovetur, neque obligationem voti simplicis ulla professio post se relinquet neque de hac re est controversia. Quaestio est, cum professio nulla est ob defectum formalitatum, quas ius positivum postulat ad valorem professionis, puta ob defectum aetatis, si professus est nondum natus annos 16. exactos: ob defectum integri anni novitiatus: ob defectum loci, si extra conventus designatos professio facta fuerit (propter decretum Clementis VIII. in Decreto *Sanctissimus* 20. iun. 1599. nullas et irritas declarans huiusmodi professiones): ob impedimentum dirimens iuxta regulas Ordinis, in quo profitetur etc.

In primis puto valere heic principium ab omnibus DD. receptum atque ex ipsa rei natura petitum: nimirum votum non obligare ultra intentionem voventis. Si ergo quis hac intentione vota emittat ut velit ea servare in religione et quidem hac religione, abhorrens ab eorum obligatione, si ea cum statu religionis huius non sint connexa, dicendus est is nulla obligatione vel voti simplicis teneri, si professio eius nulla exsistit, non obligatione ad religionem; quia professio est nulla: non ad vota servanda; quia deficit conditio status religiosi.

Haec vero intentio voventis non solum explicita, sed et implicita esse potest eaque erit ex habituali dispositione subiecti diiudicanda et ipse professus hac in re testis idoneus est habendus.

Iam vero in praxi puto hanc esse ordinariam intentionem profitentium, ut non velit quis simpliciter vovere puta castitatem, sed castitatem in religione eaque religione, quam est amplexus, ut propterea noluisset eam vovere, si scivisset se victurum in saeculo vel alibi, quam in religione, quam sibi congruere sentit. Nam intentio ingredientium Novitiatum et profitentium non est tam vota proferre, quam religiosam vitam, secretam a secularibus curis, suscipere in eaque Deo servire. Cum vero religiosam vitam ineunt eiusque obligatione se obstringunt, non sunt aeque comparati ad quemlibet statum religiosum, sed potius ad illum solum, ad quem a Deo vocantur.

Et sane obedientia, quam profitens vovit, in sola religione servari potest vel certe ab eo solum, qui religiosus vere effectus sit: paupertas pariter, quam profitens vovit, ea est tantum, quae in religione custoditur nec putandus est profitens velle se omnibus suis abdicare, etiamsi a religione non suscipiatur. Restat votum castitatis, quod quis extra religionem quoque, si ad eam virtutem sit affectus, facile servare potest. At cum tria vota simul nuncupantur in religione, praesumptio est valde rationalis, obligationem castitatis a novitio suscipi, quatenus munita est tot praesidiis religiosis et coniuncta cum paupertate et obedientia atque statu religioso et demonstratio oppositi spectaret ad eum, qui vellet novitium invalide professum teneri obligatione, quamvis non professionis, saltem voti.

Idcirco Suarez *de Relig.* tom. 4. l. 2. c. 16. n. 12. ait, nisi constiterit, profitentem absolute et privata intentione voluisse castitatem vovere, praesumendum esse quod voluerit vovere castitatem in illo statu et communitate et ut cum iis connexam.

Nihilominus non negamus fieri posse, ita aliquem esse affectum ad tria consilia evangelica, ut cum profitetur, eo animo sit comparatus eaque saltem implicita intentione voveat, ut observare ea velit, quantum fieri possit, etiamsi in religione non suscipiatur: quod praesertim valet de voto castitatis, ut iam advertimus et cf. Suarez l. c. Tunc professionem invalidam voti simplicis vim habituram non negamus.

Omnia ergo pendent ab intentione voventis, quae hac in re unice spectanda est saltem in foro conscientiae.

54. Obiicitur apud Bouix l. c. prop. 2. responsum, quod s. Congr. Conc. dedisse dicitur Cardinali Bellarmino (ut refert Fagnanus), Concilium nempe Trid. cum irritavit professionem ante expletum 16. annum editam, statuens, ut nullam induceret obligationem ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem aut ad alios quoscumque effectus, *nihil disposuisse de voto.* Scilicet haec non spectant ad nostram quaestionem; Congr. enim Conc. loquitur de voto ingrediendi

religionem: an qui illud emisit, si currente anno Novitiatus exit, sit liber a voto et respondet, Trid. Synodum de huiusmodi voto nihil disposuisse. Cf. Suarez tr. 7. l. 4. c. 4. n. 7. Praeterea observa, Trid. Syn. irritasse talem professionem *ad alios quoscumque effectus;* cur ergo vis manere effectum hunc, nempe obligationem voti simplicis?

55. Affertur c. *Quidam, de Conversione Coniugatorum.* « Quidam intravit monasterium, invita uxore, qua ipsum repetente, coactus est ad eam redire: ea mortua, quaeris, an ipse cogatur ad monasterium reverti, an aliam possit ducere in uxorem. Consultationi tuae taliter respondemus, quod votum non tenuit: unde ratione voti ad monasterium non tenetur redire. Ulterius vero non poterit uxorem accipere; promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, et ideo quoad hoc votum tenuit ». Itaque professio invalida vim voti simplicis retinuit.

Respondemus cum Pichler in tit. *de Conv. Coniugat.* n. 3. hanc esse praesumptionem iuris, qua censetur ille vovisse castitatem quantum potuit, ideoque votum simplex castitatis emisisse. Id confirmatur ex c. 12. *de Regular.* ubi, cum mulier, putans maritum mortuum, habitum religionis suscepisset, eo autem reverso, ad eum redire coacta fuisset, quaesitum est, an defuncto marito, esset compellenda mulier ad observantiam regularem. Respondet Pontifex: « licet votum eius usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligata, quatenus se poterat obligare; promisit enim, intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius... et ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cum ad eum casum, a quo poterat efficax habere principium, pervenisse noscatur ». Concludit Pontifex: « Consultius itaque ducimus et ei congruentius ad salutem, ut ad monasterium redeat ». Cur? quia promiserat se non exacturam carnis debitum, quod promittere erat in eius potestate et ideo quoad hoc votum eius tenuit. Id ergo quod consulit Pontifex, est abstinentia a coniugio. Subdit tamen: « Si vero ad hoc induci non poterat, ipsam invitam credimus non cogendam ». Scilicet responsio innitebatur praesumptioni, quam veram haud esse animus invitus mulieris satis ostendebat; quo posito, liberam eam esse vult Pontifex.

Eadem est responsio Schmalzgr. in tit. eod. *de Conv. Coniug.* n. 25. professionem invalidam horum coniugum in vim professionis, validam esse in vim voti simplicis; quia *praesumptio iuris est* coniugem profitentem « voluisse se obligare quantum potuit, iuxta illud: si non valet, quod ego ago, valeat, sicut valere potest ». Idcirco subdit Schmalzgr. « Dixi *praesumptionem iuris esse:* hinc si coniux profitendo religionem

noluerit vovere continentiam, nisi dependenter a valore professionis suae in hac religione, non obligabitur ex voto simplici ad perpetuam continentiam *idque in foro conscientiae est certum:* et si hoc ipsum probetur, etiam procedet in foro externo; nam adveniente veritate, cessat praesumptio ».

Itaque omnia tandem redeunt, ut ab initio dicebamus, ad intentionem profitentium, et quemadmodum Canonistae explicant c. *Quidam* cit., ita explicandam censemus dispositionem Urbani VIII. in Constitutione *Romanus Pontifex* 20. maii 1626., quam Bouix l. c. refert.

X. 2. Quod si tamen sciret illam iuris praesumptionem falsam esse, eo quod vel ignorans impedimentum, vel metu gravi aliave iusta causa impeditus reclamare intra quinquennium non potuerit, vel impedimentum sit essentiale ac perpetuum aut saltem ultra quinquennium duret, eo elapso potest reclamare debetque audiri in iudicio, saltem extraordinario, vel in integrum restitui, ut contra Bonac. *de Claus.* d. 4. q. 2. p. 16. docent Navar. Sanch. d. 32. n. 22. Less. l. 2. c. 41. d. 7. Azor, l. 12. c. 4. q. ult. Dian. p. 3. t. 2. r. 53. Barb. in Trid. sess. 25. c. 19. n. 8. ubi plures alios citat: et nisi aliud quid impediat, fugere potest ut docet Laym. Qui addit, si fuga sine gravi scandalo vel incommodo tentari non posset, monendum a Confessario, ut Professionem tacite ratificet: quod fiet, si professorum habitum proprium deferat actusque iis proprios exerceat, cum intentione, quod professus talis Ordinis esse velit. V. Auctt. citt. et Dian. p. 8. t. 7. r. 51. ubi ex Trid. sess. 25. c. 19. probat Episcopum de nullitate professionis sine interventione Superioris regularis sententiam ferre non posse et si faciat, fore nullam.

56. Quod A. in fine dicit de facultate facta fugiendi ei, qui nullam professionem edidit, iam perpensum est in praeced. resol. Quod spectat ad modum faciendae reclamationis, consulenda Constitutio Benedicti XIV. *Si datam*, quae normam praestituit iudiciis ecclesiasticis hac in re, sive pro reclamantibus intra quinquennium, sive post. Monet ipse, facultatem reclamandi factam a Conc. Trid. competere religiosis feminis, non secus ac viris: non tantum eum, qui professus sit, sed et religionem seu praelatos, qui professionem exceperunt, reclamare posse contra professum, si iniuriam ab eo sint passi. Ad adstruendas probationes in his causis necessarias, iubet verum et iudicialem processum omnino confici et adesse defensorem professionis, quemadmodum in Const. *Dei miseratione* pro causis matrimonialibus iusserat adesse defensorem matrimonii. Sub poenis in apostatas latis, prohibet ne reclamans, post unicam sententiam sibi faventem, a religione discedat multoque minus habitum abiiciat, etsi defensor professionis culpabiliter omiserit appellare; decernens integrum ei non esse a religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit sententias conformes, quibus ab eo emissa professio nulla et irrita declarata sit. De inquisitione facienda, an tacite ratificata sit professio, nihil dicitur. Cetera, quae ad iudices et confectores processus spectant, vide ibidem et cf. Bouix *de Iudiciis ecclesiasticis* p. 2. sect. 5. c. 4.

Dub. III.

Ad quid teneatur Religiosus vi suae professionis.

XI. Resp. Religiosus vi suae professionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. Quia ex vi professionis tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis sive tendentium ad perfectionem (licet secundum se non sit praecepti, sed consilii): hoc autem est intrinsece velle tendere ad perfectionem. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 1. et 2. et q. 184. a. 5. Laym. l. 4. t. 5. c. 1. n. 1. Suar. *de Relig.* tom. 4. tr. 8. l. 1. c. 4. Bard. *de Consc.* d. 7. c. 6.

57. A. distincte disserit de obligatione religiosi tum vi professionis, tum vi votorum: de priori in hoc dub. de altera in seq. Prior per se reipsa et alteram complectitur: sed haec seorsim ponitur, ut clarius et distinctius singulorum votorum obligationes exponantur. Restat ergo, ut in priori quaestione speciatim agatur de observatione regulae religiosae, de qua in resoll. late tractatur.

Iam diximus Ordinem religiosum absque aliqua regula, quae normam praescribat vivendi ac servandi vota modumque praestituat, quo specialis finis religionis sit consequendus, esse non posse tum ex rei natura quae communitatem aliquam sine aliqua communi et stabili lege diu vivere non permittit, tum ex voluntate Apostolicae Sedis, quae non permittit professionem religiosam, nisi in communitate vivente sub regula, quam ipsa probaverit.

Ex usu loquendi Regula a Constitutionibus distinguitur: ea continet fundamentales normas vitae religiosae ac potest esse pluribus Ordinibus communis: hae continent speciales normas pro religioso convictu et pro assecutione proprii finis in quolibet Ordine. Cf. Suarez *de Religione* tom. 4. tr. 8. l. 1. c. 1. Opus non est, ut quoad vim obligandi differant Regula et Constitutiones: idcirco de obligatione Regulae loquentes et Constitutiones, si quae sunt, intelligimus.

58. Quaeritur de regula, prout ea praescribit, quae iam aliunde non sunt praecepta, quae non spectant ad necessariam votorum observationem, quae idcirco inter supererogatoria numerantur. Itaque si supponamus Institutum religiosum, quod non subsit, qua tale, iurisdictioni ecclesiasticae, sed in quo sit sola potestas dominativa propter votum obedientiae et traditionem, obligatio regulae nequit esse nisi ex voto, si religiosi voveant etiam regulae observationem, vel hoc excluso, erit obligatio solum, ut dicitur, conventionalis, quatenus singuli in id libere conveniunt, ut certam regulam servent. At si ecclesiastica iurisdictio in Ordine viget vel Ordinem regit, ut nunc sunt omnes Ordines et Congregationes religiosae, regula iis proposita a competenti auctoritate,

sive eam inveniente sive inventam confirmante, vim legis habet et propterea obligationem aliquam gignit.

Nec quisquam regulam in ordine religioso confundit cum re, quae sit simplicis consilii, ut perinde sit sive regula observetur sive non. Igitur obligationem aliquam regula imponit, obligationem proinde in conscientia; haec est enim obligatio legis, etiam mere poenalis, quae in conscientia obligat ad subeundam poenam.

Distingue obligationem observandae regulae, quae est obligatio ex lege, ab obligatione propria voti obedientiae, quae proprie est ad parendum praelatis secundum regulam praecipientibus. Fieri tamen potest, ut votum obedientiae se porrigat etiam ad observationem regulae sive ut ipsa regulae observatio voveatur. Cf. dicenda Dub. IV. Resp. 3.

Ceterum, quoniam religiosus promittit paupertatem, castitatem, obedientiam, non quomodocumque, sed in vita regulari sive secundum regulam seu constitutiones: subiectio regulae est certe quaedam circumstantia professionis, ad quam proinde professio, licet secundario, se porrigit. Haec vero subiectio, si quod essentiale est ac sufficit, quaerimus, non est sita in aliqua promissione servandae regulae; tunc enim peccaret semper religiosus, quoties eam transgrederetur, sed sita est in hoc quod ita religiosus velit esse subiectus regulae, ut iure ob eius transgressiones possit a praelatis puniri. Cf. Sanchez *Moralium* l. 6. c. 4. n. 9.

59. Multiplex sane distinguitur obligatio, quam ferre potest regula. Nam vel est obligatio sub culpa mortali vel sub veniali vel sub neutra ex his, sed ad poenam pro transgressionibus ferendam. Aliqua ex his esse debet; secus nulla exsistente obligatione, lex erit nomine tantum tenus: sufficit vero tertii generis obligatio; quia cum ea manet adhuc ratio legis. Et sane non pauci sunt Ordines, in quibus haec tantum obligatio, ex voluntate legislatoris, locum habet atque ita est in Societate.

Si obligatio sit sub culpa, patet quod religiosus libere, absque causa excusante, regulam aliquam violans, peccat, graviter aut leviter secundum vim obligationis. Si autem sub nulla culpa regula obliget, dicendum per se est, quod nullum peccatum vel leve fiat ab eo, qui illam transgrediatur.

Nihilominus, etsi non peccet ob hanc rationem, quod actus eius sit transgressio regulae, peccare profecto potest ob alias causas. Sane si finis, cur omittat quod regula eum facere iubet, rectus non sit, qui defectus quidem rectitudinis in religioso, instante regula, frequentissimus erit: si in eo, quod ex regula facit, tepide et remisse seu negligenter se habeat, peccati venialis saltem macula non aberit. Si prae-

terea ex contemptu regulam transgrediatur, gravius peccabit, etsi non semper mortaliter. Contemptus tum in intellectu est tum in voluntate. Ut contemptus in intellectu formaliter residens sit peccatum mortale, non sufficit, quod quis non magni faciat regulam, si praesertim cum aliis ea comparetur, quod eam sibi minus accommodatam exsistimet, quod aliqua eius praecepta minus opportuna pro certo tempore censeat; nam haec et similia possunt esse vera: sed requiritur ut libere iudicium mentis feratur directe contra auctoritatem Ecclesiae, quae regulam probavit illique auctoritati repugnet. Hoc est peccatum superbiae (cf. Vol. I. n. 698. seqq.) ex genere suo mortale. Ex huiusmodi falso et impio iudicio mentis necesse est utique, ut et in voluntate contemptus exsistat. Is tamen esse potest, quin adeo perversa sit existimatio intellectus.

Contemptus in voluntate est, cum non vult religiosus subiici regulae: ut contemptus hic sit peccatum mortale, non sufficit quod subiectio alicui ordinationi regulae et identidem detractetur; sed requiritur, auctore Suarez l. c. n. 24., quod sit intentio non vivendi secundum regulam eaque talis, ut vel simpliciter totam regulam, nulla distinctione facta inter gravia et levia, substantialia et accidentalia, homo despiciat, vel ut omnino quis statuat, nec servare regulam nec subiacere religiosae disciplinae, vel certe, ut non solum non intendat servare sed etiam quasi positive intendat totam illam non servare, ne illi subiectus appareat. Ita interpretatur Suarez doctrinam s. Thomae 2. 2. q. 186. a. 9. affirmantis, mortale esse transgredi regulam ex contemptu; contemptum vero haberi, cum voluntas renuit subiici ordinationi regulae et ex hoc procedit ad faciendum contra regulam, ad 3. Ratio s. Thomae est, « quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam ». Nam professio et regulam respicit; vovet enim professus tria consilia *secundum regulam* et sic, ut iam diximus, regulae se subiicit.

60. Restat tamen difficultas. Diximus, transgressionem regulae, quae ad culpam non obliget, non esse peccatum, nisi alia causa malitiae intercedat. Iam vero, aiunt, nonne in conscientia obligatur religiosus tendere ad perfectionem? nonne haec tendentia in eo est sita, quod iuxta suam regulam agat, quae modum tendendi praescribit? tenetur ergo religiosus in conscientia regulam suam servare. Quî ergo fieri potest, ut non peccet eam transgrediens, imo quî fieri potest ut regula religiosa non obliget sub culpa saltem levi?

Respondemus, verissimum esse quod primo loco dicitur, teneri in conscientia professum tendere ad perfectionem, quod est, secundum A., progredi in via perfectionis; nam tenetur professus velle servare quod

vovit, paupertatem, castitatem, obedientiam. Porro exercitio horum consiliorum auferuntur impedimenta perfectae caritatis et caritas augetur et sic ad perfectionem tenditur: itaque eo ipso, quod professus vult servare statum suum et observat vota, iam progreditur in via perfectionis, certo saltem modo.

At teneturne in conscientia servare regulam, quae non obligat sub culpa, in conscientia, inquam, ita ut peccet eo ipso, quod eam transgrediatur? Id reapse contradictorium foret et potius dicendum esset, quod postremo loco innuitur, regulam esse non posse, quae non obliget sub culpa saltem levi. Istud vero adversatur moribus tot religionum, in quibus regula non obligat sub culpa, sed solum ad poenam seu poenitentiam, ut in Ordine FF. Praedicatorum et Societate Iesu.

Et sane si certae regulae observatio necessaria foret, ut posset haberi tendentia ad perfectionem, valeret argumentum obiectum: at illud vere necessarium non est, quamvis utilissimum sit et maxime congruum. Nam 1° ut quis ad perfectionem tendat, non est opus ut perfectissime tendat, sed satis est, si aliquo modo tendat.

Atqui 2° qui custodit evangelica consilia, quae vovit, tendit, per continuam eorum observationem, ad perfectionem, aliquo saltem modo: id ergo per se sufficit, ut obligationi professionis religiosus faciat satis, si nulla alia obligatio in conscientia ipsi sit imposita. Et quamvis demus, moraliter habere non posse locum huiusmodi observationem consiliorum et progressum in via perfectionis, nisi superaddat religiosus aliqua opera supererogatoria et consilii, praeter vota; haec tamen opera per se possunt esse impune alia ab iis, quae regula praescribit, si ipsa sub nulla culpa obliget. Et licet tandem religiosus, professionem faciens, se regulae subiecerit, se ei tamen subiecit iuxta eiusdem intentionem et si ipsa obligat in conscientia solum ad subeundam poenitentiam, se subiecisse dicendus est hoc pacto, non ut velit se obligare sub culpa ad eam servandam, sed se obligare in conscientia ad acceptandas transgressionum poenas. Cf. Suarez l. c. c. 4.

Hactenus dicta de regulae observatione satis certa sunt, clara atque eximendis scrupulis, puto opportuna.

61. Locuti sumus de regula, prout ea praescribit, quae pro ipso religioso sunt supererogatoria. Si praecipiat, quae iam aliunde sunt praecepta vel quae pertinent ad observationem votorum et regula sit, quae obliget sub culpa, non est putandum quod religiosus transgrediens, duplex peccatum committat, alterum contra praeceptum vel votum, alterum contra regulam. Quia supponendum non est, legislatores religionum voluisse laqueos iniicere et multiplicare occasiones peccatorum: regulae idcirco ad haec spectantes habendae sunt ut monitiones et declarationes obligationis iam exsistentis, non ut impositio novae

obligationis. Sanchez l. c. n. 6. Quae quidem intelligenda sunt, nisi aliud aperte constaret.

62. Quaerit s. Thomas q. cit. art. 10. an religiosus eodem genere peccati gravius peccet, quam secularis. Et respondet gravius utique peccare, si illud peccatum sit contra votum, ut furtum; duplex est enim tunc in religioso malitia: item si peccet ex contemptu; quia maior in eo ingratitudo apparet erga Deum, qui maioribus beneficiis eum cumulavit: tertio propter scandalum, quod detur. Subdit s. Doctor: si vero religiosus ex infirmitate vel ignorantia peccet peccatum, quod non sit contra votum et absque scandalo, levius tunc peccat quam secularis, quia si peccatum est veniale, quasi absorbetur a multis operibus bonis, quae facit: si autem sit mortale, facilius ab eo resurgit, tum propter intentionem, quam habitualiter habet rectam ad Deum, quae etsi ad horam intercipiatur, facile ad pristina revocatur: tum propter auxilia sociorum, a quibus adiuvatur. Patet s. Doctorem potius ratione effectus, quam intrinsecae conditionis actus, dicere levius peccatum religiosi: quamvis prior ratio addita de habituali intentione religiosi ad Deum ostendat quoque, eum cum minori adhaesione seu affectu ad malum peccare.

Unde resolves.

XII. 1. Religiosus non tenetur actu esse perfectus, sed tantum studere perfectioni. Bard. etc. l. c.

63. Status enim perfectionis, in quo versatur, est status perfectionis acquirendae. Conclusio intelligenda est pro quolibet vitae tempore quantumvis productae in religione; nam eadem semper ratio valet et alioquin fieri potest, ut quis perfectioni acquirendae studeat et nunquam illam assequatur; quia nempe remisse studet. Remissio autem in procuranda perfectione, etsi defectus sit, non est quid graviter pugnans cum statu perfectionis.

Ceterum continget utique non raro ut in religione perfectio christiana acquiratur, quod apparet in pluribus sanctis religiosis, qui et brevi tempore sancti evaserunt; quia vero perfectio christiana augeri semper potest et nullus eius certus gradus praestitutus est statui perfectionis, nunquam occurret ratio, cur desinat status religiosus, qui praeterea, propter vota nuncupata, perpetuus esse debet.

XIII. 2. Tenetur tendere ad perfectionem 1. per media essentialia, 2. per vota, 3. per auxilia secundaria, non contemnendo ea. Laym. l. c. c. 9. n. 13. 4. Tenetur aliquibus mediis uti et, si omnia media abiiciat, non est in statu salutis. Suarez, Laym. l. c. dicens, si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia monita et regulas negligat, eo quod sub mortali non obligent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona supererogatoria, sive specialiter non praecepta nec promissa; quia alias, moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis. Suar. l. c.

64. Media essentialia intellige observationem praeceptorum: cf. dicta n. 3.

Cum A. ait *per auxilia secundaria*, quae nempe secundum locum tenent post vota, intellige regulam et constitutiones: quod porro A. exigit, est ne religiosus eas contemnat; contemptus enim harum adversatur professioni; cf. paulo ante dicta.

Dixit A. non esse contemnendam regulam: id porro, cum sit quid negativum, non sufficit: sed oportere ait aliquibus mediis uti, quae ultimo loco appellat opera supererogatoria (nam 4^{m} et 5^{m} reapse non differunt). Aliqua media, inquit, inter quae profecto eminet observatio regulae: hanc tamen determinate non nominat; quia, si regula non obligat sub culpa, per se potest religiosus tendere ad perfectionem, ut diximus, etiam aliis adhibitis mediis. Necessitas huiusmodi mediorum est moralis; quia moraliter impossibile est, ut religiosus vota sua servet, qui nihil horum facit, puta non meditatur, non orat, non ieiunat, non castigat carnem, silentium non servat, non studet, sacramenta negligit etc.

Qui ergo actu statueret omnia media abiicere, is nollet tendere ad perfectionem, contra gravem obligationem sui status: proinde peccaret mortaliter. Sane is gereret contemptum suae regulae (n. 59).

Qui vero absque ullo determinato proposito, habitualiter tamen quodlibet medium negligeret, essetne in statu peccati mortalis, etsi vota non frangeret vel non frangeret graviter? Forte hypothesis non est historice probabilis: sed si ponamus quod homo vota custodiat et quod regula non obliget sub gravi, non apparet, cur sit ille in statu peccati; cum observatio iugis votorum iam sit quaedam tendentia ad perfectionem. Sed quia hypothesis censetur moraliter impossibilis, ideo diximus moralem esse necessitatem adhibendi aliqua ex his mediis (n. 60.).

Ceterum si quis negligit omnia media vel (ut in hypothesi minus improbabili loquamur) negligit ea, ex quorum omissione se per experientiam novit exponi periculo frangendi vota, de hoc homine, si sciens et prudens periculo se exponit et periculum proximum est, illud idem dicendum, quod generatim dicitur de eo, qui periculo proximo se exponit peccandi, collata doctrina, quam dedimus ex Lugo, vol. I. n. 695. et ex Suarez n. seq.

XIV. 3. Tenetur tendere ad perfectionem per media suae Religionis, non per alia, hoc est, servando suas regulas. Sanch. l. 6. c. 5. n. 1. et 2. Hinc peccat, 1. per contemptum regulae, hoc est, si nolit subiici, ibid. n. 6.: 2. si tantum velit servare, quae sub mortali obligant; quia contemnit perfectionem, ibid. n. 7.: 3. per actum directe contrarium, hoc est, nolendo perfectionem: quod esse mortale docet Sanchez n. 10. Pelliz. et Bard. l. c.

65. Primo loco A. duo dicit: alterum, quod debet Religiosus ad perfectionem tendere per media propria suae religionis ideoque per suam

regulam: alterum, quod non tenetur alia media, praeter ea, quae regula tradit, adhibere. Utrumque certum est, quia profitens promisit observantiam votorum secundum regulam, nec se ad aliud obligavit. Quanta vero sit obligatio servandae regulae, iam diximus.

Auctor dicit peccare religiosum, si velit tantum servare, quae sub mortali obligant; quia contemnit perfectionem. Si ea quae sub mortali obligant, intelligit A. tantum praecepta communia christianis, doctrina clara est. Si vero inter ea comprehendat et vota libere emissa, non video, cur qui et praecepta et vota tantum velit servare, contemnat perfectionem; cum observatio votorum sit actus perfectionis. De necessitate vero adhibendi alia media, quae et religioso sint opera supererogationis, iam dictum est. Haec si omittantur, frequenter saltem peccabitur venialiter idque forte A. voluit dicere.

Religiosus, qui positivo actu apud se determinat, nolle se perfectionem adipisci propriam status religionis, is contradicit suae professioni et eam contemnit. At si solum nolit heic et nunc aliquam consequi perfectionem sive si nolit agere quod perfectum est, si ex. gr. meditari nolit sed dormire, forte peccabit venialiter et forte etiam nullo modo, si nulla sit obligatio eins actus et ratio omissionis sit honesta.

XV. 4. Si quis non tantum intendat non esse sollicitus in observatione regulae, sed etiam nunquam servare, etiam si facile possit, est mortale vel proxima dispositio ad illud vixque potest fieri sine contemptu formali. Suarez. l. c. n. 24.

Nihil novi heic dicitur. Cf. dicta sub resol. 3.

XVI. 5. Si ex remissione animi et sine ullo iusto titulo, per directam intentionem, velit aliquam Regulam non servare, erit saltem levis contemptus et peccatum veniale. Suarez l. c.

Res clara est. Cf. n. 59.

XVII. 6. Frequenter et ex consuetudine violare regulam, esse mortale, dicit Sanchez lib. 6. *Mor.* c. 4. num. 18. et 20. Tum quia perturbat religiosam disciplinam: tum quia secundum quosdam est contemptus interpretativus, vel saltem probabilissimum eius periculum: tenetur autem sub mortali ita vivere, ut non sit graviter perniciosus Religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulae laxitatem: Sanchez, Laym. l. 4. t. 5. c. 9. Tum quia constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus: tenetur autem quisque ratione votorum, quibus se Religioni addixit, ita se gerere, ut sit tolerabilis et non mereatur expelli; at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, Regulas sine discrimine transgreditur, reddit se intolerabilem, ut debeat expelli aut, si toleretur, plurimum nocet: ergo per accidens et indirecte agit contra professionem peccatque mortaliter. Sanchez c. 4. n. 18. Vide Auctt. citt.

66. Si ponas regulam non obligare sub culpa et habeas solum transgressionem regulae vel frequentem, non potest affirmari, quod peccetur multoque minus peccetur mortaliter, eo ipso quod regula non servetur. Id iam probavimus n. 60. At Sanchez, ab A. allegatus, rationem peccati

etiam mortalis ab extrinseco adsciscit, nempe ex perturbatione disciplinae, pernicie religionis, in quam, propter scandalum propagatum, sensim sine sensu relaxatio irrepat. Profecto hoc est grave damnum, cui, qui, id praevidens, efficaciter cooperatur, graviter peccare dicendus est. Verum in hac re, ut alii advertunt, facilius peccabunt Superiores negligentes ac permittentes regulas impune violari et sic contra proprium officium agentes, quam subditi, qui sigillatim parum conferunt ad damnum nec solent illud advertere. Alia quoque ratio, quam ex eodem Sanchez addit A., clara est.

XVIII. 7. Religiosus Societatis IESU peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimittendum vel eiiciendum praevidet et licet ita dimissus, sit liber in conscientia, si tamen sit dimissus ob fraudem vel peccata in eum finem commissa, irrita est dimissio, utpote obtenta per dolum dantem ipsi causam (sicut in matrimonio et ceteris contractibus); unde subiacet poenis apostatarum Bonac. *de Claus.* q. 1. p. 12. §. 1.

XIX. 8. Scholasticus Societatis IESU, qui pravis moribus de industria dimissionem extorsit vel falsis allegationibus impetravit, non est liber a votis. Less. l. 2. c. 40. d. 15. Sanch. l. 6. c. 9. n. 99. Laym. l. 4. t. 3. c. 9. n. 13.

67. Ita Congregatio VII. Generalis ann. 1615.-1616. Can. 22. §. 4. constituit. « Quicumque ex causis non veris aut si veris, e gravibus delictis ea mente perpetratis, dimissionem impetrarunt, certo sibi persuadeant, nullo se modo tutos in conscientia fore omnemque hanc facultatem in conscientia fore irritam ac nullam esse omnibusque se apostatarum censuris ac poenis subiacere ».

« Quae res si in exteriori foro constiterit, poterunt Superiores in illos tanquam veros apostatas, iuxta Societatis privilegia et ss. Canonum dispositionem, procedere ».

Haec quoad omnes valent sive Scholasticos sive Coadiutoresformatos sive Professos; licet praeterea in Professis dimissis, quod spectat ad eorum vota sollemnia, aliunde quoque constet, haec integre quoad substantiam manere, etsi ii legitime dimittantur.

Quod de dimissione dicitur fraude extorta, valet et pro professis ceterorum ordinum: fraus enim nemini et nusquam patrocinatur.

Etsi autem dimissio actus sit dimittentis, a quo omnem accipit valorem; ut dimissus solum se habeat tanquam obiectum: ut tamen valida dimissio sit, oportet eam esse voluntariam, idcirco non ex errore; quia nihil voluntati magis adversatur, quam error: porro fraus errorem inducit eumque, qui est causa dimissionis. Ergo ea dimissio nulla est idemque dicendum de secularizatione ita obtenta a summo Pontifice vel s. Congr.

Dub. IV.

Ad quid religiosus obligetur vi votorum.

§. 1.

De voto paupertatis.

XX. Resp. 1. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium. Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretio aestimabilia, quorum dominium vel certe facultatem disponendi liberam et independentem in perpetuum abdicavit. Constat ex c. *Non dicatis* 12. quaest. 1. c. *Monachi, de Statu monachorum.*

Dicitur. 1. *Bona temporalia:* quia retinet Religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famae et similium. Item ius eligendi, praesentandi, conferendi regulare beneficium etc. S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. Sanchez l. 7. c. 18. Lens. l. 2. c. 4. d. 5. Laym. l. 4. t. 5. c. 7.

Dicitur 2. *Dominium vel facultatem disponendi* propter Religiosos Societatis IESU, qui post emissa vota retinent et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent ius actuale de iis pro suo arbitrio disponendi vel utendi, in cuius abdicatione essentia religiosae paupertatis consistit. Sanchez, Laym. l. c. n. 3.

Dicitur 3. *independenter;* quia Religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens et revocabile ad nutum Superioris, quod nomine proprii non comprehenditur. Laym. c. 7. n. 12.

68. Paupertas religiosa duplex distinguitur. Altera perfectior, in hoc sita, ut sit incapacitas dominii habendi et valide de rebus disponendi ac licite absque consensu praelati. Altera minus perfecta, in hoc sita, ut illicitus sit quilibet usus rerum, ex proprio arbitrio seu absque licentia praelati. Porro satis est hic alter modus paupertatis, qui voto suscipiatur, ut votum paupertatis sit religiosum, sive ut per ipsum quis fiat religiosus. Patet 1° ex votis Scholasticorum in Societate et ex votis simplicibus, quae Pius IX. omnibus ordinibus religiosis, post novitiatum, ante sollemnem professionem, praescripsit. His enim votis non impeditur dominium, quod prius habebatur; nec potestas dominii acquirendi.

Per votum ergo simplex privat se religiosus non quidem usu aut capacitate utendi, sed *iure* utendi, iure inquam proprio ideoque independente a consensu praelati.

De his votis simplicibus haec declaravit s. Congr. super statu Regul. (apud Lucidi op. cit. c. 4. n. 153.): « Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio atque usus. Debent propterea, ante professionem votorum simplicium, cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione

permanserint, administrationem et usumfructum et usum, quibus eis placuerit ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libito existimaverint ».

Sane 2° privatio iuris utendi sufficiens est ad verum religiosum constituendum. Etsi enim *proprium aliquo modo possideat,* quod in Monacho prohibet lex Ecclesiae vetus cf. c. *Monachi* et c. *Cum ad monasterium, de Statu monachor.:* haec tamen proprietas est ligata et quoad usum, qui est finis proprietatis, perinde est ac si non esset nisi peccare velit. Haec quoque scilicet est vera paupertas, de nulla re posse pro arbitrio disponere atque in suum usum convertere: cum ipsum dominium rerum eatenus bonum sit, quatenus rebus uti possumus prout volumus: nam quo mihi divitiae, si non permittitur uti? Quae ratio est, cur Apostolus Gal. IV. 1. dicat filiumfamilias nihil differre a servo, quandiu sub tutoribus vivit, etsi sit dominus bonorum omnium cum patre.

Imo, si finis religiosi status spectetur, nullo pacto opus est, ut proprietas, qua religiosus se privat per votum paupertatis, sit dominium illud radicale: nam hoc, si solum sit, nullum per se impedimentum affert perfectioni: sed satis est quod proprietas, qua religiosus exuitur, sit ius disponendi de bonis ex suo arbitrio: hoc enim reapse impedimento esse solet perfectioni et cum vita religiosa consistere nequit. Cf. Laymann l. c. ab A.

Alter effectus convenit voto sollemni, non vi voluntatis voventis: cum sola potestas publica possit tales incapacitates gignere: neque vi ipsius sollemnitatis, quae id necessario et privative secum ferat, sed decreto Ecclesiae id annectentis voto sollemni: cf. Vol. II. n. 602. seq.

69. Posset scilicet manere votum sollemne, quamvis religiosus dominium retineret: « Sane, verba sunt Ballerini, Apostolica Sedes, ut pluribus exemplis constat, dispensavit, ut bonorum temporalium dominium religiosi etiam sollemniter professi habere et retinere valide et licite possent. Et ut praetereamus s. Franciscum Borgia, qui ex dispensatione a Paulo III. obtenta ita sollemnia Societatis Iesu vota emisit, ut nihilominus solum intra quadriennium post professionem Gandiae Ducatum ac reliqua temporalia bona a se abdicaret (conf. Vitam s. Franc. Borgia ab Alvaro Cienfuegos hispanice conscriptam, lib. 3. cap. 8. §. 2. et cap. 10. §. 1.). Responsa habemus s. Poenitentiariae tum pro monialibus gallicis data 28. nov. 1818., quibus facultas impertitur, *ut non obstante sollemni paupertatis voto... bona ac reditus, quos hactenus acquisivere, retinere possint.* Vid. Carrière *de Iust. et Iur.* p. 1. sect. 1. cap. 4. n. 214., tum data 20. nov. 1820. pro monialibus Belgii, quibus utut sollemniter, professis, expressa s. Sedis auctoritate, facultas tribuitur *acquirendi, possidendi et administrandi*

bona, quibus ad fines honestos utantur etc. Vid. Bouix tract. *de Regularibus*, part. 3. cap. 3. » (a).

« Ex his autem satis apparet, religiosi sollemniter professi incapacitatem ad rerum temporalium dominium habendum et exercendum non e naturali aut divino, sed ecclesiasticum tantum iure esse repetendam. Hinc s. Ignatius de Loyola ad part. 6. cap. 2. Constitutionum Soc. Iesu declarationem addidit, in qua facultas, etiam post sollemnem professionem, acquirendi ac retinendi dominium, quae a Sede Apostolica obtineri posset, disserte memoratur. *Si aliquis* (inquit) *sua devotione et sancta cum intentione ad maiorem Dei gloriam motus, ante suam professionem a Sede Apostolica facultatem obtineret, ut vel ipse vel domus, in qua professionem emisit, posset ius succedendi in hereditate habere..., non contra istam Constitutionem vel eius intentionem existimaretur* ».

« Neque vero abstrusa videri debet huius doctrinae ratio. Nam in confesso id esse debet, quod quotidiana in Ecclesia praxis docet, temporalium rerum dominium utique cum simplici paupertatis voto componi. Quod autem simplici voto additur, nempe voti eiusdem sollemnitas, iure ecclesiastico, ut Constitutiones Apostolicae aperte declarant, inductum est. Porro si iure tantum ecclesiastico sollemnitas voto superadditur, nonne manifestum est, eiusdem sollemnitatis vim effectuumque mensuram ab ea potestate definiri, a quo sollemnitas ipsa procedit, atque adeo a Supremi in Ecclesia legislatoris arbitrio pendere? Ex ipsa ergo rei natura est, quod religiosus sollemniter professus dominii incapax aut capax exsistat pro supremae auctoritatis arbitratu, ad cuius sapientiam omnia pro temporum, locorum personarumque adiunctis disponere spectat. Conf. Marc. Struggl *Th. Moral.* tr. 6. q. 5. n. 33., qui concludit: Ita Sanchez *in Decal.* lib. 5. c. 2. n. 9. Card. De Lugo, *de Iust.* disp. 3. n. 75. et alii COMMUNITER ».

70. Cum retento radicali dominio, solum actus dominii impeditur, si quis religiosus, absque licentia praelati, de re sua disponat, actus illicitus quidem est, sed tamen iure validus. Ita probabilior sententia (cf. Lugo disp. 3. n. 79.). Nam ex una parte religiosus hic est adhuc dominus et ex dominio valorem actus nanciscitur: ex alia parte, nulla est lex, quae talem actum irritaverit. Potuisset scilicet Ecclesia irritare huiusmodi actus, stante etiam dominio; quemadmodum lex civilis irritavit donationes et contractus pupillorum absque auctoritate tutorum: id tamen Ecclesia non fecit. Cum ergo nemo sibi ipsi irritantem legem ferre possit, necesse est ut actus, quibus religiosi huiusmodi de

(a) Cf. decreta allata in vol. III. n. 1051.

rebus suis disponunt, donando, testando, vendendo etc., validi sint, nisi aliquid in singulis casibus speciale obstet.

Censuit quidem Suarez *de Relig.* tr. 10. l. 4. c. 6. n. 12. alienationes bonorum factas ab his religiosis, absque licentia praelati, etsi non irritas, esse tamen irritabiles a praelato, cui subest voluntas religiosi. Quae opinio merito displicet Lugo l. c. nn. 80. 81. primo quidem, quia ex ea sequeretur, quod Scholastici Societatis etiam ante privilegium irritans Gregori XIII., non potuissent valide matrimonium inire; cum eorum consensus esset irritabilis a praelato, ad matrimonium autem requiratur consensus irrevocabilis. Et sane potestas irritandi, quae est penes superiorem, respicit voluntatem subditi, quae sit obnoxia obligationi alicui libere susceptae et proinde respicit obligationem exsistentem quam praelatus tollere velit. Si ergo 1° obligatio iam nulla est, nihil est amplius, in quo possit se exercere potestas irritans praelati. Atqui cum talis religiosus rem donavit, donatione peracta, res prorsus exiit e potestate subditi et in huius voluntate nulla est obligatio, quae auferri possit. Si 2° voluntas non amplius est subdita, nihil quod ipsa fecerit, irritari poterit. Ita testamentum factum a tali religioso, absque licentia praelati, hic, religioso mortuo, nequit irritare; quia desinit eius auctoritas in voluntatem religiosi, quae non est amplius eius subdita.

Itaque sententia Suarez eatenus valebit, quatenus agatur de promissione, qua se obliget religiosus et quae nondum sit impleta; adest enim tunc voluntas subdita et perdurat obligatio, quae irritari potest.

71. Tenendum est, dispositiones factas a talibus religiosis, bonorum suorum, absque licentia praelati, esse contra votum paupertatis; ad hoc enim se obligant per hoc votum, ut nihil, quoad usum, habeant proprium et in hoc sita est eorum paupertas religiosa.

Paupertas scilicet, quam religiosus vovet, in eo est ut non habeat *proprium*. Nomine proprii intelligitur (ait Sanchez *Mor.* l. 7. c. 18. n. 25.) non solum dominium et proprietas rei (quae a completa paupertate abiiciuntur), sed etiam usus rei, usufructus, possessio et administratio, prout sunt quid iuris, non autem prout sunt quid facti; sunt porro quid iuris, quatenus quis utitur, fruitur, possidet, administrat nomine et arbitrio suo, independenter a voluntate superioris. Id ergo religiosus nullus potest: sed usum, fructum, possessionem, administrationem habere potest solum ex superioris consensu et dependenter ab eo, qui potest revocare quotiescumque velit: quapropter religiosus habet solum usum facti ad instar servi (cf. dicta in vol. III. nn. 230. 232. *De Usu* FF. Minorum et aliorum religiosorum).

Monet tamen sapienter Lugo disp. 3. n. 131., in religione, in qua

votum paupertatis cum rigore observatur (exceptis scilicet Ordinibus militaribus, quorum paupertas, ex longa saltem consuetudine, non excludit plura superflua atque profanos usus), subditum, *etiam ex superioris licentia habentem superflua,* peccare contra votum paupertatis, non quidem ob defectum licentiae et vitio proprietatis, sed quia votum illud non solum est de non utendo absque praelati licentia, verum etiam de conservando *statu pauperis* nec faciendis sumptibus, *qui pauperes non deceant.* Unde Trid. Syn. sess. 25. *de Regul.* c. 2. praecipit superioribus, ne permittant religiosis supellectilem, quae *statui paupertatis*, quam professi sunt, *non conveniat* aut aliquid habeant *superflui.* Status ergo paupertatis vovetur et cum hoc repugnant superflua. Quocirca facultas superioris hac in re auferre quidem poterit vitium proprietatis; sed non efficiet ne id adversetur statui paupertatis, quam religiosus vovit.

72. Sub nomine proprii veniunt bona pecuniaria seu pretio aestimabilia sive immobilia sive mobilia: ait Laymann *de Statu Relig.* c. 7. n. 1. non autem cetera iura, ad honorem ex. gr. et ad bonam famam. Honor enim et fama non sunt in eo qui honoratur et laudatur, sed in aliis et eatenus ille posset his iuribus renunciare, si agitur de honore et fama debita virtuti, quatenus virtuti renuntiaret, quae in eius est potestate: id vero non competit religioso, ait s. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 4. et cf. ibid. Caietanum. Subdit s. Doctor: « Honori vero, qui exhibetur excellentiae (mundanae), abrenuntiant religiosi ex hoc ipso, quod secularem vitam derelinquant. Unde ad hoc non requiritur speciale votum ».

Praeterea, ut ait Lessius l. 2. c. 4. n. 26., religiosus beneficiarius habet possessionem sui beneficii et potest agere nomine proprio h. e. independenter a superiore ad eius possessionem obtinendam recuperandamque. « Similiter religiosus simplex potest agere nomine proprio, super iure eligendi sibi competente et super iure alimentorum et iure manendi in tali monasterio. Ratio est, quia religiosi per votum paupertatis non renuntiant bonis spiritualibus nec iuribus praedictis (e. g. alimentorum, cum propter religiosorum traditionem religio se obliget ad eos alendos et nemo possit conservationem vitae suae insuper habere) aut honoribus, qui pro talibus debentur (religio enim est quaedam communitas, quae sine distinctione graduum et certis iuribus, quae quibusdam personis competant, nequit subsistere), sed tantum temporalibus » bonis nempe et iuribus quae ad secularem et mundanam vitam spectant.

Quaerit s. Alphonsus l. 4. n. 14., an manuscripta religiosi, quibus sua sensa suique ingenii fructus commendavit, sint propria ipsius, ut idcirco ad materiam non spectent voti paupertatis. Et respondet, pro-

babilius affirmare communissime Lugo, Sporer, Salmanticenses, alios, manuscripta esse propria religiosi. Ratio est, quia sunt quid spirituale, quod idcirco voto paupertatis non comprehenditur; quia pertinent ad scientiam, quae non cadit sub voto paupertatis et quia talis est communis consuetudo. Addit, Benedictum XIII. in Brevi *Postulat humilitati nostrae* §. 5. declarasse, quod religiosi promoti ad aliquam dignitatem « omnia bona mobilia seu immobilia cuiuscumque generis, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, *exceptis dumtaxat scriptis propriis, indumentis et breviario*, superiori locali resignare teneantur ». Quoad indumenta et breviarium, ratio dispositionis intelligitur, etsi non sint ea in proprietate religiosi: at quoad manuscripta, haec tantum ratio valere potest, quod sint quid proprium religiosi.

Subdit s. Alph., idem, quod de manuscriptis, censere Salmanticenses de reliquiis. Et sane hae non sunt res pretio seu pecunia aestimabiles.

Unde sequentes Casus resolvuntur.

XXI. 1. Non repugnat voto paupertatis, quod Religiosi habeant bona in communi, etiam immobilia. Imo sine consensu Papae non possunt se obligare communitati, quod ea nunquam sint acquisituri; quia praeiudicarent immunitati Ecclesiasticae. C. Lugo *Resp. mor.* l. 3. d. 8. Neque possunt fructus seu reditus a donatore destinatos ad ea emenda applicare ad usus alios, v. gr. solvenda debita etc. ibid. d. 10.

73. Votum enim paupertatis personale est, quod integre servari potest, licet domus aut religio bona possideat. Hinc Trid. Syn. cum sess. 25. *de Regularibus*, c. 1. observationem accuratam votorum obedientiae, paupertatis et castitatis regularibus maxime commendasset et c. 2. edixisset: « nemini igitur regularium tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria aut etiam nomine Conventus, possidere vel tenere; sed etiam ea superiori tradantur et Conventui incorporentur »: subdit cp. seq.: « Concedit s. Synodus omnibus monasteriis et domibus tam virorum, quam mulierum et mendicantium, exceptis domibus Fratrum s. Francisci Cappuccinorum et eorum, qui Minores de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat ».

Ex mente igitur Concilii haec duo simul consistere possunt et paupertas religiosorum et dominium bonorum penes domum aut religionem sive, ut dicitur, in communi. Possident autem in communi, quatenus

domus seu communitas religiosa est corpus quoddam morale seu persona moralis, iuridice ab Ecclesia recognita, quae iisdem iuribus frui potest ac privatus et sic bona possidere, non ut singuli religiosi ex iis pro lubito valeant sumere, sed ut, sub regimine, si opus est, capituli et sub praelatorum administratione, detur singulis quod est necessarium.

74. Iubet Trid. Synodus, quidquid religiosus acquirit, incorporari monasterio: nequit sane is ut proprium aliquid retinere et quidquid acquirit, monasterio acquirit, dummodo hoc sit capax acquirendi. Non ergo negatur, posse professum aliquid acquirere, nisi sit talis Ordo, in quo id specialiter caveatur, sed negatur, posse professum acquirere sibi tanquam proprium. Hinc, ut iam alibi vidimus, potest professus esse heres, exceptis certis Ordinibus (tr. praeced. p. 3. n. 1038. seqq.): at hereditas non ipsi, sed monasterio acquiritur: ita si qua stipendia suis ministeriis debentur, ea ipso facto acquiruntur monasterio. In acquisitione porro, ex parte religiosi intercedit solum factum, quod est ratio vel conditio, cur acquiratur: consensus eius non postulatur, ut monasterium dominium rei acquirat; cum iam omnia iura monachi in monasterium sint translata et ipse non habeat amplius proprium velle aut nolle Sanchez *Mor.* l. 7. c. 12. n. 36. Hinc ubi nec factum aliquod religiosi requiritur, quemadmodum in legatis, quae, adita ab herede hereditate, statim legatario debentur, haec relicta professo statim acquiruntur monasterio, absque ullo facto eiusdem professi Lugo disp. 3. n. 94.

Manifestum est, dicta valere in sollemniter professis: quia vero professi vota simplicia, dominii adhuc sunt capaces, aequum est, ut mediante eorum acceptatione et consensu sive explicito sive implicito, acquirantur monasterio legata et donationes, quae ipsis eorum intuitu fierent. Cf. Lugo nn. 90. 93.

75. Cum religiosus testamento condito ante professionem, bona inter heredes distribuit, quaeritur, an quandiu ille vivit, Conventus sive Ordo dominii capax, ius habeat fruendi iis bonis. Distinguendum est: vel enim heredes instituti sunt non necessarii vel sunt necessarii iidemque descendentes. Si prius, affirmat Lessius l. 2. c. 41. n. 85.; quia ius testatoris transit ad monasterium, testator autem, quandiu vivit, dominus est suorum bonorum. Cum ergo nihil prohibeat exercitium huius iuris in monasterio; sequitur, quod vivente religioso, monasterium eius bonis fruatur, sicut ipse frueretur. Si vero alterum contingat, negat Lessius l. c. n. 83. et communiorem hanc esse sententiam ait Laymann *de Testamentis* c. 3. n. 8.: quamvis opposita non sit improbabilis. Ratio est, quia certe filii ius habent statim ad alimenta suo statui conve-

nientia, filia ad dotem etc. (non ex iure nostro): porro durum esset exigere, ut filii a monasterio penderent; quin et ipsi monasterio haec cura de filiis gravis foret. Ratio ergo postulat ut portio legitima filiis statim detur. Consentit c. *Cum simus, de Regularibus*, ubi decernitur, quod filio, qui noluit profiteri cum patre (qui secum in monasterium eum adduxerat), liberum sit dimittere habitum et *tunc* bona paterna, quae sibi ex successione proveniunt, postulare.

Quaerit Lessius l. c. n. 86., ac foret iuxta lex civilis statuens ut ii, qui ad religionem transeunt, nequeant secum deferre sua bona vel suam portionem legitimam, sed debeant eam suis propinquis relinquere, etiamsi hi pauperes non sint nec heredes necessarii. Negat suamque negationem pluribus argumentis demonstrat. Sane impediretur et sic facto ipso improbaretur exsecutio consilii a Christo dati, distribuendi sua in pauperes: coarctaretur absque rationabili causa libertas hominis et iniuria inferretur religioni, cum propter ipsam prohiberetur quis facere, quod iure facere potest quilibet in seculo manens.

76. Quaeritur an professio religiosa exstinguat debita. Respondet Lugo disp. 21. n. 61.: « Professio religiosa non affert secum ex opere operato, ut ita dicam, exstinctionem debitorum », sicut nec quaevis alia mutatio status: sed si exstinguuntur, id oritur ex impotentia morali, in qua sit professus solvendi. Quocirca, etsi « monasterium non teneatur ea debita solvere, tenebitur tamen ex iis, quae a religioso debitore habuit quaeque deinceps ex hereditate, legato, donatione religioso obveniunt et quae opera et industria religiosi comparavit, nimirum si stipendium pro concionibus vel lectionibus habeat, si aliquid ei donatur... Ratio universalis est, quia bona religiosi vel ius ad ea, quae religioso obveniunt, ita transit ad monasterium, media persona religiosi, ut transeant cum iisdem gravaminibus et oneribus, quae habebant. Quare, licet quidquid religiosus acquirit, monasterio acquirat, id debet ita intelligi, ut monasterio acquiratur sicut ipsi religioso acquireretur, nempe cum obligatione solvendi debita contracta, quam religiosus habebat » Lugo l. c. n. 79.

Imo ipse professus, si iuxta suum statum laborare potest, saltem labore non extraordinario, cum licentia praelati (quam is tamen non tenetur ex iustitia dare, sed ex caritate, si nullum inconveniens obstet, s. Alph. n. 71. in fine), ut creditoribus valeat satisfacere, censet Lugo l. c. n. 81. obligari religiosum ad huiusmodi labores. Nam status religionis eatenus excusat a solvendo, quatenus impedit modum, quo in seculo solvi posset. Si ergo in ipso statu religioso modus solvendi haberi potest, non apparet ratio, cur hic status debitorem excuset. Sed cf. dicenda sub dub. 5. resp. 1.

XXII. 2. Non repugnat paupertati, si religioso detur villa vel alius locus administrandus nomine Monasterii, idque in Monasterii commodum. Imo nec repugnat, si detur in commodum vel incommodum ipsiusmet Religiosi aliquod Ecclesiasticum Beneficium. Quo casu competit ei administratio redituum, quos ad sui sustentationem piasque causas applicare potest, iuxta Canonum concessionem: quod reliquum est, pertinet ad Ecclesiam vel Beneficium, cui servivit ac consequenter donationes de reditibus beneficii factae ab eo in usus non pios invalidae sunt et contra iustitiam, neque accipientes possunt tuta conscientia retinere. Suar. tom. 4. *de Rel.* l. 5. Molin. d. 276. etc. communiter. Ratio est, quia non habet dominium dictorum redituum. C. Lugo *de Iust.* t. 1. d. 4. s. 1. Nihilominus Wading apud Dian. p. 8. t. 6. r. 133. probabile censet, quod, etsi illicitae, validae tamen sint istae donationes idemque multo magis de donationibus Episcoporum regularium censet cum eodem Dian. l. c. r. 132. etc. contra Sanchez, Suarez etc. Ad Monasterium vero omnia alia pertinent, quae aliunde, quam ex beneficio acquiruntur, nisi ex consuetudine cedant Ecclesiae. Nav. Azor t. 1. l. 12. c. 10. q. 6. et 7. Mol. Laym. l. c. V. Trid. sess. 25. c. 2. *de Regul.*

XXIII. 3. Non tantum iure antiquo, sed etiam post Tridentinum, probabile est, Religioso in Monasterio, vel iuxta illud manenti annuatim assignari posse reditum, ut ex eo vivat suo commodo et incommodo, revocabiliter tamen ad nutum Praelati: similiter Monialibus victum praeberi posse, ita ut ipsae sibi labore manuum vestes comparent. Ita contra Azor, Less. et Molin. docent Sanchez l. 7. *Mor.* c. 22. Tann. Laym. l. 4. c. 7. Qui addit, talem consuetudinem, ubi viget, non damnandam: probat tamen tolli debere, si commode possit monetque, non sine urgentissima causa introducendam.

77. Materia voti paupertatis, ut diximus, sunt res exteriores pecunia aestimabiles, haec est materia remota: materia proxima est usus et proprietas (cf. n. 72.) horum bonorum, qua se exuit vel quam sibi interdicit religiosus. Quae proprietas est tum dominii (quod in completa paupertate dimittitur) tum ususfructus et usus et possessionis et administrationis, prout haec omnia sunt iura non simplex factum atque haec proprietas in omni paupertate religiosa, vel minus completa abiicitur et illicita saltem (si dominium retineatur) evadit. Qua in re professus, qui se gerat tanquam proprietarium, duplicem malitiam contrahere potest. Altera est malitia sacrilegii, prout est transgressio voti; est enim contra virtutem religionis: altera est iniuriae seu iniustitiae; quia accipit alienum, invito domino. « Quod peccatum, ait Suarez tr. 7. l. 8. c. 6. n. 12., maxime patet, quando ex bonis acquisitis iam monasterio aliquid usurpat, quia illud revera non est suum, sed alienum... Eadem autem malitia invenitur in his, quae de novo religiosus acquirit, usurpandis ut propriis; quia, ratione voti et pacti cum religione, quidquid acquirit, acquirit religioni et ideo eo ipso usurpat sibi alienum, si sibi illud appropriet ». Nisi tamen ea conditione sit datum religioso, ut monasterio non acquiratur: peccatum tunc quidem esset proprietatis, non furti. Sanchez, *Moral.* l. 7. c. 20. n. 8.

78. Quaeritur ergo an religiosus possit habere *peculium.* Peculii nomine, ait Bouix op. cit. P. 6. sect. 5. c. 1. §. 3., heic intelligitur

quodlibet bonum temporale, *destinatum ad particulares usus religiosi,* ut pecunia, annui census, pensiones vitalitiae aliaque bona sive immobilia sive mobilia, *destinata ad privatam utilitatem religiosi.* Peculium duplex distinguere licet sive duplicem rationem habendi peculii. Fieri enim potest, ut ex massa communi bonorum tradatur religiosis singulis portio quaedam, qua sibi quotannis pro victu, vestitu ceterisque necessitatibus consulere valeant. Fieri rursus potest, ut religiosi apud se habeant bona aliunde accepta quae massae bonorum monasterii non sint incorporata, quibus iidem suis necessitatibus consulant.

Priore peculio, si ipsum omnibus religiosis monasterii detur, nisi sit pro certis solum minoris momenti necessitatibus, tollitur actu ea quae dicitur vita communis, sed pressiore sensu nempe non ratione societatis (17.), sed *sustentationis,* quae quidem vita communis manet in radice, quatenus ex massa communi omnes accipiunt.

Altero peculio si eo utantur religiosi non pro aliqua tantum minoris momenti necessitate sed et pro vestitu et victu, aboletur prorsus vita communis modo dicta.

Quaeritur ergo an peculium religiosis habere liceat.

Iam vero, si quaestio fiat de simplici dominio, quod radicale dicitur et agatur de religioso non sollemniter professo, peculium aliquo pacto haberi potest et habetur a religioso, quatenus dominium rei suae retinet et potest rursus dominium acquirere: nihilominus in hoc dominio non illud occurrit, quod proprium est peculii, ut nempe res, cuius dominium habetur, sit destinata ad particulares usus religiosi eique reapse inserviat.

79. Loquentes ergo proprie de peculio, statuimus sequentia. 1° Peculium cum usu eiusdem independenti, nequit esse licitum religioso. Usus est independens, cum religiosus peculio utitur absque consensu praelati, multo magis si eum ea intentione eo utitur, ut praelatus nec peculium nec usum eius possit revocare a religioso. Ratio est manifesta; quia sic religiosus agit tanquam proprietarius sive utitur rebus tanquam propriis; si enim absque licentia praelati utitur, utitur iure suo h. e. iure, quod sibi arrogat ideoque utitur tanquam propriis (cf. Suarez l. c. c. 11. nn. 1.-2.): hoc autem directe adversatur voto paupertatis. Quocirca integra actualiter manente obligatione huius voti, nequit, vel ex dispensatione, licitum esse tale peculium religioso.

2° Peculium, cuius usus dependens sit a licentia praelati, non repugnat per se paupertati, quam profitetur religiosus.

Haec est doctrina communiter recepta (cf. s. Alph. n. 15.), rerum naturis tantum inspectis et praecisione facta a dispositionibus iuris positivi. Sane essentia paupertatis in eo est, quod religiosus non se gerat

ut proprietarius, nulla re utatur tanquam sua, non in eo est, ut simpliciter aliqua re non utatur religiosus: atqui usus cum dependentia a licentia praelato non est actus proprietarii, non est usus rei veluti propriae, sed est usus, qui et servo proprie dicto competit: ergo.

Ut autem in usu vera sit dependentia a licentia praelati, oportet ut sit in praelato et a subdito admittatur facultas revocandi concessionem usus, quoties ille voluerit. Sic enim in usum rei, qui fit a subdito, influit semper voluntas praelati et nunquam subditus agit ut proprietarius: secus vero, si concedatur facultas irrevocabilis. Tunc enim dependentia haberetur quidem in accipienda facultate utendi: at deinceps religiosus iure ageret suo absque dependentia a praelato in exercitio et proinde re uteretur tanquam proprietarius. Itaque dependentia debet esse non tantum ab initio in origine concessionis, sed continua et perseverans cum usu.

80. 3° Etsi censuerint quidem, iam ante Trid. Synodum, iure canonico vetitum esse religiosis huiusmodi peculium: probabilior est tamen, iuxta s. Alph. n. 15., sententia negans exstitisse ea aetate talem prohibitionem, quam sententiam dicit Suarez tr. 7. l. 8. c. 14. n. 3. communem canonistarum. Sane prohibentur quidem religiosi habere peculium c. 2. *de Statu Monachorum:* « Monachi non pretio recipiantur in monasterio nec peculium permittantur habere », quod est decretum Conc. Later. III. sub Alexandro III.; at haec accipienda de peculio, cuius acceptio et usus sit independens a voluntate praelati, patet collatis aliis textibus iuris et hoc ipso c. 2. Nam paulo post subditur: « qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate ei fuerit pro iniuncta administratione permissum (sermo est de peculio *permisso;* ergo haec non sunt bona ipsa monasterii, quorum administrationi oportet aliquem ex iussu Abbatis praeesse), a communione removeatur altaris ». Ergo, permittente Abbate, usus peculii illicitus non censetur. Citat Suarez et verba c. 6. eod. tit. « Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur; sed cum oportuerit amoveri (monachum nempe), sine contradictione qualibet revocetur »; verum heic *obedientia* est munus, officium quoddam in monasterio, ut patet collato c. 2. ubi dicitur: « Prioratus seu obedientiae pretii donatione nulli tradantur ». Efficacius est c. fin. *Insinuante, Qui clerici vel voventes* etc. ex decretali Innocentii III., ubi, etiam post Conc. Lateranense III., supponitur valuisse professionem a femina factam in manibus cuiusdam de fratribus s. Augustini, « eo adiecto tenore, ut in domo propria, cum omni substantia sua remaneret », permittente scilicet fratre, in cuius manibus voverat.

Itaque ea aetate peculia quaedam, in bonis etiam immobilibus sita

singulis religiosis, cum dependentia a praelato, permissa erant, quibus singuli suis quoque necessitatibus pro victu, vestitu, studio etc. consulerent: ideoque necessaria haud erat *vita communis*, in eo sita, ut ex communi massa, sub administratione praelati vel alterius eius nomine, tribuantur singulis necessaria in victu, vestitu etc.

81. 4° Nihilominus Tridentina Synodus creditur sess. 25. *de Regul.* c. 2. peculia huiusmodi vetuisse et vitam communem restituisse, quam nempe fundatores Ordinum commendaverant. Talem esse sensum Tridentini decreti censet Suarez l. c. nn. 8. seqq. et ut probabilius habet s. Alph. l. c. Verba Conc. sunt. « Nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat..., bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque quantitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria *aut etiam nomine conventus* possidere vel tenere, sed statim ea superiori tradantur *conventuique incorporentur*. Nec *deinceps* liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum vel administrationem vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorundem, ad nutum superioris amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat nihilque superflui in ea sit: nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur: quod si quis *aliter* quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit atque etiam iuxta suae regulae et Ordinis constitutiones puniatur ».

Aliquid novi, quod nempe saltem usu obsoleverat, censuit s. Synodus se constituere, inquiens; *nec deinceps:* sed ibi agitur de peculio in re stabili seu immobili. An cetera peculia, puta in pecunia sita, prohibuit? Utique ex decreto recitato, nemini licet aliquid sive immobile sive mobile possidere et tenere etiam nomine conventus: quaecumque bona, etiam ea, quae religiosus acquiret, sunt incorporanda massae conventus: administratio omnium bonorum ad superiorem spectat vel ad officiales ab eo constitutos. His videtur vita communis praecepta. Verum 1° difficultas est in sensu verborum: *aut etiam nomine conventus*, quae ita explicantur, ut perinde valeant ac *cum licentia superioris.* Cf. Suarez et s. Alph. 11. cc. et Bouix l. c. n. III. Verum si ita est, dicendum foret vetuisse Concilium, ne religiosus bona etiam mobilia quaeque (haec enim quoque nominantur) teneat cum licentia superioris; idcirco nec suppellectilem cubiculi tenere licebit cum praelati licentia: quod quî fieri potest? Nonne, auctore ipso Concilio, superiores permittere possunt subditis usum mobilium? Nec puto, aliquem religiosum, cum quid tenet ad usum ex licentia superioris, dicere: se id tenere *nomine con-*

ventus; etsi id teneat quod est conventus. Censeo voluisse Concilium ea formula excludere *praetextum* eorum, qui bona tenerent apud se absque licentia superioris, sed ut negarent se illa tenere ut propria, dicerent se *tenere nomine conventus,* ipsimet sua auctoritate se veluti administratores bonorum conventus constituentes.

Verum quidquid sit de interpretatione sententiae negativae in prima hac parte decreti, clara est satis sententia affirmativa illi opposita: *sed statim ea* (bona immobilia vel mobilia, etiam quovis modo, puta concionibus, lectionibus etc. ab religioso acquisita) *superiori tradantur et conventui incorporentur.* Porro incorporatione bonorum conventui, ratio peculii alterius generis, quod diximus n. 78., proprie exstinguitur et vita communis eidem opposita constituitur. Hoc ergo peculium vetitum fuit.

82. Difficultas 2° esse potest quoad peculium prioris generis. Certe vetuit Synodus, ne bona stabilia dentur a superioribus subdito regulari in usum et idcirco peculia etiam prioris generis in bonis stabilibus interdicta fuerunt a Synodo. At circa bona mobilia, puta pecuniam, haec solum decernit Synodus, ut superiores permittant subditis usum mobilium, ita ut horum suppellex congruat statui paupertatis, nihil habeant superflui et nihil, quod necessarium sit, desit. Atqui id profecto contingit in vita communi: sed et habere locum potest, si singulis annis ex communi aerario a superiore detur subditis tantum pecuniae, quantum eorum omnibus veris necessitatibus opus est. Ergo nequeunt haec dici interdicta a Synodo et propterea, cum Urbanus VIII. eadem permisit monasterio Cenventualium Romae in visitatione peracta 13. iulii 1617., non est dicendus dispensasse a lege Concilii. Ferraris v. *Moniales* art. 2. n. 69.

5° Decretum Tridentinum declaravit uberius Clemens VIII. in decreto *Nullus* edito pro reformatione Regularium, quod et Urbanus VIII. confirmavit. « Quo Tridentini Concilii decreta de voto paupertatis custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia vel mobilia aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus aut pro Missis tam in propria ecclesia, quam ubicumque celebrandis aliove ipsorum iusto labore et causa et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitione legata aut donationes fuerint, tanquam propria aut etiam nomine conventus possidere possit: sed ea omnia statim superiori tradantur et conventui incorporentur, atque cum ceteris bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, *quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit* ». Heic praecepta incorporatione quorumlibet bonorum conventui, clarius

praescribitur modus vitae communis. Postremae enim sententiae obvius sensus non est, quod possit superior singulis subditis suppeditare id, quo sibi consulant in victu et vestitu, sed quod singulis ipse victus et vestitus quotidie seu cum opus est, suppeditetur. Nihilominus prior interpretatio non est necessario et evidenter exclusa.

83. 6° Quamvis vero haec ita se habuerint a prima aetate post Tridentinum, deinde tamen sensim sine sensu consuetudo penes non pauca monasteria invaluit, ut peculia etiam secundi generis habere religiosis liceret, utique cum licentia superiorum et idcirco vita communis ab illis prorsus exularet.

Sane conferantur verba Benedicti XIII. in Brevi *Postulat.* recitata iam n. 72.: ibi, tanquam usu receptum, quin ullo pacto improbet, supponit Pontifex, religiosum habere posse apud se bona seu immobilia seu mobilia, quae factus Episcopus iubetur resignare superiori.

Imo ipse Clemens VIII., cum in quodam Brevi anno 1602. ad Cardinalem Gesualdum iussisset circa Moniales, *ut in posterum neque ad habitum neque ad professionem aliqua recipiatur, nisi sub integra reformatione vitae communis*, reclamatum autem fuisset adversus hanc dispositionem, alio decreto declaravit: *Moniales vero, quae in posterum admittentur in iis monasteriis, in quibus subventiones* (quae iisdem monialibus dabantur et ex quibus eae quod opus esset ex se ipsis expendebant quin de expensis rationem redderent, ut in priore decreto dicebatur) *retinentur, nullatenus invitae cogantur ad vitam communem.* Ita apud s. Alph. l. c.

Hinc cum Episcopus Cesenatensis vehementer cuperet, moniales s. Clarae in sua civitate ad vitae communis praxim revocare, s. Congr. 12. Mart. 1693. rescripsit consulens, ut nihil circa vitam perfecte communem esset innovandum. Ferraris v. *Moniales* art. 2. n. 71.

7° Itaque licet cum s. Alph. l. c. concludere: « Ratione consuetudinis, quae hodie fere in omnibus religionibus, saltem non reformatis introducta est, puto (plures auctores citat), rigorem Concilii hodie temperatum esse et licere singulis religiosis, ex consensu superioris, peculium habere, ut sibi provideant ad usus necessarios vel honestos: modo sint parati a se bona abdicare ad superioris nutum, semper ac illis sufficienter subveniatur; nam alias non tenerentur peculium dimittere ».

Nota postrema verba s. Doctoris: sane cum religiosus ius habeat ad alimenta et religio ad id se obliget erga ipsum, si religioso aliter non subvenitur, ius habet retinendi peculii.

8° Non erit abs re verba referre s. Doctoris, quibus ipse disputationem concludit. « Ceterum... in praxi omnes praelati tanquam cer-

tum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasterio de novo introducent, vix nomen paupertatis ibi supererit et ex hoc innumera mala communitati, quoad observantiam, supervenient. Quapropter, etiamsi ipsi a peccato gravi excusari possint, usum peculii concedendo, respectu voti paupertatis; non tamen excusabuntur, ob regulae relaxationem, cui, hac concessione, proculdubio operam dabunt ».

84. Quaeritur, an, ubi peculiorum viget usus, si superiores velint vitam communem introducere, teneantur religiosi eam admittere.

Negarunt quidam, si de professis agatur; quia nequit eis maius imponi onus, quam quod ipsi sponte profitendo subierunt: profitentes autem in religione, quae privata peculia admittebat, id elegisse dicendi sunt, non vitam communem, quae est quid durius.

Sententia autem, quam s. Alph. vocat ibid. communem, affirmat. Ratio est, quia religiosi, habentes peculia, vel habent illa iisque utuntur absque dependentia a praelato, vel cum dependentia. Si prius id prorsus repugnat, ut diximus, voto paupertatis nec sine gravi peccato fieri id potest a religioso. Si vero habent cum dependentia, haec eo redit, ut ex permissione praelati religiosus peculium habeat et praelatus possit, quoties voluerit, ipsum revocare. Si hanc facultatem religiosus praelato negat, consequitur, ut ille utatur peculio tanquam re propria; si enim tui iuris non est, redde ergo illi, cuius est, vel qui eius administrationem iure habet et qui nunc eam a te exigit. Atqui nequit religiosus ulla re uti tanquam propria: ergo.

Itaque eo ipso quod religiosus paupertatem vovit, licet voverit in ordine admittente peculia, vovit certe hoc pacto ut non voluerit habere peculium nisi cum licentia praelati, qui posset, quoties vellet, licentiam revocare: ergo iam se obligavit ad acceptandam vitam communem, si ita superiori videbitur.

Nec superior potest subdito concedere usum rei irrevocabilem; id enim esset illum efficere proprietarium, ait Sanchez l. 7. c. 17. n. 28. Neque praelatus in his rebus potest se subdito vel naturaliter saltem obligare. Nam sic ius aliquod acquireret subditus erga praelatum: atqui id repugnat; nam ius quodlibet subditi in huiusmodi iam evadit ius praelati vel monasterii, cui quodlibet ius et quidquid acquirit professus subditus, transfert. Nulla ergo obligatio vel ex iure naturae, inhaerere potest praelato in his rebus erga subditum. Cf. Lugo n. 114.

Fieri tamen potest (quamvis id in foro externo non praesumatur), quod novitius profitens in tali ordine admittente peculia, ignoraverit istud consectarium intrinsecum sui voti (rudis sane adolescens a quo doceretur?) atque ita animo paratus esset, ut si vitam communem co-

gitasset, non vovisset. Profecto cum huiusmodi professis rigor legis non esset urgendus. Hinc praxis, quam prudentia frequenter suggerit, ut collapsa vita communis non redintegretur pro iis, qui iam sunt professi, nisi eorum accedente consensu.

85. A. loquitur de beneficio puta parochiali, quod religiosus habere potest. Quaestio est, cui acquirat religiosus et in hac quaestione varie et confuse loqui DD. affirmat Lugo disp. 3. n. 234., qui advertit quoque quod « hodie, ubi spolia horum religiosorum applicantur Camerae Apostolicae, ad nihil deservit haec quaestio ». Verum, praecisione facta ab hac disciplina, probat ipse distinctionem, quam ex communi plurium sensu adhibet Sanchez *Moral.* l. 7. c. 32. n. 76. Nimirum vel religiosus beneficiatus eximitur ab obedientia praelatorum vel non. Si prius, acquirit suae ecclesiae quidquid acquirit: si alterum, acquirit suae ecclesiae acquisita ex rebus ecclesiae vel suis operis: quia ecclesia videtur eius usufructaria: reliqua, puta ex eleemosynis, hereditate, legato, propria quadam arte acquisita, acquirit monasterio. Atque ita idem Sanchez probat ibid. sententiam Lopez, qui sic distinguit: si ecclesia pleno iure pertinet ad religionem, religiosus illi ecclesiae praefectus acquirit monasterio; quia manet subditus Abbati: intelligendum id tamen de acquisitis aliunde, quam ex rebus ecclesiae ac suis operis; nam haec semper acquiruntur ecclesiae. Si autem ecclesia subsit Episcopo, omnia acquirit ecclesiae; quia exemptus est ab obedientia Abbatis. Cf. Suarez tr. 8. l. 3. c. 14. nn. 7. seqq. Laymann l. 3. tr. 4. c. 7. n. 18. Cf. dicta n. 30.

Certe liberam administrationem beneficii non incorporati monasterio habet religiosus beneficiatus, facultate sibi a iure canonico concessa. Talis sane est natura seu institutio beneficii ecclesiastici, ut tribuat alicui ius administrandi reditus ad necessarios et pios usus. Quocirca id ei licebit quod administratori licet, qui modicas certe eleemosynas aut donationes facere potest. Laym. l. c. n. 17.

86. Quoniam licet religioso, cum licentia praelati, ad usum suum pecuñias habere et expendere, quaeritur, an, cum licentia est generalis, vim (qua reatus contra paupertatem aufertur) habere quoque possit pro expensis illicitis. Lugo disp. 3. n. 183. ait: « Loquendo *in abstracto* et *solum de possibili*, non apparet ulla repugnantia in eo, quod superior det licentiam aliquam generalem, ex vi cuius comprehendatur non solum actus licitus sed etiam ille, qui aliunde est illicitus; quem quamvis licentia illa non reddat simpliciter licitum, operabitur tamen hoc, quod non habeat malitiam illam, quam haberet, si absque ea licentia fieret (malitiam nempe contra paupertatis votum). Quod multis exemplis confirmari potest... Dispensatus ad vescendum carni-

bus, dispensatur generaliter ad comedendas carnes etiam quando comestio sit aliunde turpis v. gr. quia est contra iustitiam vel contra sanitatem: quo casu licet comestio retineat suam malitiam, non erit tamen contra Ecclesiae prohibitionem. Unde non apparet, cur non possit etiam Praelatus ex se dare facultatem generalem subdito ad expendendas aliquas pecunias in ordine ad omnes sumptus, etiamsi aliunde illi sint turpes, eo quod sint v. gr. contra caritatem proximi vel contra castitatem. Nam in utroque casu praelatus aufert solum impedimentum, quo erat ex parte sua et illam specialem malitiam quam haberent sumptus, si fierent repugnante praelato ».

Hinc infert idem Lugo, posita ea licentia quae saltem de possibili non repugnat, nullos sumptus ad turpia vel superflua contrahere vitium proprietatis; quia nomine superioris vel conventus expendit: aliquos tamen etsi non omnes, fore contra votum paupertatis religiosae; quia habere supellectilem pretiosam et superfluam, etiamsi cum licentia habeatur, opponitur statui paupertatis, quam profitetur religiosus ut dixit Trid. Syn. sess. 25. c. 2. (cf. n. 71.).

An iuxta eiusdem Theologi sententiam, possint licite concedere praelati huiusmodi licentiam et an identidem censendi sint eam concedere, dicemus sub resol. 7.

87. Quaestio praecipua est, an quaelibet transgressio voti paupertatis, sit peccatum mortale et, si id negetur, quae materia requiratur ad peccatum mortale.

Quamvis quidam censuerint quamlibet transgressionem voti paupertatis esse mortale peccatum, quia est sacrilegium: communis tamen atque vera sententia, ait Sanchez *Moral.* l. 7. c. 20. n. 2., tenet, hoc peccatum, quod ex genere suo est mortale, reddi veniale ex parvitate materiae; nam et in voti fractione parvitas materiae dari potest. Et sane, ut dictum est *de Voto* (Vol. 2. n. 627.), voti obligatio tanta est, quantam materia voti permittit nec quis in materia levi potest se obligare sub mortali. Porro et in paupertatis violatione locus est materiae levi: Ergo.

Quaeritur igitur, quae materia censenda sit gravis. S. Alph. n. 24. refert diversas DD. sententias hanc vel illam quantitatem statuentes pro materia gravi, quin aliquid definiat: disserte tamen reprobat eam sententiam, quae in hac re vult religiosos aequiparari filiisfamilias.

Lugo disp. 3. n. 170. ait: « Communis iam et recepta sententia est, illam esse sufficientem materiam ad violationem gravem voti, quae sufficit ad peccatum grave furti contra iustitiam: quam docent communiter DD., quos affert et sequitur Sanchez (l. c. n. 3. dicens esse communem et verissimam sententiam) et Diana tr. *de Paupertate religiosa* resol. 36. ».

Cur vero haec norma assumpta sit, rationem reddit Sanchez ita: « quia hoc proprietatis peccatum se habet instar furti. Sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito superiore, cui per votum paupertatis, omnes suas actiones, quoad recipiendum, retinendum aut distribuendum aliquid pecunia aestimabile, religiosus subiecit ».

Non ait Sanchez, malitiam proprietatis in religioso esse malitiam furti, quod non bene diceretur; tum quia illa malitia sine hac esse potest, tum quia praecipua ratio malitiae in proprietate religiosi, est violatio voti et sacrilegium. Quocirca, quamvis in violatione voti locum habeat frequenter malitia duplex et sacrilegii et iniustitiae n. 77.: prior tamen ex his potior est: quia directe magis adversatur statui religioso.

Mensura ergo quantitatis gravis pro furto nequit dici esse per se mensura quoque quantitatis gravis in violatione voti; nam ea desumitur ex damno illato alteri: quando in violatione voti, id quod praecipue consideratur, est sacrilegium.

Nihilominus, cum nulla alia intimior regula suppetat ad discernendam quantitatem gravem in violatione voti paupertatis, adoptata est regula supradicta propter eam analogiam, quam Sanchez declarat. Nec verendum est, ne regula sit rigidior quam par est; nam religio voti non minus in suo ordine postulat, quam ius hominis in suo.

88. Oportet vero hanc regulam recte intelligere. Et 1° non est opus actionem religiosi habere rationem furti seu iniustitiae, ut sit peccatum illudque grave. Nam si extraneus det notabilem quantitatem pecuniae religioso ea conditione ut monasterio seu religioni non acquiratur ideoque vel ea religiosus utatur vel eam restituat danti, religiosus autem absque licentia praelati eam expendat: nullam quidem iniuriam religioni facit, quam nulla re privat; peccat tamen graviter contra votum, se gerens tanquam proprietarium in re gravi. Quapropter, ut concludit Lugo n. 171. debet haec regula ita accipi, « ut quantitas illa, quae sufficeret ad furtum grave, si acciperetur contra iustitiam, sufficiat ad peccatum grave contra votum, si accipiatur vel detur absque licentia praelati ». Quae regula principii instar esse debet in quaestionibus huius generis.

2° Ut quantitas materiae in violatione voti gravis sit, non opus est, ut ea sit, quae requiritur in furto gravi filiorum aut similium: sed sufficit ut ea sit, quae absolute gravis est in furto respectu extraneorum; quamvis congruum sit hanc normam cum aliquo temperamento accipere. Prior pars probatur. Nam primo habitudo religiosi ad monasterium quoad temporalia bona, non illa est, quae est filii ad

patrem: deinde alia est ratio malitiae furti in filio, alia in religioso. Nam in furto filii attenditur solum detrimentum patris et rei familiaris; qua in re ut graviter dominus sit invitus, plus certe requiritur quam si de extraneo ageretur: in violatione autem voti non tam attenditur detrimentum monasterii in bonis temporalibus, quam detrimentum spirituale, quod religio patitur in relaxatione disciplinae circa id, quod est ex praecipuis fundamentis religionis. Quocirca praelatus est rationabiliter graviter invitus etiam pro ea quantitate, pro qua non foret invitus pater erga filium. Cf. Lugo l. c. n. 172.

Altera pars sequitur ex praecedenti; illa enim norma exclusa, haec restat. Quae tamen norma sic est, ait Sanchez l. c. n. 5., intelligenda, ut materiae quantitas assumpta ut norma sit ex se sufficiens ad furtum grave, seclusis peculiaribus circumstantiis personae, adversus quam committitur: sit idcirco quantitas absolute gravis. Verbi gratia furari a paupere minorem quantitatem quam a divite, iam grave esse potest: at furtum huius rei pauperi admissum a religioso, quamvis esse posset grave peccatum in genere furti seu iniustitiae, non esset tamen mortale in genere proprietatis contra votum admisaae et sic, reservato proprietatis peccato, non censeretur illud peccatum reservatum. Item monet quod quantitas etiam notabilis surrepta ad usum brevissimi temporis reddenda statim, quamvis sine licentia accipiatur, non satis esset ad mortale peccatum proprietatis.

89. Norma ista hoc pacto accepta ea est ergo, quam Sanchez proponit. Censet nihilominus Lugo congruere, ut quoddam temperamentum adhibeatur. Nam, ut ait n. 172., religiosus quidem non se habet ut filius in monasterio, sed neque est extraneus; est enim pars communitatis: idcirco ex hac parte benignius videtur agendum cum eo in designanda materia gravi, habita utique simul et praecipue ratione detrimenti illius spiritualis, quod dictum est. Et sane « valere (ait Ballerini) potest ratio, quod superior, quoad rei surreptae substantiam, minus invitus sit quoad domesticos, quam quoad extraneos. Licet autem dispar sit conditio religiosi ac filii, in eo tamen aliquid simile inest, quod bona monasterii in subditorum bonum possideantur, non in superioris commodum. Quoad detrimenta ipsarum rerum, quae videantur timenda, haec maxime pendent ab rerum surreptarum usu; nam filius ablata ludendo et meretricando potest absumere et religiosus potest pauperibus erogare et viceversa ».

Pariter censet s. Alph. n. 24., quod plus requiratur, quam quod communiter requiritur in materia gravi furti, si res donetur religioso eiusdem conventus: quia conventus nihil amittit et superior est minus invitus. Item plus adhuc requiri putat, si quid ab extraneo accipiatur,

ad distribuendum aliis; quia, ut interpretatur Gury Vol. 2. §. 160., multo minor est proprietatis actus, quam si haec in proprium usum retinerentur: supponitur proinde quod religiosus accipiens distribuat nomine suo. Sed de hac postrema sententia cf. dicenda sub n. 94.

Itaque quod spectat ad huiusmodi temperamenta, videtur res relinquenda etiam iudicio prudentum atque cuiusque Ordinis regula et consuetudo est spectanda et fieri sane potest, ut propter specialem professionem paupertatis, in aliqua religione, norma, quam ex communi sensu proponit Sanchez, pure absque temperamento ullo adoptetur, quemadmodum ex ordinatione Claudii Acquaviva servat Societas Iesu. Quae ordinatio, habita ratione finis et spiritus, quo Societas informatur, iusta est. Quae autem sit quantitas materiae gravis in furto, non ex veterum (nam res mutabilis est), sed recentiorum communi sensu aut plurium ex his probata docrina, accipiendum est.

XXIV. 4. Peccat contra paupertatem Religiosus, si quid, seu domi seu foris, etiam ex iis, quae ad victum et vestitum pertinent, sine superioris consensu expresso, tacito vel praesumpto, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet vel accommodet. Ita Less. l. 2. c. 41. d. 8. et d. 9. n. 79. Sanchez 7. *Mor.* c. 19. n. 53. et c. 21. n. 32. Suarez tom. 3. *de Relig.* l. 8. c. 11. Laym. l. 4. t. 5. cap. 7. Azor, tom. 2. lib. 12. cap. 12.

Dixi, *sine consensu tacito:* quia, si Praelatus sciat, subditum aliquid accipere, retinere vel expendere et non prohibet, cum facile possit, tacite consentire et approbare videtur. Unde Sanchez 6. *Mor.* c. 19. ait, si in aliqua religione consuetudo viget aliqua recipiendi vel expendendi sine licentia, id excusari per tacitam licentiam Praelati, qui, id tolerando, consuetudinem rationabiliter declarat. Et si Praelatus subdito donet vel donari permittat imagines, rosaria etc. sciens non indigere iis omnibus ad proprium usum, tacite facultatem concedere censetur donandi aliis, ut notat Laymann. Monet tamen Less. talem consensum non praesumendum, nisi in rebus parvis et crebro occurrentibus.

Dixi 2. *vel praesumpto:* hic enim locum habet, cum res urget Superiorque non est praesens. Ad hunc autem, ut vult Sanchez et Bonacina, non sufficit, quod Superior libenter concederet, si peteres (alioqui omnes donationes a Praelatis permitti solitae licerent sine venia; quod cederet in eversionem disciplinae regularis): sed requiritur, ut ipse censeatur concedere, quamvis non petas et nolit in iis circumstantiis te petere. Addunt tamen Suarez et Less. excusari a mortali, si praesumatur affectus Superioris libenter rem concessuri, si rogaretur. Ratio est, quia tunc censetur rem habere ex voluntate Superioris saltem virtuali, quae in illo affectu latet; ideoque, si Superior tantum sit invitus quoad modum, venialiter quidem peccari; non tamen contra paupertatem, docent Suar. Sanch. Laym. l. 5. tr. 5. c. 7.

90. Quaeritur an permutatio, absque licentia praelati, sit peccatum grave contra votum. Respondet Lugo n. 157., « si ego habeo breviarium et illud commutem pro altero breviario omnino simili, vere ibi intervenit translatio dominii et tamen commutatio illa non videtur esse materia gravis contra votum, ut indicat Sanchez (l. c. c. 19. n. 67.). Et ratio esse potest; quia moraliter loquendo eadem res retineri videtur ». Alii addunt, id concedi, quando creditur praelatus non esse

invitus quoad rem, sed quoad solum modum (cf. Sanchez l. c.), quod certe habet locum, cum res commutatae sunt prorsus similes. « Quis enim dicat, pergit Lugo, esse contra votum, si 20. nummos aureos, quos habeo, commutem pro aliis 20. item aureis, quos alius habet, omnino similibus et aequalis valoris? et tamen ibi etiam fit translatio dominii ». Quae exempla ostendunt, actum translationis dominii absque licentia, leve esse peccatum, quando per eam fit talis permutatio, ut apud permutantem maneat eadem formaliter utilitas, quae sola quaeritur, idem formaliter valor, cuius solius ratio habetur: ut permutatio, prout contractus est, nullius vel pene nullius sit pretii. Quocirca et dubitari posset, an sit peccatum leve: verum absentia licentiae pro actu, qui manet semper in genere translationis dominii (ut si 20 aureos commutes cum 40 argenteis aequivalentibus), maculam aliquam adspergat oportet eidem actui. Levius certe erit peccatum, si absque licentia permutatio fiat inter ipsos fratres eiusdem conventus, quam si fiat cum seculari: imo inter ipsos fratres facile licentia poterit praesumi.

Hanc doctrinam Caramuel in Reg. s. Benedicti disp. 65. n. 970. apud Diana (tom. 7. tr. 3. resol. 15.), amplificat hoc pacto. « Scias esse probabile, monachum non solum posse vestes, libros et alia, quae habet ad usum, commutare cum confratribus sed etiam cum secularibus: dummodo in commutatione rigor iustitiae plus citra conservetur. Unde qui daret seculari unam togam pro uno libro similis valoris, non peccaret mortaliter ». Loquitur, Caramuel de permutatione quoque inter res diversas, quarum, etsi in aestimatione pretii idem sit valor, formalis tamen utilitas sit diversa, ut togae et libri.

Quoad huiusmodi permutationem magis invitum se ostendit Lugo l. c. « Hoc, inquit, mihi non placet; quia eodem modo posset absque licentia vendi, cum tunc etiam fiat commutatio rei pro pretio et maneat res eiusdem valoris apud Conventum, nempe pecunia illa: imo utilius est Conventui commutare pro pecunia, quam pro re alia determinata; cum pecunia deservire possit ad rem illam, vel quamlibet aliam similem vel dissimilem comparandam. Fatendum ergo est, commutationem pro re dissimili nimium alterare rem ipsam atque ideo rationabiliter esse invitum dominum, si absque eius consensu fiat et ideo merito doctrinam illam reprobavit Sanchez l. c. ». Ratio ergo est, quia ex una parte actus est proprietarii abdicare a se aliquam rem utilem et sic exuere se eius utilitate, ex altera parte superior est rationabiliter invitus. Quapropter, si materia sit gravis, peccatum contra votum erit grave.

Advertendum tamen, quoad huiusmodi permutationes magis esse rationabiliter invitum praelatum, si fiant cum extraneis, quam si fiant inter ipsos suos subditos.

91. Quaeritur, an mutuo dare vel commodare absque licentia, sit grave peccatum contra votum. « Sermo esse potest (ait Ballerini) de iis rebus, quae religioso sint concessae ad usum atque de aliis, quas ex bonis conventus religiosus sibi sumat: tum vel de commodato aut mutuo dato extraneis, vel domesticis ».

« De commodato ita respondet Laymann l. 4. tr. 5. c. 7. n. 4.: — licet solum etiam usum rerum non absumptibilium v. gr. librorum, sibi absque superioris licentia usurpare aut alteri seu domestico seu externo concedere, paupertatis voto repugnet: *saepe* tamen a mortali excusatur ob materiae parvitatem. Etsi enim liber v. gr. valeat 10. ducatis, quem sibi ut proprium vindicare mortale peccatum esset, usus tamen libri non perpetuus sed temporalis tanti non aestimatur, ut mortalis peccati materia sit. Quare usum eius libri *ad tempus sibi vindicare* vel *alteri sine licentia concedere*, non est mortale, ut notavit Sanchez l. 7. c. 19. n. 57. et c. 20. n. 6. — ».

« At Sanchez loco priore strictius loquitur et solum de communi re ad usum proprium accepta sed restituenda quidpiam dicit ».

« Sed ibid. n. 65. ubi dicit, esse contra votum paupertatis, *mutuo* vel *commodato* quidquam ex iis, quae ipsi *ad usum permissa sunt, dare alteri absque superioris licentia,* subdit —: Ego quoque addo, non fore mortale sic commodare *res ad proprium usum destinatas,* quando religiosus commodans esset securus de restitutione illarum ac conditione; quia videtur parva materia — ».

« Et n. 6. c. 20. addit, non semper quantitatem in se notabilem absque licentia acceptam satis esse ad mortale proprietatis peccatum. Quia res magni valoris potest ad solum brevissimi temporis usum modici valoris usurpari, reddenda statim et ideo erit solum culpa venialis ».

« Mitiora habet Petrus de Ledesma apud Diana tom. 7. tr. 5. res. 14. n. 2., qui ait: — Mutuas pecunias dare religiosis eiusdem monasterii vel etiam extraneis non est peccatum mortale contra paupertatem, si persona sit secura, cui pecunia committitur. Ratio valde efficax est, quia licet pecuniae mutuo traditae dominium transferatur in eum, cui dantur, attamen non est res magni momenti, quando alter se obligat ad reddendam eandem pecuniam. — Subdit porro Diana: — Et ita hanc sententiam docent multi viri docti ex nostra Religione et Societate Iesu, de hac re a me consulti — ».

« Ita sane et Lugo disp. 3. n. 157. inquiens, credere se, quod stante securitate recuperandi, raro sit mortale huiusmodi mutuum; quod probat comparatione instituta cum permutatione; nam mutuum illud reapse redit ad quandam permutationem ».

« Affert deinde Diana et haec verba Llama (ibid. n. 3.). — Non gravabor hic apponere verba Llamas... ubi ait: — Monachi in eodem monasterio professi possunt sibi mutuo dare libros et res cuiuscumque pretii, quae unicuique illorum in usum concessae fuerunt, absque scrupulo ullo furti vel iniustitiae; quia nulla iniuria fit aliis. Nam dans usum voluntarie praebet, quem habet concessum, dominium vero monasterium non amittit cum ad idem revertatur res quoad dominium ex hoc vel illo; quoniam ambo sunt in illo professi: ergo nulli iniuria fit, nisi saltem praelato, si sine eius licentia fiat. Haec autem non est iniustitia, sed inobedientia (a) et semper venialis — ». Hactenus B. cf. et s. Alph. n. 27.

92. Ad donationes quod spectat, nonnulla quaeruntur. Potestne qui licentiam habet dandi et accipiendi, vendere et emere? Affirmat Lugo n. 159. et ratio est, quia verbo *dare* contractus quoque significatur (do ut des) et emptio venditio non est tandem nisi quaedam datio et acceptio. Si religiosus tamen haberet solum alterutram licentiam, non ei liceret vendere aut emere; nam sive emat sive vendat, utraque actio intervenit, dandi et accipiendi.

Concessa alicui facultate dandi fratribus conventus aut accipiendi ab illis, intelligiturne eo ipso facta aliis facultas accipiendi ab eo aut ei dandi?

Per se haec non est consequentia legitima: imo ipsa ratio postulat, ut qui facultatem habet dandi intelligatur eam habere erga capaces accipiendi, qui in monasterio non sunt nisi qui licentiam habent. Certe haec generalis regula nequit statui, ut facultas data uni donandi sit hoc ipso facultas facta ceteris accipiendi aut vicissim; quia superiorum libertas nimis coarctaretur et disciplina detrimentum pateretur, occasione data fraudibus; cum, vel uno tantum exsistente qui posset dare et accipere, ceteri per eum sibi possent munera mittere et remittere, illi quoque quos probabiliter superior nollet. Cf. Lugo nn. 163. 164. Oportet ergo ut omnia tandem pendeant a voluntate superioris dantis licentiam; quae voluntas, si expressa non est, ex more et consuetudine conventus colligenda erit. Cum Lugo interrogasset de hac re Patrem Generalem Societatis Mutum Vitelleschi, retulit hoc responsum: videri sibi de facto eam esse superiorum mentem, ut data subdito licentia dandi vel accipiendi, possent alii eiusdem praelati subditi ab eo accipere vel ei dare; dum tamen nihil in fraudem fieret, sed bona fide procederetur. Ita narrat idem Lugo n. 165.

---

(1) Quae sententia est difficilis. Nam de re aliqua disponere absque praelati licentia, non est tantum contra obedientiam (siquidem superior id vetuit) sed et contra votum paupertatis idque praecipue. E.

Si quis religiosus, parcius vivendo, aliquid sibi subtrahit de victu aut vestitu, potestne quod reliquum est donare cui velit? Distinguendum est; si certa quantitas praestatur religioso a monasterio pro eius sustentatione, ut nec aliud teneatur ei dare monasterium nec ipse de accepto rationem reddere, licere illud dicendum est religioso; nam sic intelligitur facta ei a superiore facultas idque valet sive extra claustra sive intra claustra is vivat. Si autem nulla certa quantitas ei assignatur, sed omnia necessaria quotidie a monasterio tribuuntur, ut idcirco quoties opus habet, petere et sumere possit, negandum est illud tunc licere; nam sic nullum ius ei conceditur in res, quibus utitur, sed solum usus facti. Atque id communiter recipi, ait s. Alph. n. 23.

93. Licetne religioso, absque licentia praelati, res extranei administrare? Profecto, nisi emolumentum afferat administratio, ea voto paupertatis nullo modo adversatur, cum sit simplex obsequium alteri praestitum, non secus ac si coquus religiosus praepararet convivium extraneo. Ita Lugo n. 155. ex Suarez. Quamvis vero administratio huiusmodi non adversetur voto paupertatis, potest tamen suscepta sine licentia, tum obedientiae debitae tum disciplinae adversari.

94. Licetne religioso, absque licentia Superioris accipere ab extraneo bona distribuenda aliis.

« Distinguendum est, (ait Ballerini); nam vel religiosus accipit ut eroget *nomine proprio*, vel *nomine dantis*. Si nomine proprio, manifestum est peccatum proprietatis et ad hunc specialem casum spectat sententia eorum DD. quos ex Salm. refert s. Alph. n. 24., nimirum ad peccatum mortale contra votum in hac hypothesi, plus in quantitate materiae requiri, quam communiter satis est ad culpam gravem: imo adhuc amplius postulari, si bona a religioso dispensentur religiosis eiusdem conventus; quia adhuc manent res illae intra dominium conventus, ad quem coeperunt spectare statim ac religiosus eas acceptavit suo nomine distribuendas ».

« Laxius vero merito non videatur, ad gravitatem huius culpae exigere cum veteribus 60. argenteos (sex romana scutata), praesertim cum immutatio in pecuniarum valore, decursu temporum, consecuta (vide dicta in Vol. III. 305.) multo ampliorem pecuniae quantitatem modo exigeret ».

« At si religiosus accipit bona seu pecunias erogandas *nomine alieno*, ita ut simplex ministerium seu administrationem praestet, nulla dicenda videtur intercedere culpa contra paupertatem, quantacumque sit summa accepta. Ita Suarez tr. 7. l. 8. c. 15. nn. 15. 16. Palaus tr. 16. disp. 3. punct. 22. n. 4. Diana tom. 7. tr. 3. resol. 23. n. 2. et conferendus Lugo n. 155. ».

« Porro etsi dans pecuniam religioso, ut eam in alios distribuat, non ipse designet personas nec quantitatem singulis distribuendam, sed haec in arbitrio religiosi relinquat, adhuc hic purum ministerium praestat, dum nomine alieno distribuit. Ita Sanchez l. 7. c. 30. n. 4. — Mihi persuadere nequeo, id esse adversus paupertatis votum meamque sententiam approbarunt viri doctissimi nostrae Societatis et externi a me consulti. Duco, quod... religiosus hic non retinet nec accipit eas pecunias tanquam proprias nec tanquam dominus, sed ut nomine alieno, nempe tradentis, det pauperibus. Non ergo exercet aliquem dominii aut proprietatis actum... Secundo, quia non quaecumque possessio et administratio pecuniarum adversantur paupertatis voto, sed quando sunt quid iuris, nempe quando religiosus administrat nomine proprio... At in hoc eventu religiosus non nomine proprio, sed alieno administrat. Tertio, quia in hac dispensatione haec sola quatuor inveniuntur: receptio pecuniae, facultas eligendi pauperes, ipsorum electio, distributio inter illos. At nihil horum est contra paupertatis votum. Non receptio pecuniae, quia religiosus non recipit sibi..., sed ut nomine testatoris in pauperes distribuat... Nec etiam facultas eligendi pauperes; quippe hoc nihil aliud est, quam ius nominandi pauperes... quod nil iuris esse, sed meri facti probavimus supra... Nec ipsa pauperum electio; quia si eligendi ius non adversatur, a fortiori nec ipsa electio, quae exercitium iuris illius est. Nec denique ipsa pecuniarum in pauperes distributio; quia religiosus non distribuit nomine proprio, sed dantis nec ipse censetur aliquid conferre, sed dans ut constat ex l. *Unum ex familia* §. 1. Dig. *de legatis* 2. — ». Hactenus B.

95. Quaeritur an liceat religioso, absque praelati licentia, depositum extranei apud se habere. Male faciet religiosus, ait Molina, si sine consensu expresso vel tacito aut indubitate praesumpto sui praelati, munus depositarii suscipiat (disp. 525. n. 3.). Et sane depositarius obligationem erga deponentem suscipit, cui satisfacere plene non potest nisi proprietarius; si enim eius culpa depositum perit, compensare is de suo tenetur deponentem.

Nec prudenter aget extraneus contractum depositi iniens cum religioso. Si enim res perit, etiam culpa et dolo huius, unde repetet ille suum? religiosus enim nihil habet et quamvis, ex licentia praelati, valeat aliquid lucrari, ut restituat, id raro continget: monasterium vero vel praelatus eius nomine, non obligatur ex culpa subditi, imo et sui praelati, si is privato nomine agit, nisi quatenus forte res deposita conversa sit in utilitatem monasterii, ut idcirco hoc factum sit locupletius. Qui vult ergo securus esse, deponat apud ipsum monasterium ut hoc obligationem depositarii suscipiat. Cf. Molina disp. 140. Sanchez op. cit. l. 7. c. 14. n. 35. Lugo n. 219.

Si vero depositum sit tantum specie tenus, ut depositarius nullam obligationem suscipiat, sed solum obsequium praestet custodiendi aliquid: hic actus religiosi forte erit contra obedientiam aut regulam, non contra paupertatis votum n. 93.

96. Quaeritur, an religiosus habens licentiam expendendi pecuniam ad usus honestos, possit ea ludere. Per se affirmandum est, dummodo ludus sit honestus et non indecens religiosum; hic enim pertinet ad honestam recreationem, quae ponitur inter actus virtutis, ut ait Lugo n. 144., qui tamen subdit: « In aliquibus vero Ordinibus observantibus non censeretur honesta recreatio *pecuniam ludo exponere;* quia est contra morem et observantiam Ordinis et multo magis indecens aestimaretur, si chartis ludendum esset vel alio simili ludo (pecunia utique exposita): imo non defuit magnus quidam Magister Ordinis Praedicatorum (P. Magistrum Bannes fuisse affirmat disp. 31. n. 12.), qui in Salmanticensi Academia dixerit, se non liberaturum a peccato mortali aliquem e Societate nostra, quem chartis ludentem vidisset ».

De ludo quoque, quo lucrum quaeritur, intelligendus est Molina, inquiens disp. 521. n. 6.: « Ludus chartarum religiosis longe magis (quam clericis) indecens est et scandalosus aliis eoque magis ipsis indecens et scandalosus aliis, quo arctiorem vitam profitentur et magis in ea religione regularis disciplina viget maiorque est opinio in populo de ipsorum observantia ac sanctitate ».

Religiosus ex licentia exponens ludo certam pecuniae summam, potestne deinde et illam exponere, quam lucratus sit seu quam post lucrum reperit se habere? Distinguunt DD.: si adhuc idem ludus perseverat, id concedunt; tum quia reapse lucrum certum non est nisi finito ludo, tum quia indecorum esset et saperet nimiam cupiditatem, ita ut et scandalum crearet, victorem e medio ludo discedere: quocirca licentia dicenda est eo quoque spectare, ut in eodem ludo lucrum exponatur.

E contrario si ludo absoluto, alius ineundus est, negatur id licere; quia lucrum acquisitum iam est in dominio monasterii, de quo lucro nequit religiosus disponere absque licentia praelati, qui facultatem, ut supponitur, dederat solum pro ea summa parva, quae primo fuit exposita.

Quocirca hanc licebit rursus exponere ludo. Nihilominus, si puta, sequenti die, ille qui perdidit, rursus religiosum lacessat, isque priorem parvam summam, pro quo licentiam habet, exponat et perdat, aequum censet Lugo, n. 146. quod possit et aliam, quam a colludente lucratus erat, exponere; id enim urbanitas et humanitas postulat: quapropter

et ad idem licentia praelati praesumenda erit, qui paratus sit, sicut lucrum acquirere, ita et pati damnum; illud sane tandem amittetur, ad quod amittendum licentia habebatur. Sed si ita est, non video, cur graviter peccet religiosus, si id non sequenti die, sed post plures dies agat; hoc enim discrimen accidentale videtur et ipsi rei extrinsecum.

97. Alia quaestio est de eo religioso, qui absque licentia ludat et vincat, an teneatur lucrum colludenti restituere. Affirmat Lugo n. 146. quia, cum ludus sit contractus onerosus, oportet, ut, quando initur, sit in utroque valida obligatio; qua in alterutro deficiente, nullus est contractus ideoque nullum ius retinendi lucri. Porro in religioso, pecuniam ludo exponente absque licentia, nulla est valida obligatio. Neque ei subvenire potest ratihabitio sequens praelati; haec enim aliquid operari valet, cum contractus adhuc est in suspenso, ita ut vere possit subiri obligatio: « ratificare enim est denuo vel quasi denuo subire obligationem, quam prius, ob defectum licentiae, non subiit contrahens ». At ludo absoluto, cum lucrum sit secutum et nullum sit amplius periculum, nec ad aliquid se possit obligare praelatus, non est amplius locus ratificationi, qua valida fiat obligatio ludentis; tenetur ergo in conscientia religiosus lucrum restituere.

98. Quaeritur, an possit religiosus recusare ea, quae sibi ab extraneo offeruntur. Rursus est distinguendum; vel enim quod offertur, est simplex donum: vel debitum est propter opus a religioso praestitum. Si prius: licet recusare et etiam petere, ut alteri, puta consanguineo, donetur, nec ad haec requiritur licentia praelati: nam de nulla re dispono et nullum ius exerceo et nemini iniuriam facio; nam monasterium nullum ius ad illud donum habet. Fieri tamen posset, ut contra caritatem peccarem, si monasterium indigeret, a quo ego averterem illud beneficium.

At si quod offertur, debitum est, puta stipendium pro concione quadragesimali et monasterium seu religio capax est acquirendi huiusmodi bona, nequit religiosus ea repudiare et repudians inique et iniuste agit. Nam statim ac ab eo positum opus fuit, iam ante eius acceptationem vel abdicationem, ius in illud stipendium acquisitum est monasterio nec integrum est religioso de eo disponere atque si disponit absque praelati licentia, peccat contra votum paupertatis et iniuriam monasterio facit quod, quantum in ipso est, debito privat. Renuntiatio ergo eius est nulla et obligatio manet apud alium reddendi quod perperam reiectum est. Lugo n. 166. s. Alph. n. 20.

Quaeritur cui res acquiratur, si religiosus rem ab extraneo acceptat, absque licentia. Videretur manere in dominio dantis; nam acceptatio nulla est. Nihilominus cum ea res redundare possit in utili-

tatem conventus cui religiosus acquirit quidquid acquirit, licentia praelati tacita semper adest acceptandi, acceptatione tamen revocabili a praelato, si ei videbitur. Quocirca res acquiritur monasterio, acquisitione rescindibili a praelato, quae firma evadat per ratihabitionem eius. Lugo n. 152.

99. Quaeritur, an liceat religioso dare eleemosynas, absque praelati licentia. Per se, cum dominium nullum habeat aut administrationem, requiritur licentia praelati, ut licite et valide donet. Excipitur tamen extrema necessitas pauperis, cui, etiam detrectante praelato, eleemosyna esset facienda; nam caritatis virtus praevalet et ille pauper iam per se ius habet ad rem sumendam, cuius iuris exercitio tu cooperaris, dando eleemosynam.

Excipiuntur et alii casus, sed quatenus adest tacita vel praesumpta licentia, si praelatus adiri nequeat; ut in gravi necessitate pauperis, vel quando religiosus extra claustra, iussu aut consensu superiorum, vivit puta studiorum causa, atque ab his pecuniae ei pro victu subministrantur: tunc enim vel tacita vel praesumpta licentia est, ut parvas eleemosynas, quae ad aedificationem conferant, faciat. Nam tandem bona monasteriorum, quorum quaedam pars ipsi suppeditatur, huc etiam sunt destinata ut eleemosynae pauperibus erogentur.

Permittitur quoque religiosis generatim leves donationes facere ex gratitudine, quae est quoddam debitum; pro quibus proinde licentia praelati saltem praesumitur. S. Alph. n. 23. sed cf. infra n. 154. Si vero praelatus sive his donationibus sive illis eleemosynis, quas modo diximus, licere ex tacita vel praesumpta licentia, contradicat; nihil amplius licet. Sanchez l. 7. c. 19. n. 105.

Quaeritur an liceat religioso picturam aut generatim artefactum quoddam pro extraneo elaborare eique tradere absque licentia superioris. Distinguit Lugo n. 149. Si ex primaria intentione opus fiat ad petitionem extranei (qui et materiam subministret): tunc se habet religiosus solum ut obsequium praestans; qua in re nihil fit contra votum paupertatis (n. 93.). Id ergo licebit religioso, nisi aliunde prohibeatur. Si vero primaria intentio religiosi est, ut opus pro se moliatur, quod deinceps extraneo velit dare, tunc ius in artefactum transit in monasterium nec de eo absque licentia disponere potest religiosus.

100. Quaeritur an, quemadmodum identidem levia furta, ita levia peccata contra paupertatem coalescant in unum grave. Si in hoc peccato spectetur non iniuria seu detrimentum monasterio illatum sed sola culpa contra religionem, seu violatio voti, peccata levia, quantacumque sint, nunquam efficient grave, sicut et plurimae inobedientiae leves nunquam efficient peccatum grave contra votum obedientiae nec

leves violationes alterius virtutis coalescunt unquam in gravem violationem.

In his nimirum illud valet, quod in ceteris obligationibus vel praeceptis per se de re gravi, quorum transgressiones leves nunquam efficiunt letale: venialia nempe nunquam coalescunt in mortale. Iam vero frequentissime id accidit in transgressionibus contra paupertatem, ut violetur quidem votum, quin tamen detrimentum communitati afferatur, ut e. gr. cum religiosus alteri tradit, quod sibi permissum erat consumere, cum concessum sibi in certum usum expendit in alium, cum libros, vestes, panes, similia sibi sumit, quae si petisset, non fuissent negata, cum aliquid usu consumptibile accipit ab extraneis; qui sunt casus frequentiores violatae paupertatis.

Si vero detrimentum afferatur, ut si pecuniae expendantur sine licentia, pro commodo privato; poterunt coalescere levia peccata in unum grave eo modo, quo levia furta coalescunt. Unde et maior quantitas requiritur in hac hypothesi, quam quae pro una vice sufficit ad mortale. Cf. dicta Vol. III. *de Furto*.

Advertunt tamen DD. quoad esculenta et poculenta, quae modica quidem singulis vicibus religiosus surripiat in commodum suum, leves transgressiones in his multo rarius pervenire posse ad peccatum mortale; quia in huiusmodi maior etiam quantitas requiritur, quae plura levia efficiant grave; cum praesertim his se nutriens religiosus parcere soleat iis, quae communiter subministrantur et quia in his superiores solent esse minus inviti et plerumque inviti quidem propter violatam decentiam et perfectionem religiosam, non autem propter detrimentum temporale. Cf. Lugo nn. 178.-183. collatis auctoribus ab eo citatis.

101. Locuti hactenus sumus de *licentia* praelati, eius notitiam supponentes, quam tradit A. Satis sit advertere discrimen, quod heic ponitur inter licentiam *tacitam* et *praesumptam;* nam ceteroquin licentia tacita vocari etiam potest praesumpta. Nimirum licentia *expressa* est, quae distincte verbis aut alio facto declaratur: *tacita* est, quae adesse ex aliquo facto vel facti omissione colligitur: idcirco haec reapse adest. Ab expressa vel tacita differt *interpretativa*, quae non adest sed adesset, facta aliqua hypothesi: scilicet spectata indole rei et habitu seu statu voluntatis superioris, intelligimus superiorem consensurum, si res ei proponeretur. Nihil autem impedit quominus superior iam habeat animum ita paratum, ut velit consentire quoties huiusmodi casus occurrant.

Porro utraque licentia *tacita* et *interpretativa* potest et solet etiam vocari *praesumpta;* cum hoc discrimine, quod in tacita praesumitur consensus praelati praesens, in interpretativa praesumitur affuturus

consensus, si licentia peteretur, cf. Vol. I. nn. 20. seqq. Itaque cum licentia tacita distinguitur a praesumpta, oportet nomine licentiae praesumptae accipere licentiam interpretativam.

Hinc manifestum est, licere agere religioso cum licentia tacita atque hanc sufficere ad actum nedum licitum sed et validum efficiendum; est enim licentia, quae actu adest et actu operatur. Tacita e. gr. licentia est, quae colligitur ex consuetudine, quam praelati noscunt et cum possint, non impediunt. Difficultas esse potest quoad praesumptam seu interpretativam licentiam, quam alii appellant *conditionatam;* quia concederetur, ut praesumitur, si peteretur.

Quoniam superior potest esse invitus tum ad ipsam actionem in se, sive ad substantiam actionis, ut dicitur, atque ad eiusdem modum, quod nempe fiat absque petita licentia, tum solum ad modum eius: praesumptio licentiae potest ad utrumque referri, ut nempe in neutro sit invitus praelatus vel saltem ad id, quod est potius, ut nempe, etsi invitus sit quoad modum, non sit tamen invitus quoad substantiam.

Porro si solum invitus sit praelatus quoad modum, ita ut haec displicentia praelati non redundet in ipsam substantiam; convenit facile inter omnes, peccatum subditi leve esse; quia posita licentia quoad substantiam, iam salva est, quoad essentiam observatio paupertatis.

Veniamus ad casus, quibus praesumitur licentia quoad substantiam operis sive actionem in se ipsam.

102. Licere religioso subinde aliqua re uti, eam accipere, dare etc. cum sola licentia interpretativa, certum est. Nam casus occurrunt; quibus ratio postulat ut aliquid des, accipias etc. nec tamen integrum tibi est, licentiam a praelato petere, qui tamen certe vel probabiliter daturus esset: tunc ratio ipsa docet, ut religiosus, cum subordinatione ad voluntatem superioris, illud faciat quod instat, relicta praelato, si res id patietur, facultate ratum habendi vel dissolvendi quod gestum est vel poenitentiam dandi, si ei placebit. Sane hoc pacto religiosus agit ut pauper, non ut proprietarius: voto autem paupertatis ad hoc solum se obligavit ut statum paupertatis assumeret, ageret nempe in omnibus ut pauper, nihil proprii habens et pendens in usu rerum a voluntate alterius. Ergo votum paupertatis hoc pacto servatur.

Imo in huiusmodi casibus, in quibus superior adiri nequit et eius licentia conditionata rationabiliter praesumitur, dici potest haberi iam licentia tacita, ad illud saltem, quod nequit differri; volunt enim superiores ut in talibus adiunctis ita subditi agant.

Ex his autem sequitur, quod ut rem absque licentia acceptam religiosus retineat, debeat eam praelato manifestare et licentiam retinendi

petere; nam retentio alia est actio ab acceptatione et per hanc res in dominium communitatis transit.

Porro advertendum, licentiam, quae sit tantum interpretativa, posse quidem satis esse ad cohonestandam actionem religiosi: si tamen licentia praelati requiritur, ut actus iuridice sit validus, ea non sufficit, sed requiritur licentia actu exsistens, sive expresse sive tacite. Nam ad honestatem actionis sufficit subordinatio agentis ad voluntatem praelati et hanc satis est non contradicere: valor vero actus religiosi ab extrinseco pendet et requirit causae suae positivum influxum. Cf. s. Alph. n. 18. Hinc si religiosus ex sola licentia interpretativa, donavit extraneo rem permanentem, puta librum (si enim esculenta erant, illico consumenda, nihil restat convalidandum); ut donatio valida sit et qui accepit retinere possit, oportet ut donatio rata habeatur a praelato, cui idcirco res erit manifestanda; nisi iam pro huiusmodi tacita licentia exsistat. Lugo n. 128.

103. Questio est: quando licentia peti potest, praesumitur tamen praelatum consensurum, si rogaretur, utrum liceat uti hac licentia interpretativa, etsi constet praelatum fore invitum quoad modum, quod nempe licentia non petatur.

Resp. 1. Quibusdam DD. ut Sanchez, Lugo (cf. hunc n. 124.) non probatur doctrina sic generatim proposita: sufficere in hac hypothesi licentiam praesumptam, saltem ad vitandum peccatum mortale, quando subditus scit, quod praelatus si adiretur, licentiam concederet, licet displiceat ei modus operandi absque petitione licentiae. Quod in hac doctrina iis Doctoribus displicet, illud est, quod ad praesumendam licentiam praelati, significetur satis esse, si credatur praelatus probabiliter consensurus; nam pauca religioso occurrunt ad quae, si licentiam praelatus rogetur, non sit consensurus et sic enervabitur ac dissolvetur religiosa disciplina atque votum paupertatis erit plerumque observantia de solo titulo.

Aliquid ergo aliud requiritur pro licito usu licentiae interpretativae, cum adiri potest praelatus et non aditur, e sententia eorum, qui religiose custodiri cupiunt votum paupertatis; nempe quod sciatur non solum daturum praelatum licentiam, si rogaretur, sed etiam nunc non habere voluntatem omnino repugnantem et obligantem graviter etiam, pro ratione materiae, ne quid fiat, nisi licentia petatur: quae quidem absentia voluntatis ex certis indiciis, puta ex similibus casibus, vel consuetudine colligi poterit. Ita Lugo n. 125.

Resp. 2. haec nobis probari, videri tamen quod hac limitatione posita, praeter licentiam interpretativam, requiratur tacita licentia vel huic aequivalens. Nam haec voluntas superioris non repugnans, quae

actu adesse supponitur et ex certis indiciis colligenda est, iam est quaedam licentia tacita, seu voluntas consentiens.

Unde inferre pronum est, haud licere cum sola licentia interpretativa proprie dicta agere, quando superior adiri potest et idcirco si materia sit gravis, peccatum fore grave.

Nec dissentire puto s. Alph. n. 18. qui defendit non peccare contra votum religiosum utentem licentia interpretativa: quia « non agit nomine proprio et independenter, qui accipit ex consensu praelati *prudenter* interpretato; quia tunc vere cum dependentia agit ». Nam *prudens* interpretatio limitationem, quam Lugo esse in omnium sententia dicit, requirere videtur.

In praxi, ubi observantia religiosa laxata est, facilius et saepius habebit locum ea voluntas superioris, de qua loquitur Lugo: ubi severior est observantia, difficilius et rarius neque ratio est in Ordinibus iis, qui observantes sunt, cur praesumatur talis voluntas: imo potius contraria praesumenda est.

Si quis autem religiosus alteri donet sub conditione, si praelatus licentiam dederit, non peccat contra votum; quia siqua alienatio est, ea est cum debita dependentia. Sanchez l. 7. c. 19. n. 69.

XXV. 5. Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in usum tuum concessis, in alium usum expendas aut culpabiliter amittas vel destruas lata culpa. Ratio est, quia in iis tantum habes usum facti idque precario, quandiu Superiori videbitur, estque actus dominii, posse rem arbitratu suo destruere. Sanchez c. 19. Laym. n. 6. Less. n. 79.

104. Qui rem sibi concessam expendit in alium usum ac eum pro quo concessa est, re utitur veluti proprietarius, qui de re sua ad libitum disponit. Si tamen ex circumstantiis constat, praelatum heic et nunc non esse ad hanc commutationem quoad substantiam invitum, etsi forte quoad modum; leve tantum erit peccatum, quacumque in materia commutatio fiat et cuiuscumque pretii sit commutatio: secus grave quoque peccatum esse poterit. Lugo n. 158.

Ait idem Lugo n. 169.: « peccare contra paupertatis votum eum qui in rebus, quibus uti potest, non adhibet ad eas servandas, diligentiam, quam communiter homines adhibere solent, ut si vestes, quae ad annum durarent, *sua lata culpa* intra sex menses consumantur; ita ut conventus ad novos sumptus faciendos obligetur; idem dici potest de libris, de charta, oleo et similibus, in quibus maiorem curam debet religiosus habere quam si esset eorum dominus; cum solum habeat usum facti et non possit pro libito ea consumere ».

XXVI. 6. Item peccas, si quid abscondas, ut illud liberae dispositioni Superioris subducas. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Praelati inferiores quicquam possunt expendere, contra quam Regula Ordinis, voluntas Superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio est, quia non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores. Laym. num. 8. ex s. Thom.

105. Sermo est de re, quam ex licentia habuisti et nunc occultas ne de ea libere praelatus possit disponere. Porro si non relinquis praelato liberam facultatem auferendi rem, vis ea uti independenter a voluntate praelati ideoque agis contra votum.

Si tamen occultas, ne alii importuni videant, paratus rem, quoties opus sit aut ipse inquirat, praelato patefacere aut si rem habitam ex licentia praelati maioris puta Provincialis, occultas praelato immediato, quia forte sophisticus est et peteret a superiore revocationem facultatis; tunc per se hae actiones non censentur esse contra votum: dico *per se;* quia fieri potest quod ex ipsa intentione regulae facultas a superioribus non detur nisi hoc pacto, ut res omnes sint manifestae et nullam licentiam quoad paupertatem a maioribus acceptam praelatus immediatus caeletur.

XXVII. 7. Si Praelatus permittat subdito, ut bona, ex quacumque causa aut titulo provenientia, in usus vanos, turpes, aut illicitos expendat aut superflua pretiosa et statum suum decedentia penes se habeat, peccat et Praelatus et subditus contra votum paupertatis estque talis donatio seu alienatio irrita et restitutioni obnoxia. Navar. Silv. Val. Molin. t. 2. d. 276. Azor. Less. d. 9. Sanchez, Laymann. Quia Praelatus non potest dare veniam maiorem, quam ipse habet; ipse autem, cum non sit dominus, non potest bona suo arbitrio et inutiliter expendere, sed tantum in Religionis necessitatem et utilitatem. V. C. Lugo *de Iust.* d. 3. s. 7. n. 121.

106. Si praelatus licentiam dat determinate ad usus superfluos aut turpes, certum est eum illicite dare et subditum illicite uti licentia data; nam suo statui repugnat usus superfluorum, ne quid dicamus de turpibus. Sed subditus qui tali licentia inhonesta utitur, peccans contra paupertatem, quatenus ea admittit, quae statui, quem professus est, non conveniunt (n. 72.), peccat ne etiam vitio proprietatis? Profecto si licentia sit non solum illicita, sed invalida atque id subditus noscat, peccabit quoque vitio proprietatis; quia licentia invalida perinde est ac nulla: ageret ergo subditus absque licentia et idcirco tanquam proprietarius. Licentiam huiusmodi esse invalidam tenet A. cum DD. citatis.

At Lugo censet 1° posse *valide* concedi a praelato talem licentiam determinatam ad usus superfluos et etiam turpes. Quod probat primo ex communi sensu; nam si fiat a praelato facultas subdito emendi scrinia pretiosa, statum paupertatis haud decentia, quis dicat non posse a venditore pretium retineri? item si licentia religioso detur

ad expendendam pecuniam cum amicis in commessationes intemperantes, quis dicat restituendum esse pretium ab eo, qui mensam suo sumptu paravit? Deinde ratio a priori est, inquit: quia nusquam invenitur ablata haec facultas praelato aut irritatus talis actus, etsi illicitus dicatur. Cf. n. 86.

Docet 2. necesse non esse, ut, cum conceditur licentia in genere ad quemlibet usum, ad hoc ut praelatus *licite* agat, excipiatur ab eo usus turpis et illicitus, ita ut pro illo usu turpi vel illicito non intelligatur ablata ea malitia, quae adesset, si licentia non fuisset data. Potest nimirum licite praelatus talem licentiam generalem dare, qua quantum est ex se, tollatur pro quolibet actu impedimentum, quod adesset, non exsistente licentia, relicto subdito cum sola obligatione, quam aliunde habet, non utendi tali facultate, nisi ad usus licitos et honestos. Quod probatur ex praxi aliorum superiorum; nam dispensatio e. gr. ab abstinentia quadragesimali non ita a Pontifice concedente coarctatur aut coarctata intelligitur, ut valeat solum pro temperante comestione, sed porrigitur ad omnes comestiones et si quae intemperantes sint, peccabitur utique ex hoc capite, non vero contra legem abstinentiae quadragesimalis, quae ablata est, atque idem videre est in omnibus generalibus dispensationibus. Et sane ibi non est consensus praelati ad ullam malitiam, quae tota est a voluntate subditi, auferente solum praelato quoddam malitiae genus ab actione subditi: quae ablatio non est turpis.

Restat ergo quaestio facti, an reapse cum praelatus licentiam huiusmodi generalem concedit, censeatur excludere usus turpes et inhonestos, ita ut pro his licentia sit tamquam non data. Communis quidem sententia docet, ita rem agi et ita accipiendas tales licentias: ratio vero est, quia DD. communiter censent illicitum esse actum praelati, qui licentiam generalem dat, quae valeat complecti ei usus illicitos. Unde inferunt, cum non sit praesumendum superiorem velle facere quod ei non licet, praesumatur opertet voluisse licentiam dare solum valentem pro actibus honestis.

At si liceat praelato eam licentiam indefinitam dare, ut vidimus, infirmatur vis huius argumenti. Idcirca etiam in quaestione facti probabilem putat contrariam sententiam Lugo n. 142. citans pro eadem Bannez, Ludov. Lopez, Rebellum, Salas, Sayro, Diana. C. ibid. Lugo difficultates aliquas solventem.

Ex adiunctis proinde vel ex regulae intentione aut declaratione quaestio facti expedienda erit.

Haec altera sententia in praxi utilis erit, cum agatur de imponenda necne obligatione restituendi iis, qui acceperint aliquid a religiosis in his usibus illicitis.

107. S. Alph. l. 4. n. 21. docet praeterea, religiosum ex bonis sibi ad usum concessis posse sine licentia *donationes remuneratorias* facere; quia tales donationes sunt *debiti solutiones:* a fortiori ergo licebit ei debita ex turpi etiam causa contracta solvere.

108. Quaeritur tandem, quando accipiens a religioso dante absque licentia, teneatur restituere.

Si bona fide accepit, debet restituere monasterio, cuius res erat, id quod apud ipsum restat, seu in quo factus est ditior. Si mala fide accepit, restituere debet quidquid accepit. Ipso vero non restituente « tenebitur, ait Lugo n. 168., ipse religiosus aliquando restituere, tunc scilicet, quando conventus ea de causa damnum passus est. Et tunc debet quidem damnum resarcire, convertendo in utilitatem conventus tantundem ex iis bonis, de quibus ipse licite posset ad alios usus disponere vel subtraendo sibi de cibo et vino aut excusando alias expensas, quas licite posset ex monasterii bonis facere. Aliquando vero ipse non tenetur restituere, quando scilicet id quod donavit erat ex iis, quae ipse in alios usus convertere poterat nec ideo monasterium aliquod damnum sentit ». Itaque qui mala fide accepit, semper debet restituere; quia res sua non est et verus dominus ius nullum in ea re ipsi tribuerat: religiosus non semper tenetur restituere, non scilicet, quando ius a monasterio habebat eam rem consumendi in suam utilitatem ita ut quoad rationem detrimenti perinde fuerit monasterio, sive ab hoc sive ab illo res consumeretur. Peccavit quidem religiosus contra votum in modo, quem ex arbitrio suo elegit consumendi: sed cum ius consumendi haberet, nullam iniuriam efficacem damni intulit monasterio.

Addit Lugo praelatum condonare posse tum religioso tum ei, qui accepit, restitutionem, iusta exsistente causa: iustam vero causam condonationis et illud esse, quod non fuerit sufficiens ad licentiam ab initio concedendam.

109. Hactenus vero dicta heic et a 99. intelligenda sunt, ut monet ipse Lugo l. c., habita ratione iuris communis, praecisione facta a Constitutione Clementis VIII. *de Largitione munerum*, quae incipit *Religiosae Congregationes,* anno 1594, quam confirmavit et temperavit Urbanus VIII. decreto *Nuper* anno 1640.: qua de re aliquid est dicendum.

Itaque quilibet regularis et quilibet etiam conventus, capitulum et huiusmodi prohibetur munus ulli personae largiri aut mittere; nisi in generali capitulo aut alia generali congregatione re mature discussa, unanimi consensu omnium superiorumque permissu, causa approbata fuerit. Atque ita prohibentur donare, ut donatio irritetur. Clemens VIII. §§. 1. 9.

Urbanus autem VIII. declaravit, « munera a religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiae eiusque conservationis erga ipsam religionem vel conventum aliisque causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus: modeste tamen et discrete et dummodo id non fiat nisi de superiorum localium licentia ac etiam cum consensu maioris partis conventus, si talis consensus de iure vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cuiusque religionis respective, in huiusmodi casibus requiratur ».

Declaravit pariter idem Urbanus, consensum conventus a Clemente requisitum pro levioribus esculentis et poculentis ac pro munusculis ad devotionem pertinentibus non requiri nisi quatenus alias iam de iure requireretur, vel concurrat ambitionis suspicio atque tunc sufficere licentiam superioris verbalem.

Rursus declaravit, haud esse illicitas, in recipiendis benefactoribus, protectoribus vel Ordinariis, compotationes vel convivia, dummodo statum religiosum non dedeceant.

Uterque Pontifex negavit comprehendi tali prohibitione, imo valde commendavit hospitalitatem.

Porro restitutio munerum facienda est illis conventibus, ad quos spectant; quod si fieri nequit, conventui eiusdem Ordinis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio. Nec qui munera receperunt contra praemissas prohibitiones absolvi possunt ante factam restitutionem.

Addit Ferraris v. *Regulares* art. 1. n. 69., quod si munus (utique illicitum) excedat summam scutorum decem, recipientes neque a Summo Poenitentiario, ante factam restitutionem, si fieri potest, absolvi possint, ex decreto Innocentii XII. *Romanus Pontifex* anno 1692. Id vero confirmavit Benedictus XIV. in Const. *Pastor bonus* 13. April. 1744.

Poenae religiosis transgredientibus dictas Constitutiones, sunt privatio dignitatum et officiorum, inhabilitas ad ipsa et privatio vocis activae ac passivae.

110. Plura diximus de obligationibus subditorum: quaedam porro sunt dicenda quoque de obligationibus praelatorum.

1° Certum est, non posse ipsos licite dare licentiam subditis ad ea, quae statui paupertatis, attentis quoque circumstantiis, non conveniunt atque ex tali facilitate superiorum originem ducit remissio observantiae regularis.

Nequeunt ergo licentiam dare ad usus vel expensas superfluas. Subditi autem talibus utentes licentiis, si advertant eas non licere, liberari forte poterunt ab eo peccato contra votum paupertatis, quod est peccatum proprietatis, non vero ab eo peccato quo contra votum agitur, cum id admittitur, quod statui paupertatis repugnat.

Iudicium autem in hac re erit ex adiunctis sumendum; nam in aliquibus religionibus quaedam erunt superflua, in aliis non. « Et quidem, aiebat Lugo n. 183., in nostra Societate ego non liberarem a peccato gravi contra paupertatem eum, qui (quamvis cum licentia) haberet stragula vel ornamenta serica ad lectum, vel qui haberet triginta indusia linea ad suum usum privatum; haec enim et similia non decent, sed graviter dedecent statum paupertatis, quem nostra Societas profitetur ».

2° Cum bonorum communium administrator sit (vel solus vel cum capitulo, iuxta diversa Instituta) nequit ea, vel aliqua ex iis tum immobilia, tum mobilia pretiosa alienare vel census super his creare absque licentia petita et obtenta a s. Congr. Concilii, prout decrevit Urbanus VIII. an. 1624. apud Ferraris v. *Regulares* art. 1. n. 38. Extra Italiam huic legi contrariam consuetudinem eamque legitimam invaluisse quidem censebant: cf. Bouix *de Iure Regul.* p. 5. sect. 5. subs. 2. c. 6. At nunc obstat certe Const. *Apostolicae Sedis*, quae §. 4. n. 2. excommunicat alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica, absque beneplacito Apostolico ad formam extrav. *Ambitiosae, de Rebus. Eccl. non alienandis.*

3° In expensis pro operibus faciendis ex reditibus sui conventus, non satis est opera esse pia vel ad Dei cultum bonumque religionis ordinata, sed oportet quoque ut statum deceant religiosae paupertatis, cuiusmodi non esset exstructio basilicae pro clero seculari. Lugo n. 185. Et habenda praeterea est ratio Constit. Clementis VIII. superius memoratae n. 109.

4° Eleemosynas ex reditibus superfluis facere debet, bona enim ecclesiastica sunt etiam pauperibus destinata et religiosas domus oportet exemplum paupertatis exhibere, quod fit erogando in pauperes superflua. Imo, ait Lugo n. 186., accidere potest, ut prudenter ageret praelatus, si et necessaria in eleemosynas impenderet, missis interea suis mendicare; quia habita ratione perfectionis religiosae et obligationis dandi exempli in hac materia, tota haec liberalitas non excederet terminos prudentiae religiosae.

5° In subministrando victu et vestitu suis subditis, habita semper ratione paupertatis religiosae, liberalitate potius se commendet subditis, quam parsimonia: quia experientia docet, vere dixisse s. Bernardum: *Ubi non est abundantia, non est observantia.* Lugo n. 188.

6° Superior permittens introduci aut introducens peculia inter suos subditos, nisi gravissima causa excuset, graviter peccat. Cf. verba s. Alph. n. 83. 8.

Superiores ordinis, qui sine magna difficultate revocare possint vi-

tam communem, tenentur eam promovere; quia tenentur procurare bonum subditorum secundum regulam et perfectionem voti paupertatis.

111. Quaeritur, an si praelatus promittat roganti religioso, se aliquid distributurum iuxta eius voluntatem, contrahat saltem obligationem naturalem, ita ut idcirco nequeat vi saltem naturalis iuris et in conscientia revocare promissionem.

S. Alph. n. 22. loquens de religioso, petente a praelato licentiam donandi aliquid post mortem, affirmat, quod si praelatus promittat exsequi desiderium istud, hic tenetur stare promissis et citat Lessium, Molina, Sanchez l. 7. c. 8. n. 18.

Ratio est, ait Sanchez n. 17. coll. n. 13., quia dominus paciscens cum servo suo, cedit iuri suo et obligatur erga eum naturaliter ex iustitia: atqui a servo ad monachum valet in hac re argumentum et eadem est ratio de utraque obligatione: ergo. Aliter tamen cum aliis quos citat, sentit Lugo nn. 113. 114.

Et sane argumentum a servo ductum est minus firmum; nam negatur minor. Non repugnat obligari naturaliter dominum servo, quia subiectio servitutis non est quoad omnia nec directe quoad animum et talis subiectio per se ipsam non probatur a natura, et ideo sicut potest dominus donare servum libertate sibique parem efficere, ita multo magis potest erga eum obligari aliqua obligatione naturali. At religiosi subiectio praelato suo probatur Deo per se ipsam, porro religiosus, quoad dispositionem et usum rerum temporalium, prorsus pendet a voluntate superioris, nec potest eum superior ab ista dependentia eximere: non est ergo paritas inter servum et religiosum.

E contrario voto paupertatis repugnat, ut quoad ad usum rerum temporalium subditus obliget praelatum erga se ipsum sive acquirat ius adversus praelatum; sic enim non amplius solum usum facti haberet, sed ius utendi et quidem independenter a praelato: quod quid est aliud, quam religiosae paupertatis exitium? Cf. n. 84. Ut ergo vera ratio paupertatis religiosae consisteret, opus fuit non solum impedire, ne civilis obligatio exsisteret praelati ad subditum in usu bonorum temporalium, sed et impedire ne obligatio naturalis resultaret, quae potior per se est et conscientiam ligat ante Deum. Pone istud ius in subdito: nonne propter paupertatis religiosae votum, ius hoc est in arbitrio praelati et ad ipsum spectat? Quae ergo potest esse obligatio praelati erga subditum in his rebus?

Ipse Sanchez concedit, quod, quamvis praelatus concesserit rem aliquam monacho, promittens fore ut non revocet, possit nihilominus revocare concessionem, eo quod nequeat praelatus concedere subdito usum irrevocabilem. Atqui, quod tantundem est, nequit pariter concedere

usum independentem, ut teneatur praelatus facere quod subditus ab eo ex iustitia exigit.

Atque haec de obligatione naturali in conscientia, quae sit praelati ad subditum in usu rerum temporalium.

Seposita autem ista obligatione praelati erga subditum ac iure subditi adversus praelatum, nullum inconveniens videtur, si dicamus, praelatum, qui aliquid in his rebus subdito promisit, si promissio servari potest, imo si rectus ordo postulat ut servetur, obligari ante Deum, quamvis sub levi, ad servandum promissum: lex enim est naturae iubens, ut verbis nostris facta nostra accomodemus.

112. Eadem est in hac re habitudo superiorissae monialium ad moniales ac superioris virorum ad eos iisdemque legibus in administratione bonorum ea tenetur. Sed praeterea lege Pontificia cautum est, ut in actibus administrativis ab ipsa gerendis aut a capitulo interveniat auctoritas praelatorum monialium, veluti tutorum, et praesertim Episcopi loci ex Const. Gregorii XV. *Inscrutabili,* qui tamen agant non ex iure *dispositivo et proprietario* (quod communitati soli competit, cuius sunt bona), sed ex iure *directivo.* Cf. Bouix op. cit. p. 5. sect. 4. subs. 3. c. 2. § 1. Sed et cf. App. 2. ad sect. 6. ibid. ubi agit de pluribus monialium (recentium) conventibus uni superiorissae subiectis, quas ab ea obligatione erga Episcopum decernit immunes.

113. Poenae iure canonico statutae reperiuntur contra religiosum proprietarium h. e. habentem seu retinentem quid tanquam proprium, quae idcirco, ut monet Laymann *de Statu religioso* c. 7. n. 22. non afficiunt eos, qui absque licentia aliquid alienant seu absumunt, etsi et hi peccent.

Poena a Trid. inflicta sess. 25. c. 2. *de Regul.* est privatio per biennium vocis activae et passivae.

Poena in c. *Monachi, de statu Monachorum,* quoad eum, qui post mortem repertus sit proprium habuisse, est privatio sepulturae ecclesiasticae et proiectio in sterquilinium una cum ipsa pecunia, quae non est tamen tota proiicienda, sed pars quaedam, quae sufficiat ad id, quod intenditur, significandum.

Tertia pro monacho habente proprium est eiectio e monasterio c. *Cum ad monasterium, de Statu monachor.:* cui tamen poenae alia dein successit, nempe carcer, iuxta c. ult. *de Regularibus.*

Porro ex omnibus de religiosa paupertate disputatis constat, eam observari non posse, nisi simul vigeat observatio voti obedientiae, seu subiectio praelato. Aliter autem se habet in voti castitatis observatione, ut manifestum per se est.

§. 2.

De Voto Castitatis.

XXVIII. Resp. 2. Religiosus voto Castitatis obligatur, ut abstineat se ab omni voluntaria delectatione venerea, interna et externa: proindeque, si quis contra castitatem peccet, duo peccata admittit, luxuriae et sacrilegii. Less. et Laym. c. 8.

114. Iam dictum, violationem voti castitatis, etiam simplicis sed religiosi, quo nempe quis verus religiosus constituitur, induere et ipsum rationem sacrilegii. Vol. II. n. 307.

Ad tuendam observationem huius voti, communivit Ecclesia domus religiosas clausura; quae tamen alia est pro viris, alia pro feminis.

Clausura virorum religiosorum duo complectitur, quae sunt; prohibitio egressus e claustro absque licentia: prohibitio ne admittantur intra claustrum feminae.

Prior constat ex usu et consuetudine, quam ipsa rei natura facile induxit, religionum omnium, firmata etiam decretis s. Sedis, quae et iubet religiosum, non solum, sed cum socio exire.

Clemens VIII. Const. *Nullus.* « Nullus a conventu egredi audeat, nisi ex causa et cum socio licentiaque singulis vicibus impetrata a superiore: qui non aliter eam concedat, nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo neque eundem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli concedantur ».

Non ergo solum ex regula, sed ex consuetudine et lege s. Sedis est haec obligatio. Et sane ubi regula sub nullius culpae reatu obligat, transgressio talis legis non est absque culpa, nisi necessitas excuset. Culpa vero non raro levis erit; sed et gravis esse potest. « Haec obligatio, ait Suarez *de Relig.* tr. 8. l. 1. c. 6. n. 8., ex suo genere talis est, ut contra illam possit peccari mortaliter » sed « ex eo solum, quod materia in illo genere sit gravis ». Nulla est enim specialis voluntas legislatoris, determinans gravitatem vel levitatem culpae. « Ergo relinquitur haec obligatio in ordinario et quasi naturali modo obligationis legis humanae: conditio autem huius legis est, ut obliget quantum potest iuxta capacitatem materiae et consequenter in materia gravi obliget sub mortali ». Exemplum levis culpae ponit Suarez ibid. n. 10.: « si duo religiosi per communem ianuam, sine licentia, exeant consueto modo, paulo post reversuri », statuens levitatem culpae in ipsa indole actus, non in eius raritate. Subdit: « seclusa enim mortali intentione in tali exitu et secluso speciali praecepto alicuius religionis, si forte sit, per se et ex vi clausurae, hoc non est peccatum mortale: quia ex prudenti existimatione ut tale non apprehenditur communi

consuetudine neque illa est subtractio notabilis a subiectione praelati, nec potest dici fuga a monasterio vel aliquid simile ». Gravis esse posset e contrario exitus, qui esset cum nocturna extra domum commoratione; quae religiosum graviter dedeceret et locum scandalo dare posset: s. Alph. n. 37.

Fundamentum huius legis censet idem Suarez l. c. n. 8. esse ius superioris gubernandi, custodiendi subditum eoque utendi, quod laeditur per tales exitus licentia destitutos. Verum finis huius legis et ille esse videtur, qui est generatim finis clausurae, custodia nempe castitatis, cui providere debet praelatus tunc exitum permittens et ad ea loca, quando et ubi detrimentum virtutis non timeatur.

Observatio autem legis quoad socium, apud plures religiosos, sensim sine sensu in desuetudinem abiit; quia non semper fieri potest absque difficultate non modica; nunc vero, dispersis religiosis, est frequentissime moraliter impossibilis. Ceterum Clemens statum ordinarium et tranquillum supponit et loquitur de religiosis in conventu habitantibus.

Imo Clemens reipsa de iis tantum religiosis loquitur, qui spectant ad Ordines votorum sollemnium, quales tunc generatim exsistebant: quocirca si quaestio fiat de obligatione eorum, qui pertinent ad Congregationes votorum simplicium, obligatio eorum tum ex regula, siqua id praescribit, tum ex eo, quod recta gubernatio et tranquillitas Ordinis exigit, aut ex iam inducta consuetudine erit colligenda.

Tridentina autem Synodus sess. 25. c. 4. *de Regularibus*, non tam de simplici *egressu*, quam de *discessu* a conventu loquitur, inquiens: « non liceat *regularibus* a suis conventibus recedere, etiam sub praetextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eis missi vel vocati fuerint ». De qua re sub Dub. VI.

115. Altera pars clausurae et potior est in hoc sita, ut feminis interdictus sit ingressus *intra septa monasterii* et prohibeantur religiosi eas admittere. Ante Pium V. nulla erat ecclesiastica lex de hac re: sed consuetudo ingressum huiusmodi impediebat, ut privilegia proinde identidem quibusdam feminis pro tali ingressu a s. Sede concessa fuerint. Haec sustulit et ingressum omnibus mulieribus generatim prohibuit Pius V. Const. *Regularium personarum* an. 1566. et alia *Decet Romanum* an. 1570.: accessit Const. Gregorii XIII. *Ubi gratiae:* secutus est Benedictus XIV. Const. *Regularis disciplinae* ann. 1742. Ut ius ex istis Const. dimanans breviter perstringamus, quaeremus cum Sanchez l. 6. c. 17. 1° quibus feminis interdictus sit ingressus: 2° quid nomine monasterii intelligatur: 3° quibus poenis delinquentes subiiciantur.

Ad 1^{m} respondetur: omnes quidem feminas generatim comprehendi

his decretis: certum est tamen aliquas excipi et de quibusdam dubitatur. Excipiuntur certe Imperatrices et Reginae: quia Pius V. prohibens, ne feminae, etiamsi sint Comitissae, Marchionissae, Ducissae, ingrediantur, silentio praeteriit Reginas et Imperatrices, eas certe nominaturus, si voluisset comprehendi. Hinc cum Reginis et Imperatricibus ingredi possunt eae feminae, quas in earum comitatu esse decet: non enim praesumendum est, voluisse Pontificem permittentem ingressum Reginis atque Imperatricibus, ut modo, qui earum statum ac dignitatem haud deceret, ingrederentur.

Pariter excipiuntur (h. e. his de iure facultas concedi potest) feminae fundatrices aut insigniter benefactrices, tum consanguineae aut affines fundatoris aut insignis benefactoris: tum consanguineae et affines eorum qui sunt domini temporales regionis: *dummodo facultatem ingrediendi legitime obtinuerint et dummodo concessiones huiusmodi per apostolicas in forma Brevis vel sub plumbo desuper expeditas litteras dumtaxat et non aliter omnino factas et impertitas fuisse, prius Ordinariis locorum Antistitibus, per legitima et authentica documenta, constare fecerint.* Benedictus XIV. Const. *Regularis* §. 8.

Constat proinde hoc privilegio gaudere etiam ducissas, quae suprema potiantur iurisdictione; cum eo gaudeant consanguineae et affines domini temporalis regionis: quid enim si domina temporalis sit femina? nonne multo magis eo privilegio gaudebit?

Imo Ferraris v. *Conventus* art. 3. n. 21. aiebat: videri praxim connumerare inter exceptas a Pio V. et aequiparare Reginis tales Ducissas, quae nempe suprema potiuntur (qualis scilicet Reginis competere solet) iurisdictione.

Dubium est circa puellas impuberes: nam nomine mulierum non videntur venire; cum mulieres potius intelligantur, quae sunt aptae coniugio. Verum et *feminae* simpliciter appellantur (Benedictus XIV.) et cum ingressus puellarum cuiuscumque aetatis sit interdictus in monasteria monialium (Conc. Trid. sess. 25. c. 5. *de Regularibus*), ratio suadet ut id multo magis credamus voluisse legislatores interdicere pro monasteriis virorum. Atque ita tenet Sanchez l. c. n. 4. perperam pro contraria opinione citatus a Ferraris l. c. n. 20.

Cum Pius V. permisisset feminas ingredi conventus virorum certis in casibus, puta causa processionis ibi ducendae, funeris celebrandi vel alterius pii officii, de quibus disputat Sanchez l. c. nn. 22.-29.; hanc tamen concessionem abrogavit Benedictus XIV. Const. cit.

116. 2° Nomine clausurae (passive acceptae) conventuum, ait Ferraris l. c. n. 9., in quam nefas feminis ingredi, intelligitur totum spatium, quod intra septa conventus continetur, idest claustrum, cellae,

officinae, coenaculum, dormitorium, infirmaria, coquina et huiusmodi. Porro quaecumque conventus loca per solam ianuam, qua in conventum aditus patet, adiri ab exteris possunt, intra eius septa certe continentur. Pariter ad clausuram spectant hortus, viridarium, prata, si sint monasterio continua; secus, si clavi et muro convenienti separata. Rursus ad clausuram spectat sacrarium, si aditus ad ipsum non pateat, nisi per ianuam, quae sit in claustro; secus certe, si solum pateat aditus ex templo: si autem ex utroque, videretur, ait Bouix op. c. p. 6. c. 7. §. 2., attento fine legis, sacrarium clausura contineri: verum praxim fere ubique videri contrariam, testatur Ferraris l. c. n. 14.

Monet Sanchez l. c. n. 11. legem sermonem facere de monasteriis, quae et appellat domus, idcirco ea lege non comprehendi praedia et domus rusticas cum suis hortis, quae in dominio sint conventuum et ad quae subinde religiosi se conferant, animi relaxandi gratia. Decet tamen et ibi feminas non admittere, cum ibi versantur religiosi.

Diximus clausura contineri quidquid *intra septa monasterii* est: illud tamen consuetudo temperavit; nam si domus habeat atrium omnibus praetereuntibus patens, non custoditum sede ianitoris, haud censetur ad clausuram pertinere, quae e contrario initium habere putatur ubi porta est clausa sub custodia ianitoris, ad servandam clausuram. Sanchez l. c. n. 18.

Sunt et domus religiosorum, quae intra ambitum suorum murorum habent penes ianuam publicam cubicula (parlatorio, parloir, sprachzimmer), ad quae externi et inter hos feminae quoque admittuntur, collocuturae cum religiosis. Haec extra clausuram prorsus esse debent nec liber ad illa aditus religiosis esse potest.

117. Poenae, iuxta memoratas Pontificias Constitutiones, sunt hae, quas damus ex Bouix l. c. 1. Religiosi feminas a generali prohibitione non exceptas, intra clausuram introducentes seu admittentes, incurrunt ipso facto *privationem officiorum suorum*, *inhabilitatem ad ipsa et suspensionem a divinis.*

Iidem incurrunt ipso facto *excommunicationem Papae reservatam*, introducentes seu admittentes feminas, quando istae feminae ingrediantur *sub praetextu privilegiorum.*

Feminae, quibus non licet, ingredientes clausuram virorum, sive cum praetextu privilegiorum sive absque illo, incurrunt *excommunicationem Papae reservatam.*

Poenam excommunicationis retinuit Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis* inter reservatas simpliciter Papae; ubi eam incurrentes recensentur 7° loco *Mulieres violantes Regularium virorum clausuram et superiores aliique eas admittentes.* Suspensio autem a divinis abrogata

videtur; neque enim dici posse videtur esse ex iis suspensionibus, quae *pro interno regimine cuiuscumque ordinis* a Romanis Pontificibus latae fuerant, quas in suo robore manere voluit Pius IX. sub finem dictae Constitut.

Ceterum quod iam superius advertimus, heic quoque locum habet: prohibitiones istas et poenas valere cum agitur de monasteriis domibusve Ordinum votorum sollemnium de quibus praedicti Pontifices loquebantur et sane Pius IX. *de Regularibus* loquitur. Praeterea oportet ut vere locus religiosus sit, qui conventus seu monasterium possit vocari et reapse vocetur; de his enim sermo est: quocirca haec non sunt applicanda habitationibus, quas religiosi, e suis sedibus eiecti, simul adunati forte incolunt, sub quadam specie domus religiosae: in quibus tamen servandum semper est quod tum regula praescribit tum ius ipsum naturae, ad vitandas occasiones peccati, ad scandalum averruncandum.

118. Durior est Monialium clausura. Eam primus Bonifacius VIII. decretali *Periculoso* c. 1. *de Statu Regularium* in 6. omnibus Monialibus, ne dum futuris, sed et praesentibus imposuit. Relaxatam eius observantiam iussit restitui Trid. Syn. sess. 25. c. 5. *de Regul.* Haec confirmavit Pius V. Const. *Circa pastoralis;* quae et iussit e medio tolli congregationes omnes feminarum, quae vota sollemnia non emitterent et clausurae se non subiicerent.

De hac clausura plura essent dicenda; sed sunt conferendi Canonum periti. Quod spectat ad egressum e monasterio, is est ipsis, utique exceptis quibusdam casibus urgentissimae necessitatis, interdictus absolute, ut non tantum licentia, sed dispensatione opus sit pro licito egressu. Casus excepti a Pio V. Const. *Decori*, sunt *magnum incendium, infirmitas leprae* aut *epidemiae,* quae in conventu grassetur, non quae communis sit civitati; sic enim nulla esset ratio exeundi Bened. XIV. Syn. dioec. l. 13. c. 12. n. 31.). Porro et casus similes istis censentur rationabiliter excepti, ut fluminis inundatio, terraemotus, bellum imminens.

Cum ratio exeundi adest, dispensatio ab Episcopo danda est vel ab Episcopo simul et regulari praelato eademque in scriptis. Syn. Trid. l. c. coll. Const. cit. *Decori* Pii V. Habenda est tamen prae oculis regula; quod *necessitas non habet legem.*

119. Violatur graviter haec lex clausurae, ut incurratur ipso facto excommunicatio Papae reservata Const. *Apost. Sedis* in 2. classe n. 6. ubi ad Const. *Decori* provocatur, si egressus e monasterio sit completus: Bouix l. c. c. 8. §. 2. Si non toto corpore egreditur monialis e

clausura, censet s. Alph. valde rationabiliter excusari a mortali, l. 7. n. 229. Itaque si utroque pede, extra ostium clausurae, uno vel altero palmo pergat monialis, excommunicatur. Quid vero si uno vel altero palmo progressa, statim reversa, in monasterium se recondat? quidam censent peccatum esse leve, ob parvitatem materiae; at si ita est, labitur regula prius statuta de completu egressu et aliquid addendum erit, puta, certa intentio egredientis; quod quaestionem magis implicaret. Utique cum de peccato in particulari iudicandum sit, animus egredientis erit inspiciendus, sed pro foro externo egressus completus sufficiat oportet. Cf. s. Alph. h. 7. n. 229.

Item si monialis per fenestram extra murum se suspendat, si collocans se in rota, hanc ad externam partem patentem convertat (qui casus ponuntur potius, ut res exemplis declaretur): si ascendat arborem qua parte muros clausurae praetergreditur, ut totum eius corpus extra clausuram sit: si ingrediatur exteriorem monasterii ecclesiam: si adeat aedes monasterio contiguas, ubi habitant feminae monialium servitio addictae: violatur graviter clausura, Ferraris v. *Moniales* art. 3. n. 12. seqq.

Item monialis in tecto monasterii stans aut sedens aut ambulans, clausuram violat; quia externum tectum extra clausuram est, ut declaravit s. Congr. cf. Lucidi c. 5. §. 2. n. 43.

Nec sine licentia Apostolicae Sedis potest transferri monialis de monasterio ad monasterium, ut novi monasterii fundationi praesideat aut ibi superiorissae munus exerceat aut ob alias similes causas. Cf. Lucidi ibid n. 104.

Quemadmodum graviter peccant et excommunicantur moniales e clausura egredientes, ita et cooperatores criminis excommunicabantur olim; at in Const. *Apost. Sedis,* hic casus l. c. non comprehenditur.

120. Altera pars clausurae prohibet ingressum in monasterium. Prohibitio haec attingit omnes personas, *cuiuscumque sexus vel aetatis fuerint* Trid. Syn. sess. 25. c. 5. *de Regul.* Excipiuntur Imperatores, Reges, Imperatrices, Reginae, eorundem filii ac filiae. Ferraris l. c. n. 53.

Sed frequenter oportet pluribus aliis personis facultatem facere ingressus, ut Confessario pro aegrotante, medico, operariis etc. At de his cf. Canonistas e. g. Ferraris l. c. et Lucidi §. citata.

Praeterea accessus ad invisendas moniales, sine rationabili causa et legitima licentia, prohibitus est omnibus sive laicis sive clericis. Et in hac re certae sunt poenae constitutae.

Scilicet 1° laici praesumentes, sine manifesta et rationabili causa, frequentare monasteria monialium (aditu nimirum ad crates), subiiciuntur excommunicationi sententiae ferendae.

2° Clerici idem praesumentes, subiiciuntur suspensioni pariter ferendae sententiae.

Utrumque constat ex c. *Monasteria, de Vita et Honest. Cleric.* Frequentia vero, propter quam censura incurritur, in eo consistit, quod quis vel tribus diebus continuis, vel semel singulis mensibus per annum circiter, vel quater in hebdomada monasterium adeat s. Alph. l. 7. n. 232.

3° Regulares vero subeunt privationem vocis et officii ferendae sententiae, etiamsi collocutio fiat semel et per quadrantem cum dimidio, ex decreto s. C. C. 1. Maii 1669. approbato a Clemente IX. cf. s. Alph. n. 236. Rursus ex decreto anteriori Sixti V. anno 1590 (cf. s. Alph. n. 232.) iidem incurrunt privationem officii et vocis cuiuslibet ipso facto, si frequentare praesumant, ad colloquendum cum qualibet muliere ibidem degente. Probabiliter inter has mulieres excipitur Abbatissa extra Romam. s. Alph. n. 238.

Regulares, etiamsi rationabili causa freti sint, indigent licentia Episcopi etiam ut colloquantur cum monialibus sui ordinis. Licite vero nunc ad colloquendum cum monialibus accedunt toties quoties licentiam ab Episcopo obtinent. S. Alph. n. 232. §. *Sed postquam* et 237., qui citato rescripto s. C. C. 26. Nov. 1682. et Const. *Gravissimo* Bened. XIV. ait: « his positis, videntur hodie regulares, quidquid alia decreta (Sixti V. et Urbani VIII.) prius statuerint, quae in desuetudinem abierunt, licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum monialibus ex licentia Episcopi. Atque haec est consuetudo nedum alibi, sed et Romae.

Parvitatem materiae in hac re dari ne dum pro laicis sed et pro regularibus, affirmat cum communi s. Alph. n. 236. atque hoc alterum suadet ipso decreto probato a Clemente IX., quod solum reprobavit opinionem docentem, quadrantem cum dimidio esse breve tempus in collocutione cum moniali.

Quaerit s. Alph. n. 240. ani mpuberes eximantur a prohibitione loquendi cum monialibus. Et respondet, quod, si sint doli capaces et talem collocutionem frequentent, certe non excusantur a mortali; quia prohibitio c. *Monasteria* omnes comprehendit. Excommunicatione tamen non sunt plectendi; quia non sunt puniendi sicut puberes.

Quoniam c. *Monasteria* loquitur de accessu ad monasteria, itemqûe decretum probatum a Clemente IX. atque decretum Sixti V.; ideo non prohibetur *per se loquendo,* ait s. Alph. n. 233., hoc est ipso iure communi, allocutio per litteras, etiam allocutio cum moniali e domo propinqua: sed haec quî fieri poterit, si rite custodiatur clausura? Nonne hac ipsa lege clausurae talis collocutio vel simplex allocutio prohibetur?

Custos clausurae est Episcopus vel auctoritate ordinaria pro mona-

steriis sibi subiectis vel delegata Papae pro exemptis. Lucidi ibid. n. 42. Conc. Trid. l. c.

Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria, absque legitima licentia ingrediendo pariterque eos introducentes vel admittentes, plectuntur excommunicatione Papae reservata. Const. *Apost. Sedis* l. c.

121. Hactenus dicta valent pro monialibus votorum sollemnium, quae tenentur clausuram, quam s. Sedes praescripsit, servare. Atque haec duo, non quidem ex rei natura, sed ex rationabili voluntate s. Sedis, arctissime sunt connexa, ut eadem nolit usquam admittere vota sollemnia Monialium, ubi clausura non servatur. Pro qua oportet ipsas domus seu monasteria certis conditionibus esse instructa. Oportet scilicet ea esse ita muris circumsepta, ne vicini, quicumque sint, inspicere in monasterium possint aut in hortum aut cubicula monialium: imo neque e fenestris turris campanariae alicuius ecclesiae vicinae prospectus in monasterium esse potest: quae fenestrae proinde obstruendae erunt, nulloque tandem modo sit prospectus in monasterium et e contrario. Quapropter sub gravibus poenis interdictus est monialibus etiam usus telescopii. Cf. Lucidi l. c. nn. 45. 46.

Quisque videt, ubi civilis auctoritas leges Ecclesiae non tuetur, facile fieri posse et quotidie, ut clausurae monialium observantia impediatur.

Mentio fit apud Canonistas duplicis clausurae, *papalis* et *episcopalis*. Ea est, quae constituitur auctoritate s. Sedis, qua nisi expresse accedente, nulla est clausura papalis et quae regitur legibus Pii V. in Const. cit. atque Gregori XIII. Const. *Deo sacris* anno 1572. ceteris, de qua clausura hactenus locuti sumus.

Episcopalis est, quae auctoritate Episcopi stabilitur et regitur normis arbitrio Episcopi constitutis et plus minus arcta esse potest.

§. 3.

De Voto Obedientiae.

XXIX. Respond. 3. Religiosus, ex voto obedientiae, obligatus ad omnia, quae Superior praecipit, secundum Regulas et Constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. Et quidem, si praecipiat in virtute sancte Obedientiae, in nomine Domini nostri IESU CHRISTI, vel simili forma, tenetur obedire sub mortali; quia intendit obligare quantum potest; sub veniali autem si alia forma utatur, vel sub nullo; quod consuetudo in Soc. IESU approbavit. V.s. Th. 2. 2. q. 104. Sylv. Sanch. l. 6. *Mor.* c. 1. Less. l. 2. c. 4. d. 9. Lay. c. 9.

Porro quae indirecte pertinet ad Regulam, Sylv. et quidem alii ampliant ad illa, quae faciunt ad pleniorem eius observationem, Sanchez tamen arctat ad res valde ne-

cessarias, sine quibus regula commode servari nequit: alioquin enim Superior quasvis corporis macerationes praecipere posset; ordinantur enim ad pleniorem observationem Regulae. Laym. l. 4. t. 5. c. 9. Less. l. 2. c. 4. d. 9.

122. Voti obedientiae proprium obiectum est *praeceptum tacitum*, quod et *interpretativum* dicitur, vel *expressum*. Voluntas scilicet superioris est obedientiae obiectum et quocumque modo voluntas superioris innotescat, est quoddam tacitum praeceptum. Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, *voluntate tamen superioris intellecta*. Ita s. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2. cf. dicta Vol. II. 820 seq.

Obedientia, quae et Deo exhibetur, virtus moralis est non theologica; obiectum enim eius non est Deus sed praeceptum superioris cuiuscumque vel expressum vel interpretativum, scilicet simplex verbum praelati, eius indicans voluntatem. Est proinde virtus moralis; cum sit pars iustitiae. Ibid. ad 2^{m}. Votum superaddit obligationem religionis.

Iam superius distinximus votum obedientiae religiosae a traditione. Votum est promissio, traditio est donatio. Utrumque vero in religione requiritur; nam et oportet religiosum se tradere religioni et in eius ius semetipsum conferre atque oportet ut hoc totum offerat in holocaustum Deo atque ita consecret in cultum religiosum, quod fit per actum religionis, qui est votum. Ita Suarez *de Relig.* tr. 7. l. 10. c. 5.

123. Rursus, quod iam innuimus, duplex est in superiore distinguenda potestas; *dominativa* nimirum et *iurisdictionis*. Ea obtinet propterea non tantum quod subditus promittat obedientiam superiori, sed etiam eo quod se illi tradat et ab eo acceptetur, propemodum sicut servus se tradit alteri in dominium. Altera obtinet ex auctoritate Pontificis, participantis praelatis religiosorum suam iurisdictionem, quae est potestas a Christo accepta, regendi ideoque et puniendi, docendi ac sanctificandi: quae potestas idcirco originem non mutuatur ex quodam contractu humano, sicut prior; sed integra a Deo descendit. Fatendum est, ad constitutionem veri status religiosi satis esse priorem potestatem, nempe dominativam; moniales enim, puta s. Benedicti, s. Francisci et s. Teresiae, sunt verae religiosae, non secus ac earum fratres et tamen superiorissae eorum Ordinum muliebrium eorumque capitula carent potestate iurisdictionis. Atque in Ordinibus quoque virorum, si non clericis sed laicis constant, qui incapaces sunt ecclesiasticae iurisdictionis, sola potestas dominativa locum habet. Cf. Suarez ibid. l. 2. c. 18. n. 8. Qui merito advertit aliquam puniendi et coercendi potestatem oriri posse a sola potestate dominativa; quemadmodum dominus ius habet puniendi servum et pater filium; quamvis

omni careant iurisdictione, quae est potestas publica et socialis in principe residens. Quocirca et inter Moniales, Abbatissa, veluti Mater in filias, propter potestatem dominativam, ius habet discretis poenis seu poenitentiis plectendi subditas. Ibid. n. 9.

Nihilominus et huiusmodi Ordines, qui *intrinsecam*, qua informantur, nullam aliam potestatem habent, quam dominativam, subduntur ac semper subiecti fuere *extrinsecae* potestati iurisdictionis, sive Episcoporum, sive Papae, quod et prioribus seculis valuit etiam quoad religiosos, atque nunc moniales subduntur vel Episcopo vel Praelato religionis, qui a Papa obtinet iurisdictionem.

Status enim religiosus, eo ipso quod talis est, regimini illius auctoritatis subiicitur, cui omnis cura commissa est de iis, quae ad cultum Dei spectant.

In virorum autem Ordinibus regularibus, qui a pluribus saeculis vigent, praelati eorum utraque gaudent potestate (nisi ex ipsa Ordinis institutione, ex laicis coalescere debeant) atque a Papa immediate mutuantur iurisdictionem eamque quasi episcopalem, ut idcirco exempti sint Ordines a iurisdictione Episcoporum.

124. Quaeritur, quotuplex sit promissio in voto obedientiae. Estne scilicet promissio tantum Deo facta obediendi praelato, ut erga Deum tantummodo se religiosus promissione obliget ad faciendum quod praelatus praeceperit, quin promissio fiat quoque praelato: an promittitur obedientia praelato et huius promissionis observatio promittitur Deo ?

Per se fieri utrumque potest atque prius solum actu fieri censuit Soto relatus a Suarez tr. cit. l. 10. c. 2. n. 3.: sic enim aiebat Soto: « Haud obedientiam praelato voves; sed Deo, quod eris praelato obediens ».

Alterum vero fieri docuit s. Thomas 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3^{m} inquiens: « Votum soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini. Et ipsa promissio boni, quae fit homini, potest cadere sub voto, inquantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid sanctis vel Praelatis, ut ipsa promissio facta sanctis vel Praelatis cadat sub voto materialiter (sit nempe materia voti), inquantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod sanctis vel Praelatis promittit ». Votum ergo soli Deo fit, ut et Soto monet; sed quod Deo religiosus vovet, non est tantum, se facturum, *quod praelatus praecipiet*, sed quod ipse religiosus *praelato promisit, se facturum*, si credimus s. Thomae. Et sane, si talis promissio praelato facta non distinguitur realiter, ut censet Suarez l. c. c. 6. n. 3., a traditione, qua se religiosus donat et obligat religioni, obligationem hoc ipso suscipiens parendi praelato; dicenda est in qualibet professione

locum habere utraque promissio et Deo et homini; quia habet locum votum et traditio. Nec repugnat idem duobus promitti, si eorum alter alteri est subordinatus, ut praelatus Deo. Ita in formula Professionis Societatis Iesu ait profitens: « Ego professionem facio et promitto omnipotenti Deo... et tibi Reverendo Patri, Praeposito Generali S. I. perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam... Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones etc. ».

Cum utraque promissio adest, duplex quoque oritur obligatio, tum ex promissione facta homini, tum ex promissione facta Deo. Obligatio porro, orta ex promissione homini facta seu traditione, est per se obligatio iustitiae; ius enim religioni in religiosum confertur.

Atque ita iam praeiudicata est quaestio, quae fieri solet, quotuplex peccatum admittat religiosus non obediens. Peccat enim contra religionem, ratione voti et contra pactum cum praelato initum. Cf. Suarez l. c. n. 2. Verum, uti alibi advertit tr. 10. l. 4. c. 12. n. 4., obligatio quae oritur ex traditione et ea, quae ex voto obedientiae, per modum unius reputantur; quia tam votum quam traditio principaliter Deo fiunt et sic opus non est duas malitias distinguere.

125. Praelatus pollens tantum potestate dominativa nequit, praecipiens actum indifferentem, transferre illum in aliquam speciem virtutis, propter quam intendat illum praecipere; id enim proprium censetur potestatis iurisdictionis et legislativae. Nam « obligatio vel imperium, quod nascitur ex vi solius voti aut promissionis seu traditionis humanae, solum trahit actum ad materiam illius virtutis, ad quam pertinet votum vel contractus humanus idest religionis vel iustitiae. In quo differt a propria lege, quae vim habet dandi actui necessitatem intra propriam speciem virtutis ». Suarez tr. 7. l. 10. c. 6. n. 6.

Iam vero, ut idem ibid. subdit: « si ordinarium modum gubernandi inspiciamus, quoad vim directivam, quae est in praecipiendo, videntur praelati uti potestate (sola) dominativa, quae fundatur in traditione seu promissione: quoad vim autem coactivam, quando necessaria est, utuntur potestate iurisdictionis; sicut irritando, utuntur dominio, dispensando, iurisdictione ». Quocirca transgressio praecepti, a religioso admissa, in re per se indifferenti, puta abstinentia, quam solus praelatus praecipit, non habet regulariter malitiam contra specialem virtutem, puta temperantiam, sed solum contra votum et subiectionem debitam praelato.

Quod si in praecipiendo praelati iurisdictione utantur, censendi sunt non urgere in subditis obligationem ortam ex traditione, sed eam solam, quam ecclesiastica iurisdictio infert; quia non est cur velint subditos duplici titulo obligare. Idem ibid.

Restat ergo ut duplex tantum malitia in transgressione praecepti discerni possit, contra iustitiam nempe et religionem, quae ad unam tamen facile revocatur (n. praec.): nisi, intercedente usu potestatis iurisdictionis in praecipiendo, actus per se indifferens, sub ratione propria alicuius virtutis praecipiatur. Tunc enim triplex erit malitia transgressionis, contra religionem voti, contra subiectionem debitam praelato et contra specialem virtutem.

126. Quaeritur, quae sit materia propria voti obedientiae: nimirum estne tantum praeceptum praelati (sive presse sive late acceptum), an est etiam observatio regulae ?

Fuerunt qui censerent materiam propriam voti obedientiae esse praeceptum et voluntatem praelati. Nam in professione obedientia praelato promittitur: porro ei obeditur, cum eius voluntas fit; regula autem non eius refert voluntatem, sed potius Institutoris aut Confirmatoris Instituti, cui regulae ipse praelatus, non secus ac alii, subest. Regula sane se habet ad modum legis eiusque obligatio non ex voto sed oritur ex voluntate legislatoris et ex eo quod quis alicui communitati se tradit. Hinc est, quod in professione voti obedientiae regula se habet extrinsece et in obliquo: *promitto obedientiam secundum regulam* (cf. Suarez l. c. c. 7. n. 8. docentem ceteras formulas huic aequivalere): scilicet determinantur limites, intra quos praelatus praecipere potest et subditus se obligat obedire. Tandem si observatio regulae est materia voti, quaelibet illius transgressio, erit sacrilegium et plerumque poterit esse mortale: id vero foret in laqueum conscientiarum et gravissimum periculum animarum nec praesumendum est talem esse profitentium intentionem, ut in tantum discrimen salutis se coniiciant.

Haec sententia non exhibet aliquid absurdum aut improbabile fierique per se potest, ut in aliquo Ordine res ita se habeant; omnia enim tandem pendent ex institutione ac libera voluntate seu Institutoris seu s. Sedis approbantis.

Nihilominus communior sententia, idcirco et communior sensus religiosorum est, materiam voti obedientiae esse regulam quoque. Conceditur, praecipuam materiam voti esse praeceptum praelati, quemadmodum quod maxime necessarium est in humana communitate, illud est, quod sit in ea aliquis rector cui alii pareant. Suarez l. c. c. 7. n. 1. At votum obedientiae dicitur ad regulam quoque protendi et affertur auctoritas s. Thomae. Hic enim 2. 2. q. 186. a. 9. affirmat, quod transgredi « praeceptum sive oretenus a praelato factum sive in regula expressum, esset facere contra obedientiae votum ». Fatendum est tamen heic s. Doctorem loqui de transgressione, quae sit peccatum mortale, et idcirco nomine praecepti *expressi in regula*, non quamlibet intelligit ordinationem, sed eam quae fertur sub praecepto graviter

obligante (iuxta s. Thomam peccatum veniale non est proprie contra praeceptum) seu, ut dici solet, *in virtute sanctae obedientiae*. Nihilominus hoc ipso admisso temperamento constat, e sententia s. Thomae, materiam voti obedientiae non esse solum voluntatem praelati, sed aliud quoque, nempe regulam. Id sane manifeste supponitur; secus enim non esset ratio, cur transgressio regulae praecipientis sub gravi sit gravis transgressio contra votum obedientiae. Haec certe est unica ratio cur transgressio praecepti praelati sub gravi sit peccatum mortale contra votum obedientiae, quia nempe religiosus ex voto tenetur praelato obedire. Aequiparantur scilicet praelatus et regula: neuter utique semper praecipit sub gravi; utrique tamen semper vi voti obedientiae est parendum.

Rationem intrinsecam affert Suarez l. c. n. 6., accepto eo, quod omnes dant: voveri obedientiam praelato. Nam « praelatus non solum praecipit ex se seu personali praecepto, ut sic dicam, sed etiam praecipit per legem stabilem seu regulam », cuius observationem urget et exigit; ad hoc enim est constitutus. At si regula ad nihil obliget, praeterquam ad poenam subeundam, transgressio regulae non erit contra votum; nam votum in hac hypothesi obligat tantum ad poenam.

127. Porro cum dicitur votum obedientiae protendi quoque ad regulam: hoc ipso negatur esse aliud votum, quod regulam amplectatur, praeter votum obedientiae. Tria enim sunt vota essentialia religionis, non quatuor. Neque perinde est si voveas simpliciter facere id quod regula continet et si voveas obedientiam regulae. Prius enim votum non est votum obedientiae sed se habet quemadmodum aliud votum de qualibet re bona vel meliori illudque votum et qui religiosus non est, emittere potest, sumens regulam alicuius Ordinis ut materiam suae promissionis Deo cuius transgressionis gravitas vel levitas ex levitate vel gravitate materiae pensanda erit. At vovens obedientiam regulae se obligat vi voti ad obediendum regulae ideoque ad servandum id, quod regula *praecipit;* obiectum enim obedientiae est praeceptum et si praecipit sub gravi, se obligat ad servandum sub gravi, si praecipit sub levi (quaecumque sit materia) se obligat solum sub levi: si solum regula obligationem imponit subeundi poenam, ad id tantum voto obedientiae se obligat.

Cum ergo iam propter traditionem et promissionem factam praelato (n. 124.) seu religioni se professus obligaverit obedire regulae et praelato, votum huic obligationi aliam superaddit ratione motivi, nempe religionis. Sed ratione gravitatis aut levitatis eandem infert obligationem ac est ea, quam regula fert; non enim voto se obligat nisi ad executionem praecepti et quatenus est praeceptum; huc enim spectat obedientia.

Subdimus doctrinam s. Thomae 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3. quoad amplitudinem obligationis. « Religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis praelatis subduntur. Et ideo quantum ad illa sola obedire tenentur, quae *possunt* ad regularem conversationem pertinere. Et haec est obedientia (religiosi) sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerit (cum nimirum voluntas seu beneplacitum superioris aut praeceptum se manifestat), hoc pertinebit ad cumulum perfectionis: dum tamen illa non sint contra Deum aut contra professionem regulae; quia talis obedientia esset illicita ». Itaque in iis, quae non sunt secundum regulam religiosus obedire non tenetur; vovit enim obedientiam secundum regulam, et haec est doctrina communis, ait Suarez l. c. c. 8. n. 6. Concludit s. Thomas: « Sic ergo potest triplex obedientia (religiosi) distingui: una sufficiens ad salutem, qaae scilicet obedit in iis, ad quae obligatur: alia perfecta, quae obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quae etiam in illicitis obedit ».

Porro cum quivis Ordo religiosus certam regulam habere debeat certamque vivendi formam ac certum finem nec possit omnes actus perfectionis complecti, cum plurimi invicem se excludant, fieri nequit ut quidquid est per se licitum, sit cuilibet religioso licitum; plura enim huiusmodi adversabuntur vel regulae vel fini religionis: sic munus praedicandi per urbes et oppida licitum haud est agentibus contemplativam vitam simul et eremiticam. In his proinde obedientia, si praelatus praeciperet, esset indiscreta. Oportet ergo, ut quae licite praecipi possunt, non adversentur regulae et fini religionis.

128. Dixit s. Thomas obligationem obediendi esse in iis solis, quae possunt pertinere ad regularem conversationem, nempe, ut explicat Suarez l. c. c. 8. n. 5., quae ad perfectam regulae observationem vel necessaria vel utilia aut convenientia praelato videantur et ab eo praecipiantur: ideoque quae ad regulam pertinent vel directe vel indirecte seu reductive. Haec sane intra limites regulae comprehenduntur nec enim putandum est ea solum posse praecipere praelatum, quae iam in regula scripta inveniuntur. Cetera, si perfectiora sint, ad perfectionem obedientiae spectare poterunt, non ad necessitatem. Hinc e. gr. nequit praelatus Fratri Minori multoque minus toti Conventui indicere perpetuam abstinentiam a carnibus perpetuumque ieiunium. Valet enim principium, quod s. Bernardus enunciavit *de Praec. et dispens.* c. 7. « Solum id a me posse exigi arbitror, quod promisi ». Et c. 8. « verba mea (praelatus) nec augeat sine mea voluntate nec minuat sine certa necessitate ».

At si subsit ratio poenitentiae alicui imponendae vel peculiaris in

aliquo necessitatis pro custodia votorum vel publicae necessitatis sive totius Ordinis sive provinciae sive domus: poterunt talia licita iniungi; quia sub his conditionibus iam intra limites regulae comprehenderentur. Cf. Lessium l. 2. c. 41. n. 75.

Constat praelatum praecipere non posse illicita et in his obediendum non esse; excipitur tamen si res esset illicita iure solum positivo et praelatus potestatem haberet dispensandi et, iusta exsistente causa, iuberet religiosum dispensatione uti. Sic enim res evaderet licita et posito praecepto obligatoria, si pro regulae observatione necessaria aut utilis. Ita Caietanus 2. 2. q. 104. a. 5.

129. Obligatio voti est per se gravis et eius transgressio mortalis. Nihilominus, ut iam dictum est (Vol. II. n. 627. seqq.), propter levitatem materiae, potest transgressio esse levis. Cum praeterea obiectum voti obedientiae sit praeceptum superioris, si superior praecipiens intendat obligare quantum potest, quod solet fieri praecipiendo *in virtute sanctae obedientiae*, obligatio erit obediendi sub mortali, dummodo materia praecepta, attentis etiam circumstantiis, patiatur hanc obligationem (cf. Vol. I. n. 302.). Si vero sub levi tantum intendat praelatus obligare, non nisi sub levi tenebitur religiosus vi voti obedire: se enim per votum obligavit ad praeceptum servandum et quatenus praeceptum est (n. 127.). Si autem praelatus nullam obligationem imponere velit, quemadmodum et plures regulae facere solent, nec sub levi obligatio erit per se obediendi (cf. n. 59.). Item si regula nec sub gravi nec sub levi culpa obliget, sed solum ad poenam, obligatio voti regulam respiciens erit solum ad subeundam poenam.

Ceterum si ex contemptu formali obedientia detrectetur, peccatum mortale esse iam diximus (l. c. *de Legibus* n. 114.). Cf. Lessium l. 2. c. 41. d. 9. n. 74., qui advertit superiorem velle saltem obligare sub veniali, si aliquo modo mandat; quia non intendit consulere et suadere dumtaxat, sed aliquo modo, etsi levi praecipere; agit enim tanquam superior.

Quae doctrina est tenenda, si vere *mandat:* nam convenit inter omnes, posse superiorem subdito significare quid sibi placeat, nulla veri nominis imposita obligatione, h. e. nullo praecepto aut mandato.

Adverte tandem cum Suarez l. c. c. 11. u. 2. illum, cui ex vi voti est parendum, esse hominem, praelatum scilicet; obedientia enim, quae Deo promittitur, est obedientia homini praestanda, qui locum Dei pro nobis tenet. Quocirca si Deus immediate aliquid praeciperet vel per Angelum, esset utique ei obediendum, sed non vi huius voti. Ita intellexisse et interpretatos fuisse hanc obedientiam, quam religiosus vovet, omnes Institutores, affirmat idem Suarez. Cf. dicta n. 11.

Diximus cum A. superiorem identidem praecipere *in virtute s. Obedientiae* et gravem tunc esse obediendi obligationem. Quaerit s. Alph. n. 57. et magnam quaestionem vocat, an Abbatissa possit hoc pacto praecipere. Cum ipsa potiatur potestate dominativa, quae sufficit ad exigendam obedientiam debitam ex voto, concedendum est, id ipsam posse. Adde talem obedientiam, ut monet s. Doctor, prorsus necessariam esse, ut regularis disciplina in monasterio custodiatur.

Unde resolves.

XXX. 1. Non tenetur subditus obedire in iis, quae sunt vel contra Regulam (nisi Superior in ea possit dispensare et legitima causa dispensandi subsit) vel supra Regulam, ut essent magnae macerationes (nisi in poenam vel ad obligationem votorum necessariae) vel ut acceptet Episcopatum: Dian. p. 6. t. 9. res. 33. et alii sex: vel infra Regulam, scilicet vana (nisi praecipiat ex causa, quae sit secundum regulam, verbi gratia, ut obedientia exerceatur) nec refert, quod Regulae iubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, sed obedientiae perfectione intelligitur. Ita Suarez, Sanch. 6. *Mor.* c. 2. et Laym.

130. *Supra regulam* sunt opera perfectiora iis, quae regula praecipit vel austeriora seu difficiliora: cuiusmodi essent iugis contemplatio et graves ac quotidianae flagellationes in Societate Iesu, quae vi suae regulae ministeriis sacerdotalibus aut studiis vacare debet quaeque corporis afflictationes ex obligatione subeundas non habet.

Infra regulam sunt opera inutilia aut vana, cuiusmodi esset aridam arborem irrigare aqua vel vino, in saccum pertusum immittere frumentum, scribere delenda ac deleta rescribere, in morem mentecapti per vias incedere etc.: quae tamen opera, ut monet A., praecipi identidem possunt *ex causa, quae sit secundum regulam,* ut mortificatio e. gr. aut obedientia exerceatur, quemadmodum veteres fecisse monachos historia refert. Cessante huiusmodi causa, non est cur talia praecipiantur aut fiant; status enim religiosus est status rationalis, puto, non irrationalis.

Sanchez ab A. citatus distinguit cum s. Thoma, inter obedientiam necessariam et perfectam. Ad hanc spectare dicit, quod subditus obediat in omnibus licitis et ad omnem voluntatem praelati, quae sibi placere aliquid ostendit, etsi absit praeceptum; quia formalis ratio obedientiae est subiectio propriae voluntatis voluntati superioris: haec autem maior est in eo, qui desideria superioris, quocumque modo manifestata, exsequitur et idcirco actus virtutis obedientiae est perfectior. At votum non omnem complectitur perfectionem virtutis: ideoque ea obedientia non est necessaria. Ad rem s. Thomas l. c. n. 171., qui dixerat ibid. a. 2. « Voluntas superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum et tanto videtur obedientia promptior,

quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, *voluntate tamen superioris intellecta* ». Ergo duplex est perfectio obedientiae: obedire in licitis, quae regula non exigit et obedire, nondum exsistente vero praecepto praelati: voluntate eius tamen intellecta; secus nulla est obedientia.

131. Quinam porro pro singulis religiosis sint limites inter necessitatem et perfectionem, Lessius l. c. n. 73. docet ex regulis cuiusque Ordinis colligendum esse, quod quidem omnes DD. dicunt: ut illud sit necesse, quod est secundum regulam, quemadmodum iam explicavimus et sub praecepto cadit: illud ad perfectionem pertineat, quod est supra regulam et identidem quod infra atque id etiam qnod absque praecepto proponitur. Exemplis vero rem declarans Lessius, advertit Fratres Minores in regula c. 10, iuberi obedire *in omnibus, quae non sunt contra regulam vel animam* et in Constitutionibus Societatis Iesu P. 3. c. 1. §. 23. et P. 6. c. 1. §. 1. dici, obediendum esse *in omnibus, in quibus manifestum non apparet peccatum.* Unde colligit in his Ordinibus omnia haec, cum iusta causa subest, censeri praecipi secundum regulam et idcirco teneri in iisdem subditum vi voti obedire. In aliis Ordinibus, ait, obedientia non tam late patet.

Talem obligationem, quam Lessius adstruit, non probat Sanchez l. c. *Moral.* l. 6. c. 2. n. 16. Nam 1° si in omnibus his, quae licita sunt, seu quae peccatum non sunt, obligatio esset obediendi, induceretur status religiosus impossibilis; cum nequeat quilibet Ordo religiosus amplecti omnem licitam perfectionem et idcirco obligari ad quolibet licitum. 2° Quia s. Pater Ignatius ll. cc. non loquitur de rigore obedientiae, a subditis debitae vi voti, sed de perfectissima virtute obedientiae, quam totis viribus assequendam proponit viris religiosis Societatis Iesu, ad quam, ut iam monuerat Sanchez, pertinet obedire in omnibus licitis, dummodo vere religioso huic licita sint, h. e. non adversentur regulae. Atque ita quoque regulam s. Francisci explicat Corduba heic a Sanchez et a Lessio quoque citatus. Cf. Suarez tr. 10. *de Instituto Societatis Iesu* l. 4. c, 12. ubi negat in Societate esse *de rigore praecepti* obedire in omnibus, quae licita sint, etsi contra regulam non sint, affirmat tamen esse *de consilio:* quae duo bene demonstrat.

XXXI. 2. Si regula Ordinis sub peccato obliget, eius transgressio est contra votum et sacrilega. Ratio est, quia talis Regula non est minus praeceptiva, quam vox Superioris et subditus promittens observationem Regulae, eo modo, quo ipsa intendit, se obligare censetur; proindeque Carthusianus v. gr. carnes edens, vel Franciscanus feria sexta non ieiunans, et contra obedientiam et contra temperantiam peccat. S. Th. in 2. d. 44. q. 2. art. 3. Valent. Sanch. 6. *Mor.* c. 1. et 4. Vasq. Rodr. Laym. l. c. n. 6. Escob. etc.

Haec iam declarata sunt. Quod A. historice refert de Carthusianis, cf. cum dictis in Vol. II. 865.

XXXII. 3. Si regula sub peccato non obligat, transgressor illius non peccat contra votum obedientiae. Ratio est, quia talis Regula non continet proprie praeceptum, sed tantum est ordinatio seu monitum, obligans tantum ad poenam, si imponatur. S. Thom. Laym. l. c. etc. Hinc nec transgressio illius, ex rationali causa et bono fine seu ex motivo virtutis facta, v. gr. si extra tempora loquatur cum socio, ut moestum consoletur, est peccatum; erit tamen veniale, si ex negligentia, torpore animi aliove inordinato affectu fiat. Laym. l. c. Quem ut plurimum concurrere, adeoque raro omni culpa vacare, putant Valent. Sanch. et Suar. Qui addunt, quod si quis frequenter et quasi per consuetudinem Regulam transgrediatur, religiosam disciplinam graviter perturbet, eaque ex causa in periculo expulsionis se constituat, peccet mortaliter. Laym. l. 5. c. 9. Sanch. n. 18.

Haec quoque iam explicata sunt: vide n. 129.

XXXIII. 4. Etsi Capitulares novum statutum conderere possint, quo ipsi aliique postmodum professionem edituri obligentur; ante tamen professi, qui in illud non consenserunt, eo non obligantur, si ad Regulam Ordinis non directe nec indirecte spectet. Laym. loc. cit. num. 10. Nisi tamen statutum fiat in Capitulo generali, vel saltem provinciali (iuxta cuiusque Ordinis institutum), concurrente maiore parte suffragiorum et non sit regulae difforme. Vide Escob. de *Leg.* E. 1. cap. 12. num. 15. Ratio est, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, iuxta reg. 29. in 6. Addunt Laym. et Sanch. ex Sylv. et Azor t. 1. l. 13. c. 11. q. 19. Less. l. 2. c. 41. n. 22. nec Pontificem posse Religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quam instituti prima forma postulat. Quia obligatio obediendi, etiam Pontifici, provenit ex voto, quod factum fuit secundum proprium Regulae institutum. Si tamen Regulae reformatio necessarium medium esset ad Ordinis conservationem, ad eam Praelatus cum Capitulo multoque magis Pontifex, illos cogere potest, quando ad hoc se implicite quisque obligasse censetur. Sylv. Less. Sanch. Laym. ll. cc.

132. Si quaestio fiat: an praelati possint novam professis imponere obligationem, quae nec reductive ad regulam pertineat, communis est responsio negativa, innixa evidenti principio, quod expressit s. Bernardus: id solum posse exigi a religioso, quod promisit (n. 128.). Cf. Suarez op. cit. tr. 7. l. 10. c. 8. Idque valet non solum in praelatis religionum aut generali Congregatione seu Capitulo, sed et in Romano Pontifice; nam eadem est ratio. Eatenus enim aliquid plus a religiosis exigere ipse potest, quatenus ipsi votis se obligarunt; in ceteris proinde, quae religiosi non voverunt, pares sunt ceteris fidelibus. Novae ergo obligationes in his rebus imponi eis poterunt secundum eum modum, quo et ceteris imponi possunt a Romano Pontifice. Nonne Romanus Pontifex potest iubere religiosos puta in publica calamitate, preces fundere et poenitentiam agere praeter morem, quin id ceteris fidelibus iniungat? Profecto quemadmodum similia praecipere posset Clericis solis, non laicis: sed huiusmodi opera iam statui religioso cuilibet congruunt et sunt secundum regulam: quaevis enim regula religiosa extraordinarias exercitationes pro opportunitate admittit. Aliud vero foret, si novae poenitentiae perpetuae praeter regulam essent iniungendae.

133. Quod tamen spectat ad Romanum Pontificem erga religiosos, duplex solet in eo distingui exercitium potestatis. Aliud enim est, quo se eius suprema potestas exercet, consulens vi solius iurisdictionis a Christo acceptae bono Ecclesiae vel universalis vel particularis vel unius fidelis: aliud est, quo eadem potestas se exercet erga aliquos, praesupposita in his libera et speciali sibi subiectione, cuiusmodi contingit reapse in religiosis. Docent enim communiter DD. Romanum Pontificem esse Praelatum supremum omnium Ordinum religiosorum, ita ut non tantum potestate iurisdictionis in quoslibet religiosos polleat, sed et dominativa, qua idcirco eorum vota, non secus ac alii praelati, irritare possit. Cf. Suarez l. c. c. 11. nn. 10.-14.

Fatendum est tamen in hac re declaranda DD. non consentire, nec rem esse satis perspicuam. Nam certum satis videtur votum obedientiae fieri solis praelatis Religionum, non Romano Pontifici et per traditionem religiosum se religioni tradere, non Apostolicae Sedi, quae nunquam se obligatam censuit ad eum sustentandum neque ex eo quod Papa est Supremus Pastor in Ecclesia, sequitur necessario, quod qui alteri fideli obedientiam vovet in eiusque dominium se tradit, voveat hoc ipso obedientiam Supremo Pastori eiusque dominio se subiiciat: sicut quis potest civi alicui se tanquam servum mancipare, quin se constituat servum regis. Cf. Suarez l. c. Et sane, si votum obedientiae fit non soli praelato religioso, sed etiam, imo principaliter Romano Pontifici; cum in Societate Iesu votum obedientiae omnibus etiam Scholasticis et Coadiutoribus commune comprehendat tanquam propriam materiam etiam missiones, aegre intelligitur, quorsum in eadem Societate spectet quartum Professorum votum sollemne *obedientiae summo Pontifici circa missiones*, neque id satis explicavit Suarez tr. 10. *de Instituto Societatis* l. 6. c. 4. nn. 26. seqq.

Ex alia parte, ut Romanus Pontifex illud in omni Ordine religioso possit quod omnes generatim ei concedunt, non videtur opus esse, ut votum obedientiae ei fiat et ei se tradat religiosus, ut exinde potestatem dominativam Pontifex nanciscatur; nam plenitudo potestatis iurisdictionis a Christo acceptae, qua Rom. Pontifex potitur, satis est ad potestatem virtualiter aut eminenter dominativam ei conferendam in religiosos. Ita sane rem explicat s. Thomas in 2. dist. 44, in exposit. textus. « Eius (Romani Pontificis) potestas est quoddam Ecclesiae fundamentum, ut patet Matth. XVI. (haec est potestas iurisdictionis) et ideo (en consequentia) in omnibus magis tenemur obedire Papae, quam Episcopis vel Archiepiscopis vel monachus Abbati absque ulla distinctione ». Et re quidem vera, cum auctoritas Petri spiritualis sit et suprema ac plenissima, posito facto exsistentiae ordinis religiosi, iam

ex voluntate Christi consequens est ut quaelibet potestas ibidem ad spiritualem profectum animarum exsistens potestati Pontificis innitatur, qui idcirco in Ordine religioso illud omne possit, quod ad eius regimen, conservationem et profectum requiritur. Et quamvis non exinde constet potestas formaliter dominativa, unde infertur potestas irritandi vota (quae tamen non est omni ex parte evidens), illa necessaria non est, ut possit Pontifex in religioso Ordine quidquid est opus; nam sufficit plenissima potestas a Christo accepta et quoad vota irritanda, praecisione nunc facta a voce ac presso conceptu irritationis, cum valeat Pontifex ea omnia solvere et ligare, quae ad salutem animarum et Ecclesiae gubernationem conducunt, poterit certe, sive dispensando sive abrogando, vota auferre, cum id expedire iudicaverit ad spirituale bonum religiosorum: ut etiam Suarez concedit l. c. n. 13. Potestas sane irritandi connexa est cum suprema potestate iurisdictionis in societate.

Haec ergo potestas supponit quidem, veluti conditionem, quod quis religiosus fiat; sed hoc posito, ipsa in eum tota se exerit ex Christi auctoritate.

134. Itaque ut ad id redeamus, unde discessimus, dicimus, quod quemadmodum Romano Pontifici integrum non est imponere fidelibus opera supererogationis, nisi iusta exsistente causa et quae ipsis sint accomodata, ita nequit nova onera religiosis imponere praeter regulam, nisi iusta aliqua subsit causa et nihilominus cum eorum statu, quem voverunt, congruant. Quod enim plus a religiosis Papa exigere valeat, quam ab aliis fidelibus, ex ea conditione pendet, quod ipsi certis votis se obstrinxerunt: amplitudo ergo obligationis votorum limitem quemdam statuat oportet exercitio huius specialis potestatis erga religiosos.

At si quid sit secundum regulam, si votis observandis et conservando statui religioso necessarium sit aut maxime conveniens (maxime conveniens dico sine quo difficile sit finem assequi status religiosi), id a Romano Pontifice iniungi posse, etsi in regula non contineatur, extra dubitationem est. Patet exemplo Bonifacii VIII., qui clausuram, quam papalem dicunt, iniunxit omnibus monialibus nedum futuris sed quae iam tum professae erant. Item Trid. Syn. eandem iussit restitui vel induci in iis monasteriis, quae ea carebant. Sess. 25. c. 5. *de Regul.*

Ratio est, quia ad haec iam se implicite obligavit religiosus professione sua: qui enim vult finem, h. e. perfectionem assequi in statu religioso, vult et media: cum vero haec definire sit certe in potestate suprema Pontificis, nequit religiosus ei hac in re obedientiam detrectare.

Eodem pacto potest Romanus Pontifex ordinem collapsum iubere reverti ad plenam regulae observantiam: qua de re iam locuti sumus loquentes de paupertate.

Monet porro Suarez tr. 7. l. 10. c. 8. n. 8. non tantum Pontificem sed et praelatos Religionis haec posse; nam sub obedientia secundum regulam, indirecte saltem, comprehenduntur omnia, quae ad observationem regulae prudenter iudicantur expedire et quia vovens regulam reapse vovit non abusus qui irrepserant, sed ipsam regulam, quam Ecclesia approbavit.

135. Restat quaestio, an ipse Ordo religiosus possit sibi ipsi, per Capitulum generale puta, novas imponere obligationes.

Si lex nova sit iusta ac rationabilis (id enim est de ratione legis) ac legitima auctoritate imponatur professuris, nulla est hac in re difficultas, nisi forte consensus s. Sedis, quae regulam probavit, postulandus esset.

At si nova obligatio imponenda foret iam professis et de re ageretur non secundum regulam; nisi consensus accedat eorum a quibus esset servanda, imponi eis nequit: nulla est enim in religione auctoritas, quae exigere possit a subdito, quod non promisit, ut ait s. Bernardus. Atque huc facit reg. 29. in 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.*

XXXIV. 5. Etsi consuetum non sit nec consultum, ut Praelati sub peccato praecipiant actus internos: probabile tamen est fieri posse, ut docent Laymann, Suar. etc. Ratio est, quia verisimile est, quod aliqui Religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant.

136. Conferenda dicta in vol. I. n. 308. seqq. Ostensum est enim potestatem ecclesiasticam, eo quod spiritualis sit et ad animarum bonum directe ordinata, posse praecipere actus mere internos: porro idem valet in potestate religiosa, quae huc spectat ut ad profectum spiritualem subditos dirigat. Et sane, ut docet s. Thomas 2. 2. q. 186. a. 5. in tantum haec obedientia est necessaria, in quantum homo tendens ad perfectionem, indiget ab aliis instrui et dirigi in iis, quae ad perfectionem pertinent. Atqui in his principem locum obtinent interiores actus. Cf. Suarez tr. 7. l. 10. c. 9. n. 5.

Quid ergo est quod ait s. Thomas 2. 2. q. 154. a. 5. « In iis, quae pertinent ad interiorem motum voluntatis homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo? »

Respondet Caietanus ibid. id intelligendum de homine absolute spectato, non de homine, qui voto se obligaverit et subiecerit alterius voluntati: porro religiosus per votum obedientiae voluntatem suam offert Deo, ut ait A., in holocaustum, eam praelato subiiciens in iis quae pertinere possunt ad regularem observantiam. Atqui ad regularem observantiam spectare possunt et actus mere interni, ut est meditatio, examen suae conscientiae etc. Et mirum profecto foret, per

votum e. gr. castitatis offerri Deo actus quoque mere internos h. e. voluntatem quoad actus etiam mere internos: per votum vero obedientiae, quod excellentius est (q. 185. a. 8.) voluntatem solum offerri quoad actus externos vel cum externis coniunctos.

Verum hoc temperamentum Caietani ipse s. Thomas excludere videtur in resp. ad 3^{m} inquiens: « Religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis praelatis subduntur. Et ideo quantum ad illa solum obedire tenentur, quae possunt ad regularem conversationem pertinere ». Aliis tamen alia sententia placuit: cum praesertim improbata sit doctrina, quod spiritualis potestas nequeat praecipere actus mere internos. Cf. Suarez l. c.

137. Quaerit s. Alph. n. 48., an religiosus valide voveat absque praelati licentia. Qua de re non est, cur dubitemus, si agatur de iis, quae non repugnant regulae aut praecepto praelati vel obsequio, quod ei debetur. Votum tamen erit irritabile. Imo etsi praelatus vetet, ne absque eius consensu vota huiusmodi fiant, votum validum erit; quoad substantiam sane Deo non displicet, sed tantum quoad modum. Si autem praelatus declaret se ut nulla habiturum vota, quae facturus sit subditus, haec erit reapse in superiore voluntas irritandi, ita ut irritatio habeat locum statim ac subditus votum emiserit.

138. Quaerit rursus s. Doctor n. 50. an valeat licentia data ab inferiori praelato, quae a maiore fuerat negata. Probabilem censet sententiam affirmantem; quia maior praelatus negans non irritavit licentiam inferioris seu non ei ademit potestatem dandi licentiam. Si tamen praeter negatam licentiam, maior praelatus prohiberet ne subditus faceret quod petebat: licentia minoris praelati nihil prodesset; quia haec foret dispensatio in lege superioris, quae dispensatio nulla est.

Si vero superior prohibeat inferiori praelato licentiam aliquam dare, quam hic vi sui officii posset concedere, non autem irritet licentiam; haec illicita quidem erit, sed valida: si vero irritet, nulla erit.

139. Docet Suarez tr. 7. l. 10. c. 10. n. 4. transitum ad perfectiorem religionem non esse materiam voti obedientiae, quatenus vi huius voti nec prohiberi potest a praelato nec praecipi. Nequit prohiberi; quia prohibitio impediret maius bonum: porro votum obedientiae nequit obligare ad parendum tali prohibitioni; quia votum est solum de meliori bono. Nequit pariter transitus iste praecipi; quia votum obedientiae religiosae est solum secundum regulam, quam professus amplectitur: atqui transitus ad perfectiorem regulam non est secundum eam regulam priorem, sed supra vel forte contra; quia priorem statum evertit.

Quod spectat ad religiosos postulatos ad Episcopatum, lex est, eos

non posse (nisi auctoritas summi Pontificis intercedat) acceptare citra consensum sui praelati petitum et obtentum et aliter facta acceptatio non tenet. Ita Bonifacius VIII. statuit c. *Si religiosus*, *de Electione* in 6. et ratio redditur: quia religiosi « arbitrium non ex sua, cum velle vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit et cuius imperio se subiecit, voluntate dependet ». Cf. Suarez l. c. n. 6. seqq. qui deinceps et de electo ex monasterio in Summum Pontificem disputat. Cf. Lugo *Resp. mor.* l. 3. d. 4.

XXXV. Quaeres, An subditus teneatur obedire, si dubitet, utrum sit res licita, quam Praelatus iubet, vel iusta causa imperandi?

Respond. 1. Communiter teneri; quia tunc melior est conditio Superioris, qui est in possessione potestatis praecipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est iure, quod habet. Nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis; cum habeat debitum parendi.

Resp. 2. Non teneri, si grave damnum obediendo timeat. Ratio est, quia in dubio favendum est reo eique, de cuius damno agitur. Etsi enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione iuris, quo potest se a periculosis rebus conservare. Less. Sanch. 6. Mor. c. 3. aliique.

140. Agitur non de perfecta obedientia, sed de ea, quae ex vi voti requiritur sive sub levi sive sub gravi, iuxta materiam et rationem praecepti. Iam vero, lato aliquo praecepto a superiore, subditus vel certus est rem praeceptam esse malam aut non esse in superiore ius eam praecipiendi, vel de his dubitat. Si prius est certum, non potest obedire: si est certum alterum, non tenetur. Porro si dubitat, an res sit mala, nequit, quandiu dubitat, agere: verum tunc quaeritur, an auctoritas praelati sit sufficiens ratio pro deponendo dubio et exsequendo quod praecipitur. Si rationem intelligis argumentum quoddam scientificum, saltem extrinsecum, quo alicuius doctrinae veritas vel probabilitas statuitur, cuiusmodi plura occurrunt in re morali, quae innituntur scientiae docentis: auctoritas superioris, si per se spectetur, (nisi nempe et ipse sit vir apprime doctus et prudens), non est talis ratio. Non est scilicet auctoritas superioris ea ratio cur probem et exsequar quod ipse iubet, qualis mihi foret auctoritas puta s. Thomae aut s. Alphonsi.

Si autem rationis nomine intelligis motivum practicum, cur iudicem debere me exsequi quod praecipitur, auctoritas superioris est sufficiens ratio. Sane vel dubium est negativum, vel positivum. In priore non vides rem praeceptam esse honestam aut secundum regulam, at neque contrarium vides: hoc posito auctoritas superioris possidet, qui absque causa iure suo non est privandus, idcirco obligatione urgeris faciendi, quod superior te facere iubet. Si dubium est positivum, erit probabilitas in utraque parte; probabile nempe erit licere quod superior iubet,

probabile non licere et forte hoc alterum erit probabilius, ita tamen ut vere probabilitas et alteri parti maneat. Iam vero, quoniam probabilitas speculativa opinionis una cum principio certo reflexo satis est ad honeste agendum, iam quod probabile est licere, potest superior praecipere et tu potes agere. Porro haec probabilitas praevertit exercitium auctoritatis et ab ea non pendet: accedente autem imperio superioris, tu debes agere; quia actio honesta est, et parendum est superiori legitime praecipienti.

Praesupponendum est ergo a subdito, quod sententia, quam superior sequitur, sit probabilis: cf. de hac re docrinam s. Alphonsi, quam dedimus in vol. 1. tr. *de Conscientia* pag. 220. seq. (exponitur 4^{m} ratio) qui id tanquam certissimum assumit: eo autem posito, vis se exerit auctoritatis superioris, ut nedum honestum sed necesse sit obedire.

Hinc si subditus, non solum ipse dubitet de honestate rei, sed sciat superiorem quoque dubitare an liceat quod praecipit, non tenetur subditus obedire; quia superiori non favet possessio, utpote quae est praecipiendi ea tantum, quae licita esse credit. Sanchez *Moral.* l. 6. c. 3. n. 21.

Porro ad excutiendos scrupulos, qui subrepere possint, conferunt plurimum considerationes, quas doctores vitae spiritualis proponunt. Nimirum superiores religiosi solent esse viri pii, prudentes et prudentum consilio adiuti ac rarissime contingit (atque in certis Ordinibus id nunquam contigisse reperietur), ut quod certe inhonestum est praecipiant; est ergo, cur subditus cum fiducia se committat gubernationi superioris; ut, nisi appareat peccatum, absque ulteriore examine obediat. Praeterea cum propter Dei amorem se quis homini subiecerit, quem loco Dei tenet, cum ipse Deus hanc subiectionem consuluerit et Ordines religiosos probet, non inanis fovetur spes, fore ut Deus suo lumine mentes superiorum collustret, ut quod subditis convenit intelligant et sancta ac salubria praecipiant.

Cf. Suarez tr. 10. h. 4. c. 15. optime, more suo, haec et cetera, quae huc faciunt, declarantem.

Lessius tamen l. 2. c. 41. n. 76. affirmat; « quando, seposito praecepto, ceteris omnibus circumstantiis spectatis, probabile est opus esse illicitum, non tenetur subditus parere. Ratio est, quia potest probabili sententiae se conformare. Confirm., quia in tali casu nec votum nec iuramentum nec ipsa lex divina aut naturalis obligat: ergo nec praeceptum superioris. Potest tamen obedire, si contrarium etiam est probabile ». Atqui in hac hypothesi, si potest, debet, ut probavimus. Nec valet argumentum ex lege divina aut naturali; quia in illa hypothesi non est certa ipsa lex: at heic certum est praeceptum superioris et eiusdem ius.

141. In secunda responsione ponit A. exceptionem obligationi obediendi: si nempe grave damnum timeatur. Quae exceptio certe est alia exceptione circumscribenda: nisi nempe secundum regulam foret, subire illud damnum vel eius periculo se exponere, ut e. gr. Religiosi s. Cammilli etiam peste correptis adsistere debent et Religiosi Societatis missiones eas quoque inter barbaros suscipere, ubi martyrium sit certum. Auctor exceptionem accepit a Sanchez, qui l. c. n. 24. non paucis et gravibus DD. citatis, ait: « Ultimo limitatur (sententia, quod in dubio teneatur subditus obedire), nisi ex obedientia in eo dubio timeatur magnum proprium aut tertiae personae damnum in rebus, honore vel fama vel corpore, ut si superior interrogat de proprio aut tertii delicto et est dubium, an iuridice roget; tunc enim in eam partem inclinandum est, in qua est minus damni et periculi et ea est amplectenda ». Quod certe faciendum est, si agatur de damno tertii: et si de proprio agatur, dabimus quidem non teneri subditum obedire; quia in dubiis favendum est reo et ius subditi se ab his damnis immunem servandi praevalet illi iuri dubio superioris; non videmus tamen cur teneatur non obedire; sed ad perfectionem obedientiae, puto, spectabit, in eo quoque dubio obedire, nisi actus ipse sit peccatum. Cf. et Lessium l. 2. c. 41. n. 76.

Ceterum siqua difficultas unquam in obedientia occurrit, haec non in eo est sita, quod mens dubitatione pulsatur, an liceat necne quod praecipitur: sed in eo difficultas obediendi est sita, quod lato praecepto, dubitare incipiamus ac perpendamus, an id secundum prudentiae leges praecipiatur, an communitati conveniens, an subdito accommodatum sit quod praecipitur; sponte enim frequenter vel non quaerentibus suggerit mens motiva, propter quae nobis non probetur quod videtur superiori: vel difficultas in eo est sita quod quiddam sensui et amori proprio adversum subditus facere iubeatur. Nulla tamen dubitatio, quod debeat subditus in his omnibus obedire suoque iudicio insuper habito, voluntati superioris se libenter conformare. Porro ut id efficacius et semper praestet, consulitur ea obedientia, quae a spiritus magistris vocatur *caeca*. Haec autem non est posita in exclusione cuiusvis apprehensionis et iudicii; cum e contrario debeat obediens et advertere obedientiae motivum, Deum nempe, pro cuius amore, homini locum eius tenenti obedit atque iudicare non esse illicitum quod praecipitur: sed in eo est posita quod subditus, certus de honestate actionis praeceptae, absque ullo ulteriore examine an prudens, an conveniens, an sibi accommodatum sit praeceptum, statim procedat animo libenti ad exsecutionem. Huiusmodi sane examen et inutile est; quoniam, si honesta actio est ac superior praecipit, est certe obediendum atque

nocivum; illud enim efficeret, ut promptitudini obediendi impedimentum crearetur. Excluditur ergo per hanc caecitatem, non prudentia spiritus, sed prudentia carnis, Deo inimica: uti monet Suarez l. c.

142. Quaeres, an liceat Religiosis a sententia suorum praelatorum appellare? Distingue primum *recursum* ab *appellatione*. Ille effectum non suspendit sententiae latae, haec autem suspendit impeditque ne superior, a quo est appellatum, ulterius procedat. Iam vero recursus semper licet: appellatio vero pluribus canonibus vetita est, cpp. *Reprehensibili* et *ad Nostram, de Appellationibus*, c. *Licet, de Officio Ordinarii*. Quae tamen prohibitio, ne iure naturali derogare videatur, limitanda est ad casus communium castigationum seu poenarum, quae non adeo difficile perferri possunt, etsi iniustae et quas perferre decet religiosum virum. Secus enim nimis ordo religiosus et pax domestica turbaretur. At si graviores sint causae et abusus potestatis exorbitans, nequit profecto auferri subsidium necessarium appellationis neque id expedit bono communi Ordinis. Cf. Suarez tr. 8. l. 2. c. 11. id confirmantem quoque decreto Congr. Cardinalium.

Dub. V.

Qui possint vel teneantur ingredi Religionem.

XXXVI. Respond. 1. Omnes illi et soli possunt ingredi Religionem, qui sunt sui iuris nec aliis obstricti: qui vero aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. Less. lib. 2. cap. 41. d. 3.

143. Sermo est de eo ingressu, qui sit vel professio vel via ad professionem. A. in hac 1ª resp. agit de iis, qui possint vel non possint ingredi, sive licite saltem sive etiam valide.

Porro ita habet Lessius l. c.: « Respondeo eos posse absolute ingredi, qui sui iuris sunt: qui autem alteri sunt obstricti, non possunt nisi illius consensu ». Clarius A.: *qui sunt sui iuris nec aliis obstricti;* quia potest quis esse sui iuris et tamen alteri obligatus, ut filius patri.

Ratio ita evidens videtur, ut ab ea afferenda Lessius abstineat. Scilicet per ingressum in religionem, quis se religioni tradit eidemque se totum obligat in perpetuum; id vero praestare nequit qui est sub iure alterius aut alteri obligatus, citra eius consensum. Ius enim alterius manifeste laederetur.

Regula ista, quae specie tenus clara videtur, cum ad eius applicationem fiat gradus, subest alicui difficultati. Nam ecce filius non emancipatus non est sui iuris et tamen potest absque consensu parentum religionem ingredi: aiunt, ipsum, pubertatem nactum, effici sui iuris in iis quae ad statum vitae pertinent (Lessius l. c. n. 35.). Scilicet,

cum dicuntur omnes illi et soli ingredi posse religionem, qui sunt sui iuris, intelliguntur ii, qui vel universim sunt sui iuris quoad liberam sui dispositionem vel saltem sui iuris sunt in iis, quae ad statum vitae pertinent, praesertim in iis, quae sunt divini obsequii (s. Thom. 2. 2. q. 189. a. 6.). Et puberes omnes esse in hac re sui iuris, communis est doctrina.

Item qui propter obligationem, quam ad alterum habent, nequeunt religiosi fieri, intelligendi sunt ii, qui obligatione vinciuntur, cui nequeunt facere satis, si religiosi fiant.

Alii ut canonistae (cf. Anacletum ad l. 3. tit. 31. *de Regularibus* n. 68. et Schmalzgr. ibid. n. 23.), respondent simplicius: *posse religiosos fieri generaliter omnes christianos, qui iure* (seu naturali seu positivo) *non prohibentur*. Quae est responsio frequens in similibus casibus. Atque hinc iure exceptos enumerant singillatim.

Utraque tamen responsio in idem per se redit, nam iure prohibiti ii sunt, qui in hac re non sunt sui iuris et sunt aliis obligati atque propter alterutram qualitatem aut utramque iure prohibentur: ut idcirco Theologi respondentes, intrinsecam rei rationem dare voluerint.

Restat ergo, ut videamus, quinam sub his regulis comprehendantur.

Unde resolves.

XXXVII. 1. Non possunt ingredi Religionem impuberes; quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitae dispositionem. 2. Nec filii, si parentes sine illis se alere nequeant. Laym. l. 4. tr. c. 4. n. 1. et supra l. 3. t. 3. c. 2. d. 1. 3. Nec servi sine consensu dominorum. 4. Nec qui decepit virginem sub promissione matrimonii. 5. Nec is, qui non est solvendo creditoribus, modo in saeculo manendo possit intra paucos annos solvere. D. Th. tamen, Sylv. Fumus v. *Religio*, et alii putant illum posse bona praesentia cedere creditoribus; quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. 6. Nec Episcopus, sine consensu Papae, cui iuramento se obstrinxit; praeterquam quod sit obstrictus suae Ecclesiae, sicut maritus uxori. 7. Nec coniuges post matrimonium consummatum; nisi vir per vim consummasset, ante expletos 2. menses, qui eis a iure conceduntur, aut nisi alter coniugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi posset.

144. 1° *Impuberes.* Impuberes sane nequeunt profiteri; id et vetere iure iam constitutum erat, quod ad professionem exposcebat pubertatem c. 1. *de Regularibus* coll. c. 11. ibid.; quia ad tantam obligationem subeundam perfectus usus rationis postulatur, quam Ecclesia, quae respicit id, quod in pluribus contingit, in sola pubertate praesumit: cf. s. Thom. 2. 2. q. 189. a. 5. Iure autem novo Trid. requiritur in utroque sexu annus 16^{us} completus.

Porro ante pubertatem, si iam habeant usum rationis debitum, valide saltem ingredi possunt monasterium et novitiatum inire, si praesertim

proximi sint pubertati (cf. dicta n. 36.): at si sine consensu parentum aut tutorum ingrediantur, possunt impuberes adhuc ab iisdem revocari: quia in eorum adhuc sunt potestate quoad dispositionem suae vitae, ait s. Thomas l. c., atque ita iure canonico stabilitum est, dummodo tamen intra annum a die ingressus vel eiusdem notitiae parentes aut tutores eosdem repetant: secus enim illorum consensus praesumitur c. 2. *de Regul.* Porro in c. 2. caus. 20. q. 2. conceditur parentibus et tutoribus annus et dies, quo revocare impuberem valeant. Cf. Sanchez *Decal.* l, 4. c. 18. n. 10.

145. Quaestio incidens occurrit: an voluntate parentum possint filii offerri monasterio et obligari ad professionem. Nam c. 3. c. 20. q. 1. dicitur ex Conc. Toletano 4°: *Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit.* Quam sententiam repetit Clemens III. c. 12. *de Regularibus.*

Verum distinguendum est: potest pater, attento saltem iure decretalium, offerre filium impuberem monasterio, ut ibi monasticae vitae assuescat c. 2. et. 12. *de Regular.* idque expedire probat s. Thomas l. c., iuxta illud Thr. III. *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* Impubes vero nactus pubertatem potest sponte resilire et e monasterio exire, non obstante voluntate offerentis aut monasterii cc. 11. et 14. *de Regular.* Pubes autem, cum iam in hac re sit sui iuris, nequit, absque suo consensu, monasterio tradi, ut in religione educetur. Utraque autem in hypothesi, professio, quae solum a pubere fieri potest, libera prorsus esse debet c. 1. tit. cit. « Nullus tondeatur (habita nempe ratione tituli *in monachum*), nisi in legitima aetate et spontanea voluntate ». Cf. et ibid. cc. 11. 12. 14. Obligatio enim ex voto est personalis et professio, quae non sit libera prorsus, irritatur (n. 39.).

Olim forte in quibusdam Ecclesiis mos ille inductus fuit, ut tanta auctoritas voluntati paternae tribueretur, ut impubes oblatus a patre monasterio, obligaretur, ex voluntate vel voto patris, monasticam vitam perpetuo agere, etsi citra professionem a se ipso editam idque nonnullis particularibus conciliis firmatum fuit, ut inter alios contendit Gonzales l. 3. tit. 31. ad c. 12. (decreta autem, quae citat, de professione facienda a filio sic oblato non loquuntur): at certe id auctoritas universalis Ecclesiae non probavit, imo reprobavit. Cf. Benedictum XIV. Const. *Eo quamvis* §. 21. 4. Maii 1745. s. Thom. l. c. Sanchez *Decal.* l. 4. c. 18. n. 9. Suarez *de Relig.* l. 6. c. 3., ubi tamen adverte, perperam afferri quoddam decretum Marcelli Papae. Hinc Trid. Syn. sess. 25. *de Regul.* c. 17. prospectum voluit integrae libertati puellae professurae et c. seq. anathemati subiicit omnes cogentes virginem vel viduam vel

aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis vel ad emittendam professionem.

146. 2° *Si parentes sine filiis se alere nequeant.* Advertit s. Thomas 2. 2. q. 189. a. 6. quod *per se* parentum est alere filios, non vicissim; nam parentes sunt, qui locum principii tenent: *per accidens* vero convenit ut parentes a filiis adiuventur, *in quantum scilicet sunt in necessitate aliqua constituti.* « Et ideo, subdit, dicendum est, quod parentibus in necessitate exsistentibus, *ita quod eis commode aliter, quam per obsequium filiorum subveniri non possit,* non licet filiis, praetermisso parentum obsequio, religionem intrare ». Idem docuit q. 101. a. 4. ad 4. « Ille qui est in seculo constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis relictis, religionem intrare; quia transgrederetur praeceptum de honoratione parentum... Si vero sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset ei, desertis parentibus, religionem intrare; quia filii non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis ». Quod repetit art. cit. ex q. 189. subdens: « Si vero non sint in tali necessitate, *ut filiorum obsequio multum indigeant*, possunt, praetermisso parentum obsequio, filii religionem intrare etiam contra praeceptum parentum; quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea, quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in iis quae sunt divini obsequii et magis obtemperandum est patri spirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut Apostolus dicit ad Hebr. XII. 9. ».

Porro inquiens s. Thomas: « ita quod eis *commode* aliter quam per obsequium filiorum subveniri non possit », loquitur non de sola extrema necessitate, sed et de simpliciter gravi, qua nempe parentes *multum* indigeant ope filii. Et sane plus obligantur filii parentibus, quam extraneis: at omnes iubentur subvenire extraneis in extrema necessitate: filii ergo et in gravi obligantur, cum possunt, erga parentes. Sanchez *Decal.* l. 4. c. 20. n. 4. Cf. et Caietanum 2. 2. q. 101. art. 4.

147. Doctrinam hanc ita proponit Anacletus in tit. 31. lib. 3. n. 76. « Suscipi in religionem nequit, cuius parentes iam actu sunt vel, ingrediente filio, brevi erunt in gravi vel extrema necessitate ». Gravem quoque necessitatem satis esse docet Busembaum in 4. Praecept. Dub. 1. resol. 4. (cf. Vol. II. n. 822.) et consentit s. Alph. heic n. 66. solum excludens necessitatem communem. Subdit ibid. Anacletus « supposito quod in seculo manens a tali necessitate eos liberare vel praecavere possit ». Itaque ius naturae, quod in his adiunctis iubet filios subvenire parentibus, prohibet illos ingredi religionem et res consilii omittenda est, cum urget praeceptum. Porro urgente praecepto, nequit esse

talis necessitas spiritualis filii, ut manens in seculo se non possit salvare et sanctificare, si velit.

Huc facit c. 1. dist. 30. ex Conc. Gangrensi.: « Si qui filii parentes maxime fideles deseruerunt occasione Dei cultus, hoc iustum iudicantes et non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sint ». Sane Clemens VIII. Const. *Cum ad regularem*, iubet ut admittendi interrogentur: *an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur.* Congruit id cum reprehensione Domini nostri adversus Pharisaeos Matth. XV. 5. 6.

Cessante vero dicta necessitate, integrum esse filiis vel filiabus puberibus, invitis quoque parentibus, ingredi religionem, ut docet s. Thomas l. c., probat et Clemens III. c. *Cum virum, de Regularibus* « tunc enim, quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem ».

Si tamen filius, non obstante necessitate parentum, profiteretur, professio valida foret; quia nullo iure irrita, sed solum illicita declaratur. Anacletus ibid. n. 78.

148. Atque haec de filiis nondum professis: sed magna quaestio est, ait s. Alph. n. 67., an, parentibus egestate pressis, filius iam professus, teneatur egredi, ut eis subveniat. Non agitur de solutione votorum; nam haec ad hunc finem haud est necessaria.

Respondet s. Doctor: si necessitas sit extrema (et, ut supponitur, consulere eis possit filius exiens e monasterio) certum est teneri: dummodo tamen providere parentibus non possit, nisi exeat: si enim subsidium praestare eis possit, manens in monasterio, patet nullam esse causam cur exeat.

Rectus ordo utique postulat, ut ea urgente necessitate, licentia exeundi petatur: at, quamvis non obtineatur, poterit professus egredi; quia debet.

Rationem vero nullam affert s. Doctor, cur certum sit teneri professos egredi in extrema parentum necessitate; forte quia nempe rem censuit evidentem, propter obligationem filii erga parentes, quam non putavit exstinctam per professionem.

Verum obstare videtur auctoritas s. Thomae in loco iam cit. ex 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. ubi negat, debere professos illud idem quod vult deberi a non professis, qui in extrema necessitate certe succurrere debent. « Ille vero, qui iam est in religione professus, reputatur iam quasi mortuus mundo: unde non debet, occasione sustentationis parentum, exire claustrum ». Nodum solvit Caiet. ibi, monens s. Thomam loqui non de necessitate *humana*, sed *paterna*, h. e. non de necessariis absolute, suppeditandis a quolibet homine, sed de necessariis patri a filio.

Idcirco differentia inter filium ante ingressum et post ingressum religionis, non intelligenda in verbis s. Thomae respectu extremae necessitatis, sed cuiusque necessitatis, in qua filius tenetur operas suas patri exhibere.

Interpretatio ergo, quam doctrinae s. Thomae adhibet s. Alph., ut de necessitate vel tantum gravi loquatur s. Thomas, probatur et Caietano, qui et doctrinam s. Alphonsi probat.

Et sane per professionem non exstinguitur naturalis obligatio filii erga parentes et reditus ad saeculum, quandiu parentibus subveniatur, non repugnat professioni, cuius obligatio quoad aliqua votum paupertatis spectantia, urgente naturae lege, licite suspenditur, sicut, aliis quoque intercedentibus causis, licite suspendi seu temperari solet ecclesiastico iure. Ratio est, ait Caiet. l. c., quia praeceptum iuris naturae et divini, in extrema necessitate, praeeminet omni voto et vinculo: neque vota debent esse impeditiva operum iustitiae.

149. Quid vero si necessitas sit tantum gravis? Difficultas primum erit in statuendo limite intra necessitatem *extremam* et *gravem;* non enim omnes hac in re consentiunt. Cf. dicta Vol. 3. Par. 2. *de Furto* n. 280. seqq. Ea est quid medium inter *extremam* et *communem* necessitatem ac in singulis casibus facile iudicio prudentum definiri poterit, an gravis sit necessitas, quae et ratione habita personarum, status etc. diiudicari debet.

S. Alph., ait tres esse sententias. Prima affirmat professum debere egredi; quia professio non exstinguit naturalem obligationem filii; quae sicut prohibuisset ingredi, ita iubet nunc egredi.

Altera distinguit, utrum necessitas parentum praecesserit an subsecuta sit professionem. In priore casu agnoscit obligationem egrediendi, secus in secundo. Hanc sententiam, quam tribuit Elbel, valde probabilem habet s. Doctor. Atque ita reapse censet Busemb. Cf. l. c. resol. 4. et 5.

Tertia, quam asserit probabiliorem, negat teneri filium egredi aitque non posse egredi sine licentia, sive necessitas haec parentum professionem praecesserit sive subsecuta sit.

Si licentia ergo detur, licitus est egressus; id porro supponit licentiam a superiore licite dari. Negatur tantum debitum exeundi ac potestas absque concessa licentia. Quae duo cohaerent; nam potestas exeundi absque obtenta licentia nequit esse nisi propter debitum seu obligationem exeundi.

Probari hanc tertiam sententiam, ait s. Doctor primo auctoritate s. Thomae allatis verbis ex 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. quae iam recitavimus n. praec. ubi s. Thomas, teste Caietano, non loquitur de necessi-

tate extrema, cum discrimen ponit inter ingressurum et iam professum, sed de gravi. Ratio Caietani est, quia in eis quae, praeter extremam necessitatem, debet filius patri, obligatur secundum conditionem sui status ideoque uxoratus non tenetur discedere ab uxore, ut patri succurrat. A pari ergo, quemadmodum et s. Alph. argumentatur, et religiosus secundum rationem sui status obligabitur patri, ut cum licentia utique superioris ei subveniat etiam exiens e claustro: at citra licentiam non teneatur; quia conditio sui status id non permittit. Et sic responsum est argumento primae sententiae.

150. Haec doctrina difficultatem non patitur, si necessitas parentum incidat post filii professionem. At si illa praecesserat, difficultas est: quia male filius professus est, cum teneretur succurrere parentibus: imo et male egit monasterium, si conscius eius necessitatis acceptavit professionem. An obligatio praevertens per subsequentem actum eidem iniuriosum auferri potuit, praesertim si exsecutio illius obligationis non sit incompossibilis cum professione? si in priore casu, cum nempe necessitas praecessit, superiores possunt licentiam exeundi concedere, in hoc altero, si conscii erant rei, videntur teneri ad dandam et sic debere religiosum exire. Dixi, si superiores rem noverant; nam secus, iure suo utuntur, si licentiam, quae ratione status non est debita, ipsi negant, etsi religiosus, propter crimen suum, teneatur eandem petere.

Huiusmodi forte est ratio, cur secundam sententiam, quae in hoc altero casu imponit professo obligationem exeundi e claustro vel saltem petendi ad id licentiam, s. Alph. dixerit valde probabilem et profecto vera probabilitas ei nequit denegari. Id porro sufficit, ut secundum eam sententiam recte agatur.

151. An quod in parentibus valet, valet etiam in fratribus et sororibus? Respondet s. Alph. n. 70. non licere eos deserere in necessitate extrema, si se nequirent absque tuo auxilio et opera sustentari: licere vero in gravi. Et sane multo minor est obligatio pietatis erga fratres, quam erga parentes. Schmalzgr. tamen l. 3. tit. 31. n. 43. si necessitas sit tantum gravis, distinguit. Vel enim fratres sororesve sunt adhuc sub cura parentum, vel non. Si prius, indigentia fratrum est argumentum indigentiae parentum, qui gravi necessitate premuntur, ut nequeant se et filios, prout oportet, sustentare. Tunc ergo parentibus providendum, iuxta dicta superius. Si alterum, non tenetur quis ob gravem necessitatem fratrum, differre saltem ad longum tempus ingressum in religionem; quia obligatio succurrendi fratribus est tandem ex caritate, licet arctior propter naturalem coniunctionem et per se eiusdem generis ac obligatio erga extraneos esse videtur. Ita ex Suarez tr. 7. l. 5. c. 6. n. 4. Et sane nec s. Thomas nec alii specialem obli-

gationem ob necessitatem fratrum agnoscunt, sed solum loquuntur de necessitate parentum. Est tamen haec causa fratrum, ait Suarez, ratio sufficiens ad differendum vel omittendum ingressum in religionem (nisi voverit ingressum, de quo postea); quia opus est magnae caritatis fratrum curam habere. Quid si sorores patiantur periculum incontinentiae? Laudabile esse, ait Schmalzgr. l. c. differre aliquo tempore ingressum: sed non esse obligationem; quia tuae curae commissae non sunt.

Quod si necessitas extrema fratrum, professione iam facta, superveniat, non obligatur frater exire, etsi cum licentia superioris possit. Ratio ex dictis patet, et sane frater non tenetur erga fratrem plusquam proprius status permittat.

152. Quaeres forte, an quod valet in necessitate corporali parentum, de qua hactenus locuti sumus, valeat quoque in necessitate spirituali. Perpende 1° bona spiritualia non ea esse, in quibus fundatur coniunctio et amicitia inter parentes et liberos, cf. Vol. II. n. 165. seqq. 2° Necessitatem spiritualem in hoc quoque differre a corporali, quod fere semper libera sit, ut in potestate sit eam patientis, se ab ea liberare. Identidem tamen contingere potest, ut sit necessitas absque culpa: puta si filius parentum gentilium conversus ad fidem velit fieri religiosus: parentes autem nondum audierint praedicationem fidei aut nondum satis edocti sint, spes autem sit forte ut convertantur, si filius cum iisdem manens eorum institutioni incumbat.

His in adiunctis prudens forte praelatus non esset admissurus filium in religionem, nisi cum longe differenda videretur conversio parentum aut nisi filius manens in saeculo, periculo peccandi gravi exponeretur aut nisi alio pacto consuli posset saluti aeternae parentum et forte ab ipso filio postquam religiosus evaserit. Nam etiam in spiritualibus parentes carnales aliis omnibus, quibus utiles esse possumus, praeferendos esse probabile est saltem: cf. l. c.

In aliis spiritualibus necessitatibus, in potestate erit parentum se ab illis eximere vel nullum damnum incurrent, si forte non possunt. Porro huiusmodi necessitates nequeunt esse per se ratio, cur filius tantum bonum amittat, ut non sequatur Christum vocantem ad religionem.

153. Ex dictis solvi potest quaestio, an liceat filiis, invitis et insciis parentibus, religionem ingredi. Sane cessante causa necessitatis, de qua locuti sumus, ius habent filii, quod paterna potestas abolere non potest, de statu vitae secum ipsis deliberandi et capessendi, si velint, consilia Christi. Etsi ergo parentes nolint, cum eorum consensus non sit necessarius, potest filius, invitis quoque parentibus, religiosus fieri. At prae-

termitti non debent officia, quae honor et pietas exigunt, cum praestari possunt: scilicet monendi sunt parentes et licentia petenda; merito enim parentes conquererentur et aegre ferrent, se improviso derelictos a fugitivo filio veluti captivo; cum rogati licentiam fuissent daturi: si praesertim filius nondum sit emancipatus. Qua in re, ad vitanda scandala et inutiles contentiones, habenda est quoque ratio legum regionis, quae auctoritatem patrum in filios definiunt. Cum vero parentes, semel ac rogati sunt, negent licentiam, monent communiter DD., non statim maturandam esse a filio discessionem, saltem si is sub eorum adhuc est potestate: ius enim et ipsi habent rem perpendendi et cavendi, ne filius imprudenter se gerat.

Exspectandum est ergo paulisper, donec parentes obligationem suam intelligant et si filius facile potest eorum consensum obtinere, non debet discedere absque parentum benedictione. At si probabile sit periculum, ne parentes iniuste vocationis suae exsecutionem sint impedituri, poterit et identidem debebit filius abire, insciis parentibus.

Et ideo, ait s. Alph., ut plurimum, in praxi, filii excusantur, si insciis parentibus domum relinquunt.

Etsi vero parentes possint quoddam experimentum sumere vocationis filiorum, antequam novitiatum hi ingrediantur, ne imprudenter filii se exponant dedecori reiectionis, quod et familiae molestum esse solet et ne annum inutiliter terant: iis tamen non licet experimenti gratia postulare, ut filii vel primoribus labiis mundi voluptates praegustent, quod foret in perditionis semitam eos inducere et inepte, si his rebus afficiantur filii, concluderent parentes, veram non esse vocationem. Nam potest esse vera vocatio, quae tamen culpabiliter deseratur.

154. Idem s. Doctor monet aequum non esse, ut in deliberatione de capessendo statu religioso filii consilium parentum exquirant; tum quia ipsi huius rei experientiam non habent, tum quia generatim amore carnali ducuntur et proprium commodum vel temporale solum filii commodum quaerunt. Et affert verba s. Thomae ex opusc. 17. c. 10. « Ab hoc consilio primo quidem amovendi sunt carnis propinqui: dicitur enim: causam tuam tracta cum amico tuo. Propinqui enim carnis in hoc negotio amici non sunt, sed inimici, iuxta sententiam Domini: inimici hominis domestici eius ». Et 2. 2. q. ult. a. 10. ad 2. « Frequenter amici carnales adversantur profectui spirituali ».

Peccantne parentes, qui sine iusta causa retrahunt filios a statu religioso ? Si vi aut fraude utantur, manifestum est peccare graviter; quia est gravis iniuria. Et sane Trid. Syn. sess. 25. *de Regul.* c. 18. non solum subiicit anathemati eos omnes, qui quomodocumque cogunt quamlibet mulierem invitam ingredi monasterium etc. eorumque co-

operatores, sed et eos, *qui sanctam virginem vel aliarum mulierum voluntatem velum accipiendi vel voti emittendi quoquo modo, sine iusta causa, impedierint.*

Peccatum ergo est grave et si grave est in feminis erit tale et in maribus, etsi poenis voluerit Synodus libertatem feminarum solum tueri; quia debilior est sexus et mobilior.

Quod de parentibus dicitur, id et in extraneis valere debet omnesque Synodus comprehendit: idcirco si quis seu vi, metu gravi iniuste incusso, seu fraude, falsis e. gr. consiliis data opera decipiat incautum ut eum a proposito removeat ingrediendi religionem, graviter peccat; impedit enim illius, sine iusta causa, sanctam voluntatem; quod grave esse peccatum Trid. significavit.

155. Si vero absque vi vel fraude ideoque absque ulla intentione cogendi aut decipiendi, parentes precibus, hortationibus, promissionibus, obiectis commodis vitae secularis, splendoris familiae etc. retrahunt filios a religione, peccantne graviter? Advertere licet, quod, si agatur de adolescentibus in minore adhuc aetate constitutis, aegre in praxi consilium parentum immune erit ab aliqua specie deceptionis. Nimis enim filii iis fidunt et frequenter idonei per se non sunt vitium argumentorum detegere. Sed ponamus nullam esse fraudem aut deceptionem.

Primo si parentes non advertant satis quod faciunt et inadvertentia non sit graviter culpabilis, excusabuntur a peccato gravi. Seposita hac hypothesi, si parentes noscant filios esse a Deo vocatos, peccare illos graviter hoc pacto impedientes ne religiosum statum filii suscipiant, dicendum esse cum communi DD. affirmat s. Alph. n. 77. Ratio s. Doctoris est: « quia hoc non potest esse sine gravi damno illius, qui a religione distrahitur: unde sive vi id fiat aut fraude, sive precibus aut alio modo, non potest a peccato gravi excusari ». Grave autem damnum in hoc situm esse dicit s. Doctor, quod « qui in saeculo manet contra Dei vocationem, non habebit congrua auxilia gratiae, quae in religione Deus illi praeparavit, quibus destituti, licet auxiliis ordinariis salvari possint, de facto tamen difficulter salutem adipiscentur » n. 78. Ita et Gury V. 2. §. 151. resp. 2.

Monet tamen s. Doctor, quod Suarez tr. 7. *de Relig.* l. 5. c. 9. n. 9. aliter censet. Et sane hic ait l. c. « Si quis, absque iniuria violentiae aut deceptionis, alium avertat ab ingressu religionis, precibus vel promissionibus, illud non est ex genere suo peccatum mortale; quia ibi non intervenit iniuria, neque inductio ad malum neque aversio seu abstractio a bono ad salutem necessario: cur ego ibi erit gravis malitia? Nam licet alter grave detrimentum patiatur, non tamen involun-

tariae, sicut per vim aut deceptionem; sed quia libere consentit: ergo inde non redundat in alium malitia saltem mortalis ».

156. Ex eo, quod neque vi neque fraude uteris, sed solum suades et is libere suasioni tuae consentit, sequitur te ex iustitia non esse erga illum obligatum; nemo enim ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur erga accipientem consilium, cf. Vol. 3. P. 2. n. 142.: sed non sequitur te non peccare contra caritatem idque Suarez in seqq. concedit. Porro si peccatum est contra caritatem, unde eius levitas aut gravitas dignoscetur? nonne ex damno, quod sequitur proximo? Qua in re doctrina eximii Doctoris non satis est clara. « Sed licet verum sit tunc non esse tam grave (prius dixerat malitiam mortalem abesse) peccatum; est tamen sine dubio peccatum *multum repugnans* ordini caritatis et respectu Dei a cuius maiori obsequio homo separatur et respectu ipsius proximi, qui a maiori bono impeditur, quod licet precibus fiat, alienum est ab officio christianae amicitiae ». Videtur velle dicere, hoc peccatum esse grave intra ambitum peccati venialis; nam mortalem excluserat: s. Alph. tamen arripiens eius verba, ait: « si igitur tale peccatum *multum repugnat* ordini caritatis, quis dicet illud non esse grave? Fatendum est locutionem Suarez non admodum esse idoneam, etsi ex contextu eius possit sensus colligi et simul fatendum, eundem Suarez non satis definivisse quanta sit malitia huius peccati ».

Ceterum cum s. Alph. affirmet omnino tenendum cum communi parentes hoc pacto retrahentes filios a religione peccare mortaliter, non satis assequimur, cur anceps deinde veluti maneat nolitque suum iudicium ferre in quaestione: *an sit in malo statu conscientia eorum, qui certi moraliter iam facti de vocatione Dei ad religionem, nituntur sibi suadere, manendo in seculo vel ad illud redeundo, salutem suam aeque facile facere posse* atque id proinde exsequuntur. Affirmat quidem non videri dubitandum, quod isti magno discrimini salutis se exponunt, etiam argumentum affert, quo probetur eos peccare mortaliter: at tandem concludit: « Ceterum nolo in hoc puncto absolutum iudicium proferre, sapientibus illud relinquo », e quorum numero nos non sumus.

Verum si nequit cum certitudine affirmari, peccare mortaliter hunc hominem, qui illud sibi suadet et secundum eam suasionem operatur: quî certum erit peccare mortaliter eum, qui hoc ipsum absque ulla fraude ei suadet? Certe status peccati a peccato actuali pendet: ut nempe ille sit in statu peccati eo quod, etsi certior factus divinae vocationis, vult in seculo manere, oportet, ut mortaliter peccaverit cum primum id scienter deliberavit: hinc si certus non est ille status pec-

cati, neque certum erit hoc actuale mortale peccatum; si autem hoc non est certum, quomodo certum est, peccasse mortaliter illum, qui id ipsum ei suasit? Verum haec et nos multo magis par est ad sapientes reiicere.

157. Quaeri etiam potest, an liceat parentibus religiosum inire statum, filiis relictis in seculo. Perpendatur doctrina s. Thomae l. c. q. 189. a. 6. distinguentis inter obligationem parentum et filiorum. « Parentes habent rationem principii, in quantum huiusmodi. Et ideo *per se* eis convenit, ut filiorum curam habeant. Et propter hoc non licet alicui filios habenti religionem ingredi, omnino praetermissa cura filiorum, idest non proviso, quomodo educari possunt. *Per accidens* tamen parentibus convenit, ut a filiis adiuventur, in quantum scilicet sunt in necessitate aliqua constituti ». Itaque quandiu parentum cura necessaria est educationi et sustentationi filiorum, donec sibi ipsi sufficiant bonis instructi paternis vel iis quae arte aut professione sua acquirant, nequeunt parentes ingredi religionem. Fieri vero potest, ut pupillis etiam vel minoribus exsistentibus liberis, cura parentum non sit necessaria, si providere hi aliter possunt commode educationi illorum, puta, traditis ipsis in curam et tutelam avi aut patrui et opibus necessariis relictis pro vita agenda secundum suum statum.

158. *Nec servi sine consensu dominorum.* Sermo est 1. de servis proprie dictis. Et res clara est; non sunt enim sui iuris sed alterius, si tamen servum a monasterio receptum dominus intra tres annos a die notitiae non requisiverit, reddi ei amplius non debet, c. ult. c. 17. q. 2. et tunc poterit profiteri.

Tum 2. sermo est quoque de servis adscriptitiis et originariis, qui nempe glebae vel fundo colendo adscripti sunt vel ab origine sua addicti. Ita Schmalz. l. 3. tit. 31. n. 29. cum aliis. Nequeunt enim eo quod tales, invito aut ignorante domino inde avelli. Pro iisdem porro valet privilegium triennale supradictum.

Nec qui decepit virginem sub promissione matrimonii. De hac re iam satis actum est in Vol. praeced. 473. seqq.

159. *Nec is, qui non est solvendo creditoribus* etc. Certum est principium; observationem praecepti praeferendam esse observationi consilii certumque est pariter quod si observatio praecepti evadat impossibilis, integrum est homini, dimissa re alioquin praecepta, amplecti consilia.

Certum pariter est, personam debitoris esse aliquo modo creditori obligatam, cum creditor habeat actionem in personam debitoris; haec tamen obligatio est tantum ratione rei, quam debitor debet; persona vero per se non est obligata creditori, h. e. non est eius servus, sed

manet sui iuris; quamvis aliqua poena corporali puniri identidem possit, quae non infert tamen capitis deminutionem. Id secundum iura civilia suae aetatis aiebat esse s. Thomas l. infra citando idque valet etiam nostra aetate. Ubi obiter adverte, s. Thomam, in demonstratione suae sententiae afferenda rationem habere quoque iuris civilis et constat quod olim apud veteres Romanos, debitor, qui non solveret, a creditore in servum poterat mancipari.

Cum ergo persona debitoris libera sit seu sui iuris, professio, qua se religioni tradit et obligat, valida erit; nisi alio speciali iure professio irritetur.

Ex praemisso principio manifeste consequitur, debitorem, qui est par solvendo, non posse ingredi religionem h. e. profiteri, nisi prius solvat aut ita de suis bonis disponat, ut congruo tempore creditoribus satis fiat. Sanchez *Decal.* l. 4. c. 19. n. 3.

Si e contrario certum sit, certitudine morali, debitorem in seculo manentem, nunquam futurum parem debitis solvendis vel parti debiti, quae per se sit notabilis, potest statim ad religionem transire. Quorsum enim in seculo maneret? Cf. n. 12.

160. Quid vero, si quamvis nunc non par, futurus par deinceps speretur, manens in seculo, solvendis debitis?

Porro si debita non certa sint, sed incerta, quae idcirco pauperibus distribuenda forent, etsi is in seculo manens evasurus esset brevi par solvendo: non tenetur tamen propterea differre ingressum: « quia ait s. Alph. n. 71., cum obligatio elargiendi debita incerta pauperibus non sit ex iustitia et iure naturali, sed ex pietate et iure ecclesiastico (cf. Vol. praec. n. 402. seqq.), ideo bene talis debitor potest, omissa restitutione, religionem petere, cum nihil tam sit pium, quam se suaque omnia Deo in religionem dicare ».

Id porro intelligitur, ait Sanchez n. 4. a s. Doctore citatus, si ingressurus religionem ea debita debeat nomine suo; nam, ait Sanchez, si is iussus esset pauperibus aliqua aliena incerta debita erogare atque ipse eadem consumpsisset, non reputaretur tanquam debitor incertorum, qui solo iure ecclesiastico tenetur ea pauperibus elargiri, sed naturali iustitiae lege ad id teneretur non aliter quam ad quaecumque alia debita certa domini ».

Pariter id, quod modo diximus, valet etiam, si debita non sint ex contractu oneroso aut delicto, sed ex gratuito contractu, ex liberali scilicet promissione. Nam haec est conditio implicita in his liberalibus promissionibus: nisi religioni me tradere voluero, ut ait Sanchez l. c. n. 10. coll. 31.: sive, ut ait Busemb. tr. VIII. p. 2. n. CXXXVIII., quia haec debita includunt tacitam conditionem; nisi quid obstet.

Itaque difficultas est, quando debita ex contractu oneroso aut delicto sunt certa et quamvis nunc debitor non sit solvendo, spes est tamen fore ut, si in seculo maneat, possit solvere, an teneatur differre ingressum, donec solvat, an possit statim ingredi.

161. Sunt qui censuerunt illicitum esse ingressum et oportere hominem in seculo manere quamdiu suis creditoribus fecerit satis. Ita Gerson in Tractatu hac super re, allegans quoque alios Parisienses Doctores et Valentia 2. 2. disp. 5. q. 6. p. 7. Ratio est, quia naturale praeceptum iustitiae praeferendum est consilio religionis et haud aequum est lucrum quaerere spirituale, cum damno tertii.

Alii censuerunt posse ingredi statim, exhibitis bonis suis, si qua habet, creditoribus. Ita s. Thomas 2. 2. q. ult. a. 6. ad 3. « Si debeat aliquam pecuniam et non habeat, unde reddatur, tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis, secundum iura civilia, non obligatur, sed solum res; quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae. Unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare nec tenetur in seculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat ».

Tertia sententia est eorum, qui distinguunt et aiunt: si spes sit brevi vel non admodum longo tempore solutum iri debitum, nequit statim religionem ingredi, sed maneat in seculo, quandiu solverit; si nonnisi post longum tempus esset exhauriendum debitum, integrum ipsi est intrare statim. Argumentum huius sententiae est, quod qui brevi vel totum vel partem notabilem potest solvere, iam nunc dicendus est posse solvere sive aequiparandus est ei qui modo solvendo est: e contrario, qui nonnisi post longum tempus esset soluturus, comparandus est illi, qui non est simpliciter solvendo. Habes utriusque praecedentis sententiae temperamentum et conciliationem, qua utrique aliquid conceditur. Ita Sanchez l. c. n. 8. et s. Alph. n. 71. sententiam hanc ait sibi videri probabiliorem; omnes autem tres esse probabiles.

Non convenit inter assertores tertiae sententiae, quantum tempus dicatur breve; nam quidam aiunt triennium, quidam biennium, ut Sanchez.

162. Iam vero prima sententia principio nititur satis certo: obligatio praecepti praevalet consilio. In argumento secundae sententiae vis illationis non bene apparet; ex eo enim quod homo est sui iuris et persona superat omnem existimationem pecuniae, non intelligimus, cur persona, propter aliquod factum suum nequeat obligari ad aliquid faciendum, quo libera sui dispositio minuatur; cum id in omnibus obligationibus plus minus contingat. Dices, agi heic de praestantissimo bono et aeterna salute: verum istud medium pro salute aeterna ne-

cessarium per se non est et cum quis in seculo manet, ut obligationi suae satisfaciat, sperare debet congruentia auxilia, quibus, si velit, et salvetur et sanctificetur.

Sane iuxta hanc sententiam etiam quilibet magno aere alieno gravati possent religionem ingredi: id tamen non visum Sixto V. qui Const. *Cum de omnibus* ann. 1587. vetuit *ingenti aere alieno supra vires suarum facultatum gravatos* religionem ingredi, imo eorum admissionem et professionem irritavit. Hanc quidem irritationem sustulit Clemens VIII. Const. *In suprema* ann. 1602.; retinuit tamen prohibitionem. Unde habes, iure etiam positivo haud posse nunc huiusmodi debitores religionem licite ingredi: quod Bouix *de iure regul.* p. 4. sect. 1. c. 1. §. 1. de illis quoque accipit, qui impares semper solvendo futuri essent; quia Sixtus V. non distinguit inter eos, qui spem habeant et qui non habeant aliquando solvendi et sane etiam quoad istos ratio esse potest et multiplex, cur non deceat eos admittere. Secus censet Tamburini *de Iure Abbatum* tom. 3. disp. 6. q. 3. n. 11.

Tertia sententia vitium habet earum, quae medium inter duas occupare volunt, quae non raro ea infirmitate laborant, qua singulae extremae seorsim.

Prima sententia nobis est verisimilior eamque tenet Schmalzgrueber in tit. *de Regularibus* n. 39. amplectens doctrinam Valentia, dummodo agatur de debitis ex contractu oneroso vel delicto. Ita et Laymann *de Restitut.* c. 12. n. 6. alios citans. Haec certe est praxis Ordinum religiosorum, ut aere alieno gravatos non admittant, nisi se eo liberare statim valeant, ut idcirco haec disputatio nihil ad praxim conferre videatur. Adde rationem quoque esse habendam legum civilium, quae circa debita et debitores versantur, quaeque nec bonis suis legitime cedentes absolvunt ab onere restitutionis, neque religiosum statum reverentur.

163. Pariter nequeunt licite religionem ingredi, qui *rationibus reddendis* sive *ratiociniis* seu *publicis* seu *privatis sint obnoxii.* Ratiocinium est, ait Anacletus tit. *de Regularibus* n. 71. redditio rationis consurgens ex administratione rei publicae vel privatae. Omnes administratores rerum publicarum obnoxii sunt ratiociniis. Rei privatae administratores sunt Tutores, Curatores, Procuratores, Executores testamentorum etc.

Hos omnes religionem ingredi vetuerunt Sixtus V. et Clemens VIII. Constitt. citt. Attamen prohibitio coarctatur, ait Bouix l. c. ad casum, quo *lis* aut *molestia*, propter rationes reddendas, impendeat aut merito timeatur, ne obiiciatur; nam id clare exprimit textus Sixti V. Sane, si tales susciperentur, id *facile*, ut ibidem dicitur, *cedere posset in Re-*

ligionis opprobrium, in Dei offensam et scandalum plurimorum. Quae est ratio satis idonea, cur res non liceat. Quocirca qui absque lite vel notabili (nam parum pro nihilo reputatur) molestia ab administratione se expediturus esset, posset recipi.

164. *Nec episcopus* etc. Si Episcopus iam sit confirmatus, nequit, absque obtenta licentia Papae, ecclesia derelicta, ingredi religionem. Vinculum scilicet (spiritualis matrimonii), quod inter Episcopum et suam ecclesiam intercedit, solus Papa dissolvit, c. *Licet de Regularibus* c. *Inter, de Translat. Episcopi* c. *Nisi cum pridem, de Renuntiatione.* « Illa semper regula (ait Innocentius III. c. primo citato) inviolabiter observata, ut nullus absque licentia Rom. Pont. praesumat occasione quacumque deserere Praesulatum; quoniam sicut maius bonum minori bono praeponitur, ita communis utilitas speciali utilitati praefertur... Unde quando potest Episcopus praeesse pariter et prodesse, non debet cedendi licentiam postulare aut etiam obtinere ». Et in altero cap. citato, id probat idem Innocentius III. ex spirituali vinculo, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, quod solum divina potestate dissolvitur ideoque auctoritate Rom. Pont.

Id valere ait in Episcopo electo et confirmato; nam nequit in dubium revocari, « quin post electionem et confirmationem canonicam inter personas eligentium et electi, coniugium sit spirituale contractum ».

Atque haec in Episcopis quoque titularibus valere ait Schmalzgr. l. c. n. 32.: quia et ipsi certae ecclesiae devincti sunt.

Causas, ob quas Rom. Pontif. facultatem concedere solet Episcopis, ingrediendi Religionem, vide apud Schmalzgr. n. 31. vel lege c. *Nisi cum pridem, de Renuntiatione,* ubi singillatim ab Innocentio III. recensentur.

165. *Nec coniuges* etc. De bimestri a iure concesso recens nuptis, dicemus in tr. *de Matrim.* Consummato matrimonio, excipit A., nisi alter coniugum admiserit adulterium: adde et nisi alter in haeresim vel apostasiam lapsus sit et monitus de errore pertinaciter perseveret, postquam iudicio Ecclesiae facta sit separatio c. ult. *de Convers. coniugatorum:* item nisi alter coniux libere consentiat: quo casu, si coniux manens sit iuvenis vel suspectus de incontinentia, debet et ipse ingredi religionem c. *ad Apostolicam* tit. cit.: si vero sit senex et non suspectus de incontinentia, sufficit quod votum continentiae emittat in seculo manens c. *Significasti* tit. eod. Praeterea, ut ex consensu alterius alter coniux licite ingrediatur religionem, hodie, ait Schmalzgr. in cit. tit. n. 32., in praxi observatur, ut accedat consensus Episcopi.

166. Enumeratis ab A. qui nequeunt in Religionem admitti, adde *criminosos,* eos nempe, qui fuerint a seculari iudice inquisiti vel apud

eum accusati homicidii, furti, latrocinii ac similium atque graviorum criminum; si tamen crimina ex *actis publicis constiterint*. Ita Sixtus V. Const. cit. qui et professionem horum irritavit: at Clemens VIII. Const. cit., prohibitionem servans, abrogavit irritationem. Intellige, nisi in iudicio absoluti fuerint et eorum innocentia declarata. Suarez *de Relig.* tom. 3. l. 5. c. 7. n. 19. Imo idem Doctor probabile censet, ex vi Const. Sixtinae, non prohiberi reos istos et convictos ingredi religionem, si poenam absolverint et reipublicae ac parti, si opus erat, satisfecerint: quamvis aliunde forte, e. g. perseverantis infamiae, prohiberi possint.

Idem Sixtus ead. Const. vetuerat recipi *illegitimos*. At hanc praescriptionem revocavit Gregorius XIII. Const. *Circumspecta* ann. 1590.

167. Quaeritur an Parochus et ceteri clerici possint religionem ingredi sine consensu Episcopi. Sermo est de quolibet regulari statu, eo quoque, ubi religiosus de sua salute et perfectione tantum sollicitus, sibi soli vivit.

Sunt quaedam distinguenda. 1° Si clericus, ob gratuitam institutionem acceptam aliamve causam, se obligavit pacto ad servitium dioecesis per aliquod tempus, non ei licet, antequam pacto satisfecerit, arbitrio suo ingredi religionem.

Ratio est evidens; quia pactum illud est admodum honestum et Ecclesiae utile; obligatio autem servandi pacti est res praecepti, quae praevalet consilio. Constat etiam ex praxi collegiorum, quae Pontificia magnificentia fundavit Romae, in quibus, ex Pontificia lege, huiusmodi promissiones iuratae fiunt nec, nisi expresse dispensante Papa, integrum est eas praeterire. Et cave ne reprehendas talia iuramenta ex eo capite, quod impediant singulis ingressum religionis, quae est quid perfectius; nam 1° proprie non impediunt, sed tantum potius differre iubent: 2° ex fine tandem omnia pensanda sunt et Ecclesiae Christi utilitas, quae est commune et divinum bonum, ceteris praeferenda est. Porro ipsius Ecclesiae conservatio et efficax virtus postulant, ut singulae dioeceses suo sint instructae clero et huius perennis exsistentia certa sit: quod eminens bonum comparatur supradicta institutione. Id vero praestantius est bonum, quam quod hic aut ille religionem ingrediatur, dioecesi, a qua altus est, in discrimen certum adducta carendi necessariis pastoribus et adiutoribus.

His pactis non perpetuum obsequium ecclesiae suae, sed ad certum tempus promittitur atque id satis est, ut necessario clero ecclesia non destituatur.

Si perpetuum obsequium promitteretur et si haec praxis communiter frequentaretur, (nam in nonnullis potest occurrere ratio specialis), absque causa impediretur libertas singulorum se dedicandi Deo in re-

ligione et dum ecclesiarum existentium commodo prospiceretur, privaretur Ecclesia vel Apostolica Sedes operariis pro conversione infidelium. Iam vero et libertas parendi Deo vocanti ad religionem debet esse in tuto atque Episcoporum officium est consilia evangelica commendare et religiosa Instituta promovere; tum opus est praesto semper esse Ecclesiae operarios, quibus mandatum Christi exsequatur: *euntes docete omnes gentes.*

2° Si ecclesiae grave esset subeundum detrimentum ex clerici transitu ad religionem, potest Episcopus transitum impedire et eundem qui transierit, etiam post professionem, repetere.

Id declaravit Benedictus XIV. Const. *Ex quo,* ann. 1747. his verbis: « Quod vero ius certis in casibus certisve de causis competit superiori Ordinis laxioris, ut suum subditum regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post sollemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat, idem similiter certis in casibus iustisque exigentibus causis Episcopo competit, ut suum clericum secularem Ordini regulari adscriptum repetere possit... Satis itaque provisum est etiam Episcopo qui factum clerici sui, ad regularia claustra, se invito, digressi, impugnare velit ». Ita et Fagnanus in c. *Licet, de Regularibus:* « Quamvis clericus secularis possit transire ad religionem, non petita Episcopi licentia, quinimo et ipso contradicente... tamen posset Episcopus eum repetere, si ex eius transitu ecclesia gravem pateretur iacturam, secundum Innocentium... Abbatem ». Cf. s. Alph. l. 4. n. 75. et l. 6. n. 828.

168. His casibus sepositis ideoque re per se spectata, certum est clericos inferiores Episcopo, animarum etiam curam habentes, posse absque Episcopi licentia transire ad religionem.

Benedictus XIV. Const. *Ex quo* demonstrat id primum ex canonibus, qui in collectione Gratiani habentur caus. 19. q. 1. can. *Clerici* et can. *Duae sunt:* quorum prior est Concilii Toletani IV. alter Urbani II. « Clerici, aiunt Toletani Patres, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem viam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. » Et Urbanus II. « Si quis horum (clericorum beneficiatorum) in ecclesia sub Episcopo populum retinet et seculariter vivit, si afflatus Spiritu S. in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit: quia lege privata (Spiritus S. scilicet inspirantis) ducitur, nulla ratio exigit, ut lege publica (quae vetat clericum ab una ad aliam transire ecclesiam absque consensu Episcopi) constringatur. Dignor enim est privata lex, quam publica. Spiritus siquidem lex est... et quis est, qui Spiritui S. possit digne resistere? Quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber, Nostra auctoritate ».

Demonstrat deinde idem Benedictus XIV. auctoritate Sanctorum S. Thomas 2. 2. q. ult. a. 7. quaerit: *an presbyteri curati possint licite religionem ingredi* et respondet affirmative. « Dicendum, quod obligatio voti perpetui praefertur omni alii obligationi. Obligari autem voto perpetuo et sollemni ad vacandum divinis obsequiis competit proprie Episcopis et Religiosis. Presbyteri autem curati et Archidiaconi non obligantur voto perpetuo et sollemni ad curam animarum retinendam, sicut ad hoc obligantur Episcopi ». Sive ut ait ad 1^m: « Presbyteri curati et Archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam subditorum, quandiu retinent Archidiaconatum vel parochiam: non autem obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo Archidiaconatum vel parochiam teneant ». Hinc concludit: « Episcopi praesulatum non possunt deserere, quacumque occasione, absque auctoritate Rom. Pontificis: Archidiaconi autem et Presbyteri curati possunt libere abrenuntiare Episcopo curam eis commissam, absque speciali licentia Papae, qui solus potest in votis perpetuis dispensare. Unde manifestum est, quod Archidiaconis et Presbyteris curatis licet ad religionem transire ».

Neque obstat obedientia Episcopo promissa; nam haec intelligitur promissa secundum canones: atqui canones (cf. verba Urbani II. mox citata), permittunt presbyteris curam animarum habentibus, ad religionem transire, etiam contradicente Episcopo. S. Alph. l. 6. n. 828.

Idem docet s. Antoninus in *Summa* p. 3. tit. 16. c. 2. §. 2. » Archidiaconis et Presbyteris curatis licet ad religionem transire, etiam Eipscopo contradicente ».

169. Adde auctoritatem ipsius Benedicti XIV. id statuentis hac sua Const., qui, cum Card. Quirinus, conquestus quendam archidiaconum suum absque suo consensu ad Societatem Iesu transiisse, libello edito demonstrare aggressus esset, oportere Papam declarare, non posse clericos sine Episcopi licentia religionem ingredi, eidem respondit, ut in simili casu s. Gregorius (epist. 35. lib. 12.) cuidam alii Episcopo responderat: tales clericos nedum a suo proposito non esse impediendos, sed potius ad perseverantiam hortandos et confirmandos. S. Alph. l. 4. n. 75.

Ratio est manifesta. Cum tales Presbyteri non se obligaverint perpetuo obsequio Ecclesiae, ius habent, sicut ceteri fideles, fruendi beneficio, quod Christus omnibus praeparavit et cum in statu minus perfecto versentur, ius habent transeundi ad perfectiorem statum, ut suae salutis negotium securius agant.

Cum possint hi, etiam contradicente Episcopo, ad religionem transire, non est per se necesse licentiam petere: cum praesertim nullo iure haec obligatio imponatur. Nihilominus reverentia debita Episcopo postulat,

ut (si fieri potest) quilibet clericus certiorem Episcopum faciat de suo ingressu et licentiam petat. Quod si sit presbyter curam animarum habens, oportet utique Episcopum ab eo tempestive moneri, ut defectum eius supplere possit. Quocirca s. Thomas l. c. insinuat, abrenuntiationem ab his faciendam esse Episcopo. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 34.

Nunc autem, cum oporteat quemlibet ingredientem religionem afferre testimoniales litteras Ordinarii (cf. data n. 31.), patet, fieri in praxi non posse, ut aliquo modo licentia Ordinarii non petatur.

Monet Bouix l. c. prop. 3. quod facultas facta clericis ingrediendi religionem, valet et pro ingressu in eas congregationes, quae solum vota simplicia sed perpetua emittunt. Quia ratio legis non est sollemnitas votorum, sed perfectio status religiosi, quae ibi quoque reperitur.

Porro hanc esse rationem factae potestatis patet conferenti canones citatos.

170. Quaerit Gury V. 2. §. 150., quomodo peccet, qui non vocatus, statum religionis nihilominus suscipit. Forte prius quaerendum erat, an peccet vel melius, iudicium prius ferendum erat de ipsa hypothesi. Nam reapse consilia perfectionis omnibus indiscriminatim a Cristo sunt proposita, ut idcirco s. Thomas generatim affirmaverit 2. 2. q. ult. a. 9., quod inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum praemium merentur et peccare eos tantum dicit, qui modo indebito inducunt, nempe vel violenter vel simoniace vel mendaciis: art. vero sequenti negat opus esse consultatione, ut quis ingrediatur religionem; quia consilium requiritur in re dubia: atqui certum est, quod ingressus in religionem est melius bonum et qui de hoc dubitat, quantum est de se, derogat Christo, qui hoc consilium dedit.

Utique fieri potest, ut quis non sit idoneus statui religioso ideoque non a Deo vocatus: sed propterea (ait s. Thomas a 9. ad 1^{m}) reservatur probationis tempus, in quo difficultates religionis novitii experiuntur.

Solus ergo ingressus nullum peccatum per se est et si nunc probationes vocationis ante ingressum solent peti, ratio extrinseca est tum quia minus decens videtur et levitatis arguitur, quod quis, exacto novitiatu, ad seculum redeat minusque Religioni commodum, si ineptum novitium domi tenere suisque expensis perperam alere cogatur, tum quia merito timetur, ne quis, peracto utcumque novitiatu, etiamsi se idoneum non sentiat, non audeat amplius egredi et sic profiteatur.

Peccare proinde illum certe dicerem, qui nolens profiteri ingrederetur tamen novitiatum; iniuriam enim religioni faceret, quam deciperet et cuius gratuitis impensis annum transigeret.

171. Quid vero, si, non expertus vocationem, profiteretur? Ponamus eum serio profiteri, cum vera scilicet voluntate faciendi satis suae obli-

gationi. Porro si professio sit tantum status regularis, non clericalis, negari forte potest suppositum, deesse vocationem; nam consilium Christi omnibus proponitur et dummodo voluntatem ipse habeat obligationes sui status implendi (secus ficto animo profiteretur); non video quid desit, et in quo peccet.

At si status sit quoque clericalis; cum ad hunc non omnes vocentur, temere agit, qui illum absque Dei vocatione suscipit. Nihilominus, cum status religiosus plurima et uberrima auxilia suppeditet, si is firmam habeat voluntatem religiose, ut par est, vivendi, non videtur se gravi periculo exponere amittendae salutis.

Si quis vero, quin se vocatum sentiat, profiteatur, absque voluntate veram vitam religiosam agendi, iam in ipso actu professionis peccat, cui fictio admiscetur et se in eo statu collocat, in quo probabiliter iacturam faciet aeternae salutis.

Illud certum est, parem non esse rationem illius, qui non vocatus, religionem suscipit et qui vocatus ad religionem, in seculo manet. Hic enim pluribus se privat auxiliis et mediis, quibus ille e contrario abundat. Nec putandum est, omnes vel plerosque malos religiosos fuisse non vocatos; nam aliud est vocari, aliud vocationem sequi in eaque constanter perseverare, divinae gratiae directionem fideliter sequendo.

Quaeres, quae sint indicia verae vocationis. Communia et sufficientia duo sunt. Cum nempe quis idoneus est ad statum capessendum, instructus iis qualitatibus, quas status ille requirit atque simul, habita ratione finis ob quem creatus est, experitur serio et constanter sibi placere eum statum, iudicans se, cum Dei auxilio, facile in illo finem suum consecuturum. Hoc pacto solet Deus vocare homines ad statum ecclesiasticum vel religiosum, huiusmodi inclinationem et fiduciam inspirans, supposita utique idoneitate, si qua specialis requiritur.

XXXVIII. Qui vovit religionem, tenetur ingredi secundum sequentes regulas.

172. Votum religionis est votum, quo quis Deo spondet se ingressurum religionem. Duplex distinguitur; nam vel vovet homo simpliciter se ingressurum religionem, vel praeterea vovet se perseveraturum in religione ideoque professurum: quod alterum votum distinguendum est a voto ingrediendi coniuncto cum proposito perseverandi: in hoc enim obiectum voti est solum ingressus, in illo utrumque, ingressus et perseverantia. Caietanus apud Suarez tr. 7. l. 4. c. 5. n. 10.

Iam vero votum ingrediendi et votum profitendi, censuerunt quidam unum idemque esse votum; quia ex una parte qui vovet ingredi, ideo vovet, ut, si experietur religionem sibi congruere, in ea profiteatur et ex alia parte, qui vovet se professurum, id conditionate promittit, si

nempe in probatione se idoneum reperiet. In idem ergo recidunt. Profecto qui vovet ingredi religionem, cum ipse ingressus et probatio novitiatus per se ad professionem tendant, vovet ex consequenti etiam professionem et perseverantiam, si in probatione nulla ei occurrat iusta et honesta causa discedendi. Et certe si quis voveret ingressum, simul habens propositum non profitendi, votum huiusmodi esset actus inordinatus nec proprie votum religionis, quia novitiatus sive eius exercitia eatenus ad religionem pertinent, quatenus via sunt ad statum religiosum et suscipiuntur, ut experiamur, an status hic nobis conveniat. Cf. Caietanum in 2. 2. q. ult. a. 4. Nullum proinde esset votum ingrediendi cum proposito non profitendi vel votum ingrediendi simul et non profitendi.

At nihilominus distinguere licet inter votum simpliciter ingrediendi et votum praeterea perseverandi; quia hoc altero homo plus sibi adimit libertatis, quam priore voto. Et quidem votum ingrediendi duplici modo fieri potest, iuxta s. Thomam 2. 2. q. ult. a. 4. Scilicet quis vovere potest ingressum causa experiendi, servans sibi libertatem remanendi aut discedendi, prout, secundum rectam rationem, iudicaverit: tum quis vovere potest, cogitans quidem ingressum, absque eo tamen quod cogitet de libertate exitus vel de perpetuitate remanendi. Huius voluntas interpretanda est, ait s. Thomas, *secundum formam iuris communis*, quae est, ut ingredientibus detur annus probationis; scilicet hoc votum implicite illud idem continet, quod alterum explicite.

173. Porro qui ex voto probationem ingreditur, non licent ei utique omnia, quae novitiis aliis licent; quibus integrum est absque ulla vel rationabili causa exire; nam votum, ut diximus, ad aliquid eum obligat, ad quod alter non est obligatus. « Ille, qui intrat, ut statim exeat, ait s. Thomas 7. cit. art. 4. ad 3., non videtur satisfacere voto suo; quia ipse in vovendo hoc non intendit. Et ideo tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri, an ei expediat, in religione remanere ». Idcirco si expedit; manere debet, ad hoc enim voto suo se obligasse censetur. Si vero succurrat rationabilis causa sive propter quandam non mediocrem difficultatem, sive propter quandam animi alienationem, sive ratione sanitatis, sive boni alicuius in seculo peragendi etc. (cf. Sanchez l. c. c. 16. nn. 99. seqq.), ipse poterit exire, quin reus sit fracti voti, cui satisfecit ingressu et quo non ad plus se obligavit, quam ut experiretur religionem et, si nulla idonea causa eum impediret, profiteretur. Egressus vero ob iustam causam, etsi deinceps ea cesset, non amplius redire tenetur; quia iam voto ingrediendi vere satisfecit et obligatio semel exstincta amplius non reviviscit. Sanchez l. c. Idque valet sive voverit ingredi hoc monasterium, sive hunc Ordinem, sive

simpliciter aliquam religionem. Idem ibid. n. 93. Idem puto valere, si absque sua culpa e novitiatu eiiciatur, etsi deinde paratus sit Ordo eum rursus recipere.

At qui vovet perseverare, is tenetur, ait s. Thomas, perpetuo remanere, videlicet non quaelibet idonea causa sufficit ut abstineat a professione; sed, ut explicat Sanchez *Decal.* l. 4. c. 16. nn. 81. 82., quandiu bonum sit profiteri nec aliqua magni momenti incidat difficultas, ignorata tempore voti (cf. vol. 2. n. 655.), professio est facienda. Et si is ex aliqua causa temporanea e novitiatu egrediatur, ea cessante, redire tenetur; quia votum absolute conceptum, ob impedimentum temporale non exstinguitur. Laym. *de Statu Relig.* c. 6. n. 13.

Ceterum, alterutro modo voveas, spectanda est potissimum, ut omnes DD. monent, intentio voventis, praeter quam votum non obligat. Cf. Suar. tr. 7. h. 4. cc. 3. 4.

174. Illud vero advertendum, quod votum religionis, quocumque modo fiat, etsi plenissima deliberatione et propensione eliciatur, semper est ex natura sua conditionatum: si nempe religio me ingredi volentem suscipiet, si me post novitiatum exactum probabit et admittet ad professionem. Haec conditio, etsi exprimatur, non plus operatur quam tacite inhaerens.

Neque erit abs re advertere, utrumque votum nullam inferre, ut quidam perperam sunt arbitrati, obligationem servandi castitatem (cur non et paupertatem?) antequam professio fiat. Spectanda est sane intentio voventis; porro vovens non se intendit ad id obligare et alioqui citra istam obligationem stat obligatio ingrediendi aut profitendi, quae voto suscipitur. Et si huic obligationi non fiat satis, cum fieri potest; peccabitur quidem: sed non exinde, si deinceps contra castitatem peccetur, erit duplex peccatum; quia reapse nullum castitatis votum praecessit. Cf. Suarez l. c. c. 2. n. 2.

Rursus votum religionis, ratione habita rei promissae, distingui potest. Nam potest quis vovere simpliciter, se religionem ingressurum, aliquam nempe; vel se certum Ordinem ingressurum vel certum conventum seu monasterium. Quod postremum facilius accidit, si agatur de Ordine monachorum, cuius singula monasteria sub regimine Abbatis communitatem perfectam constituunt suumque habent novitiatum et ad quae iure semper pertinent qui inibi sint professi.

175. Quaeritur an votum Papae reservatum, sit tantum votum profitendi seu perseverandi an etiam votum ingrediendi. Difficultas est, quia hoc videtur esse solum temporale aut conditionale, si religio placuerit, et certe est votum incompletum prae alio.

Nihilominus, ait Suarez tr. cit. l. 4. c. 7. n. 7. pro certo habendum

est, etiam hoc votum esse Papae reservatum; sane ita sentiunt, ait, omnes Doctores. Ratio huius communis consensus est, quia et votum ingrediendi, cum voluntate et obligatione utique permanendi, nisi iusta causa excuset, ut iam superius declaravimus, est vere votum religionis; hoc autem simpliciter est reservatum.

Nec obstat quod sit conditionatum; nam haec est ipsa natura huius voti: si ergo reservatur, cum hac qualitate reservatur.

Praeterea votum quoque perseverandi est pariter conditionatum, licet cum minus ampla facultate: si ergo ea ratio valeret, nullum esset votum religionis reservatum. Non est autem temporale per se; quia per se potius tendit ad professionem faciendam.

Ceterum, etsi materia non sit perpetua, votum potest esse reservatum, ut contingit in votis trium peregrinationum. Omnia ergo tandem pendent ex voluntate Papae reservantis: quae voluntas ex communi opinione innotescit.

Adverte quod docet Suarez l. c. n. 4. votum ingrediendi Societatem Iesu cum limitatione emittendi in ea solum vota simplicia (puta coadiutorum temporalium) esse verum votum religionis; quia et ille est verus status religiosus: idcirco illud votum esse reservatum.

176. Potest ne Episcopus dispensare in voto strictioris religionis? Praeter quinque Papae reservata, potest in ceteris dispensare Episcopus: dummodo igitur ea vota non attingat, potestas Episcopi valide se exerit. Quapropter circumstantiae voti reservati, non censentur reservatae; cum sine illis substantia, quae est reservata, maneat. Porro austeritas maior vel minor religionis est circumstantia rei promissae voto; idcirco relicta potestati Papae dispensatione a voto religionis, quoad circumstantiam strictioris religionis potest Episcopus dispensare. Sanchez *Decal.* l. 4. c. 40. n. 74.

177. His positis, de obligatione voti religionis illud est in primis dicendum, quod generatim dicitur de obligatione votorum. Quia vero in eo exsequendo difficultates non raro occurrunt, regulas quasdam solent Theologi praescribere, ut facit A., qui nec omnes complectitur casus. Has regulas breviter explicabimus, exorsi ab iis, quas A. praeterivit.

Quaeritur sane quid faciendum illi, qui ingressum cum peteret, repulsam est passus. Respondet in primis Suarez l. c. c. 2. n. 7., in his certam regulam et generalem haud posse tradi; quia haec pendent ab intentione voventis. Si tamen consideremus id, quod ipsa res per se postulat, distinguunt DD. Nam si agitur de illo, qui vovit ingressum in certum monasterium, si a superioribus negatur ei absolute ingressus, ad nihil amplius tenetur. Nec eius voventis alia erat intentio quam

semel petendi ingressum et ingrediendi, si reciperetur nec se obligavit ad importunas preces et ad multiplicandas petitiones. Nec tenetur patefacere suum votum, quia ad hoc non se obligavit nec ea manifestatio per se conducit ad finem: si enim Abbas vel capitulum iudicat non expedire eius receptionem, haud sententiam mutabit propter votum istud.

Si autem ingressus sub conditione aliqua tantum permittatur, puta si grammaticam addiscat: considerandum erit, an hanc conditionem votum emissum implicite complecteretur, an nempe hac praevisa votum emisisset: cuius rei ipse, qui vovit, testis erit.

Si absolute negatur ingressus vel si conditio ponitur, quae excedat intentionem voventis, votum cessat, propter defectum materiae sive impossibilitatem illud implendi.

Si cum primum peteret, passus est repulsam sed dein monasterium, mutata voluntate paratum est suscipere, nisi interim notabilis mutatio facta fuerit, probabilius est eum debere ingredi; non enim apparet quid a voto eum solvat. Laym. *de Statu religioso* c. 6. n. 4.

Haec porro proportione servata, valent et in seqq. casibus.

178. Quaestio sit de illo, qui ingressum in certum Ordinem vovit et petens reiicitur. Tenetur ne alios conventus adire, alios exorare praelatos eiusdem Ordinis? 1° Si reiicitur quia non idoneus illi Ordini idque superiores reiicientes ei serio affirment nec ratio sit cur is dubitet de veritate affirmata, non videtur obligandus ad ulteriores postulationes. Nam is prudenter agit illis superioribus adhibens fidem: porro hoc posito, manifestum est et ab aliis reiiciendum fore, si ii rite agere velint: non est ergo cur rursus petat, ut aliquos forte flectat, qui ineptum sint recepturi; nam eius intentio non fuit ingrediendi, quamvis esset ineptus, quae fuisset intentio inordinata.

2° Si repulsam prima vice passo alia remota loca peragranda forent, ut ingressum obtineret, habenda erit ratio distantiae loci. Nam, nisi aliud constet, non praesumitur quis velle religiosus fieri extra suam gentem, ubi alia lingua, alii mores. « Communiter DD. dicunt, ait s. Alphonsus n. 72., quod si quis voverit religionem ingredi, non tenetur eam quaerere extra propriam nationem vel provinciam ». Si intra suam nationem alii praelati religionis facile adiri possunt et spes probabilis sit fore ut admittatur, votum eius eum obligat ad hoc periculum rursus faciendum, nisi alia fuerit eius intentio.

3° Cum semel et iterum quis reiectus est, non videtur ad plus teneri. Praesumendum est enim voluisse se obligare ad ingressum petendum eo modo, quo ordinarie a prudentibus fieri solet nec se voluisse obligare ad longas peregrinationes, inusitatos labores coniunctos cum

metu dedecoris ex iterata repulsa. Atque haec praecipue valent in feminis, quae non solent extra patriam aut conterminas regiones velum suscipere. Cf. s. Alph. l. c.

179. Quid vero si quis vovit simpliciter religionem? Quae secundo loco dicta sunt, (n. praeced.) debent, puto, cum proportione ipsi accomodari. Non est profecto cogendus e sua natione exire imo nec intra fines suae nationis, si ea ampla sit, e sua provincia ad dissitam pergere, quae differat nimis quoad mores, puta e provincia cisalpina ad neapolitanam; quia non talis praesumitur intentio voventis.

Neque cogendus est plurium Ordinum fores pulsare, cum enim reiectum se videt ab iis, ad quos plus minus se putat idoneum quique prius adiri solent, non est cur alios quaerat; nam nec intendit Ordinem ingredi sibi non congruentem. Qui praeterea, quamvis in genere dicat, velle se esse religiosum, non solet cogitare nisi eos Ordines, qui in vicinia sua sunt et quos plus minus novit. Aliquem proinde ex iis praesumendus est voluisse. Generatim ergo dici potest, adhibendam esse diligentiam sufficientem, ut voto fiat satis: extraordinariam vero nisi alia sit intentio eaque rationalis, non requiri. Cf. Suarez l. c. c. 2. Sanchez l. c. c. 16. n. 27. seqq.

180. Quaeritur an vovens religionem sastisfaciat voto, si congregationem ingrediatur ubi vota simplicia emittuntur.

Si sint tria vota religionis et perpetua, cum ea quamvis simplicia, statum religiosum constituant, non est dubitandum quod voto religionis satisfaciat qui tales Ordines ingreditur. Cf. Suarez et Sanchez ll. cc. disputantes, an voto religionis satisfaciat, qui Ordinem militarem ingreditur.

181. Quaeritur, an qui religionem vovit, possit, antequam ingrediatur aut profiteatur, acceptare Episcopatum, ad quem electus sit. De hac re interrogatus Innocentius III. ab electo in Episcopum, qui adhuc distulerat implere votum sollemniter, ut dicitur (a), emissum suscipiendi habitum regularem, respondit: « Nos igitur tuae discretioni consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiae ac reddas Altissimo vota tua » c. *Per tuas, de Voto.* Si ad sanandam conscientiam id faciendum, agitur ergo de re necessaria et usus est Pontifex verbo *consulimus:* quia non iudicialiter id pronunciabat, sed consultus, quid ipsa res postularet docebat.

(a) Suarez 1. infra cit. aliique dicunt votum reapse fuisse simplex: meminisse tamen oportet ante Bonifacium VIII. plura fuisse vota sollemnia, quam quae nunc sint, quod et textus praesens ostendit nec Bonifacium sua *Constit.* (cf. vol. 2. *de Voto* n. 3.) omnia vota sollemnia esse complexum, sed ea quae dirimunt sequens matrimonium.

Nec ratio est obscura: quia suscipiens Episcopatum non implet votum suum formaliter aut virtualiter. Non formaliter, ut patet: sed neque virtualiter; quia status Episcopalis non continet eminenter perfectionem status religiosi, sed eam supponit et est status perfectionis gignendae in aliis, non acquirendae sibi. Cf. Suarez t. 7. h. 1. l. c. 19.

Cum nunc Episcopi a Pontifice eligantur, oportebit ergo electum, qui tali voto sit obstrictus, votum suum Pontifici manifestare, nisi aliunde legitime dispensationem obtinuerit ab habente potestatem.

Veniamus ad regulas traditas ab A.

XXXIX. 1. Non tenetur, imo nec potest licite ingredi Ordinem, in quo collapsa est disciplina regularis idque ob periculum perversionis. Laym. l. 1. t. 5. c. 6. n. 5.

182. Prima regula A. intelligenda est de eo, qui voverit simpliciter religionem ingredi: deliberans hic deinde quem ordinem sit ingressurus, non debet eum eligere, in quo disciplina regularis sit collapsa, ita ut nec ipsa vota essentialia, ut par est, observentur. Nam nequit talis ingressus esse obiectum voti, quod est de re bona neque idcirco intendi potuit ab eo, qui serio religionem vovit. Adde rationem A. nempe periculum perversionis, quod quemlibet prohibet ab ingressu. Eligendus est ergo Ordo, in quo disciplina regularis custodiatur.

Idem dicendum quoad electionem huius vel illius monasterii pro eo, qui specialem Ordinem voverit.

Si autem, etsi imperfecta sit disciplina in Ordine aut monasterio, essentialia tamen serventur, licebit illum Ordinem aut monasterium eligere; quia status religiosus reapse suscipitur et sic fit satis voto. Sanchez *Decal.* l. 4. c. 16. n. 13.

Quid autem si quis, ignorans pessumdatam disciplinam, voverit reapse ingressum in illum Ordinem specialem vel illud monasterium?

Cum in eius voto duplex, saltem secundum rationem, distinguatur intentio: volo esse religiosus, volo esse religiosus in hoc Ordine seu monasterio; considerandum erit (cf. Lugo disp. 22. n. 39.) quaenam intentio praevaleat. Si ita erat comparatus animo ut ad hunc tantum Ordinem vel hoc monasterium afficeretur, si scivisset se eo non posse ingredi, de capessenda religione non cogitasset: praevalet altera specialis intentio et cum sit de re non bona, votum nullum est. Sanchez ibid. n. 14. Si autem animus eius principaliter ad religiosum statum afficiebatur, ut, si novisset corruptionem Ordinis vel monasterii, cuius ingressum vovit, aliud vovisset, praevalet prior generalior et alium Ordinem vel aliud monasterium, ubi vigeat regularis observantia, eligere oportet.

XL. 2. Qui vovit laxiorem, licite ingreditur strictiorem, non tamen contra; quia minus praestaret, quam promisit. Quod si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio et liberatur a voto strictiorem ingrediendi. Ratio est, quia votum sollemne, quo fit personae traditio et religioni ius in personam acquiritur, derogat priori voto simplici, per quod nullum tale ius Religioni strictiori erat acquisitum. Laym. l. c. ex s. Thom. etc.

XLI. 3. Is, qui vovit experire Religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi et perseverandi in laxiore. Ratio est, quia hoc melius est. Laym. l. c. ex Sanch. etc.

183. Nomine laxioris intellige non eam, in qua disciplina non vigeat, sed quae, comparata cum alia, est minus stricta, hoc est austera minus quoad poenitentias seu mortificationes corporales, solitudinem, silentium, rigorem paupertatis. Cum sub isto respectu, quae strictior est, sit perfectior alia et liceat cuique votum suum in votum rei perfectioris commutare, patet ratio doctrinae A., quae ceteroquin est doctrina communis.

Verum quaerere licet, an tunc solum liceat privata auctoritate haec commutatio, cum religio, quae praefertur prius electae, est strictior. Causa dubitandi est, quia ratio, cur sit licita commutatio, ex eo petitur, quod communiter dicitur de votis, licere rei minus perfectae perfectiorem substituere. Iam vero fieri potest, ut religio minus stricta seu minus austera (eo modo, quo diximus) sit per se perfectior alia strictiore; cum spiritualis perfectio tandem sita essentialiter non sit in austeritatibus corporalibus. Et sane s. Thomas perfectionem religionum non ex austeritatibus, sed ex fine et mediis ipsi proportionatis metitur. 2. 2. q. 188. a. 6.

Utique cum agitur de professo volente transire ad alium Ordinem facultas, quam (dummodo licentiam petat, etsi non obtineat, cf. resol. 5. seq.) habet transeundi ad perfectiorem, ita ex communi Ecclesiae sensu intelligitur, ut perfectior regula sit regula strictior: at non opus est ut ad eandem normam exigamus votum religionis, ingrediendae aut profitendae; cum Ecclesiae canones, ex quibus illa interpretatio colligitur, hoc votum non respiciant. Manet ergo voventi integra libertas et idcirco cum certum sit, posse quemlibet suum votum in votum boni perfectioris mutare, licebit, puto, voventi ingressum vel professionem in aliquo Ordine ingredi vel profiteri in alio perfectiore, accepta perfectionis religiosae norma a doctrina s. Thomae; dummodo Ordo ille per se perfectior, sit etiam talis respectu voventis, ut nempe is per hanc commutationem merito speret se maiorem Deo gloriam allaturum.

184. A. resol. 2. et 3. de eo loquitur, qui vovit strictiorem regulam et deinceps laxiorem suscipit. Communis hac in re doctrina est. 1° Qui vovit solummodo ingredi strictiorem, experiendi causa, li-

cite commutat votum in votum profitendi et perseverandi in laxiore; quia hoc votum est praestantius utpote ad plus obligans.

2° Idcirco qui solum ingressum in ordinem strictiorem vovit, non peccat, si laxiorem ingrediatur cum voluntate perseverandi, ita ut suo tempore, nisi, absque sua culpa, aliquid obstet, profiteatur. Sic enim tandem votum suum in melius commutat. Ita Laym. l. c. n. 8. Contradicit tamen Suarez tr. 7. l. 6. c. 14. n. 15,: sed is pene nullam differentiam facit inter votum ingrediendi et votum perseverandi, de quo nunc.

3° Qui vovit profiteri in Ordine strictiore, per se peccat ingrediendo laxiorem et in eo profitendo; quia sic minus Deo reddit, quam quod promisit. Dixi *per se;* nam si accedat dispensatio Papae vel Episcopi, vel si Ordo laxior habet privilegium a Papa recipiendi per dispensationem aut commutationem huiusmodi voventes, omnis peccati macula abstergitur. Laym. l. c. c. 6. n. 7.

4° Quamvis vero hic peccet profitendo laxiorem, professio tamen valida est et liberat voventem a priore voto. Ratio cur valeat professio, est, ait Laym. n. 6., quia votum sollemne, in quo personae traditio fit et religioni ius in ipsam acquiritur, derogat priori simplici voto. Ita s. Thom. q. ult. a. 8. ad 3. atque ita quoque definivit c. 5. *de Regul.* in 6. Bonifacius VIII. « qui post votum a se de certa religione intranda emissum, religionem aliam, etiam laxiorem, ingreditur et profitetur in ipsa, potest, voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum sollemne noscitur derogatum manere licite in eadem. Pro voto tamen non completo (si saltem vovit non tantum ingredi sed et perseverare) erit eidem poenitentia imponenda ».

Igitur ab obligatione prioris voti solvitur. Qua tamen in re occurrit difficultas. Nam cum professus in laxiore, possit, ut dicemus, ad strictiorem transire ideoque hic professus possit adhuc suum prius illud votum implere, quaeritur, cur eius obligatione non amplius teneatur. Respondet Caietanus in illum art. s. Thomae, quod potestas transeundi ad strictiorem utique manet: non autem manet aut manere potest obligatio; quia haec pugnat cum obligatione orta ex voto sollemni, qua vovens se religioni tradit eique se obligat. Sed nonne posset professus se obligare voto transeundi ad strictiorem? si autem id potest, non ergo haec voti obligatio pugnat cum obligatione voti sollemnis. Quapropter Suarez l. c. nn. 17. 18. censet, id tandem complete repetendum esse ex iure positivo, quod ita statuerit, etiam forte ante s. Thomam. Bonifacius VIII. sane non videtur hoc ius condere, sed conditum referre: *noscitur*, ait, *derogatum*.

XLII. 4. Professo licentiam transeundi ad Ordinem laxiorem Episcopus vel Praelatus Ordinis exemptus cum consensu Capituli dispensative ex iuxta causa dare potest. Laym. l. c. Less. 2. c. 41. n. 103. Sanch. 6. *Mor.* c. 7.

XLIII. 5. Professus ad Ordinem strictiorem, petita, licet non concessa, Praelati sui licentia, ex iusta causa transire potest. Quod addo, quia huiusmodi transitus sine causa temere fieri non debet. Quod si fiat, spectanda est austeritas circa silentium et solitudinem, idque non tantum secundum institutum Regulae, sed etiam secundum observationem praesentem. Probatur *ex c. Licet de Regularibus.* V. Laym. Less. Sanch. ll. cc.

185. Cum ad laxiorem ordinem transire professus velit, vel causa iusta se offert huius transitus vel nulla. Si nulla, nequit licentia ab ullo dari; quia est quaedam dispensatio a voto (professus est enim vota servare secundum regulam), quae ut valida sit, iustam causam requirit.

Sed quamvis non sit iusta causa transitus in professo: posset esse tamen iusta causa praelato eam concedendi, si ex impedito transitu timerentur graves perturbationes et scandala. Tunc permitti quidem potest transitus, quae permissio in foro conscientiae non excusat transeuntem, sed solum in foro externo, ne transeunti molestia inferatur, ait Sanchez *Decal.* l. 6. c. 7. n. 67. Qui addit, talem promissionem seu licentiam a solo Romano Pontifice dari posse, cuius est impedire, ne ab ullo in foro externo ille religiosus molestiam patiatur.

Si iusta causa adsit transitus ad religionem laxiorem, licentiam dare potest 1° Romanus Pontifex, qui potest in quolibet voto dispensare. 2° An alius praelatus inferior dare licentiam possit, disputatur: Sanchez l. c. nn. 68.-70., secutus Lessium l. 2. c. 41. n. 103. quem et Laymann sequitur l. c. n. 9. et Schmalzgr. tit. *de Regular.* n. 238., probabiliorem habent sententiam affirmantem eumque praelatum inferiorem esse pro Ordinibus exemptis Generalem, pro non exemptis Episcopum et utroque in casu desiderari quoque Capituli consensum. Excipe, puto, nisi Ordinis constitutiones haud postulent consensum Capituli pro valido exercitio auctoritatis praelati. Ratio cur haec facultas inferiori praelato asseratur, non alia affertur, quam consensus Doctorum: haec est communissima sententia, ait Sanchez l. c. n. 53., licet alios contra sentientes attulerit.

« Sed derelinquenda est haec opinio, ait Bouix *de Iure Regul.* Part. 6. c. 5. §. 1. q. 9. et omnino tenendum, a solo Papa concedi posse transitum ad laxiorem (utique habita tantum ratione iuris communis), ob expressam et absolutam Tridentinae Synodi prohibitionem ». Verba Trid. sess. 25. *de Regnl.* c. 19. sunt: « Nemo Regularis, cuiuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem religionem ». Quae videntur satis clara. Ea tamen Doctores citati interpretabantur de transitu, qui absque causa fieret.

Excipe, nisi ab ipso Papa haec potestas fiat superioribus Ordinum, quam Pontificiam concessionem non potuit Trid. Syn. impedire. Ita ex privilegio (incommunicabili aliis Ordinibus) indulto a Gregorio XIII. Const. *Cum alias* ann. 1582. potest Praepositus Generalis Societatis Iesu licentiam dare omnibus Sociis etiam professis transeundi ad quemlibet alium Mendicantium vel non Mendicantium Ordinem.

Certe si de monialibus agatur; habentibus clausuram papalem, solus Papa potest id concedere, etsi agatur de transitu ad strictiorem. Sane inter speciales facultates attributas Maiori Poenitentiario a Benedicto XIV. Const. *Pastor bonus*, haec exstat, dandi nempe licentiam, *ex causa legitima, in signatura discutienda et approbanda, monialibus tantum ultra montes existentibus*, ut ab uno monasterio possint ad aliud transire.

186. Causas iustas huius transitus ad laxiorem recenset Lessius l. c.: si in Ordine seu monasterio strictiore sit collapsa disciplina: si odia et simultates ibi vigeant: si ipse aliis sit exosus: si nequeat ob debilitatem corporis ferre rigorem. Addit Sanchez l. c. n. 72., si in regimine ubi degit propter aliquod crimen admissum sit infamatus nec infamiam fugere possit nisi ingressu in alium Ordinem vel conventum, qui laxior tamen invenitur.

Adde Benedictum XIII. Const. *Licet sacra* vetuisse, ne cui liceret ad militarem aut hospitalarem Ordinem transire, nisi forte is esset Ordo s. Ioannis de Deo. Cf. Benedictum XIV. de Syn. l. 13. c. 11: n. 14.

Quid si agatur de transitu ad aequalem? Nihil hac in re cautum specialiter est a iure et Trid. Syn. solum loquitur de transitu ad laxiorem. Verisimile est, nihil hac de re statutum in iure; quia practice difficillimum erit, Ordines reperire aequales vel qui concedant se esse prorsus pares. Potest tamen locum habere quaestio, si sermo sit de transitu a monasterio ad alterum eiusdem Ordinis monastici. Nequit hic transitus a religioso fieri propria auctoritate; quia per professionem proprio Ordini vel monasterio est mancipatus nec ius hanc facultatem ei concedit, ut, non obtenta licentia, transeat: at sufficit licentia superiorum Ordinis seu monasterii; cum enim iure non sit vetitus transitur nec reservata licentia eum concedendi, debet satis esse licentia illius, in cuius potestate est religiosus.

187. Ex iure communi competit cuique religioso professo facultas transeundi ad strictiorem Ordinem nec aliud requiritur, quam ut licentiam pro transitu a suo praelato petat eaque etiam non obtenta transire potest, dummodo non ex temeritate vel levitate, in iacturam vel iniuriam sui Ordinis, sub praetextu maioris religionis, ad aliam velit religionem transire. Ita Innocentius III. c. *Licet, de Regularibus*, de-

claravit vim privilegii concessi quibusdam monachis, canonicis etc., ne, postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit, ipsis invitis, arctioris etiam religionis obtentu transire. Nimirum privilegium ea ratione, ait, videtur fuisse concessum, « ne quis ex temeritate vel levitate, in iacturam vel iniuriam sui Ordinis, sub praetextu maioris religionis, ad aliam religionem transvolaret... non quidem, ut ei transeundi licentia denegaretur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, ut non ficte sed vere ad frugem melioris vitae valeat transmigrare. Talis ergo, postquam a praelato suo transeundi licentiam postulaverit..., libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, *non obstante proterva indiscreti contradictione praelati...* Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex caritate an ex temeritate transire: superioris est iudicium requirendum ».

Urbanus VIII. Decreto *de Apostatis et eiectis* statuit §. 3., ut de cetero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tuncque regularis recta se transferat ad arctiorem ». Quocirca si non recipitur, debet ad Ordinem suum statim redire. Laym. l. c. n. 11.

Ex decreto Trid. Syn. sess. 14. *de Reform.* c. 11. qui ad alium Ordinem transit, admitti non potest « nisi ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetua maneat ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia secularia, etiam curata, omnino incapax exsistat ».

Clementina vero 1° *de Regularibus*, praecipit, ut huiusmodi translati ex Mendicantibus ad non Mendicantes, inhabiles sint ad omnes dignitates, omnia officia, omnes administrationes et beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda careantque loco, voce activa et passiva in Capitulo.

Carthusiani nihilominus a Iulio II. indultum obtinuerunt, ut ex aliis Ordinibus ad eos transeuntes possint esse superiores ac habere vocem activam et passivam in capitulo etiam generali, non secus ac alii eiusdem Ordinis. Lessius l. c. n. 105.

Ratio cur licitus sit huiusmodi transitus et ab Ecclesia approbatus, ea est; quia unicuique licet votum suum in melius commutare atque ad maiorem tendere perfectionem, ut idcirco ipsa professio hanc implicitam conditionem habeat; nisi maluero in Domino ad perfectiorem religionem transire. Nihilominus attendenda est sententia s. Thomae 2. 2. q. ult. a. 8. « Transire de religione ad religionem, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem, non est laudabile; tum quia ex hoc ple-

rumque scandalizantur ii, qui relinquuntur : tum quia facilius proficit aliquis in religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit, ceteris paribus ».

188. Itaque re per se spectata, licitus dicendus esset transitus ad *perfectiorem* religionem. Adverte tamen, quod iura de hac re loquentia, perinde habent *perfectiorem* ac *strictiorem* seu *arctiorem* religionem; ut maior scilicet perfectio ex rigore poenitentiae pensetur. Cf. c. *Licet.* cit. et art. cit. s. Thomae. Ratio est manifesta. Difficile sane frequenter est, definire quis Ordo sit perfectior et propter studia singulorum nullus esset quaestionibus finis. Cf. Suarez loco infra citando. E contrario constare facile potest, quis Ordo, omnibus simul collatis, sit prae alio magis austerus, ratione nempe habita corporalium mortificationum, abstinentiae, silentii, psalmodiae, clausurae seu solitudinis. Cum Ordo quilibet religiosus sit adunatio hominum, qui sunt mundo crucifixi et poenitentiam agunt, maior rigor observantiae in supradictis est sufficiens argumentum indubiae cuiusdam excellentiae prae aliis Ordinibus Cf. Laymann l. c, n. 10. cf. tamen Suarez aliter disputantem, spectata rei natura, secundum quam magis attenditur veritas quam praesumptio tr. 8. l. 3. c. 9. nn. 8. seqq.

Illud certe tenendum cum eodem ibid. n. 17. austeritatem non esse pensandam solum ex primitiva institutione, sed ex actuali observantia. « Quae sententia est communiter recepta non solum a theologis, sed etiam a canonistis ».

Communis est sententia, Ordinem Carthusianorum (inter Regulares saltem) esse omnium arctissimum (Bouix l. c. q. 5.), ad quem professi Societatis, iuxta Constit. Pauli III. *Licet debitum* an. 1549. petita, etsi non obtenta, licentia Praepositi Generalis, transire possunt. Id valet tamen pro prima vice, qua professus Societatis ad Carthusiam pergat Const. Gregorii XIII. *Exponi nobis* anno 1584. Cf. Suarez *de Inst. Societatis* lib. ult. cap. ult.

189. Diximus, ex iure communi licere transitum ad religionem arctiorem, solius praelati religiosi licentia petita, etsi illa non obtineatur. Huic autem iuri communi iam a quibusdam seculis fere ubique derogatum est per privilegia Apostolica Ordinibus pluribus concessa : quibus non permittitur transitus nisi obtenta licentia a proprio praelato vel etiam et quidem frequentius a sede Apostolica. « Hodie ferme (ait Cardinalis Petra apud Bouix l. c. §. 2. prop. 1ª) nullus est casus, in quo ad terminos iuris communis sufficiat licentia petita, licet non obtenta... cum fere nullus sit Ordo, qui indultum non habeat prohibitivum transitus, nisi cum licentia obtenta a superiore vel a sede Apostolica ».

Consulat quisque privilegia sui Ordinis vel huic primum concessa vel per alios communicata.

Ratio huius novae dispositionis est bonum quoddam universalius, pax et firmior status religionum. Nec aufertur facultas transeundi ad austeriorem: sed haec facultas melioribus conditionibus communitur.

Ceterum quia plures nunc exstant congregationes vere religiosae sed votis sollemnibus carentes, quibus nullum forte huiusmodi privilegium concessum est; adhuc in iis vim obtinere dicendum est ius commune cap. *Licet.*

190. Estne tantum illicitus an etiam irritus transitus ab religione ad aliam absque debita facultate? Si sit transitus ad laxiorem, profecto; nam c. *Sane, de Regul.* qui hoc pacto transiisse cognoscatur, iubetur redire ad priorem statum. Item si quis ab Ordine Mendicantium transeat ad Monasterium, praeterquam Carthusianum, quod irritum esse voluit Martinus IV. Extrav. *Viam, de Regul.*, si fiat absque speciali licentia Sedis Apostolicae, ut conservationi Ordinum Mendicantium prospiceretur, ut ibidem dicitur. Rursus irritus est transitus, si specialia privilegia Ordinis relinquendi irritent talem transitum. Cf. Schmalzgr. tit. *de Regular.* n. 227.

Nisi haec obstent, professio in alio Ordine strictiore facta, ex eo solum quod non sit petita licentia vel ob similem defectum, illicita quidem est: sed non est cur censeatur invalida. Ratio est; quia nullo iure irritatur. Ita Schmalzgr. l. c. n. 229. ex Suarez, Sanchez etc.

Ex dictis resolvuntur hi Casus.

XLIV. 1. Canonici regulares ad Monachos transire possunt, non contra; cum Religio Monachorum austerior sit. Laym. l. c.

191. Ita sane Laymann l. c. « Canonici regulares transire possunt ad Ordinem Monachorum; quamvis vice versa Monachi ordinarie transire non possint ad Ordinem Canonicorum regularium; quia Religio Monachorum austerior est ». Idque affirmatur c. *Quod Dei, de Statu Monachorum* etc., scilicet *Canonici regulares regulae inserviunt laxiori quam Monachi.* Quae verba sunt Innocentii III. Attamen Alexander III. id non semper obtinere putabat; nam Canonicum, qui ab ecclesia fugerat, in qua fecerat professionem et receptus fuerat in monachum a quodam Abbate, iussit manere quidem monachum, si locus seu monasterium, ad quod confugit, esset maioris religionis, quam ecclesia relicta: secus, compelli voluit redire ad priorem ecclesiam. C. *Sane, de Regularibus.*

Imo Urbanus II., ut constat ex c. *Mandamus* caus. 19. q. 3., vetuit universaliter, ne quis canonicus regulariter professus (nisi, quod absit,

publice lapsus fuerit) Monachus efficiatur ». Vide huius decreti declarationem apud s. Thomam q. ult. a. 8. ad 2. et Suarez tr. 8. l. 3. c. 10, nn. 2. seqq.

Profecto, etsi status monachorum sit austerior, ratio tamen suppetere potuit Romano Pontifici prohibendi, ne Canonici ad eum transirent, propter bonum e. gr. universalius et praestantius; ut nempe Canonici aucti sacerdotio officiis proprii status pergerent dare operam in commodum ecclesiarum, quod praestare non potuissent monachi effecti. Forte etiam ea aetate Urbani II. sub finem seculi XI. status monachorum austerior non erat statu Canonicorum, quemadmodum postea visum est Innocentio III. iam exsistentibus et florentibus, inter alios, Carthusianis et Cistercensibus.

XLV. 2. Professus Regulam strictiorem, si ea non servetur in suo Monasterio aliove eiusdem Ordinis nec sit spes reformationis, potest transire ad Ordinem laxiorem, in quo Regula servetur: ita ut, considerato praesenti statu, ducat vitam strictiorem. Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. n. 10. ex Sanch. Rod. etc.

Clara ex dictis.

Dub. VI.

De Apostatis et Eiectis.

XLVI. Suppono, Religiosum iustas ob causas e Religione expelli posse. 1. Si in gravi vel pernicioso crimine exsistens, notorie incorrigibilis appareat; in quo tamen casu Moniales perpetuo potius carceri mancipandas, quam eiiciendas, putat Sanch. l. 6. *Mor.* c. 9. 2. Si ob criminis infamiam, sine gravi Ordinis damno, tolerari nequeat. 3. Si in admissione reticuerit impedimentum vel essentiale vel saltem admodum grave verbi gratia lepram etc. ut docent Navar. Sà ver. *Religio* n. 34. Sanchez 6. *Mor.* c. 4. num 56. Ratio est, quia in re admodum gravi decepit, ita ut fraus dederit causam admissioni. Vide Dian. p. 9. t. 9. r. 57. ubi docet, quod, licet hactenus ex communi sententia Sanch. Suar. Azor. Rodr. etc. Religiosi propter delictum aliquod grave, etiam semel perpetratum potuerint expelli: illa tamen propter declarationem Urbani VIII. editam anno 1624. per nulla privilegia possint expelli e Religione (excepta Societ. JESU), nisi sint incorrigibiles: tales autem non censeantur, nisi unius anni ieiunio et poenitentia in carcere sint probati.

192. A. de apostatis et fugitivis a religione nihil heic dicit: oportet tamen aliqua et de iis e communi doctrina depromere. Quemadmodum iura, ita Theologi et Canonistae omnia huc spectantia, quae criminosa sunt vel crimen supponunt, sub his tribus veluti titulis comprehendunt h. e vel *fugitivi* sunt vel *apostatae* vel *eiecti.*

A quibus proinde discernendi prorsus sunt ii religiosi, qui cum debita licentia vel propter duram necessitatem extra monasterium commorantur.

Sermo utique etiam est de *dimissis*, atque cum agitur de religiosis, qui tantum votis simplicibus obstringuntur, cum hi mandari a Religione possint etiam citra culpam aut gravissimam culpam et cum exierint, soluti sint ab omni voto et obligatione erga Religionem, non *eiecti* sed *dimissi* dici solent et debent mitiori vocabulo. At si de professis agatur atque iis quidem, qui nonnisi ob incorrigibilitatem (ad normam decretorum Urbani VIII.) dimitti possunt, manentes cum obligatione votorum, ii retinent nomen minus honestum et quamvis identidem honestiore vocabulo appellentur, iidem reapse sunt dimissi ac eiecti.

Non refert ipsos postulasse dimissionem. Nam si iusta causa occurrit, cur amplius ipsos haud conveniat in communitate manere, tunc conceditur ea, quae dicitur secularizatio, quae est alia prorsus ab eiectione. Si vero causa, cur dimissio petitur, ea est, quia religiosus non vult obedire; iam haec petitio, quae professioni adversatur, peccatum est et si is obfirmet animum in proposito non obediendi et pergat dimissionem petere ut ab eo onere sit liber, utique (nisi ius positivum obstet) fiet satis non raro suae postulationi et dimittetur: sed haec dimissio ipsa est eiectio; dimittitur enim propter culpam et incorrigibilitatem, quia nempe manifestum est, nolle eum amplius sua vota servare et futurum ipsum gravissimum incommodum Religioni. Et sane vel ipse discedit a Religione, vel a superioribus emittitur; si ipse abit, apostata erit vel fugitivus: si emittitur, erit dimissus; sed quia, ut videbimus, emitti nequit professus, nisi ob eius culpam, erit simpliciter eiectus.

193. Itaque (ut de iis, quas proposuimus, loquamur) *fugitivus*, quamvis identidem cum apostata confundatur, proprie ille dicitur, qui ab Ordine seu monasterio suo, sine licentia superiorum discedit, animo ad tempus vagandi et extra obedientiam vivendi, cum animo tamen redeundi ad religiosum institutum. *Apostata* est, qui ab Ordine recedit, animo iugum religiosum excutiendi et idcirco non amplius redeundi ad religiosum institutum. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 266. Ferraris v. *Apostasia* n. 21. Discrimen ergo inter fugitivum et apostatam facit diversus animus vel tandem redeundi vel nunquam redeundi. Inde haec sequuntur.

1° Qui discederet animo aliam religionem ingrediendi, non esset vere apostata, nisi secundum quid, quatenus ad suum religiosum Institutum redire non vult: quia vero manet in proposito profitendi et servandi statum religiosum, apostata a religione simpliciter non est. Et eodem pacto puto loquendum de fugitivo.

2° Apostata ergo est, qui discedit, animo non amplius redeundi

ad regulare Institutum, etsi habitum retineat et huc spectat adagium: *Habitus non facit monachum.*

3° Qui recedit, deposito habitu, animum tamen redeundi servans, non est apostata, sed solum fugitivus.

4° Apostata est, qui eiectus est ob falsa crimina, quae sibi imposuit, ut eiiceretur; quia eiectio ex sua parte tantum est voluntaria.

Qui autem crimina admisit ut eiiceretur, virtualiter quidem et animo est apostata: actu autem exitus eius pendet a legitima et iusta eiectione; ideoque inter eiectos simpliciter numerandus videtur.

5° Non est apostata nec fugitivus imo licite agit religiosus, qui a suo superiore notabiliter gravatus, absque eius licentia, quam certe nisi frustra aut nisi cum timore maioris gravaminis peteret, exit e domo et recta via pergit ad mediatum superiorem, a quo sublevari potest. Ratio est, quia cuique licet se defendere et haec est provocatio ad legitimum superiorem, quae religioso licet iniuste oppresso. Nec repugnat decretum Trid. Syn. sess. 25. c. 4. *de Regul.* negans licere regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint; nam haec de discessu ex levi vel irrationabili causa accipienda sunt, ut ipsa locutio *sub praetextu* monet, nec praesumendum, voluisse Patres Tridentinos adimere miseris religiosis tam necessarium remedium iustae defensionis, quae iure naturae omnibus competit. Bouix op. cit. P. 6. sect. 4. c. 1. q. 2. et Benedictus XIV. *de Syn.* l. 13. c. 11. n. 14.

6° Etsi fugitivi differant ab apostatis, « tamen in praxi (ait Ferraris l. c. n. 26.) communiter accipiuntur et tractantur ut veri apostatae »: praesumitur nempe in foro externo animus nunquam redeundi. Ita in Const. Clementis X. *Pastoris aeterni* ann. 1675. aequiparantur in poenis apostatae et fugitivi, eodemque in censu habentur in decreto s. Congr. *de Apostatis et Eiectis* edito iussu Urbani VIII. ann. 1624. Cf. et Benedictum XIV. l. c. n. 15. §. 3. Praesumptio tamen ea est, quae veritati cedit. Schmalzgr. l. c. 269.

194. Poenas in Apostatas ex iure communi tres enumerat Ferraris. 1ª est excommunicatio latae sententiae, sed opus est ut apostasia sit coniuncta cum dimissione habitus c. *Ut periculosa, Ne Clerici vel Monachi* in 6.

Verum (ut B. monet in Gury vol. 2. n. 979. not.) « bene Sanchez *Decal.* l. 6. c. 8. n. 45. scribit, nihil prorsus referre Apostasiam a religione ad hanc excommunicationem contrahendam: quippe textus eo cap. solos religiosos temere habitum deponentes religionis excommunicat. Haec autem dimissio potest contingere absque apostasia et e contrario potest esse apostasia absque hac dimissione. Quare religiosus

dimittens temere habitum absque apostatandi animo, eam incurrit et e contrario, quamvis apostata sit, si non dimittit habitum, non incurrit hanc censuram ».

Generatim vero singuli Ordines vel ex se vel per communicationem obtinent privilegium latae excommunicationis in suos apostatas.

2° poena est suspensio ab ordinibus sacris, qui durante Apostasia suscepti sint c. ult. *de Apostatis* etc. Et si durante suspensione celebret vel alios ordines exerceat, fit irregularis, ut colligitur ex c. *Cum aeterni, de Sententia et re iudicata* in 6.

3ª poena est privatio privilegiorum suae religionis. Conc. Trid. sess. 25. c. 19. *de Regular.*

Poenae istae adhuc vigent. Adde ex decreto s. Congr. edito iussu Urbani VIII. §. 3. posse imo debere Episcopos loci coniicere in carceres huiusmodi apostatas eosque superioribus consignare.

195. Patet ex dictis prohiberi religiosos habitum proprium temere dimittere, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, *ut periculosa Religiosis vagandi materia subtrahatur,* ut dicitur cn. cit. Est ergo per se grave peccatum.

Si vero brevi, ad iocum vel repraesentationem fiat dimissio, veniale peccatum erit. Quod si iusta ex causa aut ex necessitate fiat, nulla culpa erit. Ut poena dicta incurratur, oportet Religionem habere vere habitum proprium.

Quid autem si habitus religiosus sub aliis exterioribus vestibus tectus deferatur? Id quidem (citra necessitatis causam) improbat Trid. Syn. sess. 25. c. 19. *de Regul.* prohibens: « ne detur licentia (agitur ergo de casu, quo licentia sit petenda, non de casu necessitatis) cuipiam Regulari occulte ferendi habitum suae Religionis »: at incidetne iste religiosus in poenam cn. *Ut periculosa?* Affirmat Ferraris l. c. n. 47. cum aliis: reapse tamen haec non est dimissio habitus et leges poenales sunt strictae interpretationis.

196. Quaeritur, cui acquirat fugitivus et apostata. 1° Si in seculo manet, nulli ecclesiae addictus, acquirit Ordini seu conventui, ad quem spectabat, dummodo talis Ordo vel conventus sit dominii eorum, quae acquiruntur, capax. Id certum esse ait Suarez tr. 8. 4. 3. c. 2. n. 21. habita utique ratione iuris communis. Quocirca excipere oportet, si habens bona decedat hic religiosus in seculo; nam ex Const. Gregorii XIII. *Officii nostri* an. 1577. bona, quae Regularibus eiectis et apostatis acquiruntur successione, legato, donatione, industria alioque quovis modo, si ii extra monasterium decedunt, devolvuntur ad Cameram Apostolicam, sive attentent testamentum facere sive ab intestato decedant. Schmalzgr. l. c. n. 265.

Hanc tamen dispositionem, dum praesentes civiles leges vigent, difficile erit custodire et satius est facultatem petere condendi testamentum.

2° Si in seculo manens alicui ecclesiae per beneficium addictus fuit; ea, quae intuitu huius ecclesiae acquirit, cedunt huius dominio, cetera Ordini suo vel monasterio.

3° Si religionem aliquam ingressus est in eaque professus; siquidem id legitime factum sit, quae post professionem acquirit, huic religioni cedunt: si iniuria id factum est, non debet prior religio suo iure spoliari. Schmalzgr. l. c. nn. 274. 275. Cf. sequens n. XLVIII.

197. Nunc de *eiectis*. A. primum recenset causas iustas expellendi professum. Prima est, si sit incorrigibilis moribus, altera est, si ob criminis infamiam grave damnum Ordini inferat: sed haec, prout a prima est distincta, post decreta Urbani VIII., non sufficit. Tertia est, si, cum admissus est, celaverit superiores impedimentum essentiale vel admodum grave. Et quidem si impedimentum erat ex essentialibus, quibus nempe exsistentibus irrita est professio, nulla opus est eiectione talis hominis ab Ordine, ad quem nunquam pertinuit; cum professio fuerit nulla: sed dimittendus erit a monasterio. Si impedimentum essentiale non erat et professio proinde valida fuit, non potest expelli, stante decreto Urbani VIII.

Sane quod spectat ad eiectionem, hic est tenor decreti s. Congr. Conc. editi iussu Urbani VIII. ann. 1624. et ex mandato Innocentii XII. innovati anno 1694. §. 4. Statuit, ut in posterum e religionibus nullus legitime professus eiici possit, nisi sit *vere incorrigibilis;* vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quae ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, « *sublatis hac in parte statutis et constitutionibus cuiusque Religionis et Ordinis etiam a Sede Apostolica approbatis* ». Porro ex iure communi ut quis incorrigibilis censeatur, oportet ut *in crimina gravia* (sive specie sive saltem numero distincta) *lapsus, ter monitus non se emendaverit* (Schmalzgr. l. c. n. 247. Sanchez *Decal.* l. 6. c. 9. n. 4. Ferraris v. *Eiectus* n. 13. addit *ter punitus*).

Monitio sane canonica, quae trina est, praemitti debet c. *Cum ad Monasterium, de Statu Monachorum,* et c. *Contingit, de Sententia Excomm.* Haec tamen regula triplicis correptionis non videtur generalis, ait Suarez tr. 8. l. 3. c. 4. n. 10.

Pergit decretum Urbani: « Verum etiam *unius anni* (Innocentius *sex mensium*) *spatio, in ieiunio et poenitentia probetur in carceribus* proindeque unaquaque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem provincia. Elapso autem anno (seu semestri), si nihilominus non resipuerit (oportet ergo, ut rursus graviter delinquat), sed animo

indurato in sua pervicacia perseveraverit, *ne contagione pestifera plurimos perdat*, (agitur ergo de criminibus scandalum gignentibus cf. Suarez l. c. n. 9.) *tanquam pecus morbida ac membrum putre, eiici tandem possit* (non ait: debeat; nam liceret eum e. gr. carceri perpetuo mancipare) sed *ab ipsomet Generali tantum de consilio et assensu sex Patrum* (ad plura suffragia) ex gravioribus Religionis eligendis in singulis capitulis vel congregationibus generalibus (Innocentius: vel etiam *a Provinciali de consilio et assensu sex graviorum in Cong. provinciali electorum*): tumque *nonnisi instructo secundum eorum stilum et constitutiones processu et plene probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum praescriptum* ». Quaedam ergo iudicialis forma requiritur, secundum stilum autem et constitutiones cuiusque Ordinis.

Monet Ferraris l. c. n. 8. tempus carceris debere esse continuum, quemadmodum declaravit s. Cong. Conc., cuius responsum ibid. refertur. Idcirco si reus, nondum elapsis sex mensibus e carcere aufugiat, instauranda rursus erit ex integro haec probatio, ut ad sententiam possit deveniri.

Censet idem Ferraris n. 14., quod carceris poena adhiberi nequeat, nisi rursus post trinam monitionem, seu, ut ipse ait, punitionem, religiosus deliquerit et idcirco, cum etiam post carcerem oporteat eum suae pervicaciae signa ostendere, ut possit eiici, sequitur eiici non posse nisi qui saltem quinquies graviter lapsus fuerit. Illud tamen ex decreto citato non satis constat.

Certe hoc pacto effecta est difficilis eiectio professorum idque non immerito. Nam, ut ait s. Thomas *Quodl.* 12. art. 36.: « Non debet Religio infligere talem poenam, quandiu (religiosus) vult corrigi; quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, ita est expulsio a Religione et ideo dicendum, quod nullus est nisi propter contumaciam expellendus; sed est sequestrandus in carcere vel alio modo ». Sic provisum quoque est paci et tranquillitati singularum ecclesiarum, quas proiectae istae oves morbidae essent perturbaturae. Nam tandem suae tranquillitati Ordo religiosus consulere potest, si improbum fratrem carcere coerceat; prout non raro olim iure quodam vetere servabatur. Cf. Benedictum XIV. l. c. n. 15.

198. Hinc vero nata difficultas. Nam quaerit Bouix l. c. c. 2. q. 3.; quid agendum, sicubi adhiberi poena carceris nequeat. Id sane non ferrent modernae civiles leges, ut a privatis (nullum enim ius Religiosis Ordinibus agnoscunt) talis violentia in civem adhiberetur.

Advertit autem, Pontifices non censendos esse formalitatem hanc praescripsisse, nisi quatenus, ratione habita locorum et temporum ea sit possibilis; noluerunt enim certe praescribere aliquid impossibile.

Quapropter, ait, quoad eas regiones, ubi nequit haec formalitas servari, pro non praescripta haberi potest. « Nihilominus, subdit, cum ii casus, Deo dante, valde rari sint, ad praecavendas eiecti querelas et alias quaslibet difficultates, satius existimo, ut ad s. Congr. Conc. vel Episc. et Regg. recurratur. Prout etiam recurrendum esse pro singulis casibus, quando electi non fuerint sex supradicti consiliarii, ipsa s. Congr. respondit apud Ferraris l. c. n. 24. ».

Verum nunc omnis sublata est difficultas. Recenti enim decreto *Anctis admodum* c. EE. RR. 1892. 4. Nov. nulla amplius poenae carceris mentio fit, per quam religiosus probatur incorrigibilis.

Atque haec de eiectione professorum vota sollemnia. Hinc s. Congr. Conc. 11. Febr. 1662. cuidam Archiepiscopo respondit: « Religiosum Societatis Iesu, post tria vota simplicia dumtaxat, vigore privilegiorum eiusdem Societatis, dimissos, non comprehendi in Const. Urbani VIII. de Apostatis et Eiectis ».

Neque hoc decretum comprehendit eos, qui post novitiatum, ex decreto Pii IX., vota simplicia emittunt; hi sane faciliori via dimitti possunt. Sic enim habetur in decreto Congr. sup. statu Regularum 12. Iunii 1858. art. 4. Facultas dimittendi professos votorum simplicium spectat ad Magistrum Generalem Ordinis (haec primum data pro Ordine FF. Praedicatorum, communia postea omnibus evaserunt Lucidi V. 2. c. 4. n. 145. nota) cum suo generali consilio. Potest tamen in casibus extraordinariis, praesertim pro longinquis regionibus, probos et prudentes religiosos, saltem tres, ad id subdelegare. Art. 5. Neque processus neque iudicii forma requiritur; sed summa caritate et prudentia procedendum est. Nemo vero dimitti potest causa infirmitatis, quae post edita vota simplicia supervenerit. Causae dimittendi non sunt necessario crimina sed si digni non reperiantur ad professionem. Admittendi enim dicuntur, si digni reperiuntur. Const. Pii IX. *Ad universalis* 7. Febr. 1861.

199. Innuit A. speciali iure uti Societatem Iesu. Scilicet ex Brevi Gregorii XIII. *Cum alios* anno 1582. potest Praepositus Generalis, non quidem ex arbitrio, sed *ex causis id exigentibus* seu *eos quos iudicaverit*, ab ipsa Societate professos quoque emittere. Nec ullius peculiaris formae processus mentio fit. Et Gregorius XIV. Const. *Ecclesiae catholicae* an. 1591. declaravit, non opus esse adhibere in dimissione formam iudiciariam. Hoc privilegium idem Gregorius XIII. vetuit aliis Ordinibus, etiam iis, qui cum Societate privilegia participant, communicari. Hinc Suarez de Instituto Societatis l. 11. c. 1. n. 2. 7. colligit, Societatem sine dubio habere ampliorem in hoc genere facultatem; quia *causae id exigentes* cur expediat professos a Societate expel-

lere, utique non possunt esse nisi *graves culpae*, ut idem probat tr. 8. l. 3. c. 12. n. 40.: attamen iustae causae esse possunt, cur Praepositus iudicet aliquem professum esse expellendum, quamvis eius incorrigibilitas non sit demonstrata (cuiusmodi esset notorius vel unus lapsus contra sextum), ut ait idem l. sup. cit.

Iuverit tamen referre, quae habet Benedictus XIV. *de Syn.* l. 13. c. 11. n. 26. de professis Societatis Iesu. « Hos (nempe professos) si Superiores velint e Societate eiicere, debent *iudicialem ordinem* servare eorumque *incorrigibilitatem* evincere: ipsi autem sic expulsi, perinde habendi sunt ac reliqui omnes ex aliis Religionibus eiecti. Neque enim Societas hac in re peculiari privilegio donata est (haec est quaestio facti, quam aliter solvit Suarez et alioquin non liquet, cur Gregorius XIII. voluerit privilegium esse incommunicabile) et si quod etiam obtinuisset, eo iam uti non posset; nimis quidem ampla ac valida derogatione Urbanus VIII. praecedentia quaecumque privilegia sustulit. Quod recte animadvertit quoque Cardinalis de Lugo, dum in quadam consultatione die 16. Ian. 1624. (a) exarata, quam Nos manuscriptam in forma authentica inspeximus, hac de re sententiam rogatus, sequens edidit responsum. « *Facultas maior* Societatis ad expellendos professos, quam sit in aliis Religionibus, hodie ablata est, meo iudicio, ab Urbano VIII. per decretum editum in s. Cong. Conc. Trid. ann. 1624., ubi omnino prohibetur, ne in ulla Religione professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis et probetur per annum etc. ac revocantur omnes Constitutiones et privilegia Pontificia cuiuscumque Ordinis cum clausulis derogatoriis strictissimis. Quare quoad professos eiiciendos, credo Societatem nunc non habere plus potestatis, quam alias religiones. Ita iudico, salvo etc. ».

200. At dicine posset, privilegium exsistens ante Urbanum VIII. restitutum fuisse a Leone XIII. Brevi *Dolemus* ann. 1886.? Si reapse ab Urbano abolitum fuit, non puto. Non enim spectat ad litteras Apostolicas, quae respiciunt *erectionem*, *institutionem*, *confirmationem* Societatis, quae absolute rursus confirmantur: sed ad cetera privilegia, quae rursus quidem confirmantur sed eatenus, quatenus iis ab aliis Apostolicis Constitutionibus in toto vel in parte derogatum non sit.

Derogatum porro huic, de quo loquimur, privilegio, affirmat Benedictus XIV. et censet Card. Lugo.

Verum ecce quid modo a viro docto et fidedigno notatum accepi. « In libro XII. Decretorum s. Congr. Conc. ab anno 1619. ad annum 1626.,

(a) Mendum est in notatione anni; cum decretum Urbani, ad quod Lugo provocat, hoc ipso anno fuerit editum, mense Sept. die 21.

asservato in Archivo eiusdem s. Congr., folio sexto, post ipsum decretum datum auctoritate Urbani VIII. die 21. Sept. 1624., exstat hoc responsum. — Proposito dubio an in eiusmodi decreto comprehendatur Religio Societatis Iesu: s. Congr. censuit, non comprehendi. — Atque haec authentica declaratio, die 28. Dec. 1885. munita sigillo s. Congr., habetur in Archivo Societatis ».

Ignorarunt ergo et Card. Lugo et Benedictus XIV., quod mirum forte videri possit, hoc responsum s. Congr.

Ceterum advertendum est, decretum Urbani VIII. de ea expulsione agere, quae non sit ad certum tempus definita. Nam, ut ait idem Benedictus XIV. l. c. n. 30., « aliquando contingit, Regularem haud fuisse decretoria sententia e Religione expulsum veluti incorrigibilem, sed ob atrox aliquod crimen, ad praefinitum temporis spatium, puta septennium vel decennium, ab eadem Religione damnatum fuisse ad Triremes ». Incorrigibilitas nempe requiritur, cum decretoria sententia quis eiicitur, nullo temporis spatio definito.

Diximus decretum Urbani VIII. ad professos vota sollemnia (excepta Societate Iesu) spectare, non comprehendere professos vota simplicia in Societate Iesu, multoque minus professos vota simplicia post novitiatum in Ordinibus ceteris votorum sollemnium: quid vero si sermo sit de iis Institutis, quae edunt solum vota simplicia? De his censet Lucidi op. cit. c. 4. n. 36. requiri incorrigibilitatem, ut quis possit expelli, propter quandam decisionem s. Cong. Episc. et Regull. in animadversionibus ad constitutiones Congr. Presbyterorum sub titulo Immac. Concept. in dioecesi Rhedonensi 2. Martii 1861. « Pro expulsione oportet, ut revera concurrat incorrigibilitas (forma non statuitur, qua haec sit demonstranda) et pro iis, qui perpetua vota emiserint, etiam confirmatio s. Congregationis ». At nunc ex decreto *Auctis* (quod cf. in fine vol.), si vota sint perpetua, requiritur *culpa gravis, publica et incorrigibilitas.*

201. Quaeritur, an Religiosos iudiciali et decretoria sententia eiectos, si emendentur, teneatur Religio eosdem recipere.

Sepositis, si qua sunt, peculiaribus Ordinum privilegiis, lex est generalis Gregorii IX. in c. fin. *de Regularibus:* 1° ut Patres, Abbates seu Priores fugitivos suos et eiectos de Ordine suo, requirant sollicite annuatim: 2° ut, si in monasteriis suis recipi possunt, secundum ordinem regularem, Abbates et Priores eorum, monitione praevia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salva ordinis disciplina. 3° Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem monasteria, in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis

domibus eiusdem Ordinis, ad agendam ibi poenitentiam, talibus vitae necessaria ministrentur.

Praevidit ergo Gregorius IX. fieri posse, ut huiusmodi fugitivi vel eiecti, etsi emendati, recipi nequeant, salva ordinis disciplina, quin regularis ordo detrimentum patiatur. Quo posito non vult compelli superiores ut recipiant. Decretum ergo, quoad receptionem, non est absolutum sed conditionatum: habetur scilicet prius ratio boni communis Religionis, quam privati Religiosi. Quod tertio loco statuitur, locum habet proprie in Monachis et facile impotentia ab eo excusabit.

Iam vero constitutionem Gregorii IX. innovavit decretum Urbani VIII. §. 7. hoc pacto. « Censuit s. Congr. innovandam et suae Beatitudinis auctoritate innovat Const. fel. record. Gregorii IX. relatam in c. fin. extra *de Regularibus*. Ac propterea declarat eam Constit. *in iis* quoque vindicare sibi locum servandamque esse, *qui iuste definitive ac iuris ordine servato, repulsi fuerint: dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis*, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cuius conscientiam in his litteris concedendis s. Congregatio serio oneravit ». Utrumque ergo servandum est et recipiendi reiecti, si digni sint et requirendi; quamvis *annualis inquisitio*, ut usus ferre videtur, alio aequivalenti modo possit suppleri.

Eiectum huiusmodi, si plene sit emendatus et recipi petat, esse denuo admittendum, nisi Religio iustas causas habeat non admittendi, docet Schmalzgr. l. c. n. 251. cum Molina, Lessio, Sanchez etc. Iusta causa negandi admissionem esset grave scandalum, infamia et huiusmodi. Ita regula s. Benedicti vetat ne admittatur qui ter fugitivus factus est: sed haec est, puto, iustissima causa; quid enim ab eo prudenter speres?

202. « Eiecti (utique iuste et legitime) extra Religionem degentes, sunt perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi ». Ita decretum Urbani VIII. §. 6. et hanc suspensionem Romano Pontifici reservatam retinuit Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis* inter Suspensiones n. 5.

Professi Apostatae sive ob suas culpas eiecti e Societate Iesu, nisi ad alium Ordinem, de licentia Praepositi generalis aut Provincialis seu summi Pontificis transierint, inhibitum est, ne confessiones audire, docere seu praedicare praesumant. Quod si aliud temere attentaverint, possunt Generalis et Provincialis excommunicationis sententiam in illos promulgare. Ita in privilegiis Societatis sub v. *Apostatae et eiecti* §. 15. ex communicatione privilegiorum.

Sententia expulsionis est a superioribus Ordinis significanda statim Ordinario loci (in cuius dioecesi est conventus, ita Ferraris l. c. n. 40.

et cf. Suarez tr. 8. l. 3. c. 6. nn. 7.-9.: in cuius dioecesi expulsus sedem suam statuere debeat, ait Lucidi op. cit. c. 4. n. 31). Ita decretum Urbani VIII. §. 4.; oportet enim expulsos eidem subesse. Non est tamen Episcopi examinare sententiam et inquirere an iuste necne expulsus sit; quia non est superior Ordinis expellentis.

XLVII. Hoc supposito, Resp. 1. Professus a Religione ob culpam eiectus manet Religiosus votisque adstrictus. Laym. l. 4. t. 5. c. 13. ex communi.

203. Doctrina haec certa est. Vota sollemnia per dimissionem seu eiectionem non auferuntur aut cessant, sed integra manent neque enim Papa, qui solus posset, eiectos ab his dispensat. Idque valet et in professis Societatis Iesu. Praeterea vinculum professi cum Religione ortum ex traditione, quoad usum quidem desinit at in actu primo manet, quemadmodum post legitimam separationem manet vinculum coniugii.

Restat scilicet in professo eiecto obligatio ad suam religionem, propter quam et tenetur se emendare et rursus admissionem flagitare et Religio ipsum recipere, nisi iusta causa obstet nn. 201. 202. Manet igitur eiectus, quoad essentialia, adhuc religiosus eiusque Ordinis, a quo separatus est.

Quod igitur illi deest, est convictus religiosus seu communis vita sub regulari observantia et obedientia suorum praelatorum et idcirco facultas expedita vivendi secundum suum statum, a quo proinde dicitur excidisse, Suarez tr. 8. l. 3. c. 5.

Itaque eiectus est membrum quidem praecisum, sed praecisum a convictu et regulari vita in monasterio, retinens, ut sic dicam, characterem sui Ordinis, quo a laicis et seculari clero discernitur.

Idcirco cum eiectus redit, opus non habet renovare professionem; quia ea nunquam cessavit. Est communis doctrina. Suarez tr. cit. l. 3. c. 5. n. 16.

At si dimittantur professi vota simplicia in Ordine regulari, eo ipso liberi sunt ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione erga religionem perindeque est, ac si nunquam vovissent. Constat ex decreto sup. cit. anni 1358. et responso dato ab eadem Congr. anno 1860. ad 4. cf. Lucidi op. cit. c. 4. n. 147. Idque iam constitutum erat pro Scholasticis et Coadiutoribus formatis Societatis Iesu in Bulla *Ascendente Domino.*

In Institutis votorum simplicium vota perpetua non cessant in dimissis, sed indigent dispensatione pontificia. S. C. EE. RR. 1896. 10. Ian.

204. A religioso eiecto distinguendus est ille, qui a Sede Apostolica obtinuerit beneficium perpetuae secularizationis: quo solvitur ab exercitio suarum obligationum erga Ordinem et vicissim Ordo erga eum.

Huius pariter vota sollemnia manent eaque servare is debet, quantum in novo statu commode fieri potest ac subditus evadit iurisdictioni et obedientiae Ordinarii, *in vim etiam sollemnis obedientiae voti.* Ita s. Congr. sup. discipl. Regul. anno 1843. apud Lucidi l. c. n. 33. Is, si ordinibus sacris initiatus non sit, habitum clericalem vel decentem secularem gestare debet. Cf. Acta s. Sedis X. 4. p. 388. seqq. app. 10. Non vero tenetur, ut patet, reditum ad Ordinem suum efflagitare aut procurare.

205. Quaeritur, an alia vota sollemnia, quae adduntur tribus, ut est votum obedientiae Pontifici circa missiones in Societate, maneant in eiectis aut secularizatis.

Manere certum est, cum professio maneat et nemo ab his votis dispenset. Quoad usum tamen seu exsecutionem, vota dicuntur suspendi: nam, cum accessoria sint, eo animo intelliguntur facta et acceptata ut in statu religioso ideoque cum praesidiis vitae regularis serventur; secus ac alia essentialia vota, per quae ad ipsum statum religiosum se obligavit professus. Sanchez *Decal.* l. 6. c. 7. n. 32. Schmalzgr. l. c. n. 251.

Nihilominus Potestas in *Exam. Conff.* 2. *Praec. Decal.* nn. 1868. seqq. refert. cum Minimus quidam examen pro Episcopatu subiret, Urbanum VIII. eum interrogasse, an Minimus Episcopus teneatur ad observantiam voti vitae quadragesimalis (quod est eorum quartum sollemne votum): cum vero is negasset, Pontificem respondisse: *errasti; teneris enim.* Item Paulum V. Gregorium XV. et eundem Urbanum VIII. dispensasse in hoc voto cum tribus Minimis ad Episcopatum assumptis. Haec si valent pro evectis ad ecclesiasticas dignitates, multo magis pro eiectis. Verum ea responsio Pontificis, non constat, puto, ex actis et potuit esse privata opinio Pontificis, quae neminem cogit. Dispensatio autem non raro solet concedi pro sedandis scrupulis et ad cautelam.

Unde resolvuntur hi Casus.

XLVIII. 1. Eiectus rerum, quas acquirit, usum et administrationem tantum sibi vindicare potest, non autem dominium: neque illud acquiritur Monasterio, cuius non est membrum amplius, sed Ecclesiae, in qua Beneficium habet, vel Papae, si Beneficium non habet et exemptus est. Quod si non sit exemptus, Episcopo loci. Laym. l. c. ex Mol. et Less.

Dixi, *Eiectus;* quia fugitivos, et apostatas, iis exceptis, quae ex Beneficio Ecclesiastico acceptata sunt, Monasterio acquirere verius est, si illud dominii in communi capax sit: sin minus, Sedi Apostolicae. Ratio est, quia Monasterium, instar servorum, eos vindicare et reducere poterat. Laym. l. c. Azor, Sylv. etc.

206. Quod eiectus non acquirat sibi dominium, certum est (nisi dispensatio accedat a legitima auctoritate), propter perseverans votum

sollemne paupertatis. Usum tamen quendam ampliorem et administrationem bonorum habet; quia nova conditio sui status id postulat: necesse est enim ut ipse sibi consulat, si vult vivere. Sed quaestio est, cui ergo acquirat professus eiectus?

A. negat acquiri monasterio vel Ordini; quae resolutio non apparet, quomodo descendat ex praestituto principio, quod professus eiectus manet religiosus: sed supplet heic principium seu rationem; quia non est amplius membrum monasterii vel Ordinis.

In hac speciali quaestione, ut monet Suarez tr. 8. l. 3. c. 6. n. 19., agitur 1° de religioso iuste eiecto, nam si iniuste eiectus est, adhuc, secundum omnes, acquirit monasterio; quia temeritas aut iniuria particularis praelati nequit nocere monasterio. Agitur 2° de eiecto sententia decretoria in perpetuum, non ad certum definitum tempus; hic enim revocatus omnia sua deferre debet monasterio.

Iam vero, si sermo sit de iuste eiecto in perpetuum, Suarez consentit cum A. et ait id convenire inter omnes fere DD. Ratio est, quia est membrorum prorsus praecisum et Ordo renuntiavit iuri suo, abdicans a se dominium in eiectum, quantum potest: qua in re differt eiectus ab apostata et fugitivo.

E contrario Ferraris l. c. n. 67. affirmat eiectum acquirere monasterio, dummodo hoc talis dominii sit capax et hanc sententiam veriorem habet Schmalzgr. l. c. n. 264. spectato iure communi, qui tamen perperam pro se allegat Suarez.

Ratio est, quia eiectus, cum sit adhuc religiosus, adhuc manet sub dominio et potestate Ordinis, quemadmodum excommunicatus sub potestate Ecclesiae. Neque abdicatio iuris probatur, cuius Suarez meminit; nam nec ulla lege statuitur nec necessario sequitur ex eiectione. Praeterea eiectus quilibet potest semper revocari: est ergo semper sub potestate Ordinis. Revocatus vero, etiam iuxta Suarez, debet suo monasterio: ergo.

Diximus, de iure communi; nam ex iure speciali statuto a Gregorio XIII. Motu proprio *Officii nostri*, quaecumque bona eiecti vel apostatae in morte relinquunt, acquisita successione, legato, donatione, industria aliove quovis modo, cedunt Camerae Apostolicae. Cf. dicta n. 196. 1.

Haec sententia Ferraris mihi quoque magis arridet; nam videtur melioribus argumentis demonstrata.

Porro si eiectus sit addictus ecclesiae per aliquod beneficium, tunc quae intuitu ecclesiae obtinet et ex fructibus beneficii supersunt, par est acquiri ecclesiae, quemadmodum contingeret, etsi religiosus non foret eiectus.

Quod A. addit de Apostatis et fugitivis, iam praeoccupavimus n. 196.

XLIX. 2. Eiectus per culpam non omnino solutus est voto obedientiae, etsi eius exsecutio magna ex parte cesset; quia caret Superiore, a quo dirigatur. Debet tamen illud servare in praeparatione animi, si recipiatur. Laym. l. c. ex Navar. et Less.

207. Quidam censuerunt non quidem obligationem voti obedientiae cessare, sed propter defectum materiae, liberum esse hunc religiosum, quandiu in statu eiectionis manet, ab observatione voti obedientiae.

Ita apud Suarez l. c. c. 6. n. 3. Soto et Molina, qui contrariam sententiam Navarri, debere nempe vi voti talem religiosum obedire Episcopo, dicit esse contra praxim Ecclesiae ideoque improbabilem. Ratio autem a Molina allata ea est, quod vi voti nemo tenetur obedire nisi illi, cui obedientiam spopondit: at Religiosus non vovit se obediturum Episcopo, sed suis praelatis. Propter hanc rationem etiam Laymann *de Statu Religionis* c. 13. n. 4. minus probabilem censet doctrinam Navarri, illud docens quod habet A.

Et profecto, nisi aliquid addatur, quo haec obligatio voti erga Episcopum quoque in his casibus demonstretur, ratio producta a Molina et Laymann efficax videtur. Nihilominus constat 1° ex decreto Urbani VIII. citato §. 4. huiusmodi eiectos subesse iurisdictioni et *obedientiae* Ordinarii: 2° qui beneficium secularizationis a s. Sede obtinent, debere subesse iurisdictioni et obedientiae Ordinarii, vi quoque sollemnis editi voti obedientiae cf. n. 204. Porro eiectus nequit esse magis liber, quam secularizatus. Haec ergo videtur Romanae Ecclesiae sententia, ut secularizati et eiecti obedientiam specialem, prae aliis nempe subditis Episcopi, huic praestare debeant vi voti.

Id putamus fieri auctoritate Pontificis, qui praelato Religionis alium substituit. Per votum enim obedientiae se religiosus obligavit utique praelatis suis, sed hoc ipso se obligavit et illis, qui in eorum defectu multoque magis, si defectus ex culpa sua contingeret, substituerentur a competenti auctoritate, ea scilicet, cui omnis religio subest et cuius est normam statuere observationi votorum. Nonne praelati regulares possent suam auctoritatem, quam retinent in eiectos, delegare Episcopis? cur hanc ipsam auctoritatem praelatorum regularium non poterit ipse Pontifex delegare Episcopis?

L. 3. Idem a reliquis monasticis observantiis et regulis, ut a ieiuniis, vigilis, defectu ciborum et similibus liber est. Laym. l. 4. t. 5. c. 13. Sà n. 40. Navar. et alii contra Less. Sanch. etc. Ratio est, quia talium observatio non comitatur simpliciter professionem votorum substantialium, sed statum regularem, e quo ille est expulsus.

208. Haec doctrina cohaeret cum alia A. de religiosis promotis ad Episcopatum dub. 1. sub. n. VI. Quia vero ibi vidimus, sententiam esse certam Romanae Ecclesiae, Religiosos Episcopos aut Cardinales non esse immunes ab obligatione servandae regulae, nisi quatenus obser-

vatio nequit componi cum novo statu; multo magis id de eiectis dicendum erit. Quoad secularizatos vero, perpendenda erit formula concessionis.

Nec ratio A. est convincens. Obligatio regulae sequitur professionem qua religiosus vovit tria substantialia vota secundum regulam: professione ergo manente, cur non maneat obligatio regulae? Discrimen autem status seu conditionis vitae, id unum demonstrabit, non teneri talem religiosum ad eas regulas servandas quas nova conditio reddit moraliter impossibiles, puta regulam silentii, vel regulas modo speciali tunc graves, ad quem modum non censeatur se obligasse vovendo: sed in ceteris, quas servare potest, nulla est ratio, cur sit immunis.

LI. 4. Etsi non sit improbabile, quod docent Nav. et Azor, probatque Rodr. eiectum tuto manere extra suum Ordinem, nec teneri receptionem petere; eo quod iustae sententiae suae eiectionis se conformare possit: contrarium tamen communius est et probabilius. Ratio est, quia, cum sit obligatus votis, tenetur se qualificare, ut vota sua convenienter professioni exsequi possit. Quae ratio magis probat, si Ordo ipsum revocet. Laym. l. c. n. 6. ex Sylv. Sanch. et Less.

209. Cum ex decreto Urbani VIII. debeant praelati inquirere eiectos ut revocentur, si sint emendati nihilque praeterea obstet (n. 201.), cum clerici eiecti, quandiu extra Ordinem manent, perpetuo sint suspensi ab exercitio Ordinum (n. 202.): est certe Ecclesiae mens, ut ipsi redire teneantur. Quaelibet ergo eiectio est per se revocabilis et nunquam transit, ut ita dicam, in rem iudicatam, ut retractari non valeat.

LII. 5. Eiectus potest tuto in seculo manere, si in Monasterio non recipiatur, nisi Religionem laxiorem inire malit; quia aliam non vovit neque per ipsum (ut suppono) iam stat, quominus in sua recipiatur. Ita Rodr. Laym. etc. l. c. Ubi addit, Praelatos posse aliquem sub conditione eiicere, ut vel aliam Religionem intret, vel ad suam revertatur; imo etiam Ordinarii locorum eiectos ad hoc cogere possunt. Ratio est, quod tales non sine periculo et scandalo aliorum in seculo vivant. Vide Laym. l. c. n. 8. et 9.

210. Concurrunt identidem causae, ut eiectum quamvis poenitentem et revertentem haud recipere conveniat, puta si infamiam contraxerit, propter quam non amplius utilis esse possit Ordini vel eius munera exercere. Tunc si petens rursus admitti, repellatur, non est cur amplius iteret petitionem. At quaeritur, an teneatur aliam religionem ingredi vel saltem an ad id possit ab aliquo cogi.

Ad 1^{m} respondetur, ipsum per se non teneri; quia, ut ait Suarez l. c. c. 5. n. 20.: « ille sic professus non se obligavit alteri religioni et per illum non stat, quominus in ea vivat, ut supponitur (quia emendatus est et petit admissionem); ergo non tenetur aliam ingredi; quia in his, quae ad consilia pertinent, nemo tenetur, nisi ad quod voto se obligavit ». Potest ergo tuto in seculo manere. Unde sequitur posse

hunc, absque ulla licentia, ad religionem laxiorem transire; nam si potest manere in seculo, poterit et id quod melius est suaeque professioni conformius.

Ad 2^{m} respondemus quod eiectus emendatus nequit ab ullo cogi ingredi aliam religionem. Pro eo enim certe valet ratio, quod nemo potest ad religionem obligari, quam non vovit.

Censet autem Suarez, quod neque eiectus non emendatus possit absolute cogi aliam ingredi religionem; quia neque in poenam delicti potest quis obligari ad religionem, quam non vovit. Quaestio haec tamen in praxi videtur inutilis; nam quis Ordo, nisi depravatus sit, erit recepturus incorrigibilem?

Potest utique eiectus revocari, potest eiecto imponi poenitentia gravis, dum in seculo vivit; quia adhuc subest potestati Ordinis et potest, ut olim fiebat identidem, damnari ad triremes: at aliud est quod obligetur ad profitendam religionem, ad quam sponte sua non se obligavit. Professio enim libera esse debet.

At dum professus eiiciendus est, possunt eum praelati sub hac conditione eiicere, ut aliam religionem vel parem vel laxiorem ingrediatur, secus carceri perpetuo mancipandus in sua, si crimen admiserit ea poena dignum. Ita Suarez l. c. et ita accipi potest, quod dicit Laymann ab A. citatus n. 9. Nam hoc pacto nonnisi utilis conditio eiecto proponitur nec is obligatur aliam religionem ingredi, sed id suae permittitur voluntati, si nolit subire quod ei debetur.

Putat Laymann l. c. posse eiectum, qui scandalo aliis sit, cogi ab Ordinario aliam religionem ingredi. Scilicet cogi poterit, poenitentiae causa monasterium aliquod, dummodo hoc sit ipsum recepturus, vel domum poenitentiae ingredi: sed quod possit Episcopus eiectum cogere ad profitendam aliam religionem, non video, propter rationem iam allatam et quia id reapse necesse non est ad scandalum removendum; cum satis sit in aliqua pia domo eiectum recludi, ut ibi deditus bonis operibus vivat. Ad id vero Episcopus potest clericos quoque suos non religiosos adigere.

LIII. Resp. 2. Praelati Ordinum fugitivos et apostatas requirere tenentur, si absque gravi Ordinis damno possint et non omnino incorrigibiles videantur. Ita Sanch. l. c. Ratio prioris partis est; quia iure divino et naturali tenentur Praelati prospicere eorum saluti. Ratio posterioris est; quia, si ob iustam causam possint eiici, ob eandem etiam postquam malitiose exierunt, poterunt non recipi. Laym. l. c. n. 7. Sanch. etc.

Dixi *fugitivos* et *apostatas;* quia per sententiam iustam eiectos, etsi se correxerint, necessario recipiendos negant Sanch. l. c. et Azor. l. 12. c. 17., affirmant Nav. Molin. t. 1. d. 140. Less. l. 2. c. 41. d. 15. Utrique probabiliter.

211. De hac re iam dictum est. In quaestione vero an per iustam sententiam eiecti, si se correxerint, recipiendi sint, positis Gregorii IX.

et Urbanii VIII. decretis, respondendum est per se affirmative: per accidens autem negative; si nempe iusta causa repellendi subsit. Negandum autem est, id esse positum in mero arbitrio praelatorum. Cf. dicta n. 201.

LIV. Quaeres. An professus in uno Monasterio possit cogi, ut se transferat ad aliud? Resp. Posse, si plura Monasteria faciant unum corpus sub uno capite; secus, si singula subsint suis superioribus sub Episcopo, vel immediate sub Papa. Ratio est, quia non vovit obedientiam, nisi in hoc Conventu. Laym. l. c. n. 10. Vide etiam Sanch. l. 6. *Mor.* c. 32.

Non agitur heic de eiecto, sed de professo simpliciter. Resolutio A. clara est.

Appendix I.

* *De Religiosis dispersis.* *

212. Cum haec sit infausta conditio plurium religiosorum in Europa, ut e suis pacificis sedibus violenter eiecti bonisque suis spoliati vitam inter seculares cogantur ducere propiisque singuli necessitatibus non raro providere; s. Sedes eorum miserta, ut tantae calamitati levamen quoddam afferret, edidit per Organum s. Poenitentiariae quaedam decreta 18. Apr. 1867., quorum praecipua heic damus. Cf. Acta s. Sedis V. 3. p. 151. seqq.

1° Si in coenobium aliud recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, praesertim Clerici professi, conveniant, a superiore designandam ibique regulam, quam professi sunt, meliori, quo fieri potest, modo observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione. Art. 1.

2° Si qui vero extra claustra et praefatas domos, tanquam *secularizati ad tempus,* cogantur vivere, in sua vocatione permaneant votaque sollemnia, quibus se Deo consecrarunt, observent. Interim meminerint, suorum superiorum iurisdictionem in eos minime cessasse: « Nam licet quisque Regularis degens extra claustra, quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quae ex religiosa professione promanant et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis superioribus subesse eisque obedire tenetur ». Art. 2. Superiores ergo e. gr. Societatis Iesu possunt huiusmodi subditos dispersos ex alio in alium locum mittere et ad exteras quoque missiones, quin Episcopus loci vetare id valeat: nam talis subiectio subditi ex religiosa professione dimanat.

3° Praefatae domus, in quas ex coenobiis deturbati religiosi conveniunt, dummodo ibi *tres saltem regulares degant, quorum unus ad*

minimum sit sacerdos, subsunt iurisdictioni Ministri Provincialis et sunt regendae per peculiarem superiorem ibi constituendum. Art. 3.

Si ergo duo tantum sint, perinde se habent ac dispersi singillatim et ipsi quidem subsunt propriis superioribus eo pacto, quo dictum est n. 2.: non autem iisdem subsunt domus, in quibus degunt.

4° Mulieres autem regulares a propriis claustris expulsae, quantumvis exemptae et etiam in novas domos translatae, iurisdictioni Ordinarii loci omnino subsunt. Art. 7.

5° In dictis domibus, *dummodo ibi degant saltem quatuor sacerdotes regulares*, erigi potest, servatis de iure servandis, privatum Oratorium, quod prius visitetur et approbetur a Provinciali vel ab alia idonea persona ab eo deputanda. In quo Oratorio possit a sacerdotibus Regularibus Missa celebrari atque Sanctissima Eucharistia asservari: sacra vero Communio sumi et praecepto de audiendo sacro satisfieri *dumtaxat* possit a Religiosis atque Oblatis. Art. 4.

An hoc postremum excludit, si quod est, privilegium speciale? Nequaquam; quia haec est clausula totius concessionis. « Declarat (s. Congr.) praemissa censenda esse concessa sine ullo praeiudicio cuiuscumque generalis seu specialis indulti alicui Ordini seu personae a s. Sede impertiti ». Art. 19. Sane Benedictus XIV. Brevi *Exponi nobis* 22. Ianuar. 1755. concessit Ordini Praedicatorum ut *in domibus, possessionibus et membris* liceret, sine quacumque Ordinariorum visitatione et subiectione, tum cappellas publicas tum oratoria privata erigere, in quibus quilibet sacerdotes etiam extranei possent celebrare atque Christifideles praecepto audiendae Missae satisfacere.

6° In privatis Oratoriis supra dictis frui possunt Religiosi omnibus et quibuscumque ss. Indulgentiis concessis et assignatis domibus seu ecclesiis, e quibus exturbati fuerunt. Art. 5.

7° Superioribus regularibus integra manent privilegia, quibus hactenus, quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones, usi sunt singulisque regularibus utriusque sexus, etiam in seculo de legitima licentia viventibus manent Indulgentiae personales, eis a s. Sede concessae et non revocatae. Art. 6.

8° Superioribus tum Generalibus tum Provincialibus fit facultas, indulgendi subditis suis suppressis, ut durantibus praesentium temporum circumstantiis, quemcumque sive regularem sive secularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, confessarium sibi eligere valeant a quo etiam, si opus sit, a casibus et censuris in proprio Ordine reservatis possint absolvi. Art. 12.

Haec igitur facultas petenda est a Generali vel Provinciali.

9° Conceditur Regularibus sollemniter professis, ut possint as-

sequi in administrationem et legitime retinere Cappellanias aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum etiam residentiale et cum cura animarum, de consensu tamen et ad nutum Ordinarii loci atque annuentibus superioribus suis. Quod vero beneficium statim dimittere debeant ac ab iisdem superioribus *ad claustra* revocati fuerint. Art. 16.

10° Succedit privilegium obtinendi hereditates etc. et testandi etc., cuius iam alias meminimus, descripto integro textu V. 3. *de Testamentis*. Art. 17.

11° Facultas fit singulis utriusque sexus regularibus suppressis, ut « pecunias legitimo titulo acquisitas, de licentia suorum superiorum (et quatenus agatur de Monialibus, de licentia Ordinarii loci), in honesto et licito investimento, sive nomine proprio sive per interpositas personas, caute collocare possint: ea tamen lege, ut Regulares in communitate viventes, titulos ac reditus earundem pecuniarum eidem communitati aut alicui tertiae personae, ut supra, tradere teneantur neque de iis pariter ullo modo, absque licentia eorundem superiorum (aut ipsius Ordinarii), disponere valeant ». Art. 18.

213. E re forte erit heic addere responsum quoddam *s. Congr. Indulg.* occasione quaestionis circa Indulgentias concessas ecclesiis Societatis. Adm. Rev. Praepositus Generalis Petrus Becks, proposuerat eidem Congr. responsum olim datum a suo praedecessore Vincentio Caraffa 6. Mart. 1647. nimirum: « Quaestione heic saepe agitata, tandem iudicatum fuit: templa aliena simpliciter concessa nostris usibus, adeo ut quoad usum censeri possint nostra, gaudere *privilegiis* et indulgentiis templorum Societatis, quandiu in his tamquam suis exercet sua ministeria ». Porro ratione quoque habita huius responsi: quaesitum est 1° in eadem Congr.: « an quoad alias ecclesias, quae nunquam proprie ad Societatem ipsam pertinuerunt sed earum cura eidem Societati legitime concredita est, ut ibidem obeat sui Ordinis ministeria, approbandum sit responsum datum a P. V. Caraffa ».

Responsum est: « Affirmative; dummodo penes ecclesias, de quibus agitur, Patres Societatis Iesu resideant et ministeria propria ibi obeant.

Quaesitum est 2.: « quasnam conditiones habere debeat concessio usus, ut ecclesiae concreditae quoad usum ipsum censeri possint *nostrae*, nempe ipsius Societatis ».

Responsum est: « concessionem usus debere esse *legitimam* et usum *constantem* ac *plenum* et dummodo huiusmodi ecclesiae sint *publicae* ». Cf. Acta s. Sedis V. 4. p. 325. seqq. Unde Actorum editor colligit: « non esse necessarium iuridicum proprietatis titulum, sed satis esse plenam et duraturam legitimam possessionem, qua ecclesiae a christiano populo Regularium eorundem merito censeantur ».

Appendix II.

* *De Privilegiis Regularium.* *

214. Primum est exemptio a iurisdictione Episcoporum, cuius privilegii iustissimas causas bonum commune Ecclesiae spectantes, quas solum studio partium ductis despicere licet, vide apud plures e. gr. Bouix *de Iure Regularium*, p. 5. sect. 2.

Subsunt proinde Regulares Ordines immediate iurisdictioni Romani Pontificis, qui eos per regulares superiores regit, quibus idcirco episcopalis iurisdictionis participatio communicatur. Hoc privilegio gaudent, ait s. Alph. *de Privilegiis* n. 74. non solum professi, sed et novitii... Servi etiam regularium, qui actu famulantur et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia, iuxta Trid. sess. 24. c. 11., eximuntur a iurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras quam etiam quoad communionem paschalem.

215. Hoc tamen privilegium plurimis temperatur exceptionibus (qua de re plura in tr. *de Censuris* c. 1. sub dub. 3. dabit Baller.).

Sane religiosae domus, in quibus 12. saltem religiosi degere et ex reditibus et consuetis eleemosynis (detractis omnibus detrahendis, *expensis* nempe *sacristiae et ecclesiae* Ferraris a. *Conventus* art. 1. n. 28.), competenter sustentari non valeant et actu non habitaverint, aut erigi non debent aut Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae iurisdictioni subiectae sunt. Ita decreto Urbani VIII. 21. Iun. 1625. *de Celebratione Missarum*, quo confirmavit et temperavit decretum Gregorii XV. Constit. *Cum alias* 17. Aug. 1622. Subiiciens vero Urbanus VIII. hos conventus iurisdictioni Episcopi, non loquitur de delegatione Sedis Apostolicae, qua Episcopus instruatur.

Quo Urbani decreto teneri omnes religiosas domus erectas a die 21. Iun. 1625. constat ex ipso decreto et declaravit Innocentius X. decreto *Ut in Parvis* 10. Febr. 1654., in quo aliquid speciale statuit pro parvis conventibus quibusdam a se antea Const. *Instaurandae* idibus Octob. 1652. suppressis in Italia et Insulis adiacentibus ac postea restitutis, tum pro aliis nunquam ibidem suppressis, qui tamen deinde praefixum numerum religiosorum, ob supervenientes causas, alere non possent. Priores esse permisit, dummodo sex saltem religiosi probatae vitae reipsa ibi alantur, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturae aetatis (anno 40. completo, ex resp. s. Congr. apud Lucidi *Vis ss. Limin.* c. 4. nn. 54. 55.) eosque religiosos subiecit visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegati. Alios vero conventus non suppressos

subiicit visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis Apostolicae delegati, ea tantum in hypothesi, quod ibi non alantur sex saltem religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor saltem sint sacerdotes maturae aetatis, ut supra. Atque haec de monasteriis quae die 21. Iunii 1625. iam existebant. Nam quoad posthac aedificanda vult idem Pontifex ibidem, ut iam monuimus, valere prorsus decretum Urbani de 12. religiosis.

Quoad hos conventus post dicta decreta fundatos, advertit Lucidi l. c. n. 66. cum Auctore novarum Additionum ad Ferraris v. *Conventus* art. 2., quod, si ii Conventus 12^{m} religiosos nequaquam habeant, subiecti utique sunt iurisdictioni Episcopi, at circa dumtaxat disciplinam ecclesiasticam, non item circa regulare institutum, iuxta id, quod tradunt Pignatelli *Consult. Canonic.* tom. 2. cons. 136. n. 24. et Del Bene *de Immunit.* p. 2. c. 24. dub. 21. n. 5. Verum s. C. EE. RR. 1714. 1. Mart. iam determinaverat, Conventus, ubi habitualiter aluntur sex religiosi, esse exemptos a iurisdictione Ordinarii, atque 1741. 12. Maii respondit, *Episcopum posse visitare solum, quando actu non adsint sex religiosi,* h. e. non sint actu membra eius communitatis. *Collectanea* Bizzarri p. 357. Ex his sex oportere quatuor saltem esse religiosos maturae aetatis praescripsit s. C. 1742. 23. Febr. Illud autem advertatur, quod legi praescribenti in domibus certum numerum religiosorum, ne Episcopis subiiciantur, haud subsunt domus religiosae in missionibus. Const. Leonis XIII. *Romanos Pontifices* 8. Idus Maii 1881. Confer praeterea constituta modo pro Regularibus dispersis (212. 3.).

216. Praeterea Regulares, etiam curam animarum non habentes, subiiciuntur Episcoporum iurisdictioni in his, quae Sacramentorum administrationem concernunt, sii iidem Regulares, in sacramentis personis secularibus administrandis, deliquerint. Const. Gregorii XV. *Inscrutabili* Nonis Febr. 1622. addito responso S. C. C. ad dubia inde exorta, apud Ferraris v. *Regulares* art. 2. n. 6.

Item S. C. C. 27. Aug. 1630. (cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 9. c. 15. n. 4. et Instruct. 30^{m}): « censuit, non licere Regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum *publice* adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit Ordinario: ex causa autem privata posse, dummodo ss. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur et sit velatum ita, ut ipsa sacra Hostia videri non possit ».

Si vero habeant pro se Regulares consuetudinem legitime praescriptam, approbatione Episcopi non indigebunt. Neque ea indigebunt, si sacra Hostia e tabernaculo extrahatur et detecta exponatur vel in ecclesia, occlusis foribus vel in eorum privatis Oratoriis; quia neutro modo est publica expositio. Cf. Bouix op. cit. p. 5. sect. 3. c. 2. q. 13.

217. Nequeunt confessiones secularium audire, nisi aut parochiale beneficium habeant, aut ab Episcopo approbationem obtineant. Syn. Trid. sess. 23. c. 15. Iurisdictionem autem habent a Papa, cui sunt subiecti: ut regularium communior saltem fert sententia. Profecto « privilegium exemptionis (ait B. ad Gury V. 2. n. 557. not.) per se non infert delegationem iurisdictionis immediate a Rom. Pontifice; alterum enim sine altero (quemadmodum et sine aliis iuribus) subsistere potest: de facto tamen Religiosi omnes Mendicantes et qui privilegiorum communicationem cum iis ex Apostolicae Sedis indulto habent, iurisdictionem a Rom. Pont. per Ordinis proprii praelatos accipere solent ».

Atque ante Trid. Syn. hoc ius viguisse certum est. Porro Trid. Syn. l. c. pro regularibus, ut seculares possint absolvere, postulavit tantum approbationem Episcopi. Hinc vero nata difficultas; nam approbatio, de qua Trid. loquitur sess. 23. c. 15. *de Reform.* videtur vel iurisdictionem significare vel comprehendere; quoniam illa eadem est, quae ibid. et pro sacerdotibus secularibus postulatur, qui certe ab Episcopo et iurisdictionem accipere debent. Cf. Bouix l. c. c. 3. q. 2. n. 4.

Nihilominus perpende Declar. s. Cong. C. apud Fagnan. in c. *Omnis utriusque sexus* n. 79. « S. Congr. declaravit intra dioecesim Episcopi approbantis posse (regulares) etiam absolvere poenitentes alterius dioecesis; *cum habeant iurisdictionem a Papa...,* cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii, sed universus orbis est sua dioecesis ». Quae est responsio iuxta communiorem Thelogg. opinionem. Negari tamen haud potest, in recentioribus Actis Romanarum Congregationum, oppositam sententiam videri probatam magis. Cf. Acta s. Sedis V. 1. Resp. Cong. EE. et RR. 3. Iunii 1861. p. 677. et aliud mox citandum. Sed de his melius in Tr. *de Poenitentia.*

Illud certum est, regulares posse ab Episcopo accipere iurisdictionem, atque ita, ut etiamsi a suis Superioribus ab audiendis secularium confessionibus suspendantur, illicite quidem, sed valide absolvant, ut declaravit s. C. EE. et RR. 20. Mart. 1866. Acta s. Sedis V. 1. p. 683. seq.

Regulares in certa dioecesi approbati possunt poenitentes in eam ex alia dioecesi confluentes absolvere a reservatis in hac, a qua discesserunt poenitentes, dummodo non discesserint in fraudem reservationis. Clemens X. Const. *Superna* 21. Iul. 1670.

218. Regulares, ad confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem si ab eius vicario aut ab Episcopis antecessoribus) approbati, non possunt ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari aut ab iisdem confessionibus audiendis suspendi seu licentias illis concessas

revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat. Const. *Superna* cit.

Neque potest Episcopus, inconsulta Sede Apostolica, adimere facultatem audiendi confessiones omnibus simul eiusdem conventus regularibus confessariis. Ibid.

Adverte in Const. *Superna* Clementem X. statuisse « religiosos, qui *idonei generaliter* (in doctrina nempe, prudentia, bonitate) reperti fuerint, generaliter quoque et absque limitatione esse admittendos. Ceteros vero, qui *non adeo idonei* reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate (quoad tempus e. gr. et personas) admittere ». Verum iamdudum praxis communis (cf. Clericatum *de Sacram. Poenit.* decis. 38.) morem induxit, ut cuilibet religioso vel maxime idoneo licentia limitata, puta ad annum concedatur ab Episcopo, si ita huic placet. Quod probavit et Benedictus XIV. Const. *Apostolicum* 30. Maii 1753. affirmans indefinite: « Ceterum confessarii munus Regularibus deferri potest sine temporis determinatione vel cum limitatione ». Atque haec praxis viget Romae.

Iam s. C. Inq. 30. Ian. 1659. auctoritate Alexandri VII, iudicium tulerat de quibusdam propositionibus, quae huc faciunt. 1° « Concilium Trident. non obligat Regulares in Galliis exsistentes obtinere approbationem Episcopi, ut secularium confessiones audire possint neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Galliis receptum non sit, praeterquam in decisionibus Fidei neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata ». « Falsa, temeraria, scandalosa, in haeresim et schisma inducens, s. Conc. Trid. et Sedi Apostolicae iniuriosa ».

2° « Ubi Conc. Trid. est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimo Ordinum Mendicantium religiosi ad eas obtinendas non tenentur et si ab Episcopis non probentur, reiectio illa tantundem valet ac si approbatio concessa fuisset ». — Complexe accepta, est falsa, temeraria, scandalosa et erronea.

3° Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab aliquo Episcopo ad confessiones audiendas in sua dioecesi, habentur pro approbatis in aliis dioecesibus nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ista ipsis indulta non fuerit ». — « Quoad priorem partem, falsa et saluti animarum perniciosa. Quoad alteram partem, falsa, auctoritati Episcoporum et Sedis Apostolicae iniuriosa ».

219. Olim Regulares facultate gaudebant absolvendi a casibus et censuris Papalibus, exceptis contentis in Bulla Coenae (cui nunc successerunt casus et censurae speciali modo Pontifici reservatae in Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis*) aliisque paucis. Cf. s. Alph. *de Privilegiis Regularium* n. 101.

Nunc vero per dictam Const. Pii IX. facultas haec generalis sublata est et quid quilibet Regularis possit, ex privilegiis suo Ordini concessis, debet cognoscere.

Quia vero in eadem Const. §. 2. n. 2., quo excommunicationi latae sententiae R. P. reservatae, subiiciuntur violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, excipiuntur « casus et personae, de quibus *iure* vel *privilegio* permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat » : hinc qui tale privilegium antea obtinebant, adhuc eo fruuntur.

Item per Const. *Apostolicae Sedis* derogatum non est facultati absolvendi seculares a casibus reservatis Episcopis, qui reservati sint ipso iure. Si enim id verum erat ante Pianam Constitutionem, non est cur modo negetur: solae enim per eam Constitutionem abrogatae sunt facultates hactenus concessae *absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis*. Porro s. Alphonsus aetate sua, tanquam probabilius censebat, posse Regulares absolvere seculares a casibus iure Episcopis reservatis l. 7. n. 99.

220. Regulares possunt dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt Episcopi cum suis dioecesanis ex cap. *Liceat*. Trid. sess. 24. Quid cum secularibus possint, dicemus loquentes *de Irregularitate* vol. ultimo ; cf. interea. S. Alph. *de Privil. Regul.* n. 104.

Item praelati regulares possunt dispensare cum suis subditis in praeceptis ecclesiasticis, quemadmodum Episcopi cum suis dioecesanis. S. Alph. ibid. n. 106. Ratio huius paritatis institutae in his, quae modo diximus, inter Episcopos et praelatos regulares, ea est, quia et hi habent iurisdictionem quasi episcopalem (n. 214.).

221. Quod spectat ad praedicationem Verbi Dei: distinguendum est, an praedicatio habenda sit in ecclesiis proprii Ordinis, an extra eas. Porro in priore hypothesi pro habendis concionibus in templis sui Ordinis, tenentur personaliter se coram Episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere, antequam praedicare incipiant, ita Trid. Syn. sess. 5. *de Reform.* c. 2.; quod si praestiterint, etiamsi benedictionem seu licentiam non obtinuerint (qui casus rarissimus erit: ordinarie enim Episcopus vel annuet vel abnuet) praedicare possunt, quemadmodum

declaravit Clemens X. Const. *Superna*. Qui tamen subdit: « Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem ecclesiis licet regularibus praedicare ». Quod iam sanxerat Trid. Syn. sess. 24. *de Reform.* c. 4. « Nullus in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat ».

Non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, quin in ecclesiis suorum Ordinum praedicent. Const. *Superna*. Neque debet Episcopus licentiam concionandi denegare, si praedicator sit idoneus, absque legitima et rationabili causa, sine qua nec illum potest a praedicatione suspendere. Ita Pignatelli tom. 4. consult. 206. n. 64. apud Bouix l. c. p. 5. sect. 3. c. 4. n. 10.

Si vero praedicatio a Regulari extra ecclesias sui Ordinis habenda est, clara sunt verba Trid. Syn. sess. 5. c. 2. « In ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt... Episcopi licentiam (regulares) teneantur habere, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo praedicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant ». Non satis est ergo petere licentiam; sed et obtinenda est.

Imo Episcopus licentiam concessurus Regularibus, ut extra suam ecclesiam praedicent, potest eos, quoad doctrinam, examinare, Const. *Superna:* non vero volentes in suis tantum ecclesiis praedicare.

Item potest Episcopus vetare ne in suis ecclesiis Regulares praedicent ea hora, qua Episcopus per semetipsum est praedicaturus. Benedictus XIV. *de Syn.* l. 9. c. 17. n. 7.

Idem valet, non quidem si Episcopus consuetis concionibus intersit, sed si Episcopus ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu et populo, coram se praedicare faciat: tunc enim illi licet praecipere Regularibus, ut ea hora vel in suis ecclesiis a praedicatione abstineant. Benedictus XIV. ibid.

222. Episcopus identidem procedere potest criminaliter contra regulares. 1° In iis quae praescripta sunt circa celebrationem Missarum Trid. Syn. sess. 22. in *Decreto de Observandis* etc., tanquam delegatus apostolicus. 2° In iis, quae concernunt clausuram monialium etiam exemptarum Const. Gregorii XV. *Inscrutabilis* ann. 1622., item ut delegatus Apostolicus. 3° Si regularis committit delictum, cum permanenter extra monasterium habitat. Trid. Syn. sess. 6. c. 3. *de Reform.*, ut delegatus Apost. 4. Si regularis, in monasterio degens, extra illud delinqueret, cum publico scandalo et praelatus eius eum non puniret. Trid. Syn. sess. 25. c. 14. *de Regul.*

De facultate competente Regularibus dispensandi in votis et ea commutandi, dictum est V. 2. *de Voto*, cf. ibid. nn. LXXIV. LXXXIII. cum subiectis animadversionibus. Breviter dicimus posse eos dispensare in

omnibus votis, in quibus possunt Episcopi iure ordinario. S. Alph. l. c. n. 109.

Possunt dispensare cum coniugibus in voto castitatis elicito ante matrimonium, ad petendum debitum. Pariter possunt dispensare cum coniugibus quoad impedimentum ad petendum debitum, propter incestum commissum cum persona consanguinea coniugis. S. Alph. l. c. nn. 108. 109.

223. Privilegium habent Regulares eligendi sibi *Conservatores*, qui sunt particulares iudices a Summo Pontifice delegati ad aliquos defendendos contra *manifestas* iniurias, molestias et violentias, absque indagine iudiciali, ut dicitur c. *Statuimus* 1° *De officio iudicis delegati* in 6. Habere hoc privilegium Regulares constat tum ex declarationibus s. Cong. Concilii (apud Ferraris v. *Conservatores* art. 1. n. 2.) tum ex Const. Gregorii XV. *Sanctissimus* 20. Sept. 1621.

Conservatores esse debent viri praediti dignitate ecclesiastica vel personatum obtinentes vel ecclesiarum cathedralium canonici ac praeterea esse ex iudicibus synodalibus h. e. electis seu designatis in Synodo provinciali vel dioecesana. Const. cit. Nequeunt esse superiores regulares aliorum Ordinum temporarii. Const. Clementis XIII. *Cum omnium* 9. Kalendas Maii 1762.

Eorum officium est defendere regulares a manifestis iniuriis et violentiis, non solum iam illatis sed et probabiliter inferendis (Ferraris l. c. art. 2. n. 12.) eosque in propria rerum et iurium possessione conservare, adhibitis etiam censuris, contra Episcopos quoque, si opus est; cum auctoritatem habeant a Papa.

Si vero iniustitia aut violentia non sit manifesta, ut nempe nulla valeat tergiversatione celari, nequeunt Conservatores officium suum interponere. Neque enim possunt cognoscere de iis, quae iudicialem indaginem requirunt c. *Statuimus* cit. Indago autem iudicialis est inquisitio seu examinatio, quae, iuris ordine servato, habetur in casibus dubiis ad veritatem inveniendam ac iustum iudicium proferendum. Ferraris l. c. art. 2. n. 8. Quia vero conservatores tandem iudices sunt etsi in re manifesta, eam possunt indaginem iudicialem adhibere, quae in notoriis adhiberi solet. Ferraris l. c. n. 10.

Ius ergo habent Regulares, ut eorum causa ad tribunal Conservatoris sui deferatur, si manifesta est iniuria ipsis illata. Quod intelligendum est, etsi Regulares sint actores, modo eatenus actores sint, quatenus petant auxilium contra manifestam iniuriam, ut declaravit s. Congr. Conc. apud Bouix, op. cit. p. 5. sect. 2. c. 3.

Secus servandum Trid. decretum sess. 14. c. 5. « In civilibus causis, si ipse (qui conservatoris gaudet tutela) exactor exstiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minime liceat ».

Quod si causa ad forum episcopale deducta fuerit, ipsis Regularibus consentientibus, nequeunt amplius ii, pendente lite, ad iudices conservatores convolare. Ita S. C. Conc. 30. Febr. 1725. apud Ferraris l. c. n. 17. Cf. Schmalzgr. l. 1. tit. 29. n. 54. et Privilegia S. I. v. *Conservatores:* Bened. XIV. *de Syn.* l. 4. c. 6. Card. de Luca *de Iurisdictione* disc. 49.

Atque haec satis sint: alia privilegia deinceps, si opus erit, suis locis, occasione data, referentur. Interim conferri potest s. Alph. *de Privilegiis Regularium.*

CAPUT II.

DE STATU CLERICORUM.

I. Clerici generaliter dicuntur illi, qui sacris Ordinibus vel prima saltem tonsura sunt initiati. Ad quorum statum cum multa pertineant, de quibus alibi agendum, hìc agemus de beneficiis Ecclesiasticis, horis Canonicis et aliis paucis.

224. * Accuratior definitio *clerici* spectat ad Theologos dogmaticos. Cf. sis Tr. nostrum de Ecclesia.

Auctor ait alibi agendum esse de multis spectantibus ad statum clericalem: in Tr. scilicet de Ordinis Sacramento, puto, etiam Poenitentiae. Sed nullibi certas quaestiones agit, quae non minimi sunt momenti et ab aliis tractari solent, quas hoc loco iuvat breviter expedire.

Spectat prima ad vocationem divinam et quaeritur an et quae vocatio divina requiratur, ut hic status assumatur.

Certum est, requiri externam vocationem, qua nempe Episcopus aliquem eligat Clero adscribendum vel libere admittat et collatis ordinibus in dignitate ecclesiastica constituat. Episcopi enim est et ordines conferre et probare eos, quibus sint conferendi 1. Tim. III. 10. V. 22. Trid. Syn. sess. 23. c. 5. *de Refor.* pluribusque aliis in locis. Quatenus ergo nemo se ipsum clericum facere potest, sed oportet ut ab alio, qui Dei vices gerit Deique nomine dominicas oves regit, in clericalem ordinem libere admittatur et clericus fiat; cum haec sit exterior vocatio, ea necessaria certe est. Atque huc profecto spectant verba, quae afferri solent ex epistola ad Hebraeos v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Loquitur de Pontifice summo; nemo sibi ipsi hanc dignitatem tribuit, sed ille est Pontifex, qui vocatur a Deo tanquam Aaron; hic autem extrinseco signo divinitus dato electus est et Dei iussu a Moyse consecratus. Ita et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed a Patre constitutus est Pontifex et similiter in Ecclesia Pontifex a Deo constituitur, praevio ministerio eorum qui iure potiuntur eligendi: ita et Episcopi

et ceteri a Praelatis assumuntur et ordinantur. Quod autem Auctor inspiratus dixit de honore summi Sacerdotii, analogice traducitur ad quemlibet honorem sacerdotalem universumque statum clericorum.

Porro manifestum est in verbis allatis Scripturae, de exteriori vocatione et missione, non de vocatione interiori proprie sermonem esse.

225. Quid autem dicendum de interiore vocatione? In primis praesupponendum est, quod, cum ad honorem clericatus eligendi sint idonei, dispositio quaedam interior in eligendis postulatur et ab Ecclesia supponitur. Praecipua dispositio est sanctitas morum saltem negativa et conveniens scientia (cf. tit. *de Electione* in l. *Decretalium et Conc. Trid.* sess. 23. c. 18.): quorum tamen hoc est discrimen, quod scientiae certum experimentum et demonstratio haberi possit eaque semel obtenta ex iis sit bonis, quae facile conservantur et augentur: sanctitatis vero morum, quae res interior est, demonstratio difficillime habeatur eademque, nisi iugi exercitio altas egerit radices, facillime inter mundi occasiones amittatur.

Porro cum Ecclesia non soleat promovere nisi qui se sponte offerunt et nihilominus ipse status exigat ut promoveantur idonei: oportetne, ut qui se offert, noscat se instructum debitis dispositionibus? Quod spectat ad scientiam, iudicium permittere potest Episcopo eiusque acquiescere sententiae, illam enim aperte explorare licet et quid tandem satis sit, Episcopi est iudicare. At quod spectat ad mores, Ecclesia requirit utique externam compositionem morum eaque exsistente admittit, si cetera adsint, ad Ordines: verum, ut sapienter monet s. Alph. (in Dissertatione hac super re edita, quae extat in l. 6. sub. n. 63. seqq.), Ecclesia hanc exteriorem sanctitatem accipit tanquam signum interioris sanctitatis, quam intendit et ex eo signo praesumit. Quia ergo praesumptio veritati cedit; qui huius conscius est, se nempe debita morum puritate carere, nequit iudicio Ecclesiae acquiescere eum admittentis, quae certe repelleret, si eum, qualis est, nosset.

Neque ex eo, quod Ecclesia de internis non iudicat et admissio ad clericatum actus est exterioris ministerii, sequitur satis esse, si exterior sanctitas habeatur: sed, quia semper finis ratio habenda est et oportet media esse proportionata fini, sequitur potius, oportere eum, qui se offert, quique se novit, concurrere cum admittente ad eius finis consecutionem ideoque se non offerre, si se indignum novit. Atque haec ἐν τύπῳ et generatim dicta sint: quaenam vero morum puritas necessaria sit, dicemus paulo post, occasione alterius quaestionis: nunc tantum advertimus haec proprie valere, cum Ordines maiores suscipiendi sunt et status ecclesiasticus ineundus; minores enim ordines in via potius hominem collocant et probatione.

226. Ut autem propositae quaestioni insistamus, quae est de necessitate vocationis, advertimus, huiusmodi interiores dispositiones nondum esse per se divinam interiorem vocationem; nam potest quis esse sanctissimus et ad alia tamen vocatus. Vocatio Dei, prout est in Deo, est consilium divinae Providentiae, quae singulas creaturas ad finem ordinat, eligentis hominem ad certum specialem statum eique convenientia praeparantis auxilia. Dicimus *specialem statum;* nam pro statu communi, ut quis in eo maneat, satis est si careat vocatione ad peculiarem statum: observatio enim praeceptorum iam omnibus est praecepta et status laicalis omnibus permissus, nisi Deus ad altiora vocet. Prout vero in homine est, vocatio est huius consilii manifestatio per interiores inspirationes plus minus efficaces et generatim solet se hoc consilium eatenus prodere, quatenus homo, prae oculis habito ultimo fine, sentit se, non semel ac iterum, sed saepe ad eum statum eiusque munera affici et consolationem experitur, illum recogitans putatque se in illo salutem suam facile consecuturum. Vocationis proinde, quae adsit, quisque conscius est, etsi forte adhuc ignoret eam esse, quae divina vocatio appellatur et est quaedam interior locutio Dei, quae et ea corda afflare potest, quae non sint munda: quemadmodum enim non omnes sancti vocantur, ita non raro et ii vocantur, qui malitia suo se indignos reddunt vocatione; quam, etsi sequi non possint, quandiu sunt indigni, tenentur tamen se dignos facere ut sequantur.

Iam vero necessitas vocationis sive necesse esse, ut qui vocatus est ad clericalem statum, eum ingrediatur et non vocatus abstineat, demonstrari solet ex periculo salutis, cui is se obiicit, qui Dei vocationem parvi pendit, periculo nempe indigne se gerendi in sacro ministerio et frequenter peccandi. Cf. quae diximus superiore capite agentes de religiosa vocatione, nn. 170. seq. Atque heic specialis quoque ratio videtur occurrere; quia non de solo periculo agitur propriae salutis, sed frequenter et aliorum. Sed haec distinctius, si fieri potest, enucleanda.

227. Et 1° dicendum est, vocationem, quam descripsimus, non sequi haud esse peccatum saltem grave, si res per se saltem spectetur, praecisione nempe facta ab effectibus; nam vocatio non est praeceptum, sed suasio, allectio et media tandem necessaria salutis omnibus, quandiu vivunt, in quolibet statu praesto sunt.

E contrario accedere cum indignitate positiva ad statum, qui dignos requirit, non minima inordinatio est et per se peccatum grave censetur. Cf. s. Alph. Dissert. cit. Nunc quidem data opera de sequenda vocatione disputamus: attamen ab hac conditione dignitatis vel indignitatis personae non est abstrahendum, ut modo patebit.

Sane 2° plures casus distinguere licet. Nam vel ad statum ecclesiasticum se offert non vocatus et hic aut malus est aut bonus: vel vocatus non se offert atque hic rursus aut malus est aut bonus. An de omnibus vocationis tramitem non sequentibus aeque verum est, eos se obiicere periculo salutis et periculo etiam aliis nocendi? quae est ratio cur dicatur obligatio esse gravis gerendi morem Deo vocanti. Non puto.

Sane 3° si non vocatus accedit et malus est et malo fine accedit, is certe se exponit alicui periculo amittendae salutis et alios perdendi; non solum quia peccat indignus accedens, sed quia nec praestolari sibi potest auxilia propria status, quem ingreditur nec erit suos mores facile emendaturus, sed sponte in peius potius ruiturus: quod quidem opus haud est pluribus demonstrare, cum id experientia, magistra etiam doctorum, satis doceat.

4° Si autem bonis sit moribus et nihilominus non vocatus accedat, quod identidem contingere potest, si ex humano quodam timore similive motivo veluti coactus ordines suscipiat; hunc non puto gravi periculo se obiicere amittendae salutis aut aliis nocendi. Nam si pergat bene vivere, quod ei arduum esse non debet, erit plus minus utilis ad plura sacerdos et sancte quotidie celebrans non privabitur gratiis necessariis et congruentibus.

Ex quibus iam intelligimus, id, quod periculo amittendae salutis obiicit incautos esse proprie defectum vocationis simul et honestatis vitae, cum status suspicitur, non solum defectum vocationis.

5° Si vocatus ad statum ecclesiasticum renuit et malus est, 1° quandiu emendatus non sit, non tenetur certe se offerre: tenetur autem se emendare. Sed si 2° probabiliter non speret amplius se posse in caelibatu sancte vivere, postquam eum poenituit praeteritae vitae et etiam, si vis, vocationis non secutae, quam tamen diximus non esse praeceptum; quid restat nisi ut coniugali vitae se dedat? Quamvis enim absolute vocatus, ex hypothesi tamen heic et nunc censeri potest non amplius vocatus. Quapropter et in coniugali statu poterit nec difficulter adeo salvari per tribulationem carnis; nam id certo tenendum est, nemini deesse auxilia necessaria et si oretur ut oportet, ad quod praesto semper est auxilium sufficiens, etiam congruentia et efficacia.

6° Tandem si vocatus, etsi bonis moribus, renuit tamen ob ea motiva quae n. 4° innuimus (quae tamen supponimus non esse idonea; nam secus indicio forent, Deo satis esse bonum desiderium nec amplius vocare) et statum incompossibilem suscipit; est nec grave periculum salutis, cui se exponit? Habitus bonos gerens non difficile, puto, bene vivet in statu haud difficili nec arduum erit occasiones malorum evitare neque gratiae deerunt opportunae christiane viventi.

Itaque res eo redit, ut si qua vera est causa periculi, salutem inquam propriam amittendi et indigne sancta ministeria tractandi atque aliis animabus perniciem quoque afferendi, haec causa in eo sit, qui ob mores corruptos indignus ac magis etiam si praeterea non vocatus (etsi id per se solum non sufficeret), sanctuarium ingredi praesumit.

De hoc ergo quaeritur, an eo ipso quod dicto periculo se obiicit, peccet peccatum speciale, distinctum nempe ab iis, quae forte subsequentur.

228. Non est quaestio de eo, qui in statu peccati suscipit ordinationem; sed de eo, qui quamvis nunc in statu sit gratiae, adhuc censetur indignus.

Oportet ergo definire, 1° quis vere sit indignus: 2° an vere grave peccatum sit dictis periculis se obiicere. Practice omnia revocari possunt ad quaestionem, quam agit s. Alph. Dissert. cit.: *Utrum sit neganda absolutio clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad sacros ordines ascendere, sine praecedenti experimento continentiae.* Posset, ut monet s. Doctor n. 67., eadem quaestio institui eodem pacto et quoad alia peccata gravia habitualia, ebrietatis, blasphemiae, avaritiae etc.: at solet in casu luxuriae quaestio proponi; quia, puto, haec in adolescentibus est frequentior et difficilior curatu.

Forma quidem, sub qua quaestio apud s. Doctorem proponitur: *an sit neganda absolutio etc.* exhibet eum clericum, qui exsistens in statu peccati, eget absolutione, ut sacramentum sequens digne valeat suscipere; at quid, si, quamvis habituatus, nunc tamen absque gravi culpa ad confessionem accedat significetque se velle nomen dare proxime initiandis ad ordinem sacrum? Si quid priori est praecipiendum, erit et alteri et hoc est, quod quaeritur, quid sit praecipiendum.

Sermo est in quaestione de peccatis occultis; quia, si publica sint, Episcopus, absque alterius ope, postulantem reiiciet.

229. Iam vero doctrina s. Doctoris, quae fructus fuit, ut ipse refert, longarum discussionum inter quam plurimos theologos Neapoli, his duabus propositionibus continetur. 1° « Hodierna et antiqua lex Ecclesiae, semper constans, obstringit tam Episcopos quam confessarios et promovendos, ut cum aliquis clericus, recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis, ad sacrum ordinem, sive subdiaconatum sive diaconatum sive presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum et ideo possit statim absolvi; non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum exstirpandum. Et si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem; *quia legem Ecclesiae violat in re gravi* ».

2° « Potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam

extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere et ideo beneficium absolutionis suscipere, sine eo quod temporis experientia prius probetur».

230. Argumentum ergo, quo prior propositio probatur, est Ecclesiae lex de re gravi, quae prohibet ne huiusmodi homines, quandiu tales sunt, sacros ordines velint suscipere. Ea tamen lex intelligitur, ut ex rationibus allatis ab ipso s. Doctore constat, quae malitiam actionis prohibitae supponit, non facit, ideoque legem naturalem saltem late sumptam de eadem re supponit.

Porro estne 1° certum existere dictam Ecclesiae legem prohibentem sub gravi, ne recidivi aut consuetudinarii in vitio carnis aut alio gravi vitio, antequam emendati sint, ordines sacros audeant suscipere?

Affertur primo textus Apostoli ex 1. Tim. III. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse... sobrium, prudentem, ornatum, pudicum* et urgetur illud *irreprehensibilem* et advertitur, quae de Episcopo dicuntur, ad sacerdotes simplices etiam spectare. Verum 1° heic potius quam legem habemus doctrinam de eo, quod rerum naturae et digna officii episcopalis administratio postulant. 2° His edicitur, qualis debeat esse qui est Episcopus et sacerdos, non qualis esse debeat antequam fiat. Colliges id arguendo; sed talis deductio non est lex. 3° Sermo est de Episcopo et sacerdote, non de eo, qui per aliquot annos ad eum gradum se praeparat, qualis est subdiaconus.

Forte provocare licet ad sequentia, ubi de ministris altaris sermo est 8.-9.: *diaconos similiter* (oportet esse) *pudicos* (σεμνοὺς *honorabiles, venerandos:* sed vulg. etiam Tit. II. 2. reddit *pudicos...*) *habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum et sic ministrent, nullum crimen* habentes (ἀνέγκλητοι ὄντες, quibus nullum crimen obiici possit).

Pudicitiam in his requirit, certe conscientiam puram et, quod magis est, vult eos primum probari, utique in dictis qualitatibus, antequam ministerio altaris applicentur.

Verum adhuc, disserte saltem, id solum edicitur, quales esse debeant ministri altaris et probatio, de qua loquitur Apostolus, praeexigitur exercitio ministerii non susceptioni ordinis et praeterea est probatio ab aliis facienda per extrinseca indicia, qualis et nunc fieri solet ab Episcopis.

Ex iure canonico citantur verba Innocentii III. c. *A multis, de Aetate et qualit. ordin.*, quae sunt verba Urbani II. ab Innocentio citata, ut probet non quid in suscipiente ordinem sacrum requiratur, sed quod subdiaconatus est ordo sacer: « Erubescant impii et intelligant, iudicio Spiritus S., eos, qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, sub-

diaconatu sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate ». Quibus verbis poena statuitur contra subdiaconos etc. non caste viventes et quidem ita ut crimen probari possit; quam vero castitatem ante susceptionem ordinis habere ipsi debeant, non dicitur. Subditur eiusdem Urbani decretum: « Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere nisi aut virgo aut probatae castitatis exsistat ». Cf. et verba Gregorii M. citata infra sub n. 235. His profecto aliquid dicitur de debita dispositione ad subdiaconatus susceptionem: at meminisse oportet legem ferri Episcopis, ut probent quos promovere volunt eique proinde fieri satis, si nulla exterior labes appareat. Negare tamen non licet, hinc apparere, qualis sit intentio Ecclesiae et quid desideret in promovendis.

Tandem ex Trid. sess. 23. c. 13. *de Reform.* haec producuntur: « Subdiaconi et diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus probati... qui sperent, Deo auctore se continere posse ». Heic quoque lex non est clara. Nam tandem et qui hactenus incontinens fuit, si eum vere poeniteat, sperare potest, se Deo auctore posse deinde continere. Ut idcirco potius propositi firmi in futurum, quam anteactae vitae sollicitum Concilium videatur.

Et sane in hunc sensum afferri potest, quod in Pontificali iubetur Episcopus, immediate antequam ordinationem aggrediatur, dicere subdiaconis. « Si usque nunc fuistis ebriosi, amodo sobrii: si usque nunc inhonesti, amodo casti ». Non ergo Ecclesia lege sua excludit ab ordinatione sacra eos, qui usque ad tempus ordinationis fuerint inhonesti. Quod exigit, est ut in posterum velint esse honesti.

Concludimus legem positivam proprie dictam de absentia huiusmodi interioris habitus pravi, qui occultus maneat, non exstare pro ordinationem sacram suscepturis.

231. At nihilominus 2° nonne est aliqua lex naturae seu nonne ipse status sacer, praecisione facta ab ulla positiva lege, postulat, ut suscepturus ordinem sacrum sit iam per aliquod non breve tempus subductus a regno seu dominio concupiscentiae habitantis in hoc corpore mortali? Istud est, quod affirmandum videtur. Ratio est, quia in hoc statu vita caste iam ab initio exigitur: itaque, si aliter nequit credi probabiliter, quod ordinatus sit caste victurus, nisi prius longo plus minus usu, castitatis habitudinem contraxerit seu nisi prius certo experimento virtutem suam probaverit, is statum hunc suscipiens iam certo periculo se exponit peccandi frequenter et quidem duplex peccatum, contra virtutem scilicet et contra votum. Et quamvis contra virtutem peccaturus esset etiam laicus manens: attamen suscipiens ordinem, impedit sibi irreparabiliter remedium maxime idoneum contra

concupiscentiam h. e. matrimonium. Quanta vero malorum seges, si sacerdos in hoc vitio insordescat! Omni ergo cura consulendum, ne id contingat. Porro mutationes huiusmodi ex habitu pravo in bonum contrarium ordinarie contingere non statim sed paulatim post multiplices pugnas (nisi extraordinaria immutatio cordis per gratiam Dei peculiarem contingat), ipsa experientia, ut iam monuimus, satis ostendit et qui pronitatem cordis humani ad malum novit, non dubitat de hac re. Quamvis enim homo sit liber, haec est tamen eius ordinaria ratio agendi, ut libere eligat, quod ei magis placet et quamvis minima gratia per se valeat cuilibet tentationi resistere, non solet habituatus attrahentem gratiam semper et penitus sequi nec solet Deus huiusmodi homines illico emendare, sed paulatim per gradus. Haec videtur communis doctrina, quam s. Thomas proponit 2. 2. q. 189. a. 1. ad 6. « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem... unde pondus ordinum imponendum parietibus iam per sanctitatem desiccatis ». Cf. alios Theologos a s. Alph. citatos.

232. Atque id est, quod ex ipsis Ecclesiae legibus tantam probationem exigentibus manifeste se prodit, veluti id, quod Ecclesia reapse in ordinandis intendit et propter quod tot probationes praescripsit. Castitas enim probata exterius ideo in subdiaconis exigitur; quia haec est iudicium verae h. e. interioris castitatis, quae sola Deo placere potest et dignos efficere Dei ministros. Ecclesia ergo satis significat, statum ordinis sacri iam ab initio exigere habitum quendam castitatis atque huc quoque spectat cura Patrum Tridentinorum in instituendis Seminariis.

Itaque ipsa lex naturalis praecipit, ut assumpturus ordinem sacrum sit habitualiter ita constitutus, ut non immerito praesumi possit, ipsum Dei auxiliis rite utentem fore deinceps caste victurum.

Haec obligatio est in re gravi et idcirco per se gravis. Gravis proinde imprudentia eius foret, qui tali dispositione destitutus susciperet sacros Ordines, qui vitam castam iam ab initio requirunt; quia certe periculo se obiiceret non ea sanctitate vivendi, quam sacri Ordines et eorum ministeria flagitant.

233. Quod s. Alph. secundo loco addit, declaratione non eget; nam certum est, eam dispositionem animi, quae ordinarie per repetitos actus acquiritur, posse, speciali, quae raro tamen datur, divina opitulante gratia, vel uno actu obtineri et veluti infusam haberi.

Confessarii erit iudicare, an hic peculiaris favor suo poenitenti collatus sit, qua in re satis profecto est, quod id prudenter iudicare possit.

In experimento autem postulando non eodem pacto cum omnibus se geret. Nam qui solum peccatis solitariis se inquinarunt, facilius resipiscunt: qui sodomiae similive peccato dediti fuerint, firmiores sunt in peccato ex malitia etiam agentes et difficilius emendantur.

Concludimus verbis Auctoris opusculi *Istruzione pei novelli Confessori*, quem citans s. Alph. doctum appellat. Sic ait P. 2. c. 3. n. 63. « Oggi non vi è alcuna legge diretta nè divina nè umana, che vieti d'ordinarsi precisamente per essere alcuno abituato nella lascivia o in altro occulto peccato, se non che per l'omicidio volontario o altre colpe avesse contratta l'irregolarità... Ma bensì può dubitarsi per conto della legge naturale, in quanto che essendo per legge ecclesiastica o pel voto implicito annessa la continenza ai sacri ordini, l'ordinando, contro il dettame della vera prudenza, vuole assumere un peso, che non può portare ecc. A noi pare, che, stando nella legge naturale sola, si debba qui procedere con distinzione. Imperocchè se l'ordinando creda sinceramente ed in buona coscienza di poter vivere casto e disfarsi dei mali abiti e di far tutto ciò che a giudizio suo e del discreto confessore, si stima necessario ed opportuno per l'emendazione, egli si può promuovere e il confessore non glielo può interdire... Diciamo che uno, che voglia promuoversi ai sacri ordini e non creda (siccome è detto) sinceramente, di poter osservare in quello stato la castità per lo malo abito della lascivia, non possa promoversi ed insistendo di farlo, gli si debba come ad indegno ed indisposto negar l'assoluzione ».

234. Hactenus dicta ex eo pendent, quod gradus quidam sanctitatis in Ecclesiasticis requiratur. Id porro patet primo ex textibus paulo ante recitatis Apostoli, tum consensu Sanctorum. S. Chrysost. hom. 10. in 1. Tim. ait: « Sacerdos debet vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplum excellens, intueantur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri ceterorum ac veluti Angeli versemur in terris ». S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 8.: « Per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in ministerio altaris: ideo ad hoc requiritur maior sanctitas interior, quam requirit etiam status religionis (qui nempe purus sit absque clericatu) ». Et in supplem. q. 35. a. 4. ad 3. « Ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis ». Quibus sanctorum verbis ratio quoque intrinseca rei continetur. Hinc Trid. Synodus sess. 22. c. 1. *de Reform.* « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant ».

235. Iam vero Clerici sacros ordines suscipientes, obligantur, non quidem lege divina, sed institutione ecclesiastica ad caelibatum. Quae

institutio olim universalis, iam a pluribus seculis exceptionem, tolerante Ecclesia, patitur in ecclesia graeca. Qua de re confer Theologos dogmaticos.

Obligationem caelibatus, quae pro Diaconis, Presbyteris, Episcopis semper viguit in Ecclesia latina, extendit s. Gregorius M. ad subdiaconos c. 1. dist. 28.: « Nullum facere subdiaconum praesumat Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit... quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit probata ». Ex quo factum est tandem, ut subdiaconatus inter Ordines sacros recenseretur c. *A multis, de Aetate et qual. etc. praeficiendorum.**

Obligatio porro (verba sunt B.) caelibatus non est sola obligatio abstinendi a coniugio, sed servandae perfectae castitatis exterioris et interioris. Promissionem nempe caste vivendi exegit s. Gregorius et votum castitatis annexum esse ordini sacro supponit Bonifacius VIII. c. un. *de Voto* in 6. decernens votum illud sollemnizari per susceptionem ordinis sacri. Votum quidem fieri potest vel explicite vel implicite, quatenus nempe voluntas est suscipiendi ordinem sacrum cum iis oneribus et obligationibus, quas ordini annexuit Ecclesia: cf. Tamburini *de Sacram.* l. 7. c. 3. §. 3. n. 2. seqq. At votum annexum esse, colligitur primum ex c. *Cum olim, de Clericis coniugatis*, ubi ait Pontifex: « Nos attendentes, quod orientalis ecclesia votum continentiae non admisit »: significat scilicet ab occidentali Ecclesia admissum. Constat deinde ex declaratione Benedicti XIV. Const. *Inter praeteritos* §. 41. disserte edicentis votum in sacri ordinis susceptione sollemne emitti. Constat praeterea ex communi Theologorum doctrina, clericum nempe in sacris constitutum, per peccata etiam mere interna contra castitatem, incurrere reatum quoque sacrilegii, in confessione necessario exprimendum. Nam si vi dumtaxat legis ecclesiasticae clericus in sacris obligatur ad servandam castitatem; probabiliter quis subsumeret, humanas leges ad actus mere internos non pertingere (cf. tamen dicta in Tr. *de Legibus* nn. 122. seqq.), uti habet opinio saltem extrinsece ex auctoritate probabilis et idcirco certum non esse, clericos, per actus mere internos contra castitatem, peccare etiam contra legem ecclesiasticam et sic tandem certum haud esse, quod actus illi interni inficiantur malitia sacrilegii. Haec ergo explicatio obligationis, quod sit tantum ex lege, non cohaeret cum ea communi Theologorum doctrina.

236. Et sane probabilitas eademque extrinseca nonnisi per meram aequivocationem tributa fuit propositioni, castitatis obligationem quoad clericos ex mera lege ecclesiastica immediate repetenti. Dico *per meram aequivocationem;* si enim non alienis, sed tuis oculis diligenter de sententia inquiras illorum auctorum, quos, tanquam illius opinionis

patronos, longo agmine recensitos habes apud Sanchez *de Matrim.* lib. 7. disp. 27. n. 9. et post Sanchez apud Aversam *de* (*Ord.* q. 4. sect. 7. §. *Praeferendus*), perperam plerosque eorum, utpote quaestionem prorsus diversam agitantes, reperies allegari. Et sane plures ipsorum nullatenus quaerunt, undenam sit perfectae castitatis obligatio quoad clericos, ex votone an ex mero praecepto Ecclesiae, sed unde sit vis dirimendi seu irritum reddendi matrimonium, quod clericus post susceptum sacrum ordinem forte contrahat, nimirum num id ex natura sacri ordinis, num vi voti, an vero ex lege tantum ecclesiastica sit repetendum. Statuunt autem, hoc non profluere ex natura sacri Ordinis; tum quia contradicit mos in Ecclesia graeca toleratus, tum quia s. Pontifex potest dispensare: item non vi voti; tum quia irritum habetur matrimonium etiam illius clerici, qui forte vovere, saltem interna voluntate, noluerit, tum quia ne sollemne quidem monachi votum *per se,* sed per Ecclesiae statutum hanc vim habet. Quocirca merito concludunt, eiusmodi matrimonii invaliditatem a sola ecclesiastica lege deduci posse: quae conclusio immerito confunditur cum opinione, quae omnimodae castitatis obligationem (quae inesse potest etiam citra vim dirimendi matrimonium), a sola Ecclesiae lege repetit. Ne perperam autem haec iactari videantur, grave lectori non fuerit, genuina horum DD., qui ceu contrarii obiiciuntur, sensa heic subiecta propriis oculis inspexisse.

Scoti itaque conclusio haec est in 4. dist. 37. q. unic. quod *Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam,* scil. ad nuptias. Idem dicito de Innocentio III. et Henrico a Gandav., quorum alter in c. *Placet, de Convers. coniug.* mere dicit, ex constitutione Ecclesiae esse, quod presbyter, mortua priore uxore, aliam ducere non possit; alter vero Quodl. 5. q. 38., Ecclesiam utique a Clerico continentiam exigere, non tamen dirimere matrimonium ante susceptos ordines contractum. His adde Bellamera, qui in c. *de Illo* 5. dist. 32. n. 4. hoc unum statuit, posse Papam dispensare cum subdiacono; quia prohibitio de non contrahendo matrimonio non est de iure naturali aut divino, sed ecclesiastico. Durandus vero in 4. dist. 37. q. 1. ad 1. et ipse mere concludit: *Dum Ordinem sacrum (clerici) suscipiunt, ex tunc sunt inepti et illegitimi simpliciter ad contrahendum (matrimonium) ex statuto Ecclesiae.* Et a Durando transcripsit Turrecremata in c. *Placuit* 13. dist. 32. art. 1. n. 6. ad 5. inquiens: *Sacer ordo impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum, non ratione ordinis absolute... nec ratione voti adnexi..., sed impedit completive ex statuto Ecclesiae faciendo personas illegitimas ad contrahendum* etc. Nec aliter Paludanus in 4. dist. 37. q. 1. Concl. 2., ubi scribit: *Quilibet (ordo sacer)*

dirimit contractum (matrimonium) non ratione voti adnexi, sed statuti Ecclesiae. Hallucinatio autem eorum, qui haec ita intellexerunt, quasi negaretur *votum adnexum,* patet ex q. 2. Concl. 2., ubi Paludanus expresse hoc votum imo asserit: *Sollemne votum* (ait), *quod dirimit, non est nisi vel Ordinis sacri, vel Religionis approbatae, ut dicit nova Decretalis*, scilicet Bonifacii VIII. in c. unic. *de Voto* in 6. Hoc idem cernis apud Henricum in c. *Ex litterarum, Qui clerici vel voventes* n. 2., qui haec habet: *Characterem, qui animae imprimitur, retinent (clerici) nec per depositionem tolli potest: unde depositum (clericum) clericaliter vivere oportet... et characteri adnexum est votum continentiae.*

237. Sed quod magis mirum est, allegantur pro opinione votum negante etiam illi, qui aperte ipsum votum asserentes, deinde disputant, an illud ordini adnexum sit iure divino, an humano, vel utrum votum illud matrimonium suapte vi dirimat, an solum ecclesiastico statuto. Ita Archidiaconus (scil. Guido a Baiiso) dum refutat eos, qui suapte natura votum Ordini adnexum asserebant, idque contra ad Ecclesiae constitutionem refert, ipsum votum sic concedens in c. *Cum in praeterito* 3. dist. 84.: *Est argumentum, eum, qui accepit ordinem, hoc ipso facere votum continentiae, etsi non exprimatur; ex quo enim aliqua sibi adnexa sunt, qui accipit unum, cum non possit esse sine altero, alterum videtur accipere.* — Ita et Praepositus, scil. Io. Antonius a s. Georgio *In Rubr. Qui Clerici vel voventes* n. 6.: *Habetis ergo, quod continentia, etiamsi per votum sollemne ad eam quis alligetur, non includitur a iure divino, sed a lege positiva Ecclesiae et ideo votum sollemne matrimonium dirimit potius ex constitutione Ecclesiae quam iure divino... Nam iure divino Sacerdotes* (Synagogae) *poterant contrahere matrimonium et etiam Ecclesia Orientalis habet, ut contrahant matrimonium Sacerdotes*, scil. retineant uxorem antea ductam. — Valentia autem *Controv.* lib. unic. *de Caelibat.* cap. 2. quaestionem sic instituit: *Utrum votum sollemne continentiae sit annexum sacris ordinibus non modo iure ecclesiastico, sed etiam divino.* Quod repetit in *Commentariis Theol.* tom. 4. disp. 9. q. 5. punct. 5. §. 1. statuens, *legem caelibatus quoad omnia illa, quae includit, esse tantummodo iuris ecclesiastici, non divini atque adeo votum continentiae iure tantum ecclesiastico sacris ordinibus annexum esse.* Et Ioannes Guttierez *Quaest. Canonic.* lib. 2. cap. 7. n. 2.: *Licet votum explicitum castitatis* (clerici) *non emittant nec sit essentialiter annexum debitum continentiae ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae, implicitum nempe, in ipsa ordinis susceptione abditum; ideo constitutione Ecclesiae eam tenentur servare... Eo enim ipso, quod quis promovetur ad sacrum*

ordinem, tacite intelligitur vovere continentiam, etsi nulla fiat mentio de voto continentiae.

Neque minus abs re pro illa opinione allegantur Aegidius de Coninck et Palaus, quippe qui clericalis continentiae obligationem cum a voto, tum ab ecclesiastica lege immediate repetunt. Ita prior *de Sacram.* disp. 20. dub. 13. n. 130.: *Etsi secunda sententia relata* n. 126. (nempe quae obligationem ex solo voto immediate deducit) *sit probabilis ob plurimorum DD. auctoritatem; tamen credo, probabilius esse, suscipientes sacros Ordines praeter obligationem voti ibi explicatam, ex lege ecclesiastica immediate etiam obligari ad continentiam.* Et Palaus Tract. 27. disp. unic. punct. 17. n. 5.: *Verius existimo cum Aegidio de Coninck initiatos sacris ordinibus non solum ex voto, sed ex speciali lege ad servandam castitatem adstringi.* Movebantur scilicet hi Autores, quod si quis ex ignorantia aut malitia in suscipiendo sacro ordine non voveret, hic nullo modo, contra ac DD. universi docent, ad castitatem adstringeretur. Et haec quidem ratio nonnullos etiam ex vetustioribus, de quibus superius diximus, permovit, ut invaliditatem matrimonii a clerico contracti, non a voto sed ab ecclesiastico statuto profluere dicerent; videlicet ne si votum, quod a voluntate cuiusque emitti debet, quispiam non emitteret, validum eius coniugium habendum foret.

238. Pro opinione itaque, quae castitatis clericalis obligationem unice ecclesiasticae legi tribuit, nonnulli dumtaxat supersunt *Iuristae,* quos innuit etiam Zabarella *(in Clement. Ad nostrum, de haereticis).* Qui quidem dum quaererent, cuiusnam criminis, adulteriine an incestus etc. reus, quave poena dignus esset presbyter fornicarius, eo usque provecti sunt, ut contra communem omnium Thh. sententiam nullum alium, nisi simplicis fornicationis reatum illi adscriberent, inanibus scilicet ducti ratiunculis, tum quod in c. *Presbyter.* 5. *Dist.* 82. hoc delictum *fornicatio* dicatur *(Presbyter, si fornicationem fecerit)*, tum quo clerici non sollemniter voveant, licet (ut addit Decius *in c. At si clerici, de Iudiciis, n. 227.) castitatem promittant.*

Cum huic igitur opinioni nulla solida ratio suffragetur, auctoritas vero, propter quam nonnulli aliquam ipsi probabilitatem tribuerunt, demum resolvatur in suffragium aliquorum Iuristarum, qui vanis ratiocinationibus ad opiniones communi Theologorum doctrinae oppositas declinarunt cumque auctoritati Bonifacii VIII. *in c. Unic. de Voto in* 6. accedat Constitutio Benedicti XIV. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749., in qua §. 41. disserte dicitur, votum in s. Ordinis susceptione sollemne emitti; concludi debet, perperam eam opinionem appellari *probabilem.* Quam quidem conclusionem eo libentius quisque admittet, quo certius

inter omnes constat, clerici sacris ordinibus initiati peccatis contra castitatem, licet mere internis, malitiam sacrilegii accedere.

239. Cum haec in nota olim subiecissemus ad Gury Vol. 2. n. 41., Auctores *Vindic. Alph.*, quamvis ibidem de s. Doctore nihil esset dictum; quia tamen etiam s. Alphonsus *probabilem* habuit opinionem, quae ex sola ecclesiastica lege obligationem servandi castitatem repetit quoad clericos, ecce (pag. 327. not. 1.) et eam Notam impugnandam censuerunt.

Ac 1° quidem ut argumentum enervent, quod desumitur ex communissima DD. sententia, nempe sacrilegii reos evadere clericos per actus etiam mere internos, quos tamen lex humana, iuxta sententiam saltem extrinsece probabilem, non attingit, obiiciunt, posse ab Ecclesia praecipi saltem *indirecte* actus internos, si cum actibus externis connectuntur tanquam effectus et causa.

Resp. *Transeat Antecedens,* et *Nego Consequentiam.* Nam notissimum est, peccata etiam gravia contra castitatem committi posse per actus mere internos, qui nullo modo cum externis ceu causa et effectus connectantur. Et nihilominus ex unanimi DD. consensu haec peccata in s. Ordine initiatis malitiam sacrilegii contrahunt. Ergo in ea opinione vitari non potest eiusmodi absurdum, quod per se sufficit ad omnem probabilitatem ipsi adimendam.

2° Addunt VV., *extrinsecum valorem* (probabilitatem scilicet extrinsecam opinionis, quae in Nota reiicitur) *a s. Alphonso praecipue repeti, non ex veteribus quibusdam iuristis, sed ex ipsis s. Concilii Tridentini verbis.*

Resp. Quispiam forte merito mallet, iuristas quosdam a s. Alphonso fuisse allegatos, potiusquam theologos *Scotum, Palaum, Valentiam etc.* Quippe illi, licet minus efficaciter, tamen ad rem facere aliquo modo videntur; quia hanc quaestionem tangunt, non item isti.

Quod vero attinet ad can. 9. sess. 24. s. Synodi Tridentinae, hic multo etiam minus ad rem adducitur. Nam etsi id supponas, quod negari debet, non obstare hunc canonem, quominus dicatur, sola lege ecclesiastica clericos in sacris a nuptiis arceri et invalide ab iis nuptias contrahi; numquid eiusmodi lex a nuptiis arcens et invalidas easdem statuens, confundi cum lege potest, quae quodlibet peccatum contra castitatem ab iis clericis commissum, sacrilegii reos ipsos reddat? Dixi autem eam hypothesim negandam. Ut enim indicatum antea est, post declarationes tum Bonifacii VIII. tum Benedicti XIV. fas non est negare, clericos in sacris constitutos sollemni castitatis voto adstrictos esse.

*Ex dictis patet, distinguendum esse inter principium, unde oritur immediate obligatio servandae castitatis et principium, unde est nullitas matrimonii attentati a Clerico in sacris. Illud est votum, quod Ecclesia annexuit ordini sacro, hoc est ipsius Ecclesiae lex, quae ordinem sacrum voluit esse impedimentum dirimens et votum ei annexum sollemnizavit ad dirimendum matrimonium postea contractum. Idcirco Trid. Syn. sess. 24. cap. 9. « Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos vel Regulares castitatem sollemniter professos, posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, a. s. »

Alias quaestiones de ordine sacro, prout est impedimentum matrimonii, quaere in tr. de matrimonio.

240. Quid ergo si quis ordinem suscipiens nollet castitatem vovere? Respondemus, eum teneri ad exuendam hanc voluntatem contrariam voto; quia Ecclesia annexuit ordini sacro votum et sic admittere votum. Etsi vero votum nollet, nihilominus ad castitatem teneretur ex praecepto Ecclesiae, quod cum sit ex motivo religionis, efficit, ut peccatum contra castitatem sit etiam sacrilegium. Quod quidam dixerunt, *quod talis si peccaret contra castitatem, non committeret sacrilegium,... hoc nec satis probabile videtur et est contra communem;* quia castitas ex motivo religionis praeciperetur (s. Alph. l. 6. n. 810. coll. n. praeced.). Verum si probabile sit, ad actus mere internos legem Ecclesiae non porrigi, de peccatis mere internis contra castitatem, dubitare licebit, an in hac hypothesi sint sacrilegia; quamvis ex alia parte malitia augeatur eo quod nolit hic admittere votum.

Auctor in sequentibus de tribus se acturum dicit. Quae primo loco ponit, *beneficia ecclesiastica*, sunt per se materia propria Iuris Canonici et apud Canonistas quaerenda: quaestiones vero de hac re ad Moralem spectantes, pertractavit, plures saltem, Ballerini alio in loco, nempe in v. 2. *de Simonia*. Idcirco nobis heic brevissimis esse licebit. *

Dub. I.

* *De Beneficiis ecclesiasticis.* *

Articulus I.

Quid et quotuplex beneficium ecclesiasticum.

II. Resp. 1. Beneficium Ecclesiasticum est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, propter officium aliquod spirituale auctoritate Ecclesiae constitutum. Ita Laym. l. 4. t. 2. c. 1. Less. l. 2. c. 35. d. 1.

Dicitur 1. *Ius perpetuum:* ad excludendam vicariam et Commendam temporalem, quae non sunt Beneficia de quibus Canones loquuntur.

Dicitur 2. *Propter Officium:* quia in Beneficio duo iura a se mutuo separabilia distinguuntur. Primum est ius seu potestas exercendi muneris spiritualis estque simpliciter spirituale. Alterum est ius percipiendi reditus ecclesiasticos: quod etsi secundum se sit temporale, quatenus tamen fundatur in officio spirituali eique annexum est, spiritualitatem aliquam participat.

Dicitur 3. *Auctoritate Ecclesiae etc.;* quia solius Praelati est officia in Ecclesia instituere eisque proventus ecclesiasticos annectere ipsiusque et respicere, quot et qualibus ministris Ecclesia egeat.

241. Beneficium ergo ecclesiasticum, quod et *praebenda* vocatur toto tit. 5. l. 3. Decretalium, est proprie quid non corporale sed spirituale; est enim non ipsum bonum fructiferum Ecclesiae sed *ius*, ius vero non dominii in ipsum, sed ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae. Beneficiatus proinde est quidam usufructuarius, non tamen merus; nam est etiam administrator fundi, ut ex agro e. gr. vineam facere possit, si expediat c. ult. *de Pecul. clericorum.* Cf. Fichler t. 3. tit. 5. n. 3. Solet tamen ipse fundus beneficium vocari, *obiective* scilicet, non *formaliter.*

Auctor novarum additionum in Ferraris v. *Beneficium* art. 1. advertit, paulo aliter a Theologis ac a Canonistis definiri beneficium. Definitio canonistarum ea est, quam A. tradit: Theologi sic potius definiunt: Ius perpetuum in Ecclesia ministrandi, auctoritate Episcopi constitutum, cum annexo et inseparabili iure percipiendi fructus ecclesiasticos. Qua definitione posita, ius exercendi officii ecclesiastici iam esset beneficium; verum officium potius est fundamentum et ratio beneficii, quam beneficium: quocirca dicitur beneficium dari propter officium c. ult. *de Rescriptis* in 6.

Beneficium dicitur *ius perpetuum.* Distinguenda est tamen duplex perpetuitas. Altera ipsius beneficii in se, altera possessionis eiusdem per beneficiatum. Prior in eo est, ut beneficium semel rite institutum semper maneat connexum cum aliquo officio eique subordinatum ideoque, deficiente beneficiato, *vacare* dicatur et alteri sit conferendum:

posterior in eo est, quod beneficium alicui collatum nequeat, quandiu is vivit, ab eo auferri, nisi certis ex causis a iure statutis. Si integrum est collatori auferre beneficium collatum, vocatur tale beneficium non perpetuum (posteriore sensu), sed *manuale*, h. e. ad nutum pendens collatoris, in cuius manu situm est semper illud revocare. Nec tamen istud cum confertur, datur ad certum definitum tempus, puta triennium, decennium; nam sic foret prorsus *temporale:* sed datur ad tempus indefinitum, ut possit semper haberi, reservato solum conferenti iure auferendi beneficium, si expedire videbitur.

Iam vero prior perpetuitas certe postulatur, ut beneficium sit atque haec est communis sententia: de altera disputatur. Quaestionem sic componit Schmalzgr. in l. 3. tit. 5. n. 4.: si beneficium presso sensu seu perfectiori accipiatur et prout communiter in sacris canonibus accipi solet, dicendum est et alteram requiri perpetuitatem: si vero beneficium accipiatur sensu minus presso et perfecto, potest haberi verum beneficium, quod sit manuale. Sane beneficia regularia sunt fere manualia, quae nempe nec curata nec electiva sunt (Laymann *de Eccles. Benef.* c. 4. n. 5.): item fundationis lege statuere licet, ut beneficium seculare sit manuale (Leurenius *Fori beneficialis* tom. 1. q. 64.). Cf. Bouix *de Parocho* p. 1. sect. 3. c. 3. et Sanchez *Decal.* l. 7. c. 29. nn. 104.-111., qui distinguit quidem beneficia in perpetua et manualia, simul tamen affirmat, verius esse, quod beneficia manualia non sint *proprie* beneficia. Beneficiis *manualibus* opponuntur *titularia* seu *in titulum* collata, h. e. ut sint eius, cui conferuntur, iure perpetuo et irrevocabili, nisi in poenam delicti, ex causa in iure expressa, auferenda sint. Pichler l. 3. tit. 5. §. 1. n. 4. Gonzalez in notis ad c. 4. tit. 5. lib. 3.

242. *Officium*, propter quod Beneficium datur et quis beneficiatus constituitur, est spirituale et ecclesiasticum servitium, quod Ecclesiae ministris competit. Quocirca si ex Ecclesiae bonis aliqui fructus destinentur ad institutionem puerorum in litteris, ad musicos alendos, aedituos, ad bellum contra Infideles etc., nullum est beneficium; quia abest fundamentum, officium spirituale.

Ex nexu beneficii cum officio fit, ut quodlibet beneficium alicui ecclesiae seu cappellae seu altari sit addictum, unde titulum seu nomen sumit. Ferraris v. *Beneficium* art. 2. 6.

Porro quemadmodum esse possunt fructus ecclesiastici absque officio ita et officium absque illis, ut contingit in canonico, qui canoniam obtineat, carens adhuc praebenda. Quamvis enim oporteat canonicum habere praebendam, non tamen canonicatus ea constituitur et potest esse absque illa; constituitur enim iure stalli in choro ad divinas laudes

persolvendas ac iure sedis in capitulo cum voce activa et passiva. Gonzales in l. 3. tit. 5. c. 1., qui negat idcirco canonicatum esse per se beneficium.

Cum ius percipiendi fructus sit propter officium ecclesiasticum seu spirituale: ipsum quoque est ius spirituale, non tantum quatenus quodlibet ius est quid in se spirituale (ut diximus ab initio), sed quatenus est quid altioris ordinis ac sint iura naturalia, utpote connexum cum iure ministerii seu officii ecclesiastici, quod est quid supernaturale.

243. Ut beneficium sit, oportet erectum esse auctoritate Episcopi et haec est canonica erectio. Causa sane esse debet, quae efficiat certa bona esse bona ecclesiastica, divino cultui et ministrorum sustentationi solum destinata, ab humano proinde commercio aliena atque sacra; atqui haec causa esse nequit nisi Ecclesiae auctoritas.

Propter defectum ecclesiasticae auctoritatis, quaedam Cappellaniae non sunt beneficia. Nam distinguendum est duplex Cappellaniarum genus: alia est Cappellania *ecclesiastica*, alia *laicalis*. Cappellania ecclesiastica verum beneficium est, etsi subsit patronatui laico, a quo non abhorret beneficium. At Cappellania laicalis non est beneficium.

Porro substantiale discrimen inter Cappellanias ecclesiasticas et laicales in eo est situm, 1° ut pro ecclesiastica decretum erectionis intercesserit, 2° ut ab Episcopo ecclesiastica conferatur, quae idcirco *collativa* dicitur atque adeo, cum confertur, bullae episcopales seu Apostolicae pro canonica institutione requirantur.

Alterum ex his duobus pendet ex priore; quo deficiente, Cappellania laicalis est et idcirco merum legatum pium, stipendium quoddam pro celebratione missarum, Anniversariis etc. cf. Acta s. Sedis, V. 1. p. 634. seqq. Append. 23.

244. Ex definitione beneficii quaedam sponte consequuntur. Et quod a persona ecclesiastica, scilicet a Papa vel Ordinario aut alio habente hanc potestatem, conferendum sit beneficium; Ecclesiae est enim solius tum ecclesiastica ministeria distribuere tum fructus suorum bonorum pro illis concedere. Cf. c. 10. *de Constit.*

2° Quod soli clerici sint capaces beneficiorum; ii enim soli possunt officia spiritualia exercere: laicus sane est incapax omnis iuris ecclesiastici. Clericatum requiri sive saltem primam tonsuram ad obtinenda beneficia, est omnium DD. sententia, ait Laym. l. c. c. 14. n. 2. et colligitur ex c. 17. *de Rescriptis*, adiecta Glossa (cf. tamen dicenda de Privilegiis Clericorum n. 332.).

Advertit porro Auctor citatus annotationum ad Ferraris l. c. a. 1., haud repugnare, quod laicus (Ecclesiae utique concessione intercedente)

per aliquod tempus, iure administrationis, percipiat fructus beneficii, interim per alium impletis oneribus, donec veniat qui capax sit beneficii; quod et Responsis s. Congr. probatur. Iniuste tamen hanc praerogativam sibi vindicarunt olim laicae potestates, vacantibus beneficiis.

Tandem ex eo, quod beneficium conferendum sit ab habente in Ecclesia iurisdictionem, illatum est, non posse aliquem sibi ipsi beneficium conferre. Oportet scilicet ut distinctio realis intercedat inter collatorem et accipientem, ad vitium ambitionis amputandum; quamvis collatio beneficii non sit proprie actus iurisdictionis, ut quidem censent. Ita in c. ult. *de Institutionibus*. Papa tamen, qui est supremus administrator et neminem habet, a quo accipiat, potest sibi valide sumere et applicare, quae velit.

Ex definitione beneficii colligi potest ius decimarum non esse beneficium; quia etsi cum beneficio in pluribus conveniat, deficit in eo, quod non est ius percipiendi ex bonis Ecclesiae, sed e contrario ex bonis laicorum.

245. Et generatim sequentia a Canonistis statuuntur, ut dignosci possit, an aliquid sit beneficium ecclesiasticum.

Sex nempe sunt indicia. 1° Si Ecclesiae auctoritate erectum sit, ita ut idcirco bona evadant ecclesiastica seu sacra: 2° si habeat aliquid spiritualitatis annexum, puta officii divini recitationem: secus si reditus ecclesiastici dentur propter ministerium mere temporale e. gr. cantoris, aeditui etc. 3° Si conferendum sit a persona ecclesiastica, puta a Papa, Episcopo: 4° si conferendum sit clerico, non laico: 5° si sit perpetuum, quemadmodum explicatum est: 6° si non possit retineri sibi, sed sit alteri conferendum.

Si vel unum ex his deest, non est beneficium ecclesiasticum; quia singula sunt substantialia. Si omnia concurrant, haud curandum est, quo nomine res appelletur, sive dicatur beneficium sive officium aut praestimonium vel pensio. Ita Anacletus in l. 3. tit. 5. nn. 17. 18. Ferraris l. c. art. 1. nn. 9.-14.

Disputatur de *Perceptoriis* seu *Commendis* Ordinum militarium, quae beneficia non videntur esse, quia non dantur clericis nec pro officio spirituali nec in titulum perpetuum. At nihilominus dantur *religiosis* ideoque personis *ecclesiasticis*, tum propter officium temporale quidem, sed ad *finem spiritualem*, qui est defensio fidei: perpetua autem *in se* sunt, etsi non *possessione* (n. 241.), et subsunt Ecclesiae iurisdictioni. Beneficia ergo merito censentur, saltem minus proprie. Schmalzg. l. 3. tit. 5. n. 11. Garzias *de Beneficiis* p. 1. c. 4.

Infer beneficium esse *vicariam perpetuam;* « non enim, ut dicitur c. *Postulasti, de Rescriptis*, beneficio carere debet dici, cui competenter

de perpetuae vicariae proventibus est provisum »; item *Praestimonium*, h. e. stipendium, quod ab Ecclesiasticis reditibus abstractum, dari solet Canonicis vel aliis clericis, in vitae subsidium, dummodo sit perpetuum c. *Quoniam, de Concess. Praeb.* in 6.: item *Pensionem*, quod est ius percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio, si in titulum perpetuum conferatur c. *Conquerente, de Clericis non residentibus.* Beneficiis aequiparantur *Commendae,* si in perpetuum conferuntur: nam Trid. sess. 24. c. 17. *de Reform.* inter beneficia eas recensuit, prohibens ne quis plura habeat *beneficia etiam commendata.* Dummodo tamen dentur Clericis ob spirituale officium: solebant enim olim et laicis vel principibus ecclesiae et monasteria commendari, ut interim fructus perciperent. Ferraris l. c. nn. 39.-42. Pichler l. c. n. 6.

Distributiones quotidianae, quae dantur canonicis et aliis beneficiatis ac clericis ecclesiae, qui divinis intersunt officiis, vocantur a Bonifacio VIII. in c. unico *de Clericis non residentibus* in 6. *beneficia manualia* seu *victualia.* Reapse ius ad eas non est perpetuum, sed singulis vicibus ius acquiritur ad singulas et sunt quoddam stipendium pro labore.

III. Resp 2. Beneficium dividitur 1. in Seculare, quod pro Secularibus et Regulare, quod pro Regularibus est institutum. Unde sine dispensatione nec seculare Regulari, nec contra conferri potest. Porro omne beneficium praesumitur esse seculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione vel per possessionem pacificam 40. annor. per eam enim ex seculari fit regulare et contra.

246. Beneficium regulare est Abbatia, Prioratus, canonicatus regularis et aliquando parochia, quae a regularibus administratur, tum cappellaniae in ecclesiis regularium fundatae pro regularibus. Clara est lex canonica in hac re, beneficia regularia regularibus, secularia secularibus esse conferenda c. 5. *de Praebendis* in 6. cc. 37. et 38. *de Electione.* Conc. Trid. sess. 14. *de Reform.* c. 21.

Nihilominus ob eorum speciale institutum, Praemonstratenses obtinere possunt ecclesias parochiales seculares absque ope Apostolicae dispensationis, ut declaravit Benedictus XIV. Const. *Oneroso* 1. Septembris 1750. Ferraris l. c. art. 1. n. 18.

In dubio praesumitur beneficium esse seculare: « quia (verba sunt Reiffenstuel l. c. n. 23.), inquiunt, postquam s. Petrus fuit clericus secularis, praesumitur, ita beneficia fundata fuisse, sequendo illum primum patronum ». Aliis verbis, quemadmodum status regularis non est necessarius et veluti exceptio habetur, ideoque non praesumitur, sed probandus est: ita et institutio beneficii non praesumitur facta pro regularibus, sed probanda est, et in dubio beneficium praesumitur seculare.

Excipit idem Reiffenst. ibid. si Cappellae seu beneficia sint fundata in ecclesiis Regularium. Etsi enim et in hac hypothesi possint esse beneficia secularia; tamen, donec id probetur, intentio fundatorum merito praesumitur ea fuisse, ut iis Regulares gauderent. Quod et auctoritate aliorum confirmat. Ita et Berardi *Comm. in Ius Eccles.* diss. 2. de Beneficiis observ. 2.

IV. 2. Beneficium aliud est duplex, aliud simplex. Duplex dicitur, quod est cum administratione, ut Papatus, Episcopatus et omnia quae dicuntur dignitates, hoc est, quae habent praeeminentiam, cum iurisdictione in foro externo, ut Praepositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, sive saecularis sive regularis, Prioratus claustralis. Item personatus, qui est eminentia in Ecclesia sine iurisdictione, v. g. locus honorificus in choro, in processionibus, suffragiis ferendis, ut Cantoria et similes. Item Beneficia, quae dicuntur officia habentque administrationem rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione, ut Custos, Thesaurarius, Primicerius, Archipresbyter. Denique duplicia dicuntur Beneficia curata; haec enim omnia duplici onere et cura constricta censentur; cum praeter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem et eminentiam. Simplicia dicuntur, quae tantum sunt instituta ad officia divina obeunda neque administrationem vel eminentiam singularem habent, ut Canonicatus sive seculares sive regulares, Capellaniae. V. Laym. l. c. et Less. l. 2. c. 34. d. 2.

247. Beneficium *duplex* illud est, quod habet coniunctam iurisdictionem, vel praeeminentiam quandam vel administrationem vel simplicem curam animarum. Inter haec quaedam sunt *maiora*, quaedam *minora*. Maiora sunt Papatus, Cardinalatus, Episcopatus cum omnibus suis modificationibus et, iuxta aliquos, etiam Abbatia. De quibus maioribus hoc notandum, quod non veniunt sub nomine communi beneficii, nisi disserte exprimantur, praesertim in materia odiosa ac poenali. Quare, cum dispensatio, tanquam vulnus legis, sit odiosa; dispensatio impetrata ad omnia beneficia, non extenditur ad Episcopatum. Cetera, dignitates, personatus etc. sunt minora. Reiffenst. l. c. n. 21.

Nota, Canonicatum in Ecclesia cathedrali haberi a pluribus veluti beneficium duplex; quia est coniunctus cum quadam praecedentia super ceterum clerum dioecesis. Et sane solet s. Sedes canonicos etiam dare iudices delegatos; cum alioquin delegationem hanc mos sit tantum in dignitate constitutis concedere c. 11. *de Rescriptis* n. 6. Cf. novas additiones ad Ferraris l. c. art. 1. n. 12.

Articulus II.

Quomodo acquirantur et conferantur beneficia.

V. Resp. 1. Beneficia Ecclesiastica uno ex tribus modis communiter acquiruntur: 1. Per electionem, v. g. Canonicorum, vel etiam postulationem (quae est electio eius qui non erat de Capitulo, vel de iure non erat capax) et confirmationem Superioris, si electum, vel postulatum idoneum, esse intelligat. 2. Per praesentationem Patroni praeviam et institutionem subsequutam, a Praelato Ecclesiae factam, si praesentatus sit idoneus. Etsi vero Patronus praesentato ius ad rem conferat, ita ut Beneficium alteri conferri nequeat: ius tamen in re et collatio beneficii per institutionem datur. 3. Per collationem liberam, quando beneficium solo iure Praelati datur nec Patronatus iuri subest. Unde etiam Beneficia ex modo conferendi dividuntur in electiva, patronata et libera.

248. A. ait *communiter;* nam sunt alii modi, qui ad dictos tamen reducuntur: e. gr. *nominatio,* qua duo vel plures proponuntur superiori, ut eum eligat, quem magis probat: item *translatio* ab uno beneficio ad aliud etc.

Electio perficitur et absolvitur per *confirmationem;* per eam acquiritur electo ius ad rem, per hanc ius in re.

Si electio talis sit, ut confirmationem superioris non requirat, sed per se valeat: beneficia non dicuntur proprie electiva.

Ceterum electio stricte sumpta, de qua potissimum sermo est in tit. 6. lib. 1. Decretal., est vocatio personae idoneae ad *Praelaturam* vacantem, suffragiis canonice facta et legitima superiori confirmatione approbanda.

Si persona vocanda laboret aliquo defectu seu impedimento, propter quod iure eligi non possit, tunc *postulatur;* postulatio enim est Capituli seu Collegii ad superiorem petitio, ut velit dispensative admittere ad Praelaturam illum, qui propter defectum (puta aetatis) vel impedimentum canonicum (quia e. gr. iam est alteri ecclesiae obligatus) non potest eligi. Cf. Canonistas.

VI. Resp. 2. In qualibet dioecesi Episcopus est proprius collator Beneficiorum, nisi ex legitima praescriptione hoc ius alteri competat: supremus autem et universalis collator omnium Beneficiorum non patronatorum est Papa. Less. lib. 2. cap. 35. d. 10. Ratio prioris est, quia Episcopus in sua dioecesi est moderator sacrorum: ergo ipsius est officia sacra conferre. Ratio posterioris est; quia Papa est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, et Ordinarius Ordinariorum. Potest autem Papa tribus modis Beneficia conferre. 1. Iure praeventionis. 2. Iure concursus. 3. Iure devolutionis, de quibus vide Less. loc. cit. ubi notat, iure praeventionis et concursus, ad vitandas lites, rarius Papam uti; imo per Concordata Germaniae inter Sedem Apostolicam et Fridericum Imperatorem, per Constitutionem Niccolai V. quae incipit. *Ad sacra etc.* alterni tantum menses Papae collationi reservantur, scilicet Ianuarius, Martius etc. reliqui vero Ordinariis collatoribus relinquuntur. Imo, si per tres menses, a

die notae vocationis, in loco Beneficii nulla dispositio vel gratia Papae appareat, Ordinarius conferre potest. Similiter, mortuo Papa, quandiu Sedes vacat. Less. l. c. Laym. c. 20. Quod si autem Pontifex et Ordinarius eodem die idem Beneficium diversis contulerint et neutrius collationis prioritas appareat, praeferendus est, qui invenitur in possessione; quia pro eo ius praesumit. Si neuter est in possessione, praefertur provisus a Pontifice, ob dignitatem provisoris. Barb. et Bard. d. 6. cap. 6. §. 10. ex. cap. *Si a Sede de Praebendis* in 6. Denique, si ultima nocte mensis Episcopalis beneficium coeperit vacare, in dubio, utrum ante an post mediam noctem, qua incipit mensis Papalis, si nemo sit in possessione nec ulla provisio, praesumptio iuris est pro Ordinario. Gonzal. Barbos. Bard. d. 6. c. 6. §. 11.

249. In reg. IX. Cancellariae Pontificiae reservantur collationi Papae omnia beneficia, quae mensibus Ianuario, Februario, Aprili, Maio, Iulio, Augusto, Octobri, Novembri vacaverint quomodocumque, praeter quam per resignationem in manus Ordinarii. Ut vero Episcopi ad residentiam alliciantur, non quatuor tantum, sed sex alterni menses iis conceduntur, ut Ianuarius ad Papam, Februarius ad Episcopum et ita porro spectent, quam gratiam per litteras suas patentes Episcopi flagitare debent eaque valet dummodo in dioecesi sua personaliter resideant. Cf. Regulas Cancellariae apud Reiffenst. l. c. n. 488.

A reservatione Papae exempta intelliguntur beneficia manualia h. e. ad nutum revocabilia; quia non censentur beneficia proprie dicta: tum beneficia iuris patronatus laici, quod acquisitum sit non quidem privilegio aut praescriptione, sed fundatione, aedificatione, dotatione; nisi talium quoque beneficiorum expressa fiat mentio. Eidem exceptioni subsunt beneficia patronatus mixti. Reiffenst. l. c. n. 395. Schmalzgr. l. c. n. 291. penes quos vide quae alia beneficia sub reservatione non cadant.

VII. Quaeres. 1. Quid, et quotuplex sit ius Patronatus?

Respond. 1. esse potestatem praesentandi ad beneficium ecclesiasticum vacans. Resp. 2. Esse duplex, scilicet ius patronatus ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis ecclesiasticis et ius patronatus laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus ecclesiam fundavit vel dotavit vel erexit. Laym. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 2. et 4.

250. Definitio ab A. tradita communis est: ius sive potestas nominandi vel praesentandi clericum instituendum ad ecclesiam vel beneficium vacans, ait Schmalzgr. l. 3. tit. 38. n. 1.

Haec potestas ex concessione Ecclesiae, est in significationem gratitudinis erga suos benefactores. Tituli seu causae, unde oritur ius istud, tres sunt ordinarii, ex iure saltem vetere, ut canonistae communiter interpretantur: nempe *fundatio, constructio, dos*, iuxta versiculum: *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* Dixi ex communi Canonistarum interpretatione; nam si textus iuris solum spectentur, difficilis videtur demonstratio, quod *fundatio* et *aedificatio* sint tituli

adaequate distincti. Quidquid sit, hi tituli censentur: *fundatio*, donatio nempe fundi seu soli, ubi construatur ecclesia vel cappella: *aedificatio seu constructio* et construere is dicitur, cuius nomine et sumptibus aedificatur ecclesia vel cappella aut collapsa ex integro restituitur: *dos* et dotare is dicitur, qui ecclesiae vel cappellae constructae assignat reditus annuos sufficientes pro eiusdem usibus et sustentatione ministrorum et sic beneficium constituitur. Ius proinde patronatus amplius patet, quam beneficium. Diximus hos esse titulos ordinarios; nam potest ius patroni obtineri *privilegio Papae*, qui illud identidem Principibus concessit vel *praescriptione*, sicut alia iura.

Porro si reditus non sint sufficientes, donator non acquirit ius patronatus nec *dotator* dicitur, sed *benefactor*. Item qui reditus vel amplissimos donat, postquam iam ecclesia est sufficienter dotata, non patronus est, sed benefactor.

Adverte Trid. Syn. sess. 14. *de Reform.* c. 12. videri duos titulos tanquam unum habere; ait enim: « nisi ecclesiam, beneficium aut cappellam de novo *fundaverit et construxerit, seu* iam erectam... *dotaverit*. Aiunt canonistae illud *et* perinde esse ac *vel* et provocant ad sess. 25. *de Reform.* c. 9. ibi occurrit coniunctio disiunctiva. Sed non video quid iuvet haec collatio; nam ibi dicitur iuspatronatus acquiri *fundatione vel dotatione*, ut idcirco sub fundatione et constructio comprehendatur. Ceterum quoniam, ut dicemus, unius tituli plures participes esse possunt nec id Trid. Syn. abrogavit: qui fundum dederit, altero construente, iure aliquo patronatus, nemine contradicente, fruetur. Verum quia communissima sententia dicitur, triplicem adhuc esse titulum (Anacletus l. 3. tit. 38. n. 4.), ei et nos in seqq. adhaerebimus.

251. Ut ius patronatus acquiratur, oportet, ut fundus, constructio, dos dentur, expresse vel tacite, animo fundandi, construendi, dotandi ecclesiam atque interveniat auctoritas Ordinarii consentientis in eam fundationem, constructionem, dotationem. Nam absque superioris auctoritate neque ecclesia potest aedificari neque subiici servituti patroni. Schmalzgr. l. c. nn. 33.-36.

Si quis fundum dedit, alter construxit, tertius dotavit, omnes ius obtinent patronatus et singuli unum habent votum seu unam vocem in praesentando (si fundatio et constructio vere sunt tituli duo): pariter plures esse possunt, qui fundum subministrent, plures, quorum sumptibus aedificetur, plures qui dotem sufficientem conferant et singuli iuxta specialem titulum erunt patroni: eorum tamen omnium, puta qui fundarunt, una erit vox concurrens cum eo qui solus construxit: item si alter fundum det et aedificationem, alter dotem, utrique erunt patroni; sed prior duas voces, alter unam habebit. Hinc si unus duobus

gaudeat titulis e. gr. constructione et dotatione, alii plures uno titulo e. g. fundationis: ille duas habebit voces, hi omnes simul unam.

Adverte, quod ut ius patronatus exsistat, non satis est dedisse fundum, nisi reapse ecclesia aedificetur et dotetur, sive haec unus praestet sive plures. Oportet scilicet simul haec tria concurrere; quia secus nequit ecclesia exsistere eaque non exsistente, nullum est iuspatronatus. Si vero aedificium inchoatum est et dos assignata vel fundi exhibendi, aedificandae ecclesiae et dotis assignandae obligatio apud Episcopum suscepta sit: id sufficit, ut qui haec spondet, patronus, licet adhuc sine exercitio, censeatur. Schmalzgr. l. c. nn. 50.-52.

252. Ius patronatus estne quid spirituale? Profecto quodlibet ius est aliquid spirituale non corporale; sed non est ista spiritualitas, de qua est questio. Ea intelligitur, quae naturali perfectioni per excessum opponitur et spectat ad ordinem eorum bonorum, quae sunt propria Ecclesiae. Esse ius istud *per se* aliquid hoc pacto spirituale, nemo unquam demonstravit: sed est aliquid *spirituali* (antecedenter) *annexum*, quatenus est praeambulum quoddam ad obtinendam institutionem in beneficio ecclesiastico et obtinendum proinde officium et ius exercendi sacra ac fruendi reditibus Ecclesiae. Ita s. Thomas 2. 2. q. 100. a. 4. Cf. c. 16. *de Iure patronatus*. Propter hanc connexionem hoc ius inter res spirituales ab Ecclesia recensetur et obiectum est, circa quod versari simonia potest; « inconveniens est enim, ut dicitur c. cit., vendi iuspatronatus, quod est spirituali annexum ». Cf. et Trid. Syn. sess. 25. *de Reform.* c. 9.

253. Auctor duplex iuspatronatus distinguit, *ecclesiasticum* et *laicum:* communiter tertium additur, *mixtum*. *Ecclesiasticum* est, quod ex bonis ecclesiasticis constitutum est aut dotatum: tum illud, quod collegio aut personae competit ratione ecclesiae, dignitatis seu beneficii ecclesiastici quod habet: etsi primitus ex bonis patrimonialibus constitutum beneficium fuerit; nam postquam donatione, testamento, aut alio titulo iuspatronatus translatum est in personam vel communitatem ita ut ei competat ratione ecclesiae, dignitatis ecclesiasticae etc., evadit ecclesiasticum ius patronatus. Reiffenst. *de Iure Patron.* n. 49.

Ecclesiasticum proinde ius patronatus et a laico haberi potest. Rector e. gr. hospitalis auctoritate Episcopi erecti, quod locus est pius et religiosus, gaudere potest iure patronatus in certa beneficia, ratione ipsius loci suae curae concrediti: ita confraternitates laicorum alicui ecclesiae annexae etc.

Laicum seu *seculare* ius patronatus est, quod alicui competit ratione proprii patrimonii, ex quo beneficium aut ecclesiam fundavit aut con-

struxit aut dotavit, sive is clericus sit sive laicus, aut quia huiusmodi auctoribus succedit.

Quocirca in quaestione utrum ius patronatus sit ecclesiasticum an laicale, non est inspicienda persona illud obtinens, sed inspiciendus titulus, ratione cuius illud obtinetur aut origo eiusdem.

Mixtum est, quod partim ratione ecclesiae, partim proprii patrimonii competit: ut si Ecclesiam clericus dotavit ex bonis ecclesiasticis, laicus construxit ex patrimonialibus. Schmalzgr. in tit. 38. libr. 3. nn. 6.-11. Anacletus ibid. nn. 49.-52.

254. Effectus iurispatronatus quatuor censentur, *honor*, *onus*, *utilitas*, *praesentatio*.

Honor in eo est, ut patrono dignior sedes prae aliis laicis (excepto domino temporali territorii) in ecclesia (in loco utique laicorum) debeatur, item dignior locus in processionibus, in suscipienda pace, in oblatione palmarum, in thurificatione etc.

Haec est sententia communis et colligi solet ex c. *Piae mentis* et c. *Frigentius* 16. q. 7. et c. *Nobis, de Iurepatronatus:* sed cf. Gonzalez in dictum c. *Nobis* l. 3. tit. 38. erudite disputantem. Vide Schmalzgr. l. c. n. 94. et Anacletum eod. tit. n. 110.

Honor est etiam, ut fundator, constructor aut dotator, arma seu insignia sua in ecclesia palam collocare possit. Nec ea licet successori, qui alterius sit familiae, auferre et eorum loco sua ponere: ut nimirum memoria primae fundationis perpetuetur. Neque auferenda sunt insignia, si familia exstincta sit. Licet tamen aliis benefactoribus sua insignia, in cappella, puta, collocare, ita tamen ut primus fundator a benefactoribus secernatur. Laymann *de Beneficiis eccles.* c. 13. nn. 14. 15.

255. *Onus* est cura et defensio Ecclesiae, qua providere debet, ne a potentioribus opprimatur et ne dos vel eius bona male alienentur, dilapidentur et in alios usus convertantur, quam qui primitus statuti sunt: c. *Constitutum* 16. q. 1. et c. *Filiis* ac c. *Decernimus* 16. q. 7. Ea tamen cura huc spectat, ut patroni vel commonitione honesta utantur, vel Episcopo aut Iudici corrigenda denuntient c. *Filiis* cit.: non vero ut ullam iurisdictionem aut administrationem exerceant, quod eodem c. *Filiis* §. 1. disserte interdicitur et merito; cum ecclesia et beneficium sint omnino in dominio Ecclesiae. Cf. Trid. Syn. sess. 24. *de Reform.* c. 3. et sesss. 25. c. 9. ubi dicitur: « Patroni beneficiorum cuiuscumque Ordinis... in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumque beneficiorum... nullatenus nullave de causa vel occasione se ingerant, sed illos libere Rectori seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant ».

Attamen patrono ecclesiastico id permittitur, ut rationem de administratione in temporalibus exigere possit tum a beneficiato tum a ceteris bonorum administratoribus. Ita Schmalzgr. l. c. n. 104. ex c. *Sane* 16. q. 2. et c. *Cum et plantare* §. 2., *de Privilegiis*. Cf. et Laymann *de Eccles. Benef.* c. 13. n. 11.

Praeterea si ecclesia indigeat restauratione nec possit ad eius reparationem concurrere fabrica vel Rector et ceteri beneficium in ea habentes (c. *Quicumque*, *de Ecclesiis*), compellendus ad opus illud est Patronus ex Conc. Trid. sess. 21. c. 7. et idcirco potest ei ab Episcopo terminus idoneus praescribi, quo id exsequatur, sub poena excidendi a iure patronatus. Cf. Schmalzgr. tit. 48. n. 36. lib. 3. Id tamen Pichler l. 3. tit. 49. n. 5. spectatis verbis Tridentini « omnes patronos et alios, qui fructus annuos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt », intelligit de patronis, qui pensionem aliquam (puta in fundatione reservandam, ideoque pro eius rata) percipiunt. Idem habet Pirhing l. 3. t. 48. n. 20. Admodum dubia interpretatio.

256. *Utilitas* in eo est, quod si patronus ad egestatem vergat, debeant ei ex beneficio alimenta (victus, vestitus, habitatio) suppeditari, dummodo exsistant superflua; si enim ultra ministrorum sustentationem et impensas necessarias divino cultui, nihil supersit, nihil potest exigere patronus. Cf. c. *Nobis, de Iure patronatus* et c. *Contra* et *Quicumque* 16. q. 7. *Si ad inopiam vergere coeperint,* dicitur c. *Contra;* ideoque opus haud est, ut actu inopes sint aut mendicent patroni: *si forte ipsi aut eorum filii redacti fuerint ad inopiam*, dicitur c. *Quicumque;* est ergo privilegium etiam successorum. Exceptio autem apposita, dummodo exsistant superflua, est satis rationabilis et communiter a Canonistis admittitur, facta comparatione cum liberto, qui, ex iure civili, non aliter tenetur erga patronum. Cf. Anacletum l. c. n. 115.

257. *Praesentatio* est exhibitio personae idoneae ad ecclesiam vel beneficium vacans, facta Episcopo vel alteri, ad quem pertinet institutio. Hoc est potissimum ius patroni, quo etiam iuspatronatus definitur. Non ergo patronus beneficium confert, quod ad solam spectat ecclesiasticam auctoritatem. Actio Episcopi praesentatum admittentis, non *collatio* dici solet, sed *institutio*.

Ius Episcopo integrum semper manet, imo obligatio, reiiciendi ineptas personas.

Si praesentatio legitime fiat personae idoneae huiusque aptitudo constet, ea tribuit praesentato *ius ad rem* nec potest idcirco praesentatus ab Episcopo reiici et si, patrono contradicente, alteri beneficium conferatur, irrita est collatio vel certe irritanda c. *Illud, de iure patronatus*. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 119. Si autem patronus sileat, melior erit conditio possidentis, ut dicitur c. *Quod autem* eod. tit.

Statutum iure est, ut nequeat patronus se ipsum praesentare, etiamsi sit clericus c. *Per nostras* eod. tit. et c. finali *de Institut.* At fundator beneficii se praesentare potest: id censet Bened. XIV. *Instruct.* 95., nec adversatur c. *Tua nos* 34. *de Simonia*, ubi solum pactio et conventio reprobatur, quo pacto excluso, probatur collatio beneficii facta fundatori roganti.

Sed si plures sint patroni, potest alter alterum praesentare: est communis nec apparet ratio, cur non deceat. Imo potest patronus acceptare beneficium, si ei libere conferatur ab Episcopo atque etiam, adhibitis precibus, supplicare potest, ut sibi conferatur. Sic enim non se ipsum praesentat nec se ingerit in beneficium, quod ei prohibetur, sed solum consentit collationi: collatio autem beneficii patronati cum consensu patroni valida est. Cf. Schmalzgr. l. c. nn. 170. 172. Anacletum l. c. n. 73. Gonzalez in c. *Per nostras* cit.

258. Ut quae ad ius patronatus spectant, una dicamus, subdimus quaestionem de dignitate praesentandi. Itaque si ius patronatus est laicorum et persona praesentata sit digna, quamvis non dignior ex illis, quae praesentari possent, ea instituenda est, praetermissis dignioribus, etiamsi agatur de beneficio curato. Ratio est, quia Ecclesia, in favorem patroni, huic conditioni acquiescit. Trid. Syn. sess. 24. c. 18. « Quod si ius patronatus laicorum fuerit, debet qui a patrono praesentatus erit... examinari et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti ». Satis ergo debet esse Episcopo, si ille sit dignus, ut eum instituat.

Unde ait Schmalzgr. l. c. n. 191., cum in hac praesentatione concursum non expostulet Trid., tacite insinuavit, sufficere, si dignus praesentetur et eligatur. Idem censet Ferraris v. *Beneficium* art. 3. nn. 31. 35.

Si tamen sint plures praesentati et pares habeant voces, examini subiiciuntur et ex iis, qui idonei iudicati fuerint, Episcopus eliget digniorem. Ferraris v. *Beneficium* art. 3. n. 35.

Idcirco nec patronus tenetur praesentare digniorem, ut Schmalzgr. colligit; quia Ecclesia contenta est digno. S. Alph. tamen heic n. 97. ait omnino tenendum, quod in beneficiis curatis patronus laicus tenetur sub gravi praesentare digniorem. Probat autem, quia id Trid. Syn. sess. 24. c. 1. praecipit pro eligendis Episcopis, ut quicumque quodcumque ius quacumque ratione habent ad eorum promotionem (ergo et patroni Reges, si sint) peccent, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles iudicaverint, praefici diligenter curaverint. Atqui eadem ratio valet et in aliis beneficiis curatis. Profecto idem valet et in his, nisi pro aliqua hypothesi ipsa Ecclesia seu Trid. Synodus exceptionem fecerit. Atqui, ut vidimus, pro beneficiis curatis infra Episcopatum, qui certe maioris est momenti, exceptionem fecit, si agatur de patronatu

laico: ergo non est cur scrupulos patronis laicis iniiciamus et poene ad nihilum eorum privilegium reducamus.

259. Si vero beneficium sit iuris patronatus ecclesiastici, quod potiore titulo subest Ecclesiae et agatur de beneficio curato; prius concursus indicendus est, ad quem admittendi non illi solum qui nominati sint a patronis, cum hi plures sunt, sed et alii, qui velint, ut docet Ferraris l. c. art. 3. n. 31. referens declarationem s. Congr. Conc. anni 1599. et duas decisiones Rotae, alteram eodem anno, alteram anno 1612.: tum patronus ex iis, qui concursu facto iudicati fuerint idonei, debet eum, quem ipse digniorem censet, eligere, si penes Episcopum sit ius instituendi eique praesentare, vel quem Episcopus digniorem censuerit, praesentare, si institutio spectat ad alium, quam ad Episcopum. Patent haec ex c. 18. sess. 24.

Si autem beneficium patronatus ecclesiastici sit simplex vel non curatum; satis erit, quod patronus praesentet dignum, si verum est, dignitatem positivam sufficere, ut illud rite conferatur. Nam nihil in hac re speciale habet Trid. Syn. Cf. proinde infra n. 263.

260. Circa haec iura patroni, illud pariter est advertendum, quod non omnia semper habent locum saltem eodem modo. Nam si agatur de ecclesiis non collegiatis seu non conventualibus, acquiritur fundatione, constructione, dotatione ius patronatus plenum quoad omnes suos effectus. Si vero agatur de ecclesia collegiata seu conventuali, cetera quidem privilegia iuris patronatus acquiruntur, minime vero ius praesentandi praelatum ad vacantem Ecclesiam; *nisi accedat Indultum Pontificium* c. *Nobis, de Iure patronatus.* Ratio est; quia ex iure canonico praelatura talis est electiva. Anacletus l. c. n. 68.

Si Papa praesentationem non indulserit, honestum est, ut electione facta assensus patroni postuletur c. *Nobis* cit.: qui tamen assensus necessarius non est ad valorem electionis. Ad cetera vero beneficia in ecclesia collegiata praeter praelaturam, patronus ecclesiae praesentare potest; cum iura solum excludant praesentationem praelati. Schmalzgr. l. c. n. 46.

261. Praeter haec recolendum est, licere fundatori seu erectori beneficii, in limine fundationis adiicere conditiones, quas velit, etiam contrarias iuri communi, dummodo honestae sint et possibiles atque iuripatronatus non adversae et consensus Episcopi accedat. Colligitur ex pluribus cann. e. g. c. *Praeterea, de Iure patronatus.* c. *Quanto de Censibus,* ex Conc. Trid. sess. 25. c. 5. *de Reform.* « Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur seu

certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur... Aliter facta provisio subreptitia censeatur ». Atque est sententia communis, ait Ferraris v. *Beneficium*, art. 2. nn. 12.-15. Exemplum conditionis contra ius commune ponit idem Ferraris ex decisione s. Congr. Conc. quam secuta est Rota, probans beneficium simplex ex dispositione fundatoris, posse conferri ei qui sit minor 14. annis, secus ac decrevit Trid. Syn. sess. 23. c. 6. *de Reform.* Cf. et Anacletum l. 3. tit. 5. nn. 105.-110. Sic potest fundator prorogare tempus praesentationis. Schmalzgr. l. c. n. 230.

Consensus Episcopi accedere debet, ut conditiones appositae legitimae sint et valeant: at, si honestae sunt et possibiles nec Ecclesiae praeiudicant, debet eas Episcopus admittere, si beneficium acceptat; quia fundator est dominus suorum bonorum eique integrum est de iis disponere, prout ipsi lubet.

Integrum est speciatim fundatori, in limine fundationis, aliquam reservare pensionem ex fructibus beneficii pendendam sibi et successoribus suis c. *Praeterea, de Iure patronatus.* At beneficio iam erecto, id non licet nec licet iam statutam pensionem augere. Patet ex c. cit. et c. *Prohibemus, de Censibus.*

262. Quaeritur, quibus personis competere possit ius istud patronatus. Potest iis omnibus, quas ius seu lex non excludit. Porro excludi dicuntur infideles; nam ius patronatus ab Ecclesia conceditur, atqui ipsa non loquitur nisi de fidelibus: ita c. *Quicumque* 16. q. 7. *Quicumque fidelium devotione propria de facultatibus suis Ecclesiae aliquid contulerit etc.* Cf. et cc. *Piae mentis* et *Frigentius* ibid., in quibus soli *christiani* nominatur. Ad fatendum est, argumentum claudicare et ex affirmativo antecedente colligi negativum seu exclusivum consequens. Videtur tamen sententia communis Canonistarum: cf. Anacletum l. c. n. 43. Schmalz. l. c. n. 66. Et profecto haud decet, ut qui extra Ecclesiam est, privilegio Ecclesiae gaudeat et ad electionem ministrorum eius vel remote concurrat.

Eodem pacto dicuntur de iure excludi haeretici, publici quidem, non occulti; quia indigni sunt hoc speciali favore Ecclesiae et cum Ecclesiam contemnant et impugnent, credibile haud est, concessionem hanc ad eos pertinere. Ita Auctores citati, qui alios citant.

Nihilominus monet Schmalzgr. l. c. n. 68. ex conniventia, ut ait, s. Sedis, admitti in Germania praesentationes ab haereticis factas, dummodo praesentatus sit idoneus; quae est conditio requisita pro qualibet praesentatione.

Porro schismatici in eodem censu ac haeretici habendi sunt. Addit Pichler eod. tit. n. 20., Vivianum aliosque incapacibus huius iuris adnumerare etiam simoniacos, publicas meretrices et omnes infames. Sed de his alii silent.

263. Itaque exceptis infidelibus et haereticis atque schismaticis, capaces iuris patronatus sunt omnes fideles, clerici et laici, viri et feminae, legitimi et illegitimi etiam spurii. Est communis, et quod spectat ad spurios, probatur 1° quia nullo iure prohibentur: 2° quia et ipsi possunt dominium habere locorum, quibus annexum est iuspatronatus: 3° quia et ipsi christiani atque fideles sunt, non secus ac legitimi et, cum tandem nihil deliquerint, haud censendi sunt incapaces iuris, quod pro remuneratione conceditur.

Quod spectat ad feminas easque laicas textus extat clarus iuris c. fin. *de Concessione praebendae*. Adde excommunicatum quoque non privari iurepatronatus ante per fundationem, constructionem, dotationem quaesito; quia nullo iure haec privatio decreta est. Ita Schmalzgr. l. c. n. 69. aliique. Supponendum est agi de eo, qui non excommunicetur propter crimina, quibus, ut paulo post videbimus, adnexa est amissio huius iuris.

Quid vero si privilegio Papae acquisitum fuerit ius patronatus, an illud amittit qualibet ex causa excommunicatus? Cum DD. de hoc sileant nec sit lex id decernens, negandum videtur.

264. Hactenus locuti sumus de iure patronatus activo. Nam duplex huiusmodi ius distinguitur, *activum* et *passivum*. *Activum* est, per quod fit, ne quis beneficium conferat, nisi ad praesentationem patroni: *passivum* est, per quod aliqui ex certa familia vel classe, exclusis extraneis, sunt praesentandi (si sunt idonei). Huius distinctionis notitia necessaria est claritati seq. quaestionis.

Quaeritur enim quomodo iuspatronatus transmittatur. Plurimis modis transfertur hoc ius. Primo *successione* cc. *Perlatum* et *Quoniam, de Iurepatronatus;* utique nisi fundator voluerit, liberam esse Ecclesiae collationem beneficii. Illud autem contingit non uno modo. Nam ex voluntate primi auctoris vel transit ad descendentes suos aut agnatos, ita ut sola sanguinis coniunctio sufficiat ad ius istud obtinendum et sic est ius *personale;* vel transit una cum hereditate, ut idcirco sit ius *reale:* id vero multipliciter; nam aut nexum est cum universitate hereditatis aut cum certo fundo: rursus aut spectat ad solos heredes de familia, aut etiam ad extraneos.

Si annexum est ius universae hereditati, omnes heredes sunt patroni seu compatroni c. *Ex litteris, de Iurepatr.* et cc. *Considerandum* et *Si plures* 16. q. 7.: si annexum est alicui fundo, castro, villae, maio-

ratui, qui haec obtinet, et ius obtinet patronatus. Si auctor cavit, ut soli de familia in eo iure succederent, extranei excluduntur; secus, ex provisione legis transit ad extraneos quoque, qui heredes sint. Cum enim ius commune disponat, ut hoc ius ad heredes transeat, nisi obstet voluntas fundatoris (in his enim rebus permissis hominum arbitrio, loquente homine, lex silet), si is expresse non cavit, ne ulli extra familiam fruerentur iure patronatus, ex dispositione legis extranei quoque heredes ad hoc ius vocantur, ut patet ex c. cit. *Ex litteris.* Cf. Schmalzgr. l. c. nn. 132. 133.

Porro cum ius patronatus iure hereditatis defertur et unius patroni plures sunt heredes, ius patronatus non dividitur, sed ab omnibus in solidum tenetur c. *Perlatum* cit. et seq. *Quaecumque*, h. e. eorum omnium una est vox, non tot voces quot personae, qui idcirco in hoc iure non in capita, sed in stirpes succedunt et quidem merito; nam plures habentes causam ab uno habentur loco unius c. *Pastoralis, de Rescriptis.* Cf. Gonzalez in l. 3. tit. 38. c. 1. et 2. qui advertit, etsi indivisibile sit iuspatronatus quoad ius praesentandi, esse tamen divisibile quoad alios effectus, honorem nempe et subsidium in egestate, ut singuli singillatim haec sibi vindicent; haec enim dividi possunt, non illud.

Si iuspatronatus transit iure sanguinis, dicitur *gentilium* seu *familiare;* si iure hereditatis, *hereditarium.* Si sit gentilitium, monet Gonzalez l. c. consanguineos succedere in capita, non in stirpes, h. e. tot esse voces, quot sunt personae. Iam vero quemadmodum aliqua agnatio obtinet ius patronatus activum, ita frequenter obtinet quoque passivum, ut nempe ex ea esse debeat, cum fieri potest, qui ad beneficium praesentatur.

Tandem si ius patronatus est ecclesiasticum, nullum ius sanguinis aut hereditatis habet locum: sed qui in titulo, cui annexus est patronatus, secundum ecclesiasticum morem succedit, in hoc quoque succedit. Non enim convenit sanctuarium Dei iure hereditario possideri, ut dicitur c. *Ad decorem, de Institutionibus* et c. *Ad haec, de Decimis.*

265. Secundo transferri potest iuspatronatus *donatione:* constat ex c. *Illud, de Iure patron.* Idcirco cum legatum sit donatio quaedam, legari etiam poterit alicui iuspatronatus. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 145., apud quem vide, quandonam Episcopi consensus requiratur, ut haec translatio valide et licite fiat: generatim satis sit dicere, Episcopi consensum postulandum esse, quoties timendum est, ne Ecclesiae conditio mutatione patroni deterior fiat.

Tertio transferri potest iuspatronatus *venditione* non quidem eius, sed rei, cui ius adnexum sit; transit enim cum ipse re: c. *Cum seculum,*

de Iure patron. Non est tamen res propterea carius vendenda, ut iam alibi dictum est. Vol. 2. *de Simonia.* Nec requiritur Ordinarii consensus: Card. De Luca *de Iure patron.* disc. 56. n. 15.

Porro quemadmodum venditione, ita et *permutatione* rerum transferri potest patronatus; eadem enim est ratio. Imo ius patronatus cum alio iure patronatus permutari potest: accedente tamen consensu Episcopi. Anacletus l. c. n. 28.

Quarto per *Infeudationem* et *Emphyteusim;* cum dominio enim utili transit et ius annexum patronatus: constat c. *Cum seculum, de Iure-patron.* et c. *Ex litteris* tit. eod.

Quaeritur ad quem spectat, maritumne an uxorem, ius patronatus annexum doti. Non una est sententia: probabilior videtur, spectare ad maritum, cuius est utile dominium dotis, ut eadem sit ratio ac in Emphyteusi. Cf. Anacletum l. c. nn. 34. 35.

Quinto per *privilegium Apostolicum* sicut acquiri potest ius patronatus, ita et transferri in alium potest, propter summam ac liberam, quam habet Pontifex, beneficiorum dispositionem c. *Licet, de Prebendis* in 6.

Reapse Trid. Syn. sess. 25. c. 9. privilegia huiusmodi plura abrogaverat, exceptis inter alia iis, quae Imperatori, Regibus etc. concessa essent. Sed Synodus de iam concessis solum egit et potestas Papae nequit ligari atque, si Regibus aut supremam habentibus iurisdictionem privilegium hoc concedit, neque discedit a sententia Concilii.

266. Sexto *praescriptione* tum primo acquiritur, ut iam innuimus, tum transfertur ius patronatus ideoque duplex est casus; nam vel praescribitur contra Ecclesiam, quae ab origine potiebatur libera collatione, vel contra patronum.

Si de praescriptione agitur contra Ecclesiam, requiritur multiplicatio actuum praesentationis per tempus immemoriale. Ita decrevit Trid. Syn. sess. 25. c. 9. *de Reform.* « ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat ». Nequis vero terreatur, monent Canonistae, ad multiplicationem praesentationum sufficere duas; quia, ut habet 40. regula Iuris in 6. *Pluralis locutio duorum numero est contenta.*

At « in iis personis seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria; praesentationes etiam continuatae non minori saltem quam 50. annorum spatio, quae omnes effectus sortitae sint, authenticis scripturis probentur ». Ita Trid. Syn. ibid.

Si autem contra patronum, laici quidem patronatus, praescribendum sit, sufficit longum tempus h. e. 10. annorum inter praesentes et 20. inter absentes, cum titulo: sine titulo autem annorum 30. Nec ulla est ratio, cur plus quam in consueta praescriptione exigatur; cum Ecclesiae perinde sit, hunc vel illum laicum patronum habere.

At si patronatus sit ecclesiasticus, Schmalzgr. l. c. n. 166. distinguit, utrum ecclesiasticus sit, qui praescribit, an laicus: si ecclesiasticus est, requiritur, ait, tempus 40. annorum, quod generatim in praescriptione contra Ecclesiam requiritur: si laicus, tempus immemoriale, iuxta decretum citatum Trid.

Convenit inter DD., ait Anacletus l. c. n. 16., sufficere intra debitum tempus unam praesentationem, pacificam quidem et dummodo alius casus praesentationis intra illud idem tempus non contigerit. Ratio est; quia de iure communi unus actus sufficit ad constituendum aliquem in possessione.

267. Quaeritur tandem quomodo amittatur ius patronatus. Amittitur sine delicto et ob delictum. Absque delicto amittitur 1° si aliquo ex praedictis modis in alium transferatur, puta donatione, venditione, praescriptione.

2° Si ecclesia totaliter destruatur, aut dos ipsius prorsus pereat, exstinguitur respective patronatus; quia cessat eius subiectum et titulus: ius vero, semel exstinctum in perpetuum, non reviviscit l. *Qui res* §. 8. Dig. *de Solut.* Quod si rursus patronus aedificet, novum ius patronatus acquiret.

3° Si patronus voluntarie ius suum cedat Episcopo vel Ecclesiae ita ut haec libera fiat. Quod tum expresse fieri potest, tum etiam tacite, ut si patiatur ecclesiam, cuius est patronus, converti in collegiatam, amittitur enim tunc non quidem omne ius, sed ius praesentandi praelatum n. 260.

4° Unione ecclesiae vel beneficii patronati cum ecclesia, monasterio, beneficio alio, si fiat permittente patrono et is sibi non reservet ius suum.

5° Non usu, si nempe patronus, cessante legitimo impedimento, longissimo aut etiam longo tempore neminem praesentaverit et interea, saltem duabus vicibus (cur non una? cum haec sufficiat in praescriptione privati adversus patronum, ut dictum est paulo ante n. praec.) alicui absque praesentatione est collatum beneficium. Sic enim Ecclesia praescribit suam libertatem. Schmalzgr. l. c. n. 261. Anacletus l. c. n. 125.

6° Extincta omnino familia: si iuspatronatus pro ea tantum fuerat reservatum.

7° Suppressione facta a Papa: ut autem censeatur Papa iuspatronatus laicale auferre, oportet, ut eidem Pontifex disserte deroget. Hic est enim stilus Curiae, ut iis non censeatur derogatum, nisi eorum expressa mentio fiat.

268. Crimina, ob quae ius patronatus amittitur, sunt quinque. 1^m^ *Caedes* aut *mutilatio* rectoris vel alterius clerici Ecclesiae patronatae, sive per se sive per alium facta, c. *In quibusdam, de Poenis.* Praevertere debet tamen sententia declaratoria criminis, quod et in seqq. valeat.

2^m^ *Venditio* aut *alia translatio iuris contra canonicas sanctiones et simoniaca.* Conc. Trid. sess. 25. c. g. *de Reform.* ubi *ipso iure* privati dicuntur, qui id praesumunt, et contra eos excomm. f. s. decernitur ».

3^m^ *Perceptio* non debitorum fructuum beneficii. Conc. Trid. ibid.

4^m^ *Haeresis*, propter quam omnia bona et iura iis annexa fisco addicuntur.

5^m^ Crimen quodlibet enorme, propter quod inducitur confiscatio bonorum, quibus ius patronatus annexum est.

Cum haec sit ratio amissionis iurispatronatus, quia bona amittuntur, quibus annexum est; oportet ut poena confiscationis reapse vigeat.

VIII. Quaeres. 2. Quando patronus teneatur praesentare, Beneficio vacante? Respond. Si patronatus sit laicus, teneri intra 4. menses: si ecclesiasticus, intra 6., intra quos nisi fiat praesentatio, Beneficium fit liberum eiusque dispositio pro ea vice devolvitur ad eum, cuius est instituere praesentatum.

IX. Quaeres 3. Quid faciendum, si multi praesententur? Resp. 1. Si patronus, qui antea praesentavit Petrum, praesentet postea Paulum velitque hunc praeferri, poterit Praelatus instituere, utrum maluerit, si patronatus sit laicus; quia tunc praesentatio secunda non facit irritam primam, nec contra. Si tamen patronatus sit ecclesiasticus, prior tempore erit potior iure, ex c. *Cum autem, de Iure patronatus.* Resp. 2. Si ex duobus patronis alter Petrum, alter Ioannem praesentet, potest collator conferre, utri maluerit. Imo iuxta Syl. Episcopus tunc tertio conferre potest, eo quod patroni non conveniant. Resp. 3. Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus, in quem plures conveniunt. Vide Less. l. c. d. 8. Laym. l. c.

269. Agit A. de exercitio iuris praesentandi et innuit primo loco exerceri non posse istud ius, nisi vacante beneficio: quaelibet sane nominatio aut praesentatio, vivente adhuc possessore beneficii, irrita est ac nulla c. *Illud, de Iure patron.* Tum docet in 2. q. discrimen quoad hoc inter patronatum laicale et ecclesiasticum. Si enim patronatus laicus est, quadrimestre conceditur patrono ut praesentare possit; si ecclesiasticus, semestre: cc. 22. et 27. *de Iurepatron.* Utrumque autem incipit currere a die non vacationis sed certae notitiae eiusdem, ut colligitur ex c. 5. *de Concess. Praebendae.* Quo tempore exacto, si

vel propter negligentiam, vel eo quod patroni non convenerint, praesentatio nulla sit facta, pro ea vice libera evadit collatio beneficii illi, qui instituere debuisset. Patet ex cc. citatis *de Iurepatron.* Potest tamen Episcopus, dum adhuc currit tempus legitimum, illud longius prorogare. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 228.

Detrimentum autem patroni laici, cui brevius temporis spatium conceditur, compensatur emolumento speciali. Nam semel ac praesentatio facta est, patronus ecclesiasticus variare amplius non potest, potest tamen simul plures praesentare; haec enim non est variatio, quae sola ei prohibetur: laicus praeterea, quandiu tempus utile currit, variare potest. Haec tamen variatio non in eo est sita, ut priore praesentato excluso, alius substituatur (sic enim nulla foret huius praesentatio), sed ut priori alter adiungatur c. 14. h. t.: quocirca secunda (vel tertia etc.) praesentatio non est privativa pro secundo praesentato, sed cumulativa cum priore. Et hoc est, quod ait A. in q. 3., secundam praesentationem non irritare priorem. Cf. Schmalzgr. l. c. nn. 195.-202.

Integrum est deinde Episcopo, sive plures simul praesentati sint, sive successive, quem mavult, instituere c. 5. *de Iurepatron.*

Cum autem ecclesiasticus variare nequeat, intelligitur, cur, si plures successive praesentet, prior praesentatus sit praeferendus, ut ait A. ex c. 14. h. t.

Cur ecclesiastico variatio non permittatur, non una est ratio a Canonistis allata: cf. Schmalzgr. l. c. Placet, ea, quam ex Abbate affert Anacletus l. c. n. 57., quod praesentatio facta ab ecclesiastico, censetur facta nomine Ecclesiae et quandam vim electionis habere.

270. Porro si patronus ecclesiasticus scienter praesentet indignum, privatur ea vice exercitio sui iuris et collatio libera evadit. Colligitur ex c. 2. in fine, *de Supplenda negligentia Praelat.* Si autem patronus laicus scienter praesentet indignum, controvertitur inter DD., an privetur ea vice necne iure praesentandi. Quidam negant; eo quod ei licita sit variatio et quia nullibi in iure haec poena expressa est contra patronum laicum. Alii affirmant; quia habens ex privilegio potestatem eligendi, si ea abutitur, amittit ea vice privilegium c. 2. *de Postulatione Praelat.:* idem ergo dicendum de privilegio praesentandi: porro patronus ius praesentandi habet ex privilegio. Cf. Anacletum l. c. nn.83.-89. Laymann *de Beneficiis eccles.* c. 13. n. 7. Prior sententia negans habetur probabilis ab adversariis quoque et certioribus rationibus suffulta videtur. Alia discrimina inter patronum ecclesiasticum et laicum vide apud auctores citatos.

271. Si duo sunt patroni eiusdem beneficii, alter ecclesiasticus, alter laicus, ut patronatus scilicet sit mixtus; laicus participat privilegium

ecclesiastici quoad tempus et 6. menses habet; quia in re individua privilegiatus trahit secum non privilegiatum. Non vero ecclesiasticus participat privilegium laici, quod possit variare; quia hoc ei prohibetur et principium modo dictum non valet, cum non privilegiatus est maior privilegiato. Pichler h. tit. n. 14. aliique.

Si a diversis patronis plures praesententur, qui plura habet suffragia instituendus est. Est communis. Anacletus l. c. n. 92.

Cum plures sunt patroni, ne contentiones gignantur et praesentatio careat effectu ob dissensum, possunt et solent inter se pacisci, ut nunc unus, nunc alter per turnum et, si plurium beneficiorum sint patroni, hic ad hoc, ille ad illud beneficium praesentet. Haec est divisio iuris-patronatus quoad tempus et locum licita et utilis, quam non excludit indivisibilitas eiusdem iuris (n. 251.).

Quod in q. 3. respondet A. secundo loco; si alter et alter a duobus patronis praesentetur, posse Episcopum conferre tertio; non satis est firmum. Nam etsi neuter praesentans et praesentatus habeat prae alio ius ad institutionem, utrique tamen ius habent, quod adhuc servari potest, ut praesentatus praeferatur extraneo et sic uterque praesentatus habet ius saltem conditionatum, ut nempe instituatur, si alter non instituitur. Idque magis congruit cum c. *Decernimus* caus. 16. q. 7. ubi iubentur Episcopi voluntatis fundatorum rationem habere et irrita declaratur eorum ordinatio, quam iis spretis facere praesumpserit. Eligat ergo Episcopus unum ex illis. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 214.

Articolus III.

Quae intentio et qualitates requirantur ad beneficium accipiendum.

X. Resp. 1. Ut Beneficium aliquod valide et licite obtineatur, requiritur, ut sit persona capax et habilis, hoc est, ut si clericus, non illegitimus (cum quo tamen Episcopus dispensare potest ad Ordines minores et Beneficium simplex, cui Ordo maior non est annexus) non irregularis, non excommunicatus, non improbus aut facinorosus, ut habeat scientiam competentem ad munus Beneficio annexum et aetatem legitimam nisi dispensetur, scilicet pro Beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet Dian. p. 3. t. 6. r. 64. ex Azor et aliis 5.) pro eo, quod Subdiaconatum requirit, vigesimum primum, pro eo, quod Diaconatum, 22. pro eo, quod Sacerdotium vigesimum quartum inchoatum. Colligitur ex Trid. sess. 22. 23. etc. In his tamen et similibus casibus multi excusantur, vel quia illud ius ubique non est receptum, vel quia bona fide tres annos fuerunt in possessione, quae veluti usucapionem et dominium parit. Ita Less. dub. 20.

272. Auctor primum agit de qualitatibus requisitis. Prima est, ut promovendus sit *clericus*. Et quidem si agitur de praesentando a patrono, oportet, eum clericum esse, cum praesentatur; tunc enim ius ad rem acquirit, quo incapax laicus videtur.

Nihilominus si laicus propediem esset initiandus, ut ante institutionem clericus fieret, concedunt quidam eum posse praesentari. Schmalzgr. l. c. n. 167. Et ad supremum beneficium, quod est Papatus, laicum quoque uxoratum promoveri posse, aiunt Canonistae (cf. Schmalzgr. l. 1. tit. 14. n. 13.) citantes c. *Licet, de Electione:* at hoc est speciale, et illud ibi non dicitur nec necessario exinde colligitur. Sane obstat regula iuris 18ª in 6º: *non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Cf. Foebeum in Regulas iuris ibid.

Cum hac conditione nectitur alia affinis, ut *non sit coniugatus* (nisi castitatem voverit et non sit bigamus) c. *Sane, de Clericis coniugatis.* Idcirco si in minoribus constitutus beneficium habens, uxorem ducat, privandus est beneficio c. *Quod a te* tit. eod.

273. Altera qualitas est, ut non sit illegitime natus. Filii illegitimi tum mere naturales tum spurii sunt, de quibus alibi dictum (VIII. nn. 1062. seqq.). Iuris canonici quoad haec sanctiones exponit clare Pichler l. 1. tit. 17. nn. 4. seqq.

1º Illegitimi omnes ita sunt irregulares, ut neque ad Ordines minores neque, si forte ordinati iam sint, ad ullum beneficium ecclesiasticum promoveri possint, nisi prius habilitentur. Constat ex cc. 1. et 7. *de Filiis presbyter.* et c. 1. eod. tit. in 6. Ratio prohibitionis fuit detestatio paterni criminis et reverentia ordinis ecclesiastici et timor ne in filios incontinentia paterna propagetur.

Dubitatur, an collatio beneficii facta his sit ipso iure irrita, an tantum irritanda. Distinguendum est: si defectus non sit occultus, videtur pro foro externo irrita esse ipso iure. Sic sane loquitur Innocentius III. c. 20. *de Electione:* « Quamvis canon Lateranensis Concilii ab Alexandro praedecessore nostro editus, *non legitime natos adeo persequatur, quod electionem talium innuit nullam esse:* nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas etc. ». Si nulla est electio, pariter nulla erit, absque praevia dispensatione, collatio.

Si defectus occultus sit, quaeritur an in foro conscientiae collatio valeat, ita ut possit sine peccato acceptari et retineri beneficium collatum, nemine contradicente. Communis sententia est, ait Schmalzgr. l. 1. tit. 17. n. 2., quod etsi sit occultus defectus natalium, irregularitas habeat locum: idcirco nequeat talis illegitimus, absque dispensatione, ordinem suscipere et beneficium. Ratio est, quia Ius generatim loquitur: nec opus est, ut quis se prodat; nemo enim eum cogit Clericatum inire. Excipit proinde, si gravis causa urgeret Ordines suscipere et petens dispensationem se suosve graviter infamaret saltem apud Episcopum vel Papam.

Pichler, generaliorem versans quaestionem, quam tamen et huic casui

applicat, aliter sentit, nempe collationem talem in foro conscientiae valere, ut acceptari et retineri valeat beneficium. Ita ipse l. 1. tit. 6. n. 27. secutus, ut ipse ait, magni nominis Theologos et Iurisconsultos. Ratio est, quia haec est lex iuris mere positivi: porro in Iure non invenitur expressum, quod nullitas ipso iure inducta ob defectum natalium attingat conscientiae forum absque ulla declaratoria sententia, quemadmodum e. gr. statuitur pro electione aut provisione beneficii simoniaca Extrav. comm. *de Simonia* c. 2.: ex alia parte nemo dedecus suum prodere tenetur neque, re occulta manente, honor statui ecclesiastico debitus minuitur. Finem autem suum lex satis obtinet, cum irritatio valet pro externo foro; sic enim haud facile et nonnisi per accidens promovebitur illegitimus; nam huiusmodi defectus solent facile in apertum prodire. Videtur ergo quod illegitimus acceptare et retinere potest beneficium, si nemo ipsi obiiciat defectum natalium nec a iudice declaretur nullitas provisionis.

274. 2° Filii clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati sunt (sive sint illegitime nati ante clericatum a parentibus susceptum sive post), nequeunt in ecclesiis, in quibus eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent aut habuerunt, obtinere quodlibet beneficium etiam dissimile nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare (ex officio, ait Schmalzgr. l. inf. cit. n. 15. aliud est, si libere et ex devotione) nec pensiones capere ex fructibus beneficiorum, quae eorum parentes obtinent vel obtinuerunt. Ita Trid. Syn. sess. 25. *de Reform.* c. 15. ius antiquum magis coarctans. Quod hac lege comprehendantur etiam ii, qui ex illegitimo matrimonio nati sunt ante clericatum parentum, decidit Rota, aiunt Pichler l. c. n. 5. et Schmalzgr. l. 1. tit. 17. n. 16. afferentes testimonium Garziae *de Benef.* p. 6. c. 3. n. 15.

3° Filii legitimi presbyterorum (et aliorum Clericorum in sacris) non possunt succedere immediate in beneficiis, quae eorum patres obtinuerunt in titulum. Ita cc. 7. 13. 17. *de Filiis Presbyter.* Ratio est species hereditariae successionis, quae in beneficiis ecclesiasticis est sacris constitutionibus odiosa, ut ait Trid. Syn. sess. cit. c. 7.

Dictum est: *succedere;* nihil enim prohibet filium legitimum habere in eadem ecclesia aliud beneficium simul cum patre vel post ipsum. *Immediate;* si enim patrem alius in beneficio excepit, hoc potest deinde a filio haberi c. 7. tit. cit. *Beneficium habitum a patre in titulum,* e. gr. rectoratus aut vicaria perpetua; at si pater habuit tantum vicariam aut administrationem temporalem, potest filius ei immediate succedere, c. 8. tit. cit.

4° Illegitimi omnes habiles fiunt ad ordines et beneficia per professionem religiosam, inhabiles tamen manent ad praelaturas sui Ordinis

imo ceteras, c. 1. tit. cit. « Ut filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant vel in congregatione canonica regulariter viventes: praelationem vero nullatenus habeant ».

An iis interdicta sint beneficia curata, disputant DD.: nihilominus, iure scripto solum spectato, negandum videtur; nam beneficia curata non sunt praelaturae.

Quamvis vero in c. fin. eiusd. tit. dicatur, non posse illegitimos promoveri ad dignitates personatus et alia beneficia curam animarum habentia, *sine dispensatione Sedis Apostolicae;* non immerito advertunt interpretes ibi agi de clericis secularibus.

275. 5° Cum illegitimis ad ordines minores et beneficia simplicia, quae ordines sacros non requirunt, dispensat Episcopus: ad cetera solus Papa. c. 1. eiusd. tit. in 6.

Si defectus natalium sit occultus (non notorius nempe notorietate facti aut iuris) an Episcopi ad ordines sacros dispensare valeant, disputant DD. Sententiam negantem communem esse fatetur Pichler l. 1. tit. 17. n. 8. qui tamen oppositum probabile censet. Verba sunt Trid. Syn. sess. 24. *de Reform.* c. 6. tribuentis amplissimam facultatem Episcopis dispensandi « in omnibus irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum ». Iam vero, ait Suarez *de Censur.* disp. 50. sect. 5. n. 5., irregularitas ex delicto ea sola censetur, quae orta est ex delicto ipsius irregularis: qualis non est irregularitas illegitimi, quae est ex defectu et ortum habet ex delicto parentum.

Atqui, ait Pichler, si verba Concilii lato sensu, sed tamen vero, accipiamus, haec quoque, de qua loquimur, est irregularitas *proveniens ex delicto,* quamvis parentum, ex quibus quendam reatum legalem filii contrahunt. Et sane mirum est, Episcopis fieri facultatem dispensandi in irregularitate propter crimen occultum ipsius irregularis, quod est quid maius, non vero propter crimen occultum alterius, quod est minus: ut idcirco meliore utantur conditione, qui crimine proprio urgentur, quam qui alieno. Pro hac sententia citatur etiam Diana p. 3. tr. 1. *Miscell.* res. 21. cum aliis ab eodem Pichler, Schmalzgr. eod. tit. n. 11. consentit Suarezio.

Cetera huc spectantia, si qua desunt, quaerenda in tr. *de Irregularitate.*

276. Tertia qualitas est *morum honestas:* ut praecipitur c. 7. §. 2. *de Electione,* c. *Grave de Praebend.* c. *Eam te, de Aetate et qualitate Praeficiend.* Cf. Trid. sess. 24. Idcirco promovendus ad beneficium non

debet esse *criminosus,* h. e. eius criminis reus, cui censura adnexa sit aut infamia, sive iuris sive facti; huiusmodi sane non commendat morum honestas, ut volunt canones. Infamiam iuris inducunt furtum, sacrilegium, usura manifesta, raptus, incestus, adulterium, rapina, maleficium, veneficium, homicidium, pugna in duello, crimen laesae Maiestatis, schisma, haeresis, apostasia, crimina capitalia et cetera, quibus leges ecclesiasticae vel civiles infamiam inurunt. Pichler l. 1. tit. 11. n. 21.

Quarta est *scientia accommodata officio* exercendo. Id postulant iidem canones citati.

Quinta est *certa aetas*, ut habet A. ex Trid. sess. 23. c. 6. et sess. 24. c. 12. *de Reform.;* qua de re sub seq. resp. loquemur.

Sexta, pro beneficiis curam animarum adnexam habentibus, requirit, ut beneficiati *per se ipsos curam ipsam exercere valeant:* ideoque *in loco residere possint.* Conc. Trid. sess. 7. c. 3.

Tandem eae requiruntur qualitates, quae vel ex fundatione beneficii vel statuto legitimo aut consuetudine postulantur.

Porro ex canonibus citatis indigni censentur, quos aetatis maturitas, gravitas morum et litterarum scientia non commendat atque iidem a dignitatibus et beneficiis arcentur. Consequens est ergo, dignos esse eligendos seu promovendos ac peccare qui indignis beneficia confert et quidem graviter; res enim agitur magni momenti, cuiusmodi est officium ecclesiasticum, pro quo datur beneficium.

277. Quaestio est, an collatio facta indigno sit irrita et quo pacto. 1° Collatio cuiuslibet beneficii facta excommunicato aut suspenso aut irregulari, est irrita ipso iure; quia facta inhabili. Cf. c. 7. *de Clerico excomm.* « Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt nec illi valent ea retinere licite, nisi forsitan fuerit cum eis misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint canonice consecuti ». Porro consecutio non canonica est nulla. Atque distinctio inter tolleratos et non tolleratos nihil heic conferre dicitur; quia Const. Martini v. *ad Evitanda* nullum voluit conferre favorem excommunicatis, sed fidelibus.

Quoad suspensos advertunt DD., quod suspensus ab officio vel beneficio, prohibetur exercere officium vel percipere fructus beneficii: ergo etiam durante suspensione inhabilis est, ut novum officium vel beneficium consequatur, ne quod una via amittit, altera obtineat. Schmalzgr. l. 1. tit. 14. n. 30. Gonzalez in l. 1. tit. 14. c. 8. n. 4. Quae ratio valet etiam pro irregulari; ut idcirco non paucorum sit opinio, collationem irregulari factam cuiusvis beneficii esse ipso iure nullam. Schmal. l. c. n. 31. 7. sed cf. dicenda *de Suspensione* et *Irregularitate.*

278. 2° Collatio dignitatum aut beneficiorum curatorum facta ei, qui caret aetate iure communi requisita, est ipso iure nulla vel irritanda. Patet hoc ex c. 7. *de Electione* §. 2. ubi quoad decanatum, Archidiaconatum et alia beneficia, quae curam animarum habent annexam, praecipitur, quod scientia carentes et infra aetatem canonicam instituti removeantur et aliis idoneis officium conferatur. Et c. 2. *de Aetate et qualitatibus,* etc. prohibendus dicitur Episcopus, ne ecclesias nisi personis, quae aetatem et scientiam habeant, regendas concedat. « Quod si secus egerit, ei debitam poenitentiam infligens, institutionem et concessionem ipsius omnino viribus carere decernas ». Patet rursus ex c. 14. *de Electione* in 6., ubi decernitur assumptionem ad regimen parochialis ecclesiae, infra canonicam aetatem et absque scientia *viribus omnino carere.* Cf. et. 22. *de Electione.* Imo id de quolibet beneficio a canonistis asseritur; quia minor aetate est iure inhabilis. Pichler l. 1. tit. 14. n. 8. Schmalzgr. ibid. n. 11.

Cum in canonibus citatis perinde de conveniente scientia ac de competenti aetate sermo sit, dicenda esset irrita quoque ipso iure collatio beneficii facta ei, qui debita scientia caret. Communiter tamen id non affirmatur nisi de eo, qui sit *penitus illiteratus.* Schmalzgr. l. c. n. 25. Pichler l. c. n. 10. Forte quia defectus debitae scientiae, dum quis plus minus litterarturam attigit, non est evidens, sicut defectus aetatis. Consonat c. 17. *de Electione*, ubi electio eius, qui debita scientia carebat, dicitur irritanda.

279. 3° Collatio beneficii iurisdictionem vel curam animarum adnexam habentis facta criminoso seu infami infamia iuris est ipso iure nulla. Ita communiter et regula est 87. in 6. *Infamibus portae non pateant dignitatum*: requiritur tamen sententia iudicis nullitatem declarantis. Reiff. l. 6. ad hanc regulam. Infamia vero facti impedit certe ne obtineantur beneficia sed obtentis non privat; ibid. Ipsum vero naturale ius inhabiles eos facit ad curam animarum infertque manifestam repugnantiam, ut quidam infamia sint notati et dignitate augeantur aut animabus curandis praeficiantur.

Certum Trid. Syn. sess. 7. c. 3. *de Reform.* statuens inferiora beneficia, praesertim curam animarum habentia, conferenda esse dignis et habilibus, iubet ut aliter facta collatio vel provisio omnino irritetur.

Ad claritatem eorum, quae hoc numero dicta sunt, iuverit, puto, animadversio Lessii l. 2. c. 34. n. 103. quae est huiusmodi, « Formulam hanc *ipso iure sit privatus* ita passim in Iure consuetudo recepta interpretatur et mitigat, ut nemo teneatur officium vel beneficium, quo sic privatus dicitur, dimittere ante sententiam: nisi alia clausola, quae hanc benignam interpretationem excludat (puta *nulla*

praemissa monitione sit privatus aut *teneatur deserere beneficium*), apponatur. Satis enim censetur privatus, si iure illo perfecto et quasi dominio, quo beneficium antea obtinebat, privatus sit, retenta tamen eiusdem possessione ».

280. Quaeritur, an et quae obligatio sit praeferendi digniores. Dignior dicitur non qui simpliciter excellit in aliqua qualitate requisita, aetate morum honestate, scientia, imo et in omnibus simul sumptis, sed qui, omnibus spectatis, etiam qualitatibus extrinsecis, puta, potentia, nobilitate (dummodo sit dignus), notabiliter videtur utilior futurus ecclesiae. Cf. s. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2.

Seponimus beneficia patronata laicorum, pro quibus minus Ecclesia postulat et de quibus seorsim iam diximus n. 258.

Item si ex lege fundationis aut aliquo iure speciali, beneficium conferendum sit personis certa qualitate praeditis, non erit iis extraneus, etsi dignior, praeferendus; quia eae leges sunt servandae. Trid. Syn. sess. 25. c. 5. *de Reform.*

Pariter si dignus e gremio ecclesiae haberi potest, nulla est obligatio praeferendi ei extraneum digniorem. Patet ex c. 41. *de Electione*, ubi iubetur, qui potestatem habet eligendi, viduatam ecclesiam de persona idonea ipsius quidem ecclesiae vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonice providere. Et sane qui de gremio sunt, solent esse utiliores.

Imo si digni e gremio sint, extranei assumi prohibentur. Ita c. 13. dist. 61. Caelestinus Papa: « Tunc autem alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clero, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri ».

Pariter c. 16. §. 1. ibid. Gregorius M. « Commonemus etiam Fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas ecclesia nisi forte inter clericos ipsius civitatis... nullus ad episcopatum dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri ». Cf. s. Thom. art. cit. ad 4^{m}. His vero, ut ex seqq. constat, id tantum edicitur, ut comparatio, uter dignior facienda sit inter eos, qui sunt eiusdem ecclesiae, non collatis extraneis quoque.

281. Quaestio ergo est, an his specialibus casibus sepositis, obligatio sit in conscientia eligenti digniores. Certa est doctrina 1° ad Praelaturas praeferendos esse digniores dignis. Ita Trid. Syn. sess. 24. c. 1. *de Reform.* de electione loquens Episcoporum, postquam monuerit, « quod si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo (munere) videbitur » : docet, *omnes, qui ad promotionem praefiendorum quodcumque ius habent... alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudi-*

caverint... praefici diligenter curaverint. Quod et deinde ibidem in creatione Cardinalium vult valere. Quae est veterum doctrina. Sic enim c. 19. dist. 63. Leo Magnus iubet loco metropolitani defunti *optimum* ordinari. Atque ita s. Hieronymus seu potius Origenes, quem interpretatur, hom. 6. in c. 8. Levitici, relatus c. 15. caus. 8. q. 1. « Qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium ». Confirmantur haec auctoritate Innocentii XI., qui decreto 2. Martii 1679. proscripsit hanc propositionem n. 47[m]: « Cum dicit Concilium Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad ecclesias non promovent; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus ».

Rationem intrinsecam, cur oporteat animum advertere ad digniores eosque praeferre dedimus ex Lugo Vol. II. n. 834., qui de electione ad munera publica civilia loquitur.

Tridentinum agit quidem disserte solum de Praelaturis maioribus: at manifestum est, doctrinam eius et in inferioribus valere, sive secularibus sive regularibus atque hanc esse sententiam Concilii, nam ipsum et pro parochiis, ut dicemus, postulat digniores.

2° Ad beneficia quoque curata eligendi sunt digniores. Et certe pro eis quoque valet ratio, quae pro Praelaturis, nempe animarum cura. Ceterum pro conferendis beneficiis parochialibus liberae collationis iussit Trid. Syn. sess. 24. c. 18. concursum ab Episcopo indici et ex iis, qui *idonei* sint, ab Examinatoribus iudicari, non tantum ratione habita doctrinae, sed morum, prudentiae et aliarum rerum ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunarum, ut habet Trid. Syn. l. c. *de Reform.* (cf. constitutionem Benedicti XIV. *Cum illud.* 14. Dec. 1742. §§. 10. et 16. IV.): ex his vero iussit eadem Synodus eligi ab Episcopo eum, *quem ceteris magis idoneum iudicaverit.*

Etsi vero contingat identidem beneficia curata absque praevio concursu conferri, advertit nihilomnus merito Schmalzgr. l. 1. tit. 14. n. 41., legem de eligendo seu instituendo digniore et in iis valere; nam omnibus hoc est commune, quod curam habeant animarum pro qua rite obeunda Ecclesia exigit ut digniores eligantur; nisi aliquando ob certas causas contenta sit dignis.

Perpende tamen animadversionem Caietani in cit. art. 2. q. 63. s. Thomae. « Cum dicitur, oportere in foro conscientiae eligere me-

liorem, intelligitur de possibilibus haberi. Hi enim, de quibus constat, quod haberi non possunt, extra latitudinem eligibilium computandi sunt ».

282. Qnaeritur, an collatio facta digno, praetermisso digniore, sit valida et retinenda. Distinguunt: vel enim praevio concursu facta est, vel secus. Si concursus habitus est, talis electio est irritanda. Sane Trid. Syn. l. c. provisiones aliter factas quam ipsa statuit, tanquam subreptitias vult haberi. Et Pius V. Const. *In conferendis* 15. kal. Mart. 1567. praecipit talia beneficia conferri dignioribus, permissa gravato appellatione, non quidem in suspensivo sed in devolutivo, iuxta mentem Conc. Trid. l. c. Et re quidem vera, praevertente concursu, tenetur ex iustitia Episcopus ad digniorem et hic ius habet ad rem. Cf. dicta in tr. *de Iustitia et Iure* P. 1. n. 42.

Si absque concursu beneficium conferatur, communis est doctrina, collationem validam esse et sustineri, etsi peccaverit collator, quem idcirco sui peccati poenitere oportet. Ita s. Thomas art. 2. cit. ad 3. « Dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam » (loquitur s. Doctor extra hypothesim concursus nondum sua aetate praescripti). Nec refert id esse prohibitum; nam multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem c. 16. *de Regularibus*. Cf. Schmalzgr. l. 1. tit. 14. n. 41. Anacletum l. 1. tit. 6. n. 248.

283. Quid si agatur de beneficiis simplicibus? Res non est satis clara. Certum est, et in his conferendis admitti posse vitium acceptionis personarum; ad quod sufficit, ut res uni potius quam alteri debeatur, quocumque debito eique non detur (Laymann *de Eccles. benef.* c. 15. n. 5.). Sed utrum talis acceptio sit per se in beneficiis simplicibus peccatum grave, non convenit.

S. Alph. heic n. 93. probabilem esse concedit sententiam negantem obligationem sub gravi eligendi ad beneficia simplicia digniores; et affirmantem dicit communiorem et probabiliorem. Quoad hoc alterum, ratio potior s. Doctori est; quia secus clerici parum solliciti essent in se reddendis dignioribus, quod grave damnum crearet Ecclesiae. Verum 1° et non minus grave damnum foret, si clerici assuescerent agere intuitu beneficiorum: alia sunt motiva (secus ac in societate civili, quae bonis terrenis contenta est), quae clericum ad virtutem et scientiam accendere debent. 2° Campus ad hoc studium non est proprie praeclusus, cum sint beneficia duplicia, quibus, ut diximus, et canonicatus cathedralis annumerari potest. Si beneficia duplicia dignioribus et simplicia saltem dignis dentur ordinarie, cuiuslibet ecclesiae status, puto, florebit.

S. Doctor sententiam suam vocat communiorem, quod certum non est. « Loquendo de beneficiis simplicibus et nullam curam animarum habentibus: non esse peccatum mortale ipsa conferre personis dignis, omissis dignioribus, tenent permulti doctores » ait Ferraris l. c. art. 5. n. 28. apud quem vide auctores citatos.

Ratio est, quia vel ex iure naturae arguis vel ex iure positivo. Si ex iure positivo seu ecclesiastico, constat digniorum expressam mentionem fieri solum cum agitur de beneficiis curam animarum vel externam iurisdictionem obtinentibus; cf. citatos locos ex Trid., Constit. Pii V. et damnatam propos. ab Innocentio XI. Si arguitur ex iure naturae, eatenus demonstraretur gravis necessitas eligendi digniores, quatenus vel beneficia essent instituta in praemium meritorum, vel ecclesiae utilitas digniorem exposceret. Atqui prius falsum est per se; sunt enim beneficia per se instituta in subsidium et stipendium ministrorum seu operariorum; quamvis nihil prohibeat, secundario huc quoque referri beneficia, ut praemium quoddam sint meritorum. Alterum vero certe non constat: non constat scilicet, pro exsequendo officio annexo beneficio simplici utilitatem Ecclesiae postulare, ut dignior eligatur: nam idem munus a simpliciter digno eodem pacto praestari poterit, vel discrimen adeo erit tenue, ut merito Ecclesia non censeatur esse de eo sollicita.

Hinc Laymann l. c. n. 8. quaerens generatim, quale sit peccatum conferre beneficium digno, praetermisso digniore, distinguit et ait, videri sibi, quod habito respectu ad ipsos promovendos, sit tantum veniale: quia nemini eorum est proprie debitum beneficium ideoque iniuria proprie dicta eis non fit. At respectu habito ad bonum statum et regimen Ecclesiae, saepe esse mortale; quia magno commodo Ecclesia privatur, quod electores aut collatores ex officio promovere et augere tenentur. Porro, ut patet, haec ratio proprie habet locum, cum de beneficiis duplicibus sermo est.

284. Et forte, seposita quidem hypothesi concursus, non demonstratur evidenter ex solo naturae iure obligatio gravis eligendi digniores ad beneficia curam animarum habentia; secus, nec ipsa Ecclesia exceptionem admisisset pro beneficiis curatis patronatus laici; sed certe suadetur, ut idcirco merito sit iure positivo imposita haec obligatio; quia tum de re gravissima agitur ad bonum commune spectante, tum nisi electores aut collatores animum eo intendant, ut digniores praeferant, frequenter sponte continget, ut neque digni assumantur, quemadmodum argumentatur Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 34. n. 21.

Cum autem haec lex positiva non exstet, certe saltem, pro beneficiis

simplicibus; relinquenda res videtur arbitrio Episcopi, dummodo eligat dignum.

Abstinemus ab argumento, quod quidam adhibent (cf. Schmalzgr. l. c. n. 42.). Conc. nempe Trid. sess. 7. c. 3. pro inferioribus beneficiis requirere solum *dignos et habiles;* nam si argumentum valeret, probaret idem et de beneficiis curatis, de quibus pariter loquitur Synodus. « inferiora, ait, beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus... conferantur ». Scilicet ibi statuitur quod ipsa lex naturalis postulat, ut personae sint dignae et habiles: deinceps vero, quo id in tuto ponatur, praecipitur, ut digniores assumantur.

Quod ait A. in fine de vi triennalis possessionis, cf. dicta Vol. II. n. 439.

Quaestio vero, utrum ad aliquid erga dignum immerito praetermissum et communitatem et ad quid teneatur, qui eligit indignum aut minus dignum, iam acta est Vol. III. nn. 20. 21.

285. S. Alph. n. 100. ait, nulli dubium esse, quod si concurrat indignus cum digno, peccet concurrendo et acceptando, si in concursu vincat, beneficium. Sermo est de indignitate occulta, ipsi soli nota et debet esse indignitas ex parte morum; nam quae est ex parte scientiae, probabitur per concursum. Sed cum de re occulta agatur et alter qui publice dignior censetur, possit eodem laborare vitio: quomodo illi constabit, se esse hoc minus dignum? Peccatum in eo erit, quod sciens se ineptum curae animarum, huic officio velit se ingerere; quamvis si propositum gerat recte videndi et suum munus exsequendi et probabilem concipiat spem, se id facturum, difficile persuadebitur, se esse ineptum ideoque indignum.

Quid vero si dignus concurrat cum digniore? peccatne? Iudicium quis sit dignior, ex pluribus una collatis pendet et frequenter est difficile et, quod caput est, spectat ad superiores, non ad aequales: quicumque autem dignus est, seu se potest merito censere dignum h. e. idoneum, ius habet concurrendi, imo, ut ait idem s. Doctor, haec est Ecclesiae mens, ut omnes digni concurrant. Quî ergo fieri potest, ut peccet concurrendo? Et si deinceps ei beneficium adiudicetur, posthabito eo, quem ipse forte censet digniorem, non est cur dicatur peccare acceptando; nam non est eius iudicium ferre de sententia superioris, qui pluribus ex causis sibi soli notis moveri potest ad hunc illi praeferendum. Secus qui humiliores sunt h. e. sanctiores, scrupulis semper agitarentur aut non acceptarent, quod tandem in maximum redundaret Ecclesiae detrimentum. Haec est doctrina s. Thomae 2. 2. q. 185. n. 3. « Ex parte eius, qui assumitur (ad Episcopatum) non requiritur, quod reputet se aliis meliorem; hoc enim esset superbum et praesumptuosum,

sed sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium ».

XI. Resp. 2. Qui recipit Beneficium quodcumque habens annexum Ordinem sacrum, tenetur habere voluntatem saltem conditionatam clericandi et sacrum ordinem accipiendi intra tempus a iure requisitum. Laym. c. 14. Less. l. 2. c. 34. d. 26. Ratio est, quia suscipiens officium, cui obligatio est annexa, omni modo se habilitare tenetur. Imo, si curatum seu parochiale est habetque intentionem sacerdotium intra annum non suscipiendi, sed parochiam dimittendi: non tantum mortaliter peccat, sed etiam ipso iure est privatus et ad fructuum restitutionem tenetur, ut patet ex c. *Commiss.* §. 7. *de Elect.* in 6. Quod si tamen, mutata voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere potest: imo et Episcopus dispensare potest, ut vicario substituto studiis per septennium vacet.

Dixi 1. *Habens annexum Ordinem sacrum;* quia si is non sit annexus et Beneficium sit simplex, licet illud acceptet animo fructus lucrandi et deinde uxorem ducendi, non nisi venialiter peccat, si alias officio suo satisfaciat, ut docet Laym. c. 17. Sanch. l. 7. *de Matr.* d. 45. Vasq. Ratio est, quia illa perversio ordinis non videtur gravis nec ullo iure vetatur, ideoque ad nullam fructuum restitutionem tenetur. Unde Garzias p. 3. c. 4. n. 42. talem ab omni culpa excusat.

Dixi 2. *Voluntatem saltem conditionatam;* quia, si ex iuxta causa postmodum status Clericalis minus illi convenire videatur, potest animum mutare, etiamsi Beneficium sit curatum v. gr. si primogenitus familiae, aut frater unicus sine liberis decedat, si opimum matrimonium ad conversationem familiae nobilis, vel ad lites graves sopiendas necessarium offeratur. Ratio est, quia non est mens Ecclesiae, ita ad Ecclesiasticum statum obligare, ut haec et similia bona impediantur. l. c.

286. Lex est Trid. sess. 24. c. 6. *de Reform.* nominem prima tonsura initiatum, etiamsi in minoribus ordinibus sit constitutus, posse, ante 14^{m} annum, obtinere beneficium: satis est ergo, si annus inchoatus sit.

Pro obtinendis autem beneficiis, quae ordines sacros requirunt, ea aetas postulatur, quam ipse ordo exigit vel qua infra tempus a iure praescriptum h. e. infra annum, possit ordo suscipi. Idcirco cum e. gr. canonicatus Cathedrali subdiaconatum saltem requirat, ut quis beneficium huiusmodi obtineat, inchoasse saltem debet annum 21., quo expleto ordinari potest. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. §. *Neminem*, coll. sess. 22. c. 4. §. *Si vero.*

Ad beneficia duplicia, non habentia curam animarum, cuiusmodi sunt plures personatus et dignitates (certe ecclesiae cathedralis, probabilius et aliarum collegiatarum: cf. Schmalzgr. l. 1. tit. 14. n. 7.), annus 22^{us} requiritur et quidem completus; ut vult cum aliis Laymann *de Eccles. Beneficiis* c. 14. n. 1.; quia Conc. l. c. §. *Ad ceteras* statuit, ut haec beneficia obtinentes *non sint minores annis* 22., qua loquendi formula, ait, anni completi in iure intelliguntur: aliis nihilominus secus opinantibus, ut satis nempe sit ingressus in annum 22^{m}, qui et auctoritate Rotae se tuentur. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 4.

Ad beneficia curata obtinenda oportet *attigisse annum* 25^{m} Conc. l. c. §. *Nemo.:* satis est ergo inchoasse hunc annum. Decretum Trid. est instauratio decreti, quod iam condiderat in Conc. Lateranensi Alexander III. c. *Cum in cunctis* §. 2. *de Electione.* Quod decretum b. Gregorius X. in Conc. Lugdunensi confirmavit et declaravit c. *Licet, de Electione* in 6., decernens 1° collationes deinceps faciendas de parochialibus ecclesiis, iis, qui non attigerint 25^{m} annum, viribus omnino carere: 2° qui parochiale beneficium obtineat, si nondum est sacerdos, debere intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum (quod tamen detento per iustum impedimentum non currit c. *Commissa de Elect.* in 6.) sacerdotalem ordinem suscipere; secus ipso iure sit privatus ecclesia sibi commissa.

Adverte cum Laymann l. c. n. 10., ad Papam proprie pertinere potestatem dispensandi, ut proviso ad beneficium curatum prorogetur tempus suscipiendi Sacerdotii. Probabile tamen idem censet, quod ex Navarro et aliis docet Lessius l. 2. c. 34. n. 104., posse adhuc Episcopum causa studiorum cum eo dispensare usque ad septennium dummodo intra annum, quo debuisset fieri sacerdos, ordinetur subdiaconus, ne scilicet possit a statu ecclesiastico resilire et elapso septennio ad diaconatus et presbyteratus ordines intra annum se faciat promoveri. Ita Constitutionem Gregorii X. temperavit Bonifacius VIII. c. *Cum ex eo, de Electione* in 6. Sed cf. dicenda n. 296.

287. His positis, en doctrina Laymann circa debitam intentionem in obtinentibus beneficium.

1° Qui beneficium curatum seu parochiale accipit, animo intra annum a iure praescriptum, non suscipiendi sacerdotii, sed ecclesiam parochialem dimittendi, is mortaliter peccat, in re gravi Ecclesiam decipiens et tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum. Ita decernitur in c. *Commissa de Elect.* in 6. Sane beneficium ei confertur cum hoc onere et tacito pacto, ut velit intra annum esse Sacerdos. Idem dicendum de illo, qui ab initio anceps est an velit sacerdotium intra annum suscipere; quia hic reapse caret requisita intentione.

At si hic intra annum voluntatem mutet et ad sacerdotium faciat se promoveri, fructus retinere potest, ut idem canon *Commissa* disserte significat. Quid vero, si ab initio intentio aderat suscipiendi sacerdotii intra annum, sed postea mutata est voluntas et ad sacerdotium non est promotus? Videtur aequitas postulare, ut fructus perceptos post mutatam voluntatem restituat; nihilominus Sanchez *de Matrim.* l. 7. disp. 45. n. 11. Lessius l. c. n. 134. post Navarrum, non improbabiliter id negant. Nam collatio valida fuit, licet cum modo h. e. obligatione suscipiendi sacerdotii: obligatio autem restituendi fructus imposita non

est nisi illi, qui ab initio caruit debita intentione; quae constitutio, cum sit odiosa, non est porrigenda ad casum diversum, praesertim minus culpabilem.

2° Qui beneficium curatum accipit aut simplex, cui ordo sacer annexus sit, voluntate quidem suscipiendi ordinem sacrum intra annum, at voluntate non absoluta, sed rationabiliter conditionata, nisi nempe vehemens causa cogat dimittere, e. gr. si postea nulla vocatio appareat ad statum clericalem aut primogenitus sine prole moriatur et familiam oporteat conservare etc., hic non peccat nec fructus restituere tenetur, si non promoveatur. Ratio est, quia hic non attulit ab initio animum fictum et dolosum, sed habuit voluntatem, quam ius requirit: voluntas enim seria a iure requisita non excludit huiusmodi tacitas rationales conditiones; quocirca Ecclesia nullatenus eum damnat, qui his conditionibus supervenientibus, dimittit statum clericalem: porro quod tacite inest, rem non mutat si expresse efferatur. Ergo hic non peccat nec Ecclesiam fallit: non est ergo, cur teneatur ad fructuum restitutionem, etsi, superveniente conditione, dimittat beneficium.

Differt proinde hic ab eo, qui animo ancipiti beneficium accepit; quia ille habuit eam intentionem, quam Ecclesia exigit, hic nullum habuit.

3° Addimus ex Sanchez l. 7. *de Matrim.* dig. 45. n. 19., probabilius esse, eum qui beneficium simplex accipit, cui Ordo sacer non est annexus, non peccare mortaliter, si eum acceptet, animo ad tempus retinendi eiusque fructibus fruendi tum deinde, eo dimisso, ad secularem et coniugalem vitam transeundi; dummodo interea obligationibus beneficii faciat satis. Ratio est, quia nullum ius exigit, ut hic habeat voluntatem perseverandi in statu ecclesiastico: sed solum requiritur ut beneficium habens eius obligationes impleat; quandiu ergo id praestatur, ratio est sufficiens retinendi beneficii. Quocirca melius puto dixisse Garzia ab A. citatum, hunc hominem nullo modo peccare.

4° Qui beneficium acceptat, ut ad eius titulum ordinetur et generatim qui beneficium acceptat, non tenetur habere intentionem illud semper servandi; cum integrum sit cuique renuntiare beneficio, sed satis est, quod intendat facere satis obligationi suae, quandiu beneficium possidebit.

Articulus IV.

An liceat plura habere beneficia.

XII. Respond. Plura Beneficia possidere, non est res simpliciter intrinsece mala nec omnino indifferens, sed speciem mali praeferens; imo ordinarie illicita et naturali iure repugnans (si talia sint, quorum unum ad honestam sustentationem sufficit), nisi iusta causa ex circumstantia cohonestetur. Ita fere Laymann l. 4. t. 2. c. 8. num. 2. ex s. Thom. Less. Azor, etc. comm. Quia, ut docet Tridentin. sess. 24., pluralitas huiusmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, Ecclesia operariis, fundator pia intentione, pauperes utiliores Ecclesiae futuri sustentatione privantur. Hinc beneficia distinguuntur in incompatibilia primi generis, in quibus, accepta pacifica possessione secundi vacat prius, qualia sunt plura Beneficia curata, item plures dignitates, personatus, duo Beneficia uniformia sub eo lem tecto, et in incompatibilia secundi generis, quae etsi sine peccato citra dispensationem obtineri nequeant, primum tamen altero obtento non vacat: qualia sunt Beneficia reliqua residentiam postulantia, v. gr. Canonicatus duo diversarum ecclesiarum, in quibus recepta est constitutio Tridentin. sess. 14. cap. 12. *de Reform.*, ut non liceat ultra tres menses Canonicis ab Ecclesia abesse. Unde Laym. c. 8. n. 6. docet Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis Germaniae, quae ex immemorabili consuetudine requirunt tantum residentiam medii anni, vel 3. mensium, inter compatibilia beneficia numerandos.

Dixi, *nisi iusta causa cohonestetur*; quia qui per dispensationem plura beneficia obtinuit, nisi iusta causa subsit, in conscientia non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, ut docet Less. n. 124.

288. Quaestio haec nostris temporibus parum necessaria: cum vix fere contingat, ut plusquam unum illudque exile satis beneficium valeat obtineri. Quapropter hac in re sufficere ea putamus, quae habet A. quae et clara sunt satis ac breviter omnia complectuntur. Advertimus haec tamen ex Schmalzgr. l. 3. tit. 5. *de Praebendis.*

1° Beneficia incompatibilia ea esse primo quae vel iure naturali vel iure communi ecclesiastico vel ex consuetudine, statuto aut fundatione continuam residentiam personalem exigunt, quae tamen diversis sint in locis ideoque simul obtineri vel retineri, saltem absque dispensatione non possunt n. 91. seqq. Secundo ea esse, quae alia ex causa simul ab uno haberi nequeunt, ut duo personatus, duae dignitates, vel duae praebendae uniformes sub eodem tecto sive in eadem ecclesia aut praebendae quidem difformes in eadem ecclesia, quarum officia simul nequeunt praestari. Schmalzgr. nn. 89. 90. Adde tertio ea esse, citra dispensationem, incompatibilia, quorum prius obtentum sufficit ad honestam sustentationem. Anacletus eod. tit. 212.

2° Iure vetere, is qui acceperat plura beneficia ob personalem residentiam incompatibilia, neutrum ipso iure amittebat, sed debebat alterum, quod mallet, dimittere. Atque ita ante Alexandrum III. qui optione sublata, iussit dimitti primum, quo beneficiatus privandus sit non ipso iure, sed per sententiam. C. *Quia nonnulli, de Cler. non resid.*

3° At Innocentius III. in Conc. Lateran. c. *De multa*, tit. cit. quoad *beneficia curata, dignitates et personatus* hoc ius correxit, nimirum obtento altero quovis ex his beneficiis, vacare voluit ipso iure primum et si forte illud (qui alterum est assecutus) retinere contenderit, etiam alio spolietur. Vetuitque plures in eadem ecclesia dignitates, personatus ab uno haberi. Schmalzgr. ibid.

4° Tandem Conc. Trident. sess. 7. c. 4. dispositionem Innocentii c. *de Multa* extendit ad omnia beneficia ratione residentiae vel alias incompatibilia. Ait enim: « Quicumque de cetero plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica... contra formam ss. Canonum et praesertim Const. Innocentii III., quae incipit *de Multa* recipere ac simul retinere praesumpserint, beneficiis ipsis, iuxta ipsius Const. dispositionem, ipso iure, etiam praesentis canonis vigore, privatus exsistat ». Igitur quoad omnia incompatibilia beneficia est servanda forma Constitutionis Innocentii III. Atque ita declaravit S. C. C., cuius ex pluribus declarationibus hanc affert Schmalzgr. n. 117.: « Congregatio censuit, in residentiam requirentibus aut alias quomodocumque incompatibilibus, etiamsi Canonicatus sint vel Portiones, induci vacationem primi ipso iure per adoptionem secundi pacifice possessi, per decretum Conc. Trid. sess. 7. c. 4. iuxta dispositionem c. *de Multa, de Praebendis* ».

Idcirco ait idem Schmalzgr., per decretum Trid. sublata videtur distinctio in incompatibilia primi generis et incompatibilia secundi generis n. 84.

5° Episcopus potest conferre secundum beneficium simplex, si prius simplex est insufficiens: at si duo non sufficiant, nequit conferre tertium. Verum consuetudo potest aliud statuere. Schmalzgr. n. 102.

6° Si quis obtinens beneficium simplex, assequitur rite aliud quod per se sit sufficiens, potest utrumque retinere. Schmalzgr. nn. 95. 96.

XIII. Porro iusta causa dispensandi erit evidens necessitas et utilitas Ecclesiae et quandoque etiam praerogativae et merita personae, v. gr. insignis nobilitas, dignitas, scientia, auctoritas, virtus etc.: modo caveatur, ne Beneficiorum coacervatio, facta etiam ob praerogativam personae, ad privatum tantum et non ad commune bonum referatur. Imo sine dispensatione plura beneficia sequentibus casibus haberi possunt.

1. Si utrumque adeo sit tenue, ut neutrum sufficiat ad sustentationem: modo utrumque sit simplex nec residentiam requirat.

2. Quando parochia est annexa Canonicatui eique accessoria; tunc enim utrumque per modum unius possidetur, ita tamen, ut teneatur Vicarium perpetuum in ecclesia alere.

3. Quando beneficia legitime sunt unita.

4. Quando alius idoneus et dignus non reperitur.

5. Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum in commendam non perpetuam, sed ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. Ita Regin. ex Sylv.

Si quis ex dispensatione plura habeat beneficia, recolat doctrinam, quam Lessius l. 2. c. 74. n. 151. dicit fere communem: nimirum, si

non putetur subesse legitima causa dispensandi, is qui per dispensationem obtinuit plura beneficia, non est tutus in conscientia et tenetur alterum resignare.

Quia Papa, cum non sit dominus beneficiorum sed dispensator, nequit, licite saltem, pro arbitrio ea distribuere: non est ergo supponendum, velle plura concedere absque causa; sed e contrario praesumenda eius voluntas, nolle plura haberi absque causa legitima. Cf. sub §. XXXVIII.

XIV. Quaeres. An et quomodo Clerici teneantur ad residentiam?

Resp. 1. Episcopos, Parochos eosque, qui curatum beneficium habent, iure divino teneri. Nec sufficit, si per alios administrent, nisi maius bonum urgeat; quia contra rationem est, ut hic officium et fructus, alter onus habeat. Bon. t. 1. disp. 5. *de Oblig. benef.* p. 1.

289. *Residentia*, ait Laymann *de Eccles. benef.* c. 6. n. 1., dicitur *assiduitas commorationis in loco beneficii, causa servitii ecclesiastici personaliter praestandi.* Altero inciso finis legis indicatur praecipientis residentiam: quia vero finis legis, ut fert commune axioma, non cadit sub lege; hinc recte Navarrus et Covarruvias a Laym. citati, dixerunt, *aliud esse residere, aliud interesse.* Residet e. gr. canonicus, qui est in loco (civitate vel pago), ubi est beneficium (capella nempe vel altare): interest, qui chorum frequentat, capitulo assistit. Residet parochus, qui moratur intra fines suae parochiae; interest, qui in ecclesia sua functiones parochiales exercet. Id tamen non impedit, quominus ii, qui frustra resident, haberi possint et puniri tanquam absentes seu non residentes cf. nn. 299. seq.

Quaeritur quo iure praecipiatur residentia et quaestio praecipua est de curam animarum habentibus. Certum est iure canonico praecipi: sed dubitatur, an iure divino. Qua in re adverte, duplex esse ius divinum, nempe ius divinum naturale et ius divinum positivum: quorum prius vocari simpliciter potest naturale. Censent quidam iure naturali praecipi residentiam habentibus beneficium, cui adnexa est animarum cura: s. Alph. 127. 2. Ratio est, quia acceptato beneficio, ius ipsum naturale exigit, ut conditionem impleas, propter quam datur quod est officium seu cura animarum, et imposito officio, ius idem naturale exigit, ut illa rite fungaris. Id vero ab absente praestari nequit; nam pastoris officium est « oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere », ut ait Trid. Syn. sess. 23. c. 1. *de Reform.*

Verum 1° ius naturale duplex distinguere licet: alterum *suadens* id quod est conveniens seu conveniens magis: alterum *praecipiens* id

quod est essentiale. Si prius heic accipitur, cum iure naturali dicitur praecipi residentia, nulla est difficultas aut quaestio. Si vero alterum accipitur, difficile erit demonstrare, praecipi hoc iure residentiam. Et sane duplex est distinguenda quaestio ; prior, an debeat pastor curam habere gregis sibi commissi : altera, an debat hoc officium implere per se ipsum, operam ipsam suam praestando, non per alium. Priori quaestioni ius naturale *praecipiens* respondet affirmative : alteri quaestioni, etsi ius naturale *suadens* affirmative respondeat, ius tamen naturale *praecipiens* non profert talem definitivam sententiam, sed disiunctivam, nempe aut per se ipsum aut per alium, dummodo ab eo vere gregis sibi commissi cura habeatur. Hoc enim est essentiale, pastor seu rector curam populi commissi habeat : at potest habere curam per substitutum sibi aeque vel magis idoneum; si proinde ita fiet, iam iuri naturali praecipienti fit satis.

2° Si ergo ius divinum heic habet locum, restat, ut sit ius divinum positivum, quod supponere potest et heic reapse supponeret ius naturale *suadens*. Syn. quidem Trid. l. c. neque id voluit definire : quamvis enim principii loco praeceptum divinum statuerit de cura habenda populi commissi praedicatione verbi, sacramentorum administratione, bonorum operum exemplo etc., ex quo inferenda videbatur necessitas residentiae, contenta nihilominus fuit, illud solum concludere : muneri suo non satisfacere, qui *mercenariorum more* gregem suum deserunt.

290. 3° Verum, ratione habita perpetuae in hac re *intelligentiae* catholicae Ecclesiae, quae se prodit sive explicite ex disserta doctrina sive implicite ex iniuncta constanti praxi, affirmandum est, officium pastoris, ex Christi institutione, in Ecclesia esse personale, esse eius proprium, cui cura est concredita: voluisse scilicet Christum Dominum, ut qui pastor est, ipse pascat, utique quoad eius fieri potest et nisi vehementior ratio identidem aliud exposcat: quae exceptio cum iure simpliciter positivo apte cohaeret.

Et sane tale ius iam supponendum esset ex analogia humanarum societatum, quae recte administrantur ideoque ex communi hominum sensu, a quo noluit certe Dominus regimen suae Ecclesiae abhorrere. Is porro exigit, pro recta gubernatione reipublicae singularumque eius partium, ut officium regendi sit personale, ab eo nempe exerceatur, cui commissum est. Quos sane gubernatores, iudices, duces exercitus rex mittit, eosdem ipsos vult officio fungi, non ab iis alios sibi substitui. Tandem cum animarum cura alicui committitur, eius aptitudo et industria eligitur eique propterea beneficium confertur: aequum est ergo, ut ipse per se ipsum pascat atque ita Ecclesia semper intellexit officium a Deo impositum pastoribus pascendi gregem, cui praeficiebantur.

4° Iam vero istud ius divinum positivum non reiicit, ut monuimus, exceptiones, quas finis suadeat, quem ipsum ius respicit: Ecclesiae autem est supremique eius Pastoris hoc idem ius interpretari. Hinc et Romani Pontifices in hoc iure, non raro, ob rationabiles causas, ex parte saltem dispensarunt et Trid. Syn. l. c. declaravit, huic iuri non adversari trimestrem absentiam Episcopi a dioecesi, bimestrem parochi a parochia, si aequa causa, etsi privata, subsit.

XV. Resp. 2. Ita teneri ad residentiam, ut si Episcopi intra annum ultra tres et Parochi ultra duos menses absque legitima causa per Episcopum cognita et approbata absint, mortaliter peccent et fructus non faciant suos. Ita Trident. sess. 23. *de Reform.* c. 1. V. Bonac. l. c. Notat autem Dian. p. 9. t. 7. r. 53. ex Bard. supradicta etiam habere locum in superioribus sive Praelatis regularibus; ideoque eos teneri tempore pestis etiam cum periculo,suis assistere.

291. Quoad Episcopos haec statuit Trid. Syn. sess. 23. c. 1. Prius in mentem revocat quod iam sess. 6. c. 1. *de Reform.* decreverat, rursus inculcans omnes Episcopos, etiamsi Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam neque abesse posse nisi ex causis et modis subiiciendis.

Causae sunt christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas. Modus ex praescripto Synodi est, 1° ut legitimae hae absentiae causae probentur in scriptis (formalitas scripturae non censetur essentialis a s. Alph. n. 123.) a Papa vel a Metropolitano vel, eo absente, ab antiquiore suffraganeo residente: 2° ut interim ita ovibus suis provideatur ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Absentiae propter huiusmodi causas nullum certum tempus definitur.

At nunc, « ut Episcopi a suis ecclesiis vel dioecesibus licite abesse possint, praeter causam canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis est necessaria, excepto casu trimestris absentiae a concilio permissae », ait Benedictus XIV. Const. *ad Universae* §. 9. 3. Sept. 1746. ex lege iam lata ab Urbano VIII. Const. *Sancta Synodus* 12. Dec. 1634. Excepti tamen sunt ab ipso Urbano quidam casus, ut necessitas assistendi Conciliis provincialibus, aut comitiis seu assembleis generalibus nationis, dummodo ratione muneris sive officii publici eorum Ecclesiis adiuncti, ad eos pertineat eiusmodi assembleis interesse et pro tempore, quo synodus vel assemblea durat abesse possunt: exacto autem eo tempore, recto tramite ad suam ecclesiam remeare debent.

Bened. XIV. Const. cit. monet §. 5. Urbanum VIII. concessisse Episcopis sacra limina visitantibus personaliter, ut qui Ecclesiis citra montes et citra mare praesiderent, per quatuor, qui vero ultra marinis et ultramontanis Ecclesiis praeessent, per septem menses continuos a

residentia in suis ecclesiis facienda, huius visitationis gratia, excusarentur. Noluisse vero, ut cum hoc tempore concesso coniungerentur praeterea tres menses generatim concessi.

292. Porro sepositis supradictis causis extraordinariis, de eo, quod ordinarie usuvenire solet, id Trid. Syn. decernit. « Quoniam qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: sacros. Synodus vult, illud absentiae spatium, sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore ». Vides pro hac quoque absentia causam aliquam postulari, non quidem magni momenti puta pro Ecclesiae utilitate, sed quae sit aequa, qualis esset honesta animi relaxatio; simul vero exigi ut absque gregis detrimento id fiat. Neque pro ista absentia requiritur ulla licentia, sed conscientiae Episcopi iudicium permittitur, an facultate a iure concessa uti licite possit. Haec tamen, ut postea declaratum est, trium mensium vacatio coercetur intra limites cuiusque anni et idcirco qui ea aliquo anno non est usus, nequit sequenti abesse diutius. Nec licet tres postremos anni menses continuare cum tribus prioribus sequentis. Cf. Benedicti XIV. Const. *Ad universae* §. 6.

Hortatur tandem Trid. Syn., ut certis diebus sollemnioribus vel quibus cura Pastoris necessaria magis est, non absint.

Eos, qui, contra huius decreti dispositionem, abfuerint, declarat primo s. Synodus mortalis peccati reatum incurrere, tum poena plectit, quae est huiusmodi: ut nempe pro rata temporis absentiae fructus suos non faciant nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere possint sed teneri aut ipsos aut, iis cessantibus, superiores ecclesiasticos erogare eos fructus Fabricae ecclesiarum aut pauperibus loci, « prohibita quavis conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur (cf. V. 3. *de Restitut.* nn. 387.-394.). ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte eis remittantur ». Haec tamen praescriptio nequit Rom. Pontificem ligare. Adde ex sess. 6. c. 1. quod si absque legitima causa absentia ad sex menses continuos producatur, ipso iure incurrant poenam amissionis quartae partis fructum unius anni et si alios sex menses absentia duret, aliam quartam partem fructuum amittant. Tum si ultra annum absentia talis illegitima producatur, debeat Metropolitanus suffraganeum absentem, Metropolitanum vero absentem antiquior suffraganeus residens, denuntiare infra tres menses Romano Pontifici.

293. Subdit ibid. ex sess. 23. Synodus eadem se declarare et decernere, quoad culpam, amissionem fructuum et poenas, de curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium ecclesiasticum obtinent, curam habens animarum, voluitque Synodus integrum esse Episcopo contumaces compellere vel censuris vel subtractione fructuum (eo modo, quo dictum est de Episcopis non residentibus) vel etiam privatione beneficii.

Item discrimina inter absentes Episcopum et Parochum statuit tum quoad tempus ordinariae absentiae permissum Parocho, quod est bimestre et interim vicarius cum debita mercede est substituendus: tum quoad modum; oportet enim causam cognitam esse et probatam Episcopo et ab eo licentiam dari. Id quidem aliqui accipiunt de bimestri alio, praeter ordinarium; quia pro ordinario iam aderat facultas ante Trid. quam Concilium, clare saltem, non revocavit (cf. Lessium l. 2. c. 34. n. 159. et Laymann l. c. n. 7.); at Synodus ait: « quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit » tum paucis interiectis: « discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant ». Censet Lessius non esse receptam legem hoc sensu, ut pro ordinario bimestri licentia Episcopi requiratur, sed pro alio, si opus sit. Consulit Laymann, ut consuetudo propriae dioecesis servetur. Sed responsa s. Congr. C. quae Benedictus XIV. refert Institutione 17. a. n. 9. deinceps, affirmantia obligationem obtinendae licentiae ab Episcopo pro primo bimestri et licentiam debere esse expressam imo eam requiri et pro una hebdomada, etiam cum causa rationabilissima subest, dubitationi locum non relinquunt. Plura ex illis responsis ad sec. XVI. spectant; sed latuerunt in archivis, unde extraxit forte prior Benedictus XIV. Si tamen Episcopus licentiam negat, recursus licet ad eius superiorem. Ferraris v. *Parochus* art. 2. n. 24.

Advertunt DD. poenas praedictas non pertinere ad praelatos regulares, habentes curam animarum suorum religiosorum; quia si Conc. voluisset eos comprehendi, eosdem aperte appellasset, ut alias solet. Reliquit ergo hos praelatos Concilium propriis statutis et ordinationibus superiorum. Lessius l. c. n. 161.

XVI. Respondeo 3. Qui in Ecclesiis Catedralibus vel Collegiatis obtinent dignitates, canonicatus, praebendas vel portiones, si intra annum ultra tres menses absint, primo anno media parte fructuum, secundo vero anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati sunt, privandos. Quae tamen poena est sententiae ferendae, non latae: ut constat ex Trident. sess. 24. c. 10.

294. Syn. Trid. sess. 24. c. 12. statuit, obtinentes in ecclesiis cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas, portiones, esse omnes cogendos obire divina officia per se et non per substitutos;

quia nimirum ad id tenentur: est enim eorum quoque officium personale. Quemadmodum enim esse debent qui per se ipsos officia divina celebrent: ita, institutis dignitatibus, praebendis etc., eos non alios esse convenit et non alios esse vult Ecclesia, quam qui iis aucti sunt praebendis, dignitatibus etc.

Tum eadem Syn. ibid. iussit: « Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse... alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos: quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos, iuxta ss. Canonum constitutiones, procedatur ». Vides poenas esse mitiores, quam contra Parochos non residentes et poenam privationis fructuum esse ferendae sententiae, quae rationem habebit temporis absentiae non concessae: nam in hac re peccari potest solum venialiter. Cf. in decret. tit. 4. lib. 3. *de Clericis non residentibus.*

Porro trimestri vacatione iis canonicis uti non licet, qui, ut in quibusdam capitulis mos est, *mediaria* seu *alternativa,* ut dicitur, vel *tertiaria* fruuntur. Lucidi *Visit. ss. Lim.* tom. 1. c. 3. a. 1. n. 10. Constat vero, quod si diversuri sint in aliam dioecesim, licentia Episcopi postulatur.

295. Quoad alia beneficia simplicia, quaedam sunt, quae vel ex fundatione vel ex statuto vel consuetudine requirunt operam ipsius beneficiati ideoque residentiam: quaedam sunt, quorum obligationi etiam per vicarium fieri potest satis. « Hodie, ait s. Alph. n. 120., ex generali totius Ecclesiae consuetudine beneficia simplicia talem residentiam non requirunt; cum sufficiat per vicarium servitium praestare, nisi fundatores aliud expresserint... Tantum hodie ad residentiam obligantur omnes pastores curam animarum habentes et omnes canonici seu praebendati etc. cathedralium seu collegiatarum ». Identidem in beneficiis simplicibus dispensatur quoque a substituendo vicario. Schmalzgr. l. 3. tit. 4.

XVII. Resp. 4. Causas a residentia excusantes esse, 1. Doctionem Theologiae vel Iuris Canonici neque ad hoc licentiam Praelati aut Episcopi requiri: requiri autem ad doctiones litterarum humaniorum et Philosophiae, nisi contrarium habeat consuetudo. 2. Studium Theologiae vel Iuris Canonici; id enim per 3. annos etiam excusat. 3. Obsequium Papae vel Episcopi, ad Ecclesiae utilitatem. 4. Licentiam legitimam, ex quavis alia iusta causa. 5. Honestam consuetudinem, ubi dispositio Concilii non est recepta. V. Bon. l. c.

296. Causas a residentia excusantes audivimus a Trid. n. 291. ad

quas aliae, quas memorat A., revocantur, quarum aliquae tamen recenti iure vel temperatae sunt vel abrogatae. Sane causa olim legitima non residendi pro parochis erat studium litterarum c. *Relatum, de Cler. non resid.:* at qui causa esse nunc potest absentiae parochi (ne dicam Episcopi); quando, ex Tridentini lege, parochiae conferendae sunt per concursum aut rite examinatis? Hoc ipso enim ponitur, eos iam studia necessaria absolvisse. Hac scilicet nova ordinatione effectum est, ut non amplius haberet locum id, quod causam parocho suppeditabat non residendi et sic indirecte ipsa causa abrogata est. Atque ita declarasse s. Congr. Conc. refert Ferraris v. *Parochus* art. 2. n. 43.

Magisterium vero Theologiae olim ratio erat legitima non residendi, quin fructus amitterentur (cf. *Super specula, de Magistris* etc.): at nunc tale magisterium Parocho permittitur solum, si habeat parochiam in civitate eadem, in qua Theologia est tradenda, dummodo animarum cura, per ipsum exercenda, nihil detrimenti patiatur. Cf. Ferraris l. c. n. 27. et Bouix op. cit. P. 5. c. 1. §. 4. prop. 3., qui provocant ad decreta s. Cong. C.

Addit A. ultimo loco *honestam consuetudinem,* sed cum limitatione: ubi dispositio Conc. non sit recepta. Et merito; nam Conc. negat consuetudinem esse honestam. Eadem enim sess. 23. c. 1. *de Reform.* de Parochis quidem loquens, consuetudinem etiam immemorialem adversam legi residentiae vocat *corruptelam.*

297. Iuverit quasdam nunc speciales instituere quaestiones. Quaerit s. Alph. n. 126. quando et quomodo Episcopi et parochi teneantur ad restitutionem fructuum beneficiorum. Syn. Trid., ut vidimus, iisdem poenis, quibus Episcopos subiecit et parochos: porro quoad Episcopos, duplici in loco, duo decrevit. Utrumque complexus est in Const. *Ad universae* Benedictus XIV. §. 13. vetera decreta confirmans. « Poenas... confirmamus et innovamus: omissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento seu iustis et rationabilibus causis cessantibus et absque expressa Apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerint et amissionis alterius quartae partis fructuum eodem modo incurrendae, ubi huiusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur, ut in praedicto Conc. Trid. sess. 6. c. 1. *de Reform.* statutum fuit: incursus quoque in peccati mortalis reatum et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam praevia declaratione, ut eodem Conc. sess. 23. c. 1. praescribitur », ubi aliquid priori decreto additum esse censet Lessius l. 2. c. 34. n. 157.

Itaque fructus in absentia illegitima percepti semper restituendi sunt : tum, si absentia duret sex menses, quarta pars fructuum unius anni et ita porro restituenda. Quocirca, si sex menses absit Episcopus,

illegitima absentia erit trium mensium, quartae nempe partis anni et sic omnis poena erit amissio quartae partis fructuum; si septem menses absit, poena erit, amissio tum quartae partis tum fructuum ultimo mensi respondentium et ita porro; qui fructus in absentia percepti restituendi sunt.

Quid vero, si pastores animarum absint quidem sine licentia, sed tamen iusta ex causa. Supponitur locum fuisse petendae licentiae et non esse petitam. Ait s. Alph. n. 127., ratione habita Bullae Benedicti XIV., dicendum esse; teneri Episcopos saltem ad restitutionem fructuum; quia ibi sancitur, quod si Episcopus ultra menses conciliares absit *absque expressa licentia Romani Pontificis*, habeatur ut transgressor et fructus non faciat suos. Verum ibi Pontifex utrumque coniungit: « decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui praeter tres menses a Concilio toleratos, *absque legitima causa et expressa Romani Pontificis licentia*, extra proprias dioeceses commorantur etc. ». Sententia ergo, quam refert s. Doctor ex Viva *Opusc.* 3. q. 3. art. 3. n. 6., non videtur improbanda, quae ait, quod si causa absentiae sit evidenter iusta, non tenetur restituere fructus nisi post sententiam iudicis.

298. Rursus quid dicendum, si absentia fuit quidem absque legitima causa et licentia, nihilominus inculpabilis, eo quod bona fide facta fuit et cum existimatione causae excusantis a residentia. Supponendum est, interea pastorem satis gregi suo, prout Trid. Syn. et ipsum ius naturale exigit, consulisse. S. Alph. ibid. posito, quod pastores, ut ipse censet, teneantur de iure naturali ad residentiam, advertit, « quod ad eam non alia ratione tenentur, quam contractus initi inter ipsos et ecclesiam, ex quo dantur eis fructus beneficiorum sub conditione residentiae; qua non impleta, etiam sine culpa, nullo modo pastores tales fructus acquirunt ». Atqui haec ratio est difficilis.

Nam si iure naturali, ex vi nempe contractus tenentur residere, ut hac conditione non expleta etiam sine culpa, fructus suos facere nequeant, qui sub hac conditione dantur, sequitur, quod etsi ex legitima causa absint et cum licentia, fructus suos non faciant; nam semper verum erit, conditionem non impleri, quam ius naturale requirit, cui nec Papa derogare potest. Reapse ius naturale id exigit, ut pastor curam gerat sui gregis; sed quia potest id fieri, sive ipse sive eius nomine vicarius id praestet, aegre ex solo iure naturali obligationem residentiae demonstrabis. Provocandum ergo est ad ius divinum positivum (cf. dicta sup. n. 289. seq.), quod tamen exceptiones admittit, ut constat: inter eas vero cur non erit et ista, nimirum cum quis bona fine abest, putans causam haberi excusantem, dummodo suo gregi rite consulerit? Et sane obligatio restituendi fructus exhibetur ut poena

sive in Trid. Syn. sive in Constitutionibus Pontificum: poena autem non debetur citra culpam; quamvis in foro externo, ex praesumpta culpa, repeti possit. Atque ita censent alii Doctores allegati a s. Alphonso, Viva, Bonacina et Garzia, quamvis alia forte ducti ratione.

299. Qui residet quidem, sed muneri suo non satisfaciat, debet ne restituere fructus, tanquam si non resideret? Certum est residentiam requiri non per se ipsam; quid enim sola praesentia confert? sed propter opus praestandum a pastore et idcirco postulari residentiam formalem, non solam materialem. Itaque si pastor praesens tum nihil vel fere nihil facit tum neminem alium sibi substituit, qui loco sui curam gregis habeat, is, ex ipso naturali iure, nequit suos fructus facere; deficiente necessaria conditione, propter quam ei dantur. Si autem per alium gregi suo providet et ipse otiatur, peccat contra divinum ius et ecclesiasticum, quae personalem eius operam requirunt. Ita sane Trid. Syn. sess. 13. c. 1. haec duo copulat: « obligari, ait, ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam, *ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur* ». An vero tales restituere debeant fructus ante sententiam iudicis, controversia est inter doctores, ait Benedictus XIV. *Instit.* 17. n. 6. « Probabile est, ait Pichler l. 3. tit. 4. n. 5., quod taliter residens, Episcopus vel parochus et nihil muneris pastoralis exercens (per se ipsum nempe, exercens tamen per alium), quamvis peccet, non teneatur ad restitutionem fructuum nec incidat in alias poenas non residentium. Ita Garcia, post Ugolinum ». Poenae sane sunt strictae interpretationis et eae feruntur in non residentes. Dignus est utique privari fructibus imo ipso beneficio qui non operatur: sed quia iam per alium praestat curam, iuri divino et ecclesiastico fieri satis videtur, si, per sententiam iudicis, compellatur aut ad restitutionem fructuum aut ad amissionem beneficii, si nolit ipse operari. Nihilominus oppositam sententiam censet veriorem s. Alph. n. 1. c. 3. et probat Schmalzgr. h. t. n. 4. quia electa est industria personae, ideoque per alium non satisfacit officio suo.

300. Diximus pastores, Episcopum vel parochum, non residentes absque legitima causa et licentia, debere restituere fructus respondentes tempori absentiae. Quaeritur, an integri seu omnes fructus huic tempori respondentes sint restituendi. Ratio dubitandi est, quia etiam non residens potest alicui muneri satisfacere, propter quod fructus percipiuntur, puta recitare divinum officium vel alia munera, quae extra dioecesim quoque impleri possunt. Hinc s. Alph. l. c. 4. ait: « Cum Conc. Trid. oppositum non expresserit, benigne est interpretandum: velle nempe, quod, praefati pastores teneantur restituere fructus tantum residentiae respondentes; iuxta rationem naturalem, quae dictat, quod si quis duplici onere gravatur, non est privandus integra mercede, cum unum adimplet ».

Porro fructus ob omissionem residentiae restituendi, debent erogari vel fabricae Ecclesiae vel pauperibus loci. Ita Trid. Syn. sess. 23. c. 1. Cf. s. Alph. n. 128. Non ergo satisfacit talis non residens, si fructus eroget in Missas aliave suffragia pro animabus Purgatorii.

Si tamen ipse, qui obligatur restituere, pauper esset, non improbat s. Doctor quod alii docent, posse tunc sibi applicare fructus veluti pauperi; quia non debet esse in deteriore conditione ac alii pauperes: dummodo fraus absit, quae locum haberet, si non resideret eo animo, ut postea sibi propter paupertatem fructus applicaret.

301. Quod spectat ad residentiam Canonicorum eorumque omnium qui choro interesse debent, iam monuimus, poenas in absentes statutas a Conc. Trid., quibus fructibus beneficiorum privantur (aliter enim se res habet quoad distributiones quotidianas), esse non latae, sed ferendae sententiae. Quaeritur, an iis poenis subiiciantur 1° qui licet absint a choro, versantur tamen in loco beneficii: 2° qui cum choro intersunt, non canunt vel psallunt cum aliis: 3° An nunc sit aliqua poena latae sententiae. Priori quaestioni respondet Benedictus XIV. Instit. 107. n. 32. afferens responsa s. Cong. Conc., ex quibus patet: verba Trid. *Ab iisdem Ecclesiis abesse,* intelligenda esse de absentia a choro. Anno 1573. *Sacra Congr. censuit puniendos esse eos, qui absunt a servitio ecclesiae, licet in civitate locove in quibus est ecclesia, sint praesentes.* Eodem anno, cum Mutinensis Episcopus interrogasset an censendi forent absentes, *qui non absunt ab ecclesia vel civitate, sed ab Ecclesiae servitio* tot vicibus, ut trium mensium praescripta quantitas superetur: sacra Congr. respondit: *istos haberi pro absentibus.* Cf. et Schmalzgr. l. 3. tit. 4. n. 3.

« Nec sufficit residentia in civitate, sed omnino requiritur interessentia divinis officiis, adeo ut contra absentes a choro ultra tres menses procedendum sit ad praescriptum Concilii; residentia enim accipienda est cum effectu. Ideoque cum quaereretur, an verba posita in cap. 12. sess. 24. prohibeant, ne canonici aliique absint a choro, an tantum ne absint a civitate, S. Congr. censuit, prohibere, ne absint a choro. Et ad consultationem Cardinalis s. Praxedis, tum Archiep. Mediolanensis, respondit, puniendos esse, qui absunt a servitio Ecclesiae, licet in civitate locove, in quibus ipsa ecclesia consistit, sint praesentes; quia verba Concilii dicunt: *ab iisdem ecclesiis abesse*, non a loco ecclesiae et sic intelliguntur de servitio ecclesiae. Et iterum consulta, quomodo essent privandi qui ultra medietatem anni absunt a servitio ecclesiae, praetextu quod non discesserint a civitate; respondit, primo anno privandos esse dimidia parte fructuum, secundo, omnibus, tertio prout sancitum decreto Conc. c. 12. sess. 24. ». Ita Pignatelli tom. 9. cons. 114.

Alteri quaestioni respondet (ait Benedictus XIV. eadem Instit. n. 16.). Pius V. Constitut. *Ex proximo* ann. 1571. qua declaravit decretum Leonis X.

Ibi enim cum statuerit, fructus beneficii amitti a non recitantibus Officium et si aliquo die pars Officii omissa sit, amitti pro rata fructus respondentes, subdit: « tametsi aliquis choro addictus non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit fructusque et distributiones forte aliter assignatas, *sola praesentia*, iuxta statuta fundationis vel alias, *sibi lucrifecisse praetendat*, is etiam, praeter fructuum et distributionum omissionem... grave peccatum intelligat se admisisse ».

Quoad amissionem *fructuum* beneficii heic apparet nova poena praeter praescriptam a Trid. sess. 24. c. 12. Concilium enim iubet privandos fructibus beneficii *non residentes* et quidem hoc pacto, ut ultra tres menses non residentes priventur primo anno dimidia parte fructuum et ita porro (n. 97.): Pius vult amitti fructus a *non recitantibus in choro* et fructus respondentes horae non recitatae, ut ex contextu constitutionis videtur colligi.

302. Olim quidam DD. censuerunt, longaeva consuetudine induci posse, ut canonici non teneantur psallere sed satis sit, si pie et decenter choro intersint. Cf. Bouix *de Capitulis* P. 3. c. 2. §. 6. Hanc tamen opinionem reprobavit saepe s. Cong. Conc. Ita in Patavina 17. Sept. 1667. « S. Congr. declarationibus saepe alias editis inhaerendo, censuit illos non solum canonicis horis interesse, sed etiam per se ipsos psallere, quacumque etiam immemorabili contraria non suffragante consuetudine, teneri neque alias obligationi suae satisfacere ». Ergo tales nequeunt percipere distributiones. Et Benedictus XIV. in Const. *Cum super oblatus* de talibus dicit: « verendum esse, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum et distributionum fructus minime suos faciant et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur ». Deinde vero in Brevi *Dilecte Filii* ad Card. Delphinum Patriarcham Aquileiensem flagitat, ut is moneat canonicos suos, « ipsos suosque successores canonicos choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesve (hoc alterum sufficit) nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos atque adeo restitutioni obnoxios esse et fore ».

Si haec verba Benedicti cum verbis Pii conferantur, apparet, hoc esse discrimen, quod Benedictus clarius edicat amissionem fructuum ipso facto incurri, quod iam Pius significaverat inquiens, *praetendere* eos sibi lucrifecisse fructus, quod perinde est ac negare eos lucrifecisse. Breve quidem Benedicti doctrinam continet uni particulari ecclesiae insinuatam: sed quia ratio eadem pro omnibus valet, merito

s. Alphonsus heic n. 129. poll. l. 3. n. 675. dubit. 3. ait, hinc remanere decisum, quod canonici vel non interessentes vel non canentes aut psallentes in choro, nedum distributiones quotidianas amittunt, sed etiam non faciunt fructus suos ex praebendis atque ad restitutionem sunt obnoxii.

Quia vero tres menses abesse possunt, si tres menses interessentes non psallant et ceteros novem menses psallant, amittent solum distributiones pro illis mensibus. Hinc patet responsio ad 3. q. propositam.

303. Haec tamen lex, quaecumque sit, non impedit, puto, quin induci legitima possit consuetudo, ut certi diebus sollemnioribus, officium et Missa a Musicis canantur, assistentibus pie Canonicis aliisque ad chorum obligatis, quin ipsi canant: quî enim id facerent? Atque id probat usus Romanarum Basilicarum.

Ceterum ipse Benedictus Const. *Cum semper oblatas,* docet, ex privilegio concesso ab Apostolica Sede effici posse, ut canonici suae obligationi satisfaciant *per simplicem in choro praesentiam absque divinae psalmodiae cantu.*

Quaerit s. Alph. l. 3. n. 675. *dubit.* 4., an canonici in choro submissa voce recitantes satisfaciant debito et lucrentur distributiones et respondet, communiter et merito id negari; quia servitium ab eis praestandum in choro est, ut una convenientes in ecclesiam, officium psallant. Atqui qui submisse recitat. non psallit cum aliis nec proinde debitum servitium praestat.

Advertatur tandem, haud recte dici, Trid. Syn. sess. 24. c. 12. permisisse canonicis absentiam trium mensium: id simpliciter dictum haud est verum; nam limitationem apposuit, nisi scilicet constitutiones earum ecclesiarum, ad quas canonici spectant, longius servitii tempus requirant, quas constitutiones salvas Synodus esse voluit.

XVIII. Resp. 5. Qui absque iusta causa abest, peccat mortaliter; non tamen tenetur ad restitutionem fructuum, si officio satisfecerit, nisi ad eam condemnetur vel nisi id aliquo iure sit expressum.

304. Obscura est responsio, Episcopi et Parochi non residentes absque legitima causa, vi Tridentini decreti, non faciunt fructus suos: quî ergo eos valeant retinere? At A. inquiens *si officio satisfecerit,* id voluit forte dicere, quod diximus n. 300. Ceterum quî potest Episcopus et Parochus, non residens, officio suo facere satis; quando eius officium est, ut per se ipsum curam exerceat animarum? Nec secus est in Canonicis, ratione habita recentiorum declarationum iuris.

Nihilominus si non omnes canonici singulis diebus tenentur interesse, potest canonicus substituere sibi canonicum, qui non tenetur et interim percipere distributiones. Cf. in edit. Lipsiensi Conc. Trid. notas sub n. 76. seqq. ad c. 12. sess. 24. Reform.

Lessius ab A. cit. habet id quidem, quod ait A,, absentem sine causa non teneri ad restitutionem fructuum, si officio satisfecerit l. c. n. 163.: subdit tamen: « nisi id sit iure expressum, iuxta ea, quae supra diximus de Episcopis et Parochis ».

A. forte etiam advertit, fieri posse ut parochus e. gr. habitationem non habeat in sua parochia, habeat tamen in loco adeo vicino, ut ad suos parochianos facile accedere et munera parochialia personaliter praestare possit et reapse praestet. Hic versans, quoties opus est, in sua parochia, quamvis alibi domicilium habeat, nequit dici simpliciter non residere. Hunc parochum ita se gerentem non teneri ad fructuum restitutionem ostendit Bouix *de Parocho* p. 5. 1. §. 7. prop. 6. ex declarationibus s. Congr., etsi absque iusta causa domicilium habeat extra fines parochiae. Ceterum iusta exsistente causa, potest Parochus domicilium habere extra parochiae fines, dummodo locus sit vicinus, ut valeat personaliter officium suum implere. Cf. cit. Auctorem ibid. propos. 4.

Secus, si nulla iusta causa adsit, debet Parochus non solum intra fines suae parochiae habitare, sed et in domo parochiali, si exstet. Ita s. Congr. censuit, ut refert Fagnanus apud Boix l. c. prop. 2.

Quae autem de Parochis nunc dicta sunt, et ad Episcopos transferre licet.

XIX. Respond. 6. Eos, qui ex legitima causa absunt, non lucrari distributiones, iuxta Trid., nisi tamen absint ad curanda negotia Ecclesiae, ex commissione Capituli, vel omnino involuntarie, ob morbum, captivitatem, iniustam excommunicationem etc. V. Less. l. 2. c. 34. dub. 29.

305. Trid. Syn. sess. 24. c. 12. decrevit: « Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, *quavis collusione aut remissione exclusa*, his careant, iuxta Bonifacii VIII. decretum, quod s. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ». Invalida est proinde gratuita remissio facta a canonicis, qui interfuerunt. Decretum Bonifacii VIII. exstat in c. un. *de Cleric. non resid.* in 6. « Statuimus, ait, ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, canonicis ac aliis beneficiariis et clericis ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur, iuxta ecclesiae cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam seu etiam faciendam (cf. Trid. Syn. sess. 21. c. 3. *de Reform.*). Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae [ecclesiae eius, de cuius distributionibus agitur: Ferraris v. *Distrib. quotid.* art. 2, n. 7. verosimilius etiam Ecclesiae uni-

versalis: Benedictus XIV. *Syn. Dioec.* l. 4. c. 4. n. 1.] utilitas excusaret), rerum sic receptarum dominium non acquirat nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur ». Quamvis vero singuli canonici, prout privatae personae sunt, possint distributiones ab alio amissas et a seipsis iam perceptas eidem donare (Barbosa l. 3. I. C. U. c. 18), nequeunt tamen canonici simul seu Capitulum, iuxta Trid.

Articulus V.

Quibus modis beneficia amittantur.

XX. Respond. 1. Beneficia quatuor modis amittuntur. 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione iuris idque vel propter alterius Beneficii incompossibilis consecutionem, vel per professionem religiosam, vel per contractum matrimonii, vel per commissionem criminis (v. gr. haeresis, schismatis, sodomiae saepius exercitae), cui amissio Beneficii ipso facto est annexa ut v. apud Less. l. 2. c. 34. d. 34. 3. Per sententiam iudicis. 4. Per liberam resignationem, de qua mox.

306. Recenset in primis A. modos, quibus beneficia per se vacant, ut morte naturali intercedente, vel ipso iure sive, ut ipse ait, *ex dispositione iuris,* ut praescindat a quaestione, an sententia iudicis praevertere debeat, qua privatio beneficii decernatur necne; hi porro sunt sequentes modi, praeter ultimum de quo in seqq.

Quod spectat ad matrimonium, certum est, beneficium esse dimittendum vix ac matrimonium contractum est, etsi nondum secuta sit copula: constat cc. 1. 3. 5. *de Clericis coniugatis.* Excipitur coniugatus, qui, unica et virgine ducta, castitatem perpetuam voveret c. 2. ibid.

Quaeritur an ipso iure amittat coniugatus beneficium, an per sententiam iudicis privandus sit. Si textus iuris consulamus, hoc alterum videtur: nam ita loquitur ius: « ipsos ad relinquenda beneficia compellatis » c. 1. tit. cit., « ecclesiasticis beneficiis sunt privandi » c. 3. « mandamus, quatenus huiusmodi clericos ecclesiasticis beneficiis prives » c. 5.

Nihilominus plures censent ipso iure beneficia amitti, inter quos Sanchez *de Matrim.* l. 7. disp. 42. n. 4. Lessius l. 3. c. 34. n. 112. Laymann *de Beneficiis eccles.* c. 14. n. 7. eosque sequitur Schmalzgr. l. 3. tit. 3. n. 5., quam sententiam et tenuisse Rotam affirmat Ferraris v. *Beneficium* art. 6. n. 7. Ratio est; quia matrimonium est incompatibile cum beneficio et coniugatus habetur ut laicus excepto casu expresso in iure c. unic. *de Clericis coniugatis* in 6., qui nempe cum unica et virgine contraxerit atque tonsuram et vestem deferat clericalem. Item cum clericus matrimonium iniens, sciat se statum assumere incompossibilem cum beneficio (ille intelligitur, qui velit con-

summare), censetur ipso facto illud dimittere. Argumenta non sunt efficacia satis, nec constat, ipsum ius praesumere hanc voluntatem in clerico uxorem ducente dimittendi beneficium. Textus vero iuris ita explicant hi doctores, ut non de privatione iuris, sed possessionis loquantur.

Si vera est haec sententia, statim a contracto matrimonio non facit suos fructus clericus eosque, ante sententiam, restituere debet. Et quamvis ante consummationem uxor moriatur, non recuperatur beneficium; quia ius semel exstinctum non reviviscit, etsi causa cesset.

307. Quaeritur praeterea, an privatio beneficii (sive ipso iure contingat sive a iudice sit decernenda) locum habeat, cum matrimonium est invalidum. Affirmat Ferraris l. c. cum aliis: imo communem sententiam hanc dici Schmalzgr. l. c. n. 11. Ratio est, quia et in hac hypothesi (nisi fictus sit contractus) intentio clerici est assumendi statum incompatibilem cum beneficio. Ii ergo, quibus haec ratio probat, ipso iure amitti beneficium, fateri debent amitti quoque, si matrimonium sit invalidum.

Nihilominus Schmalzgr. l. c. n. 12. et Sanchez *de Matrim.* l. 7. disp. 43. n. 3. Lessius l. c. n. 113. et Laymann l. c. verius censent oppositum. Ratio est, quia iura de eo matrimonio loquuntur, quod est validum: « ad relinquenda beneficia ecclesiastica et *retinendas uxores* districtione ecclesiastica compellatis » dicitur c. 1. tit. cit.

Praeterea ratio iuris cessat, ob quam coniugatus privatur beneficio; nempe quia nequit simul operam dare voluptatibus carnis et divinis vacare ministeriis et merito timetur ne per eum substantia ecclesiastica pereat, impensa scilicet in curam filiorum; quae sunt rationes allatae in c. 5. eod. tit. Atqui his incommodis locus non fit, cum matrimonium est invalidum. Et sane, ut habet reg. 52. in 6. « Non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. » Quod si clericus nolit ductam dimittere, privabitur beneficio ex alio titulo, scilicet quia concubinarius, monitione tamen praemissa c. 6. *de Cohabitatione Clericorum.*

Quod de amittendo beneficio dicitur, valet et de amittenda pensione, quae ecclesiastica sit; est enim quid subrogatum beneficio: subrogatum autem sapit naturam principalis. Schmalzgr. l. c. n. 9.

308. Quod attinet ad professionem religiosam, habes decretalem Bonifacii VIII. *de Regularibus* in 6. c. 4. « Beneficium illius, qui religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus aut constet, quod vitam voluerit absolute mutare vel professionem expressam fecerit seu scienter habitum receperit professorum. Sed interim eidem beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione ».

XXI. Resp. 2. Resignatio est spontanea proprii beneficii dimissio, facta coram legitimo Superiore id acceptante. Estque duplex, scilicet tacita, quae fit ex iuris dispositione; ut dum quis Religionem profitetur et expressa quae rursus est duplex, scilicet pura, quae fit sine conditione et pacto apposito, coram Ordinario, qui Beneficium cuilibet alteri conferre potest, et conditionata seu in favorem: eaque vel est simplex in favorem, ut quando fit absque reservatione, vel est qualificata, quando scilicet fit, reservato sibi iure regressus, vel pensione, vel fructibus aliquibus, quae ob simoniam iuris humani nonnisi in Pontificis manibus fieri potest. Et, quamvis verius sit, etiam resignationem simplicem in Pontificis manibus faciendam, cum alioqui periculum sit, ne Beneficiorum resignationes speciem quandam hereditariae successionis acquirant, quod iura Canonica detestantur: probabile tamen est, in manus Ordinarii fieri posse, eo quod permutatio in eius manibus fieri possit. Idque a fortiori verum est, si fiat sine modo obligatorio; quamvis addita deprecatione, ut personae certae conferatur. Idque observari potest, ubi non est recepta Bulla Pii V. quamlibet personae successurae designationem prohibens, quam citat Laym. hic c. 17.

Porro, ut resignatio conditionata valida sit, requiritur 1. ut Beneficium sit resignantis, eum resignatio sit iuris sui dimissio: 2. ut fiat libere; 3. ut fiat in manibus eius, qui potest admittere, scilicet Pontificis, Ordinarii, Collatoris vel Institutoris, iuxta dicta: 4. ut acceptetur a Praelato, in cuius manibus fit; quia sine acceptatione ius suum resignans non perdit; 5. ut conferatur illi, in cuius favorem cum clausula consueta, *non aliter, nec alias,* est resignatum: 6. ut is, cui confertur, acceptet; alias enim resignans non perdit beneficium, propter clausulam, *non aliter:* 7. requiritur consensus Patroni, vel electorum, prout beneficium est patronatum, vel electivum: 8. si resignans sit infirmus, ut a resignatione supervivat 20. dies: alias enim per obitum vacare censebitur: 9. ut si resignatio fiat in curia Romana, intra 6. menses a supplicatione oblata computandos, in loco Beneficii publicetur: sin autem extra curiam, intra mensem: alioqui, si contingat resignantem mori, antequam resignatarius coepit possessionem, beneficium vacare censebitur. Less. et Laym. c. 17.

309. Resignatio seu renuntiatio Beneficii est spontanea Beneficii ecclesiastici dimissio facta coram legitimo superiore eam acceptante. Est in re communis, ait Ferraris v. *Resignatio* n. 1., qui praeterea monet, *resignationem, renuntiationem, cessionem,* in idem passim redire et alterum pro altero sumi.

Distinguitur in *tacitam* et *expressam.* Tacita vero resignatio improprie dicitur, cum, posito aliquo facto, puta haeresis, professionis religiosae etc., ipso iure vacat beneficium: sive enim velis sive nolis, beneficium amittis; resignatio autem etiam tacita ex voluntate esse debet dimittentis. Cf. Ferraris l. c. nn. 15. 16. 17. et Anacletum l. 1. tit. 9. n. 10. Resignatio tacita proprie ea est, cum iura non inducunt quidem vacationem beneficii, sed ex facto aliquo beneficiarii iura praesumunt eius voluntatem dimittendi beneficium.

Ita idem Ferraris ibid. n. 5. ex Barbosa, qui duo huius rei affert exempla, alterum ex c. 3. *de Renuntiatione,* alterum ex c. 3. *de His, quae fiunt a maiori parte Capit.* Haec resignatio tacita praesumptioni innixa differt a priori; quia praesumptio elidi potest contraria veritate.

Nec de hac oportet plura dicere. Resignatio expressa verbis vel scripto aut aequivalentibus fit coram superiore, qui significat se acceptare. Ea est, ut ait A., duplex: *simplex* seu *pura* et *conditionata.* Pura est, quae fit absque conditione aut modo: fit conditionata, quae adiunctam habet conditionem vel modum.

Conditionata quadruplex distinguitur. 1ª *Quae fit in favorem certae personae et non aliter*, ut non valeat resignatio, nisi illi personae conferatur.

2ª *Quae fit cum reservatione fructuum vel pensionis* imposita beneficio vel personae accepturae beneficium. Hae duae conditiones possunt esse simul.

3ª *Reservato regressu, ingressu, accessu,* de quibus iam dictum est sub 1. Praecep. decalogi. Vol. II. 449. seq.

4ª *Quae fit ex causa permutationis,* de qua in seq. resp.

310. Quaeritur quae beneficia resignari, quae personae resignare possint, coram quibus debeat atque pro quibus et quibus ex causis possit fieri resignatio.

Quaestioni primae respondemus, per se posse quodlibet beneficium resignari, etiam Papatum; quilibet enim iuri suo renuntiare potest, si tale ius pro ipso principaliter est introductum: atqui huiusmodi est ius Clerici in beneficium.

Excipitur vero, si lex aliqua pro speciali casu obsistat vel si renuntiatio vergat in praeiudicium aliorum. Ita prohibetur clericus dimittere beneficium, ad cuius titulum est ordinatus, nisi huius qualitatis beneficii mentio fiat et nisi aliunde habeat, unde commode sustentetur: aliter facta resignatio est nulla. Syn. Trid. sess. 21. c. 2.

Pariter beneficium litigiosum renuntiari potest quidem pure vel in favorem adversarii, non vero tertii c. *Si ii, ut lite pendente* etc. in 6.

Item beneficia patronata vel electiva pure resignari possunt, sed renuntiari nequeunt in favorem alicuius, absque consensu patroni vel eorum ad quos spectat electio; ipsorum enim interest, quis beneficium obtineat: semper autem consensus eorum, quorum interest, est requirendus. Aliter facta resignatio non est quidem ipso iure nulla, sed irritanda ad instantiam patroni vel electorum, quocirca si hi acquiescant, firma manebit. Cf. c. 28. *de Electione* et c. 3. *de His, quae fiunt a praelato.* Anacletus l. 1. tit. 9. n. 62.

Omnes pariter beneficium possunt resignare, qui eius iure pacifice potiuntur, dummodo id libere faciant. Hinc qui ob crimen sunt ipso iure privati beneficio, etsi ante sententiam declaratoriam criminis pergant possidere, nequeunt resignare; quia nullum habent ius, cui libere renuntient: nec possunt alteri possessionem transferre: quia nequit alter

legitime possidere absque institutione quae conferat ius Reg. 1ª iuris in 6.

Secus est, si clericus ob crimen sit privandus beneficio: quod ante sententiam condemnatoriam resignare potest etiam alteri; quia adhuc iure eius potitur. Anacletus l. c. n. 53.

Quid speciale est pro infirmo. Is quoque resignare potest: at si intra 20. dies ab acceptata resignatione moriatur, beneficium censetur vacare ob mortem et resignatio invalidatur. Ratio fuit, ut auferretur species hereditariae successionis: porro ad cavendas fraudes, id ampliatum est, ut valeat quoque, etsi quis sanus resignaverit, si pariter intra 20. dies moriatur. Ita constitutum est reg. 18. Cancellariae,

311. Resignatio facienda est in manu eius, qui non tantum habet ius beneficia conferendi vel instituendi praesentatos, sed et ius beneficiatos destituendi seu deponendi et idcirco iurisdictione in resignantem potitur. Ratio est, quia renuntiatio habet vim destitutionis. Schmalzg. l. c. n. 22.

Regulariter quidem ille qui conferre potest beneficium vel instituere, potest et renuntiationem admittere; quamvis id non semper procedat. Anacletus l. c. n. 4.

Porro resignationem puram acceptat tum Papa, tum Legatus a latere, tum Ordinarius, tum Capitulum seu eius vicarius sede vacante, vel qui privilegium in hac re habeat. Schmalzgr. l. c. n. 22.

At resignatio conditionalis in favorem certae personae, si fiat hoc pacto, ut *non aliter* intelligatur facta resignatio, nisi beneficium certae personae conferatur, in manibus solius Papae facienda est. Id habet stilus Curiae Romanae et communis consuetudo. Et sane, ut arguit Schmalzgr. n. 23., ex iure communi nequit conferri alicui beneficium, nisi prius vacet: atqui e contrario heic confertur antequam vacet et vacare intelligitur quatenus alteri confertur; quia resignans non dimittit, nisi sub conditione quod conferatur. Admitti ergo id non convenit nisi ab eo, qui est supra ius commune h. e. a Papa; qui utique si velit, potest et alteri facultatem hanc concedere.

Nec potest Episcopus, reiecta conditione tanquam turpi et nulla, resignationem acceptare veluti puram; nam conditiones huiusmodi non habentur (ut contingit per exceptionem a lege inductam in pluribus additis matrimonio et testamento) pro non adiectis, sed vitiant actum.

Si tamen resignatio eatenus in favorem alterius fiat, quatenus resignationi addantur tantum preces, ut beneficium dimissum certae personae conferatur; eam potest Episcopus acceptare; est enim reapse resignatio pura nec ullam subit Episcopus obligationem exaudiendi preces. Atque ita ex iure communi. Pius V. quidem Const. *Quanta*

Ecclesiae §. 4. vetuit ne resignantes ullo pacto *designarent* successores, aut Episcopi *promitterent* se eos assumpturos vel *intentionem suam* de eis assumendis manifestarent: at preces exhibitae ut quis succedat, suntne proprie designatio successoris? Haec aliquid certi praesefert, illae rem prorsus incertam relinquunt. Illud certe Episcopus cavere debet, ne quid promittat suamque intentionem exaudiendi preces patefaciat.

312. Pariter resignatio cum reservatione pensionis, in manibus solius Papae facienda est. Ita communiter. Ratio ex eo petitur, quod de iure communi, non debeant beneficia cum diminutione conferri c. un. *Ut beneficia sine dimin. confer.* Quamvis vero praelatis Papa inferioribus permittatur identidem pensiones aliquas temporales, ex gravi causa, beneficiis imponere, id tamen, saltem regulariter, nonnisi cum approbatione Papae fieri debet. Cf. Schmalzgr. et Anacletum in tit. mox cit. nn. 6.-8. 67.

Resignatio, reservato ingressu, regressu, accessu, cum ex iure ecclesiastico sit simoniaca, potest a solo Papa acceptari, qui a labe simoniae purgare ipsam valet. De resignatione *cum permutatione* dicemus paulo post.

313. Quaerit s. Alph. n. 98. an, cum resignatio fit in favorem alicuius, oporteat ut resignans quaerat digniorem, cui resignet et tres refert sententias, affirmantem, negantem, mediam, quae ait nempe, sufficere ut aeque digno resignetur. Cum resignatio non valeat, nisi a superiore acceptetur, satius forte esset quaerere, an Superiori, qui heic est Papa, acceptare liceat resignationem factam digno, praetermisso digniore; nam resignans potest eius sententiae acquiescere. Praelatus enim, non qui resignat beneficium, est bonorum communium dispensator eique cura incumbit consulendi bono communi. Porro sententia negans, quaerendum esse digniorem tum a resignante tum ab acceptante resignationem, communis dicitur a Lugo disp. 35. n. 49. et quidem si agatur de resignando beneficio simplici, vix est cur de ea dubites. Sed ea sententia de quolibet beneficio loquitur. Et sane cum in iure canonico leges exstent pro hac resignatione rite facienda, conditionis huius mentio non occurrit nec canonistae eam referunt. Ait s. Alph. in facienda resignatione non posse sine culpa negligi bonum commune, propter quod sunt instituta beneficia: id profecto non negamus; sed, cum dignus eligitur, bonum commune non adeo negligitur et aliquid tribuendum est resignanti, qui sponte cedit iure suo. Quae libertas resignanti permissa et ipsa ad bonum commune, mediate saltem, conducit, sicut conducit facultas resignandi, quae certe suavius exercetur, cum fit resignanti facultas eligendi resignatarium, dummodo eligat dignum. Quod si in certis adiunctis videatur Ecclesia detrimentum passura, integrum est semper Praelato talem resignationem non acceptare et acceptare non debet.

314. Causas admittendae resignationis esse oportet, ut actus sit rationalis et honestus et ne detrimentum capiat ministerium ecclesiasticum.

Hae causae assignantur ab Innocentio III. c. *Nisi cum, de Renuntiatione* pro resignando Episcopatum. *Conscientia criminis*, non cuiuslibet, « sed illius, propter quod officii exsecutio, etiam post peractam poenitentiam, impeditur », ut ibid. dicitur. *Debilitas corporis,* « quae vel ex infirmitate vel ex senectute procedit, nec tamen omnis, sed illa solummodo, per quam impotens redditur ad exsequendum officium pastorale » ibid. *Defectus scientiae,* attamen « etsi desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen est competens toleranda » ibid. *Malitia plebis,* « quando plebs adeo durae cervicis est, ut proficere nequeat apud ipsam... de superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos et qui debuerant humiliter obedire, iam irrevocabiliter contradicunt » ibid. *Grave scandalum,* « cum aliter sedari non potest, licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quam aeternam videatur affectare salutem » ibid. *Irregularitas personae*, « ut si forte sit bigamus vel viduae maritus... non tamen propter quamlibet irregularitatem personae, debet ei, qui regulariter ministravit, cedendi licentia indulgeri utpote si de legitimo matrimonio non sit natus; quia... si culpa latet et causa... potest non minus utiliter, quam misericorditer dispensari » ibid.

Porro subditur: « Verum si propter alias causas cessionem affectes, non est in hoc tibi postulanti favendum; cum huiusmodi postulatio videatur non esse discreta ».

Ergo nullae aliae causae pro renuntiatione Episcopatus assignandae sunt, quae ad sex istas non revocentur. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 35.

Pro inferioribus beneficiis resignandis causae analogae, etiam leviores sufficiunt. Speciatim eas enumerat Pius V. Const. *Quanta Ecclesiae*, propter quas Ordinarii acceptare possunt puras resignationes. 1° Si beneficiarius sit *senio confectus* aut *valetudinarius:* 2° Si *corpore impeditus* sit aut *vitiatus,* puta laborans lepra, morbo gallico vel alio contagioso, caecus, surdus: 3° Si *crimini obnoxius*, puta simoniae, homicidii, adulterii: 4° Si *censuris ecclesiasticis irretitus:* 5° Si *nequit* aut *non debet beneficio inservire,* ut si sit relegatus, arreptitius, irregularis. Item acceptare Episcopi possunt puram resignationem eius, qui Religionem est ingressurus vel matrimonium contracturus et eius qui ob capitales inimicitias nequit vel non audet in loco beneficii residere.

315. Acceptata resignatio est publicanda, ita ut nisi intra definitum tempus et praescripto modo publicatio fiat, resignatio sit nulla. Cf. Gonzales in reg. 19. et Const. Pii V. *Sanctissimus* et Gregorii XIII. *Humano.* Qualis autem sollemnitas requiratur, quaere apud Canonistas.

XXII. Resp. 3. Permutatio beneficiorum, quae est quaedam species conditionalis resignationis, fit, cum duo beneficiati unum vel plura sua beneficia, Pontifici non reservata, in manus Ordinarii alteriusve Episcopali auctoritate praediti resignant, cum conditione, ut postea vicissim alteri alterius beneficium conferat. Quod quandoque Episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen iis, quorum interest, scilicet Patrono et Collatore inferiore. Ad hanc autem omnia requiruntur, quae ad resignationem in favorem. V. Less. c. 31. d. 35. et 36. Laym. c. 17. Bonac. *de Simon.* d. 1. q. 4. §. 12.

316. Permutationes beneficiorum privata auctoritate factae prohibentur c. *Quaesitum, de Rerum permutatione.* « Commutationes praebendarum de iure fieri non possunt, praesertim pactione praemissa ». Et sane regula est, ut sine institutione canonica nequeant beneficia obtineri, reg. 1. iuris in 6.; atqui in tali permutatione locum non haberet canonica institutio beneficii per permutationem obtenti.

Intercedente vero ecclesiastica auctoritate, licitae fiunt hae permutationes: sed faciendae de beneficiis, quorum ius in re habeatur: cf. Navarrum 1. infra c.

Ecclesiastica auctoritas est, praeter Papam, Episcopus seu Ordinarius plenam iurisdictionem in Clerum obtinens, non praelatus, iurisdictione carens absoluta et independente ab Episcopo, etsi habeat facultatem conferendi beneficia. Haec est saltem communior et tutior doctrina, de qua cf. Schmalzgr. l. 3. tit. 19. nn. 67. 68. Ratio est; quia permutatio est quaedam destitutio pro qua plena iurisdictio postulatur.

Episcopi auctoritate licere permutationes constat ex cit. c. *Quaesitum, de Rerum permut.* et c. un. *Licet.* eod. tit. in 6. et c. un. *Ne concessione* eod. tit. *in Clementinis.*

317. A. ait conditiones esse easdem, ac quae requiruntur pro resignatione in favorem. Quod cum aliqua limitatione accipiendum.

Nam requiritur (cf. nn. 310. seq.) utique ut libere fiat: ut permutantes ius habeant in re pacificum; ut fiat cum consensu eorum, quorum interest: ut resignatio fiat in manus Ordinarii habentis facultatem acceptandi: quolibet autem mense acceptari potest cf. n. 249. Ideo si beneficia permutanda spectent ad diversas dioeceses, utrumque in manibus proprii Ordinarii resignetur: ipsi vero simul vel alter ab altero accepta facultate, auctoritatem permutationi praestabit.

Praeterea, si permutatio non fiat in manibus Papae, oportet ut beneficium permutandum non sit Papae reservatum; nam qui admittit permutationem, ea confert; imo etsi fiat in manibus Papae, facienda est mentio reservationis; secus admissio censebitur subreptitia. Schmalzgr. l. c. n. 47.

Rursus oportet, ut collatio fiat in ipsos permutantes: secus nulla est collatio: constat ex cit. Clementina.

Haec est resignatio potius modalis quam conditionalis: vere beneficium resignatur sed finis additur propter quem fit.

Ceterum resignatio in favorem nonnisi a Papa acceptatur, haec permutatio ab Episcopo potest acceptari.

Advertatur tandem, Concilium Trid. sess. 25. c. 15. *de Reform.* irritasse resignationes reciprocas factas a parentibus clericis in favorem filiorum, *ut alter alterius beneficium consequatur.*

318. Ut itaque rite haec permutatio fiat, oportet 1° ut uterque beneficium suum resignet in manus Ordinarii, ut illud possit tanquam vacans conferre; cum resignatione tamen expresse declarandus est modus nempe causa seu finis, quod id faciunt causa permutationis: 2° hoc praestito, Ordinarius arbitrari debet, an resignatio haec sit admittenda. Nam causa subesse debet c. *Quaesitum* cit. vel necessitatis vel utilitatis Ecclesiae aut saltem personarum. Anacletus l. 1. tit. 9. nn. 94. 95. 3° Si admittendam Episcopus censuerit, alteri resignanti alterius beneficium conferre debet, non alii, ut iam diximus et conferenda sunt beneficia pure, h. e. absque ulla conditione adiecta. Anacletus ibid. n. 101. 4° Permutatio facta est publicanda, sicut superius diximus n. 315. Atque haec de permutatione simpliciter dicta, cum permutatio fit inter duos resignantes. Si vero talis permutatio intendatur, ut aliis beneficia resignata conferantur; e. gr. si Titius resignet beneficium ut conferatur Sempronio qui est consanguineus Caii, ea conditione, ut Caius resignet beneficium conferendum Maevio, qui est consanguineus Titii; tunc habet locum resignatio in favorem huiusque leges sequendae erunt (nn. 310. seqq.).

Mentio fit resignationum triangularium quadrangularium etc. Incognitae sunt (ait Navarrus *Cons.* l. 5. *de Simonia* c. 22) iuri permutationes triangulares, quadrangulares, nec memini me legisse ullibi huiusmodi appellationes, nec possunt esse iuridicae, cum permutatio beneficiorum necessario debeat fieri inter duos tantum de beneficiis, quae iam sint illis quaesita.

Exemplum tamen habes ex Schmalzgr. C. 1. tit. 9. n. 27. Si Titius beneficium suum resignet ea conditione, ut conferatur Caio, iste suum, ut Sempronio, Sempronius autem suum ut Titio. Quaeritur quis possit eas admittere. « Videtur, ait idem ibid., ab Ordinario Papa inferiore admitti posse; quia quoad effectum ad duas permutationes reducuntur et idem est ac si Titius prius cum Caio et postea cum Sempronio beneficia permutasset ». Subdit: « Sed esto hoc ita sit; quia tamen huiusmodi permutationes plura pacta et conventiones continent et quidam in gratiam et favorem alterius, ideo tanquam simoniacae prohibitae sunt iure canonico: quae simonia cum solum sit iuris ecclesiastici,

in illa Pontifex dispensare potest et admittere huiusmodi renuntiationem, non vero alius Praelatus Papa inferior ».

« Excipe, si duplex eiusmodi permutatio seorsim, separatim et successive fiat, e. gr. si Titius permutet beneficium suum cum Caio et obtento beneficio Caii, permutet istud cum beneficio Maevii; tunc enim eas admittere et Ordinarius posset, ut recte Pirhing hic, ex ratione, quia tunc nullum intercedit pactum in favorem tertii, sed solum inter duos permutantes ».

319. Quaeritur, an Episcopus acceptare possit permutationem, quae fiat inter beneficium et pensionem ecclesiasticam quidem sed non erectam in titulum beneficii, puta vicariae aut commendae perpetuae. Res est controversa, quibusdam negantibus; quia in iure Episcopis permissa est solum permutatio beneficiorum, aliis affirmantibus; quia facultas acceptandi permutationes est res Episcopis favorabilis ideoque et beneficii vox large est accipienda, quae in tali amplitudine et pensiones comprehendit cf. Schmalzgr. l. c. nn. 50.-52.

Monent DD. quod etsi permutatio fieri nequeat circa auctoritatem Superioris, licet tamen iis, qui permutare velint, antea secum ipsis, de re deliberare seque etiam obligare, hypothetice quidem, si superiori videbitur, ad faciendam seu petendam permutationem. Si enim permutatio licita est, licebunt et dispositiones ad illam moraliter necessariae et obligatio ea suscepta nequit improbari; quia licitum est obligare se ad actum iure concessum. Cf. Lessium c. 35. n. 104.

XXIII. Quaeres 1. An licitae sint permutationes coram Ordinariis, in mensibus reservatis per concordata Germaniae? Resp. affirmative, quia per reservationem concordatorum non censetur Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniae deteriorem facere, quam Episcoporum extra Germaniam, coram quibus id simpliciter licet.

Non opus est declaratione.

XXIV. Quaeres 2. An licitum sit permutare beneficia, compensata fructuum aequalitate?

Resp. 1. Non licere, si beneficium copiosius, non separatis proventibus a titulo, permutetur cum tenui. Ratio est, quia excessus ille, eo ipso, quod manet annexus titulo, est debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

Resp. 2. Posse peti compensationem ob huiusmodi permutationem a Pontifice, pro incommodo temporali, quod alter subit, spoliando se proventibus sui beneficii; ideoque talis compensatio non est pretium beneficii aut proventuum annexorum, sed conditio, ut se indemnem servet, sine qua conditione nollet se spoliare.

Resp. 3. Iura proventuum posse separari a titulis et primo nudos titulos, deinde alio contractu iura proventuum, utpote temporalia, permutari, compensato excessu opulentioris idque auctoritate solius Papae. V. Less. l. c. Bon. l. c. §. 12. n. 11.

320. Praesupponendum 1° nihil prohibere, quominus beneficia inaequalia, simplex e. gr. et curatum, pingue et tenue, inter se permutentur; quia permutatio fit solum (ait Schmalzgr. l. c. n. 55.) quoad

spiritualem titulum beneficii, non attenta dignitate vel praebenda ei annexa aut reditu temporali.

Praesupponendum 2° in permutatione non posse excessum unius beneficii compensari pecunia aut alio emolumento temporali, si excessus compensandus situs sit in titulo, dignitate, officio spirituali; sic enim daretur temporale pro spirituali. Quopropter nec superioris auctoritate id honestari potest.

Restat proinde quaestio, quam proponit A.: an compensatio per pecuniam aliamve rem temporalem fieri possit, cum excessus beneficii prae alio versatur in temporali, eo quod sit pinguis altero. Respondet A. cum distinctione resp. 1. et 3.

Si reditus manent annexi titulo seu iuri spirituali, quod diximus esse beneficium, id fieri nequit; quia illa compensatio temporalis non daretur tantum pro excessu temporali, sed et pro iure spirituali, cui ille excessus est annexus et sic venderetur spirituale pro temporali. Nam, ut ait Paschalis l. c. *Si quis obiecerit* caus. 1. q. 3. « quisquis horum (ecclesiae nimirum et rerum corporalium ad eam spectantium) alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit ». Ita Schmalzgr. l. 3. tit. 19. n. 58.

Si autem pars proventuum pinguioris beneficii separetur a titulo seu iure spirituali et sic separata, tanquam res mere temporalis, detur in sustentationem ei, qui minus pingue recipit beneficium; nulla tunc intervenit simonia. Verum quia dicta separatio nequit fieri nisi auctoritate Papae, in eius solius manibus tales permutationes fiant oportet: qui, ut monent Doctores, raro quoque eas admittit, ob mali speciem, quam praeseferre possunt.

321. Advertendum est, quae diximus priore loco, in hypothesi nempe quod proventus maneant annexi beneficio, valere, si ecclesia vel beneficium habeatur in titulum. Si vero ecclesia aut beneficium possideatur *iure proprietatis*, eo quod e. gr. parochiae sunt incorporatae monasterio aut collegio, quae idcirco ab his possidentur iure proprietatis, tunc possunt tales ecclesiae vel beneficia ita invicem permutari, ut pecunia recompensetur excessus pinguioris, si praesertim duo fiant contractus et altero ecclesiae seu beneficia, altero possessiones permutentur. Quod id liceat patet ex c. *Ad quaestiones, de Rerum permut.*, ubi disserte dicitur, id fieri posse, dummodo tamen duae sint commutationes, altera qua ecclesiae, altera qua possessiones commutantur, « sic quod illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur ». Quod tamen dicitur de duplici seorsim contractu ineundo, accipitur a doctoribus non tanquam conditio essentialis iure requisita, sed consilium, ad evitandam suspicionem simoniae. Quia tandem uno contractu omnia

absolvi possunt: ut si dicatur: *Parochiam N. una cum praediis et iuribus adhaerentibus permutamus cum parochia N., ita tamen ut uberiores proventus alterius parochiae compensentur solutis* 1000. *aureis.* Sic enim iam evitatur suspicio simoniae, cum in ipso contractu exprimatur id, pro quo satisfactio petitur. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 60. coll. nn. 37. 38. Anacl. eod. tit. nn. 25. 27.

Ratio discriminis inter obtinentes beneficium in titulum et possidentes iure proprietatis, sic redditur ab Anacleto l. c. nn. 29. 30. « In permutatione duorum beneficiorum quoad proprietatem, duo intervenire possunt contractus ab invicem separati, quorum uno ipsa beneficia seu iura spiritualia, altero vero iura temporalia possessionum, agrorum, praediorum etc. permutentur: vel si unico contractu permutatio absolvitur, potest peti compensatio pro excessu possessionum *independenter a iure spirituali; eo quod permutantes habent perfectum ius et dominium in tales possessiones temporales* ».

« Secus est in altero casu; cum enim beneficiatus beneficium in titulum possidens, non habeat dominium possessionum, agrorum, praediorum beneficii, sed solummodo ius percipiendi reditus ex ipsis neque sit dominus redituum futurorum, sed eos primum acquisiturus sit sub conditione si nempe beneficium retineat atque debita officia praestet, iam non potest, ratione possessionum aut redituum percipiendorum, specialem contractum instituere vel ratione illorum, utpote quae ad ipsum non spectant aut ad quae ius non habet, aliquam compensationem temporalem exigere vel pacisci: consequenter, *si nihilominus facit, pro ipso beneficio seu iure spirituali temporale exigit* (seu, ut ait Pichler, eod. tit. n. 9. *censetur exigere*) *sicque simoniam committit* ». Ita et Gonzalez in idem c. *Ad Quaestiones.*

Quod A. addit resp. 2. clarum est ex iam dictis.

XXV. Quaeres 3. An licite permutetur beneficium hac lege, ut expensae litis vel Bullarum refundantur per recipientem? Resp. Videri permutationem simoniacam, si impensae sint causa impulsiva permutationis, sine qua actus non fuerit futurus. Idem de simili resignatione affirmarem. V. Less. l. e. Bon. l. c. n. 6.

322. Duplex est casus. Resignans (aut permutans) exigere potest, ut solvantur expensae olim factae in assecutione beneficii: idem exigere potest, ut alter solvat expensas requisitas in admissione resignationis (seu permutationis).

Utrumque simoniacum habetur, saltem ex communiori sententia. Ratio est, quia in beneficiis ecclesiasticis omnis pactio cessare debet c. *Tua nos, de Simonia* et heic reapse petitur aliquid temporale, quod de iure non inest resignationi, pro beneficio resignato aut permutato, sive censetur peti. Non negatur profecto posse eo animo illud peti,

ut quis se servet indemnem: at tunc ut licite talis conventio fiat, est Papae declaranda et eius exspectandus consensus; resignationes enim, quae purae non sunt, ipse regulariter solus admittit, qui easdem a vitio purgare potest subrepentis forte simoniae de iure ecclesiastico.

Articulus VI.

Quid et quotuplex sit pensio.

XXVI. Respond. Pensio est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. Estque triplex. 1. Temporalis, quae datur propter ministerium temporale, v. g. Cantori, Aedituo, Patrono et Defensori Ecclesiae. 2. Spiritualis, quae fundatur in titulo mere spirituali ut quae datur Concionatori, Coadiutori Episcopi, Parocho etc. 3. Media, quae fundatur in statu spirituali, non tamen officio spirituali: ut quae datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quae datur causa resignationis et litis componendae. Duae posteriores dicuntur Clericales, quia Clericis: prima Laicalis, quia Laicis tantum datur.

323. De hac re iam necessaria scitu tradita sunt in Vol. 2. nn. 476. seq.

Heic satis sit advertere, quod pensio clericalis huiusmodi esse potest, ut assignetur in titulum beneficii, si auctoritate ecclesiastica in perpetuum constituatur ex fructibus alicuius beneficii alteri Ecclesiae ministro pendenda, ut constat ex c. *Conquerente, de Clericis non resid.* et sic verum beneficium est. Cf. n. 243.

Communiter vero ea pensio intelligitur, quae ad tempus constituitur et est *ius percipiendi fructuum partem ex alieno beneficio auctoritate ecclesiastica alicui clerico constitutum.* Haec differt a beneficio; quia caret perpetuitate ea, quam essentialem diximus beneficio l. c. et se habet potius, ut quidam census temporalis pendendus a beneficiato, Cf. Laymann *de Eccl. Benef.* c. 18. n. 1. In materia tamen favorabili pensionem venire sub nomine beneficii affirmat ex Fagnano Ferraris v. *Pensio* n. 8. quod et s. Congr. Conc. auctoritate confirmat.

Adverte praeterea, quod pretium solutum ex bonis ecclesiasticis alicui propter actuale servitium, non est *pensio,* sed *stipendium:* ut pensio sit, oportet eam dari propter *officium,* ad quod quis teneatur, puta aeditui, cantoris, concionatoris etc. Filliucc. tr. 42. c. 1. n. 4.

XXVII. Porro circa pensiones Laym. c. 18. et Less. docent haec. 1. Etsi eam designare proprium sit Papae, id tamen etiam Episcopum posse in causis specialibus et necessariis: v. g. propter paupertatem et senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adaequandos fructus, in permutatione beneficiorum. 2. Debere esse moderatam, ita ut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio; talis autem plerumque censetur tertia pars fructuum. 3. Ad pensionem non requiri consensum patroni, ut quidam volunt, quia id nullo iure statutum est. Neque ullum fit ei praeiudicium per

impositionem pensionis; cum is fructus non percipiat ex beneficio, sed tantum habeat ius instituendi et praesentandi, quod ei non adimitur. 4. Pensionarius post Constitutionem Pii V. ubi ea est recepta, tenetur recitare Officium B. V. nec facit fructus suos, si omittat. 5. Pensionem exstingui morte Pensionarii, sicut ususfructus morte usufructuarii. Posset tamen Papa facere perpetuam, ex plenitudine potestatis. De venditione et redemptione pensionis V. Laym. c. 18. et Less. l. 2. c. 25. d. 22. Bon. l. c. §. 13.

324. Quod spectat ad facultatem Episcopi, quaedam certa sunt, quaedam controversa. Certum est 1° Episcopum posse imponere beneficio pensionem temporalem, quae duret saltem quandiu beneficiatus vivit, si bonum pacis et concordiae inter duos de beneficio litigantes id postulet. Patet ex c. *Nisi essent, de Praebendis.*

Quod, ait Schmalzgr. l. 3. tit. 12. n. 6., DD. communiter extendunt ad casum alterius pariter rationabilis et iustae causae, quae utilitatem tangat Ecclesiae atque id colligitur ex ipso c. *Nisi essent* citato, ubi probatur factum *pro bono pacis et utilitatis* atque ex. c. *Exstirpandae* §. 1. eod. tit. ubi vetat Innocentius III., « ne quis in fraudem de proventibus ecclesiae, quae curam habere debet proprii sacerdotis, pensionem alii, quasi pro beneficio, conferre praesumat ».

Unde infertur, quod cessante fraude, imponi possit pensio aliqua ab Episcopo: cessat autem fraus, cum iusta et rationabilis causa subest; ergo huiusmodi causa exsistente, integrum erit Episcopo pensionem constituere.

Hoc pacto intelligere licet, quod ait s. Thomas 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. « Circa collationem beneficiorum, sciendum est, quod si Episcopus, antequam beneficium conferat alicui, ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi et in pios usus expendendum, non est illicitum ».

Et sic poterit pensionem imponere, ut subveniat clerico egeno, ut renuntianti subministret alimenta, ut coaequet fructus in permutatione. Cf. Filliuccium tr. 42. *de Pensionibus* c. 3. n. 3.

Cum ex iusta causa Episcopus pensionem beneficio imponit, non requiritur consensus patroni, si beneficium sit iuris patronatus etiam laici. Quia id nullo iure cautum est et praeterea nullum hoc pacto praeiudicium patrono creatur; is enim fructus beneficii non debet percipere nec eius administrationi se immiscere. Lessius l. 2. c. 34. n. 207.

Certum est 2° Episcopum non posse imponere beneficio pensionem perpetuam, quae nempe beneficio semper inhaereat.

Haec est sane, ex unanimi DD. doctrina, praecipua quoad hoc differentia inter Papam et Episcopum, quod ille perpetuam valeat pensionem beneficio imponere, Episcopus solum temporalem.

325. Quod in controversiam venit, istud est, an possit Episcopus, iusta utique exsistente causa, pensionem beneficio imponere ad vitam pensionarii, ita ut si beneficium possidens praemoriatur pensionario, successor in beneficio teneatur pensionem solvere, quandiu pensionarius vivit. Plures negant cum Sanchez *Moral.* l. 7. c. 29. n. 99. Anacletus l. 3. tit. 12. nn. 92. 95.

Ratio negandi multiplex. Prima, quia regula est generalis, ut beneficia sine diminutione conferantur: verum id nimis probat; nam quamlibet pensionem excluderet temporalem ab Episcopo impositam, quod vidimus esse falsum. Scilicet ea lex, quae est ipse tit. 12. l. 3., intelligenda est de diminutione, quae ab Episcopo sine iusta causa fiat, aut quae fiat in suum commodum.

Altera ratio est, quia cit c. *Nisi essent*, probavit quidem Pontifex sive toleravit, ut ipse dicit, pensionem impositam ita, tamen, ut non ipse *Prioratus* sed *Prioris* dumtaxat *persona* gravaretur. Hoc videtur argumentum satis idoneum: respondet tamen Schmalzgr. l. c. n. 9. id a Pontifice statutum; quia agebatur de pensione imposita non ab Episcopo sed a iudicibus delegatis, qui etsi a Papa delegati sint, nequeunt beneficio pensionem imponere transituram ad successorem; quia id praeiudicio esset Episcopo qui, si beneficiatus ante pensionarium moreretur, non posset illud conferre nisi diminutum. Cuius responsionis vim non satis assequor; cur enim delegatus Papae non poterit id, quod potest Episcopus, imo aliquid plus: Episcopus autem, si talem pensionem imponere potest, idem praeiudicium non raro inferet suo successori. Argumentum ex hoc c. *Nisi essent,* potissimum urget Anacletus l. cit. et Ferraris l. c. n. 20.

Tertia ratio ducitur ex quodam decreto Pauli IV., quod non constat esse authenticum et ex quadam declaratione Cong. Conc. quae tamen intelligenda est de beneficiis reservatis Papae. Cf. Schmalzgr. l. c.

Quarta ratio dicitur ex c. *Prohibemus*, *de Censibus* et c. *Veniens*, *de Transactionibus;* in priore enim prohibentur Abbates, Episcopi vel alii praelati, novum censum imponere ecclesiis vel veterem augere aut partem redituum suis usibus appropriare: in alteri interdicitur, ne transactio in rebus Ecclesiae, facta absque auctoritate Apostolicae Sedis, transeat ad successores. Verum respondet idem Schmalzgr. ibid. in c. *Prohibemus*, sermonem esse de censibus perpetuis: certe aliquis census seu pensio, iusta ex causa, constitui potest. Porro c. *Veniens* loquitur non de pensione solvenda ex beneficio, sed de transactione super remissione decimarum et quidem remissione perpetua; quae, ut valida sit, profecto requirit auctoritatem Apostolicae Sedis.

Anacletus l. c. affert Mandatum Innocentii XII. expresse prohibens,

ne in posterum graventur Parochiales, etiam iuris patronatus laici, pensionibus. At, si debitum pensionis transit ad successorem beneficii, ipsae ecclesiae parochiales gravantur.

326. Nihilominus alii censent posse, saltem vi consuetudinis, Episcopos imponere beneficiis pensiones ad vitam pensionarii.

Ita Schmalzgr. cum Laymann *de Beneficiis* c. 18. n. 3. Lauren. *Forum Beneficiale*, q. 444. n. 4. aliisque quos Schmalzgr. citat ibid. n. 8. Colligitur, ait, ex c. *de Cetero, de Transact.*, ubi dicitur in fine. « Sed census absque Episcopi auctoritate, qui praeest Ecclesiae, sub hoc praetextu (compositionis nempe cum adversariis), solutus, vitam eius, qui solverit, non excedit ». Ergo, aiunt, a sensu contrario, si intercedat Episcopi auctoritas, poterit excedere vitam solventis.

Confirmatur etiam argumento ducto ex c. *Audivimus, de Collusione detegenda;* sed vis argumenti huius non satis patet. Hinc est, quod Schmalzgr. vim quoque consuetudinis in subsidium vocat; quae profecto si adest et est legitima, satis est.

327. Quaeritur, an Episcopus collaturus beneficium, possit novum honestum onus beneficiato imponere. Affirmandum videtur, quod possit, saltem una cum Capitulo, ex c. *Significatum, de Praebendis,* cuius haec est summa: *Possunt Praelatus et capitulum praebendae vacanti honestum onus imponere, ad quod praebendarius teneatur.* At monet Anacletus l. c. n. 6. ex ipso textu capitis apparere, praelatum et capitulum, a quibus onus (quotidie nempe celebrandi) praebendae vacanti impositum fuerat, confirmationem huius impositi oneris petivisse a Papa, qui proinde respondet, se confirmare hanc institutionem. Quocirca, ait, illud potius inferendum: nempe posse id fieri cum auctoritate Papae, sine ea non posse.

Neque potest Episcopus, ut iam audivimus, applicare sibi fructus beneficii vacantis: potest tamen cum capitulo suo constituere ut reditus vacantium retineantur ad tempus pro causa iusta et necessaria. Ita disserte statuitur c. un. *Ut eccles. benef. absque diminut. confer.* §. *Si vero.* Causa iusta esse potest solutio debitorum c. *Tua nobis, de Verbor. Signif.* Quoad cetera apud A. cf. vell. cit. in vol. 2. vel auctores heic citatos.

328. Nota. Iam A. *de Praecepto fidei* (cf. tr. 5. sect. 1. §. XVIII.) meminit obligationis, qua tenentur provisi de beneficio curato aut canonicatu vel dignitate in Cathedrali professionem nempe fidei faciendi intra duos menses a die adeptae possessionis Beneficii. Et curati quidem eam facere debent coram Episcopo vel, eo impedito, coram eius Vicario: canonici vero et dignitates non solum coram Episcopo vel eius Vicario, sed etiam in Capitulo. Ita Trid. Syn. sess. 24. c. 12. *de Reform.*

Poena in eos, qui intra dictos duos menses id non praestant, est ut non faciant suos fructus perceptos post elapsos ipsos duos menses, ait Ferraris v. *Beneficiatus* art. 1. n. 13. Atque ita censet Sanchez *in Decal.* l. 2. c. 5. n. 10.: poena scilicet non omnes antea perceptos fructus abripit, sed solos perceptos eo tempore, quo beneficiatus in culpa fuit, nempe post bimestre ab adepta possessione. Reapse intra ipsum bimestre obligatio urgebat: verum integrum erat ei ad postremum diem eam differre et idcirco praecedentes fructus legitime acquisivit suosque fecit. Post bimestre autem, quandiu professio differtur, fructus non acquiruntur nec possessio negligenti huiusmodi suffragatur, ut ait Trid., possessio nempe qua res mobilis, cuiusmodi sunt fructus, possit praescribi, ut explicat Sanchez l. c. n. 12. decretum Tridentinum probante Laymann *de Fide* c. 11. n. 7.

Defendit Sanchez l. c. id quod et noster A. loco super citato probat, poenam hanc ab omittentibus professionem non deberi ante sententiam iudicis. Et quidem si omissio sit inculpabilis, non deberi in conscientia, affirmat cum pluribus Laymann l. c. et merito; quia poenae locus haud est, deficiente culpa: sed in foro externo talis ignorantia non praesumitur et certe rarissimus erit casus, ubi qui praesunt, ius Ecclesiae noscant. Culpa ergo exsistente, negat Sanchez certum esse, quod ante sententiam iudicis ea poena debeatur; quia cum Trid. vult in foro conscientiae obligare ad restitutionem, non exspectata sententia iudicis, non est contentum hac forma: *non faciunt fructus suos,* sed ultra progreditur et ipsam restitutionem imponit in conscientia, etiam nulla praevertente declaratione: cf. sess. 23. c. 1. *de Reform.* atque eodem fere pacto loquitur Pius V. Const. *Ex proximo,* imo Leo X. cuius Pius verba refert et confirmat. Cum ergo res saltem dubia sit et in poenis sit benignior interpretatio facienda, probabile certe est, hanc poenam ante sententiam non deberi. Si autem sententia feratur etiam post tres annos, reus non poterit excipere obiecta possessione triennali, qua fructus praescripserit; quia Concilium hanc possessionem noluit suffragari.

Praeceptum faciendae professionis censetur obligare hos beneficiatos sub gravi; quia sub gravi poena proponitur. Et certe cum lata fuit lex, gravissima erat causa illam exigendi: quae causa vim suam modo non amisit.

Poena haec, ut patet, non se porrigit ad distributiones in choro pro canonicis etc. Cf. alia in l. c. sect. *de Fidei Praecepto.*

Dub. II.

* *De Horis Canonicis.* *

Articulus I.

Qui obligentur ad Horas.

XXVIII. Resp. 1. Clerici maiorum Ordinum etiam suspensi, excommunicati, degradati, tenentur tum iure Ecclesiastico, tum generali consuetudine Ecclesiae.

Dixi, *maiorum ordinum;* quia minorum non tantum non ad Horas, sed neque ad psalmum *Miserere* tenentur, quem, vel simile quid cum Episcopus primam tonsuram conferens iniungit, non videtur obligare nisi ut vel tantum fiat aliquoties, vel per modum consilii. Less. l. 2. c. 37. d. 9.

329. De origine et primitiva institutione *horarum canonicarum* seu *divini officii* cf. accuratos historicos et cultores antiquitatum ecclesiasticarum (Batiffol *Histoire du Breviaire romain,* Baeumer *Geschichte des Breviers).* Vetus certe consuetudo fuit, ut Episcopus et clerus precationes funderent mane, hora tertia, sexta, nona et vespere atque ad Galli cantum. Cf. Const. Apost. l. 8. c. 34. Inter eas vero precationes psalmos fuisse dubitare non licet. Sed his omissis, nos disciplinam a pluribus seculis iam vigentem consideramus.

Triplex est genus hominum, qui ad horas canonicas persolvendas sunt obligati: sive melius, triplex est ratio, unde obligatio oritur, *ordo sacer*, *professio religiosa* in religione choro addicta, *beneficium ecclesiasticum.*

Quod spectat ad Clericos in sacris constitutos, certum est, non solum presbyteros, sed et diaconos atque subdiaconos, etsi non sint beneficiati, obligari ad horas canonicas, obligatione personali, ideoque vel in choro vel privatim recitandas. Porro Lessius l. 2. c. 37. nn. 44. 45. refert primum eos canones, ad quos provocari solet, ut demonstretur talis obligatio horum omnium ad horas canonicas. Primus est c. *Presbyter de Celebratione Missar.* desumptus ex c. 2. dist. 91.: alter est c. *Si quis presbyter*, dist. 92.; tertius c. *Dolentes de Celebr. Missar.* ex Conc. Later. sub Innocentio III. celebrato. Verum primus canon loquitur solum de presbyteris et quidem parochis seu rectoribus ecclesiae: secundus loquitur de omnibus clericis ecclesiae ministerio deputatis atque de psalmodia publica in ecclesia: tertius pariter iubet praelatos ac minores clericos divinum officium nocturnum pariter et diurnum devote celebrare; sed non definit, quinam sint minores clerici et videtur loqui de publico officio.

Itaque causa obligationis dictae ponenda est in antiqua et universali Ecclesiae consuetudine: qua non solum presbyteri, sed etiam diaconi et subdiaconi ad horas canonicas vel publice vel privatim persolvendas censentur obligati: quam consuetudinem iam a non paucis seculis omnes agnoscunt: cf. Suarez *de Horis canonicis* c. 16. n. 9. Hanc legem saltem ex consuetudine obligantem testatur sec. XV. Syn. Basileensis sess. 21. tit. *Qualiter horae recitandae sint*, inquiens: *quoscumque alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet haec S. Synodus* etc.

Quocirca, ait Lessius: « etsi nullus canon scriptus exstet quo hi obligentur, tamen haec consuetudo, cum vim legis habeat, sufficit. Et merito hi obligantur; quia per ordinem sacrum recipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum et laudes divinas celebrandas est institutus: unde ratione status obligantur prae ceteris in genere (ad orandum scilicet). Ne autem in incertum ferrentur, determinatae sunt illae laudes et preces in horis canonicis et ita, accedente consuetudine, invecta est obligatio ». Cf. et Laymann *de Orat. et Horis canon.* c. 4. n. 4.

330. Ab hac obligatione non eximuntur suspensi, excommunicati, degradati, ne ex propria iniquitate commodum ferant, ait Laymann l. c. (cf. c. *Intelleximus, de Iudiciis*) et est sententia communis. Sane haec obligatio non repugnat cum his poenis vel excommunicationis aut degradationis; nam nomine suo saltem possunt orare: s. Alph. n. 140. « Idem, ait Lessius ibid., dicunt aliqui de damnatis ad triremes: sed puto, subdit, usum esse in contrarium; tum quia satis habent afflictionis, dum vi in illo supplicio detinentur... tum quia id cederet in dedecus ordinis ecclesiastici, si in illa hominum colluvie ostenderent suum statum ». Potius quam cessatio obligationis, haec videtur quaedam suspensio, dum ei non potest satisfieri. Idem censet Ferraris v. *Officium divinum* art. 1. n. 23. Cf. s. Alph. n. 142. 3. Sermo est de poena inflicta ab auctoritate ecclesiastica, sed nunc est antiquata.

Eximuntur tamen ab hac obligatione clerici, qui coacti, ob metum nempe gravem, ordines sacros susceperint: etsi enim valeat ordinatio, obligationem tamen officii Ecclesia non imponit nisi conditionate. Nempe si deinceps libere utantur ordine suscepto, tunc obligantur ad omnia illi ordini annexa; quia sic ratam habent ordinationem: secus, non. Cf. Schmalzgr. l. 3. tit. 41. n. 54. s. Alph. n. 144. *Quaeritur.*

331. A. dicit clericos in minoribus constitutos neque ad Psalmum *Miserere* recitandum obligari. In Pontificali Romano haec tantum iubetur Episcopus dicere promotis ad primam tonsuram vel ad quatuor minores ordines: « Singuli dicite semel septem Psalmos poenitentiales, cum litaniis, versiculis et orationibus ». In quibusdam tamen dioece-

sibus consuetudo olim (orta ante praescriptum Pontificale Romanum an. 1595. a Clemente VIII.) vigebat, ut Episcopus iniungeret recitandum ordinatis in minoribus Psalmum *Miserere* idque quotidie, cf. Laymann l. c. n. 5.: imo Lessius l. c. n. 47. dicit videri hanc consuetudinem generalem, cuius proinde et A. mentionem facit. Verum ei implicite derogavit Pontif. Rom. iniungens tantum, ut *semel* haec dicantur: neque haec iniunctio Pontif. romani censenda est gravis, cuius omissionem probabilius venialem culpam non excedere censet Gury Vol. 2. §. 715.

Unde resolvuntur hi Casus.

XXIX. 1. Tenetur ad Horas, qui cum dispensatione Papae duxit uxorem, nisi in hoc ipso sit dispensatus; quia dispensatio, utpote odiosa, stricte est explicanda et characterem retinet. Bon. et Azor l. c. c. 5. contra alios.

Clara res videtur: sed cf. sub. n. 337. quod damus ex Sanchez.

XXX. 2. Clericus incipit obligari a puncto Subdiaconatus suscepti et quidem ad Horas respondentes horae, qua ordinatur. Bonac. tr. *de Horis*, q. 1. punct. 5. ex communi.

332. Refert s. Alph. n. 140. duas sententias: alteram Croix, dicentem, ordinatum subdiaconum, die quo ordinatur, teneri ad horam, quae tunc dicenda esset in choro. Quocirca, si ordinatur hora undecima, cum hoc tempore iam parvae horae in choro dictae sint, tenebitur tantum ad vesperas. Veriorem alteram sententiam habet s. Doctor, quam tenuit Concina, nimirum ordinatum teneri ad horam officii, quae respondet horae diei, in qua obligationem contrahit: quapropter regulariter tenetur recitare ab hora sexta. Hanc sententiam A. vocat communem.

XXXI. Resp. 2. Omnes religiosi professi, ad chorum destinati, utriusque sexus, obligantur ad Horas idque ex antiqua et recepta consuetudine; quam tamen quidam, ut Arragonius, putant non obligare tam stricte, ut peccent mortaliter, si bis terve omittant et de Monialibus dubitat Caiet. Med. Arm. Dian. tr. 12. r. 17. imo eas (atque adeo omnes Religiosos sacris non initiatos) non teneri sub onere peccati, absolute, sed nimis laxe, docet Petrus March. apud Dian. p. 9. t. 6. res. 7. contra aliorum communem et veram sententiam, quae docet, teneri secundum suas regulas et consuetudines. Bonac. q. 2. p. 2. n. 5. ex Azor Less. Malder.

333. Non omnes religiosi seu regulares professi dicuntur obligati ad Officium; sed religiosi professi eorum ordinum, qui ex instituto suo sunt ad Chorum destinati: possunt enim esse vere religiosi Ordines absque obligatione chori, quae non est necessario connexa cum statu religioso. Porro sub horum religiosorum nomine et moniales intelliguntur ad Ordinem spectantes, qui habet chorum. Obligatio chori

habendi, quae apud veteres Ordines (exceptis militaribus et hospitalariis) viget, initium duxit ab eorum regula vel instituto, deinceps vero ita universali consuetudine firmata est, ut aegre quidam persuaderentur, haberi posse Ordinem vere religiosum, qui sit immunis ab obligatione chori. Sed litem diremit s. Sedes occasione Instituti regularis Societatis Iesu.

Porro in hac re duplex est distinguenda obligatio: obligatio communis in monasterio, ut chorus habeatur: obligatio singulorum ut intersint choro et officium recitent. Prior certa est tum ex consuetudine tum ex Clementina *Gravi, de Celebr. Missar.*, ubi praecipitur, « ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis, horis debitis, devote psallatur ».

Quod spectat ad alteram obligationem afficiente singulos, primo certum, ait s. Alph. n. 143., « quod nullus religiosus aut monialis tenetur sub gravi horas dicere in choro, ut communiter docent etc. ». Cf. Suarez *de Relig.* vol. 2. l. 4. c. 10. n. 15. Et sane praeceptum obligans communitatem ad chorum, servari potest, quin singillatim omnes sub gravi obligentur, neque ulla est lex aut consuetudo, ex qua talis obligatio probetur.

Itaque restat illa quaestio, quam s. Alph. *magnam* vocat: an religiosi non constituti in sacris et moniales teneantur *sub gravi* recitare *quotidie* officium, saltem private. Non pauci fuerunt, qui negarent, quos et s. Doctor recenset, inter quos Caietanus, qui Summ. v. *Horae Canon.* ait se de consuetudine obligante nihil scire. Et Schmalzgr. l. c. n. 77. refert, quod « Lessius, litteris ex Hispania a quodam reverendissimo domino interpellatus, respondit, fuisse sibi semper visam etiam in praxi probabilem sententiam, quod neque choristae neque Moniales obligentur, ex ulla etiam consuetudine, ad Breviarium probatque id multis rationibus et vult hoc suo responso uti confessarios ». At lib. 2. c. 37. n. 49. in contrariam it sententiam, saltem eam esse dicit communem sententiam DD. et solum disputat de origine huius obligationis. Ratio negandi est; quia hi religiosi ad hanc recitationem non tenentur communi Ecclesiae scripta lege, quae nulla exstat: consuetudo vero, quae producitur, a cuiusque Instituti regula pendet. Atqui consuetudo a regula pendens non magis obligat quam ipsa regula, quae in pluribus Ordinibus nec sub levi culpa obligat et quamvis in quibusdam obliget sub gravi ad quaedam, non constat, an inter haec sit quotidiana recitatio officii, quod praeterea nimis durum et animabus periculosum foret.

334. Nihilominus communis seu, ut rectius loquamur, communior doctrina est, obligationem esse sub gravi pro singulis quoque diebus.

Cf. Suarez l. c. c. 17. n. 6. Schmalzgr. l. c. n. 79. s. Alph. l. c. Obligationem vero hanc aiunt fundari in consuetudine praescripta: quod est quidem sufficiens fundamentum. Quia de consuetudine fere omnes testantur et materia gravis est et ex modo cousuetudinis constat, esse acceptatam ut necessariam ad implendum debitum in illo statu. Ita Suarez.

Quamvis ergo initium consuetudinis sit a regula vel fundatoribus repetendum, ea tamen sensim sine sensu deinceps ita in Ordinibus choro addictis acceptata est atque ab Apostolica Sede probata, ut in iisdem Ordinibus quilibet professus personaliter teneatur ad quotidianam recitationem breviarii.

Huius consuetudinis vis maxime apparet in Monialibus, quae nullo alio titulo tenentur horas canonicas recitare et se sub gravi ad eas obligatas censent. Scilicet quemadmodum consuetudine inducta est obligatio Clericis in sacris, ita eadem consuetudine inducta est quoque religiosis professis, viris et feminis et effectum est, ut in posterum quoque non quidem quaelibet Religio hac obligatione teneatur, sed quaelibet Religio choro addicta eam subeat, ut nempe singuli eius professi quotidie pensum divini Officii debeant persolvere saltem private. Legislator proinde, cuius legalis consensus requiritur ad vim conferendam consuetudini, est hac in re Apostolica Sedes, quae omnes Religiones regit et sane talis est consuetudo, ut non censeatur esse in potestate suprema singulorum huiusmodi ordinum hanc obligationem abolere.

335. Quaedam addit s. Alph. n. 143. circa obligationem chori. Scilicet monet 1° paucitatem religiosorum excusare communitatem a choro, ideoque nisi saltem sint quatuor religiosi (et quidem, puto, professi; nam novitii non tenentur) expediti, non est obligatio chori. *Expeditos* inquit; nam si infirmi sint vel legitime occupati, etsi plusquam quatuor sint, non obligantur ad chorum.

Monet 2° peccare graviter superiores (ideoque et Episcopos respectu canonicorum), qui ex negligentia permittunt, omitti partem notabilem officii in choro aitque contrariam sententiam sibi non videri probabilem; nam si non dubitatur de praecepto dicendi Horas in choro, nec dubitandum est, violari praeceptum, si ibidem pars notabilis officii omittatur. Quae autem sit pars notabilis officii, infra dicetur. Nunc tamen forte fieri posset quaestio, an quae est pars notabilis respectu officii per se sumpti, sit pariter notabilis respectu sollemnis recitationis in choro, ut e. gr. omissio unius parvae horae, quae habetur materia gravis, sit omissio notabilis in choro. Res non videtur certa, si praesertim non ex consueto fiat; non enim magna in hac omissione in choro

apparet turpitudo, quoad cultum externum, qui ab Ecclesia intenditur per chorum.

Monet 3° quod qui in choro, dum alii cantant aut psallunt, ipsi transferunt libros, pulsant organa aut campanas aut alia peragunt choro necessaria, non tenentur supplere quod ipsi non dixerunt aut ab aliis dictum non perceperunt. Quia dum aliquis occupatur in re ad officii celebritatem pertinente, totus chorus pro eo supplet: scilicet ita Ecclesiae praeceptum interpretari licet, ut ipsa probet obligationi a se impositae recitationis officii satisfieri ab iis, qui in huiusmodi rebus occupantur, dum chorus, cuius ipsi pars sunt, psallit.

Quid ergo dicendum de eo, qui alternatim choro canenti respondet pulsando organa, quin ipse versiculum suae partis recitet?

Idem ac in praecedenti docent Sotus, Navarrus, Arragonius et Rodriquez citati a Laymann *de Orat. et Horis Canon.* c. 5. n. 7. qui, cum nullo modo, improbet, consentire videtur. Id tamen non placet s. Alphonso; quia sic totum officium non recitatur; nam organum verba non profert. Sed puto illos supponere, quod est in more, quod nempe versiculus a choro, dum pulsatur organum, recitetur sine cantu et sic fieret satis conditioni, quam requirit s. Doctor. Pulsator organi totum quidem officium solummodo audit; sed quia organum pulsans pars fit psallentium iisque associatur, censetur et ipse cum illis officium persolvere.

Addit Laymann l. c., si clericus tarde ad chorum veniat, hora iam inchoata, posse cum aliis cantando pergere et postea, quae omissa sunt, supplere. Imo probabile esse, nihil supplendum, si non multum in choro processum sit; quia sicut in Missae auditione ita et in officio canonico omissio modica aestimari non solet: praesertim cum propter societatis vinculum alii cantantes unius defectum supplere censeantur.

Unde resolves.

XXXII. 1. Non tenentur ad Horas 1. Novitii, 2. Conversi, 3. Religiosi Soc. IESU, Militantes, Hospitalarii et ceteri choro non destinati. Trull. 1. c. c. 7. d. 12. §. 5.

336. Ratio clara est quoad Novitios; quia hi nondum tenentur legibus Religionis: quoad Conversos seu Fratres laicos (idem dic de Conversis Monialibus); quia lex, quam consuetudo genuit, attingit eos tantum professos, qui ad chorum deputantur, non rudes, qui legere nesciunt et in servitiis corporalibus occupantur; quoad Religiosos Societatis Iesu aliosque memoratos; quia, ut diximus, lex haec non omnes professos respicit, sed professos eorum ordinum, qui habent obligationem chori.

Heic adverte, professos vota simplicia post Novitiatum in iis ordinibus, in quibus vota sollemnia fiunt et qui chorum habent, non teneri ad privatam recitationem divini officii: debere tamen choro interesse, ut sollemniter professi. Ita responsum a s. Congr. super statu Regul. 6. Aug. 1858. ex mandato Pii IX. Scilicet obligatio recitandi officii eos per se non attingit: quia lex ex consuetudine hactenus vigens, respicit tantum professos proprie dictos h. e. sollemniter professos. Obligatio autem chori, quae communitates religiosas horum ordinum afficit, ad eos quoque spectat, sed ea per se nequit esse gravis; nam, ut audivimus a s. Alph. (n. 155.), neque professi singuli tenentur sub gravi horas dicere in choro, secundum communem sententiam.

XXXIII. 2. Is, qui ex una Religione transit in aliam, in qua non est haec consuetudo, non tenetur; quia consuetudo non obligat, ubi non est recepta. Ita Suar. et Laym. Idem dic de Religioso eiecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuo vivendi extra Monasterium; quia, etsi maneat Religiosus, non tamen regularis. Ita probabiliter Sotus, Sanch. Bon. d. 1. q. 2. p. 2. n. 4. etc. contra Suar.

337. Quod primo loco dicitur, clarum est. Idem dic, si aliquis professus, nondum in sacris, e statu, qui dicitur clericorum, ad statum laicorum, auctoritate superiorum, transiret. Laymann l. c. c. 4. n. 3.

Tum A. idem, probabiliter saltem, censet dicendum de eiecto et dispensato ad perpetuo vivendum extra monasterium.

Hoc autem postremum est difficile. Sanchez *de Matrim.* l. 8. disp. 8. n. 11. id affirmat de eo religioso, qui a Papa obtinuit dispensationem nubendi ideoque transeundi ad statum secularem. Atque de obtinente talem dispensationem dicit, quod essentia status religiosi in eo sit extincta, quae in tribus votis consistit: non id affirmat de eiecto, in quo e contrario votorum obligationem manere et verum religiosum sui ordinis adhuc esse docet cum communi *in Decal.* l. 6. c. 9. nn. 27. 30. Quod quidem notamus; quia ex citatione s. Alph. 142. 1. videri posset alia sententia Sanchez. Porro idem quod Sanchez dicit, probat Laymann l. c. n. 3. de dispensato nempe a Papa, ut ad seculum reversus, mutato habitu regulari, uxorem ducat.

At si hypothesis fiat de regulari, qui licentiam tantum obtineat vivendi perpetuo extra monasterium, obtineat nempe perpetuam, ut dicitur, secularizationem, non video, cur dicendus sit hoc ipso liber ab onere divini officii; nam hic manet verus religiosus et recitatio officii, cuius obligatio adhaeret statui religioso, est actus personalis, qui, ut rite ponatur, non requirit vitam communem. Atque hoc pacto arguit Suarez *de Relig.* l. 4. c. 17. n. 8. et hanc sententiam dicit securiorem et probabiliorem: referens simul aliorum opinionem, qui censent, dispensatum perpetuo ad vitam in seculo ducendam, liberari ab onere officii: quia

liberatur ab obligatione chori, ex qua sequitur obligatio recitandi officii. Quae ratio haud multum valet. Nam haec obligatio oritur in singulis immediate non ex obligatione singulorum ad chorum (cf. n. 333. seq.), sed ex professione et statu religioso suscepto in ordine, qui est addictus choro; atqui et in religioso extra claustra vivente manet professio et status religiosus illaque professio illeque status, qui est ordinis addicti ad chorum: ergo. Hanc tamen opinionem liberantem talem religiosum ab obligatione officii (si vi solius professionis teneatur), non improbabilem dicit Laymann l. c. n. 2. ex Azor.

338. Cur eiectus per sententiam eamque iustam evadat liber ab onere officii, aegrius intelligimus. Nam cur non in eo valet, quod valet in sacerdote excommunicato et degradato? teneri nempe ad officium, ne ex sua malitia commodum referat. Ex alia parte in eiecto manet professio et status religiosus neque sententia lata efficit, ut nequeat redire et recipi (cf. dicta C. praeced. d. VI.); cur ergo non tenebitur ad ea, quae ad eum statum consequuntur et quibus eiectus quoque in seculo manens defungi potest?

Neque Laymann sententiam liberantem hos eiectos ab obligatione officii vocat tutam, ut ait s. Alph. l. c. (a): sed e contrario dicit, idem videri dicendum de eiecto per sententiam, quod de fugitivo dicitur, quem adstringi obligatione recitandi officii absolute affirmat idemque putat valere in damnato ad triremes.

XXXIV. Resp. 3. Beneficiati, quotquot habent ius in re et plenum dominium beneficii, si fructus percipiant vel percepturi sint, tenentur ad Horas. Less. et Laym. l. 4. tr. 2. c. 4. ex communi et Concil. Later. sub Leone X. Ratio est, quia beneficium datur propter officium.

339. Quatuor conditiones A. requirit, ut ratione beneficii beneficiatus teneatur recitare officium. Itaque 1° supponitur esse verum beneficium: 2° requiritur. ut quoad hoc habeatur non tantum ius ad rem, sed in re ideoque dominium: 3° plenum dominium, ait A., h. e. dominium cum possessione; 4° ut fructus beneficiatus percipiat vel sit certe percepturus (quae postrema pars in resoll. declarabitur et circumscribetur). Has conditiones requiri facile patet.

Nam prima conditio, debere esse scilicet verum beneficium, in eo continetur, quod lex obligationem officii imponens, de beneficiatis seu habentibus beneficium loquatur. Idcirco dummodo sit verum benefi-

---

(a) Puto hanc paragraphum s. Doctoris n. 142. *dubitatur* 1. vitio typographi pessumdatam fuisse. Nam quae ibi dicit, sive argumentum spectes sive auctoritates allatas, pertinent ad eos, qui dispensationem obtinent a Papa extra monasterium vivendi et ducendi uxorem, non ad eiectos per sententiam, quos solos tamen exhibet paragraphus prouti nunc iacet (editio Prati 1899, ex edit. Taurinensi 1825.).

cium, quocumque vocetur nomine, obligationem officii inducit, ita praestimonia perpetua, pensiones perpetuae et commendae perpetuae. Cf. nn. 245. seq. Conditiones aliae facile demonstrantur. Nam qui ius in re nondum habet, nondum habet beneficium: item perceptio fructuum requiritur; quia ratio oneris officii ex eo est, quod sustentatio clerico datur; atqui si nulli sunt fructus, haec quoque ratio nulla est. Et sane beneficium est ius percipiendi fructus; quod ius inutile est, si nulli sint fructus; at pro iure inutili nullum onus imponendum est. Quod possessio requiratur (etsi aliquis aliter senserit, putans sufficere ius in re), est verior et crebrior et in praxi recepta sententia. Lessius disp. 34. n. 167. Nam ante possessionem fructus adhuc sunt incerti et multis modis eorum acquisitio impediri potest: porro pro beneficio incerto non est imponenda obligatio certa.

Haec in resoll. declarabuntur magis; nunc afferenda est Const. Leonis X. et eius declaratio facta a Pio V.

340. Leo X. in Conc. Lateranensi Const. *Supernae dispositionis* §. 38. « Statuimus et ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis Officii et temporis, sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricam beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, beneficio ipso privetur; cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. Deo tamen, ultra praemissa, de dicta omissione redditurus rationem. Quae poena in habentibus plura beneficia reiterabilis toties sit quoties contrafacere convincantur ».

S. Pius V. Const. *Ex proximo*, iterum hoc decretum inculcans explicavit vim illius formulae *pro rata*, nimirum: « ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum, tantum, dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat ».

Addimus propositiones proscriptas ab Apostolica Sede. Propos. 20. damnata ab Alexandro VII. 24. Septembris 1665. « Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena ». Propos. 5. ab eodem Alexandro damnata 18. martii 1866. « Restitutio fructuum

ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit ».

341. Advertimus cum Laymann *de Ecclesiasticis Beneficiis* c. 5. n. 1. tum Leonem X. tum ceteros Pontifices obligationem, quae beneficiariis inhaeret, recitandi divinum officium (quae ex iure ecclesiastico certa est) supponere et directe de poena tantum agere. Utrum vero posita collatione beneficii cum hac obligatione, ex iure naturae sit, ut nequeat beneficiatus fructus acquirere, si obligationi non faciat satis, quaeremus paulo post, ante resolutiones; at certe ius est Ecclesiae poenam statuendi pro intermissa obligatione. Haec multiplex pro intermisso officio potuisset constitui, puta, quod in sequentibus diebus persolveretur omissum, praeter consuetum onus, vel quod certae eleemosynae fierent, permisso, ut antea factae, absente fraude, computarentur in solutionem poenae: at iure positivo poena illa, quam audivimus, constituta est. Ex eodem iure positivo est, quod fructus primo semestri, absque recitatione officii, percepti condonentur. Quae condonatio non in foro tantum externo valet, sed et in conscientia probabile est quod valeat, etiam pro iis, quibus nullum aliud incumbit officium, quam precum horariarum; quia potuit Ecclesia illis eos reditus applicare ratione tituli et officii praestandi in futurum, ut ex Vasquez Laymann ibid.

Fructus ergo percepti a negligente hoc pensum post primum semestre restituendi sunt, ante sententiam declaratoriam, non quomodocumque, sed vel fabricae beneficiorum vel pauperibus, pro rata omissionis, secundum formam praescriptam a Pio V. Ex qua patet, quod vel uno die omittens vel unam horam, ad restitutionem tenetur.

Quemadmodum autem audivimus a. s. Alph. n. 105., quod obligatus propter omissam residentiam restituere, potest sibi, si pauper sit, applicare fructus restituendos, idem DD. docent in hoc altero casu si negligens recitationis officii, sit pauper: dummodo, ut ibid. iam notaverat s. Alph., absit fraus.

342. Quaestionem proponit Laymann, an beneficiatus, qui curam habet animarum aliaque officia, praeter recitationem breviarii, eaque potiora praestat, puta parochus qui sacramenta administrat, concionatur, catechesim habet, infirmis assistit, an is, inquam, si preces horarias non recitat, omnes fructus restituere debeat, etsi ceteris muneribus fungatur.

Multos DD. ait id existimare, spectatis verbis Leonis superius allatis: at, subdit, si haec fuit mens Concilii, valde poenalis est ista Constitutio et hoc pacto non ubique recepta. Sane pluros negant, talem fuisse Concilii mentem; quod et optima ratione probant. Ratio enim, cur

nolit Pontifex beneficiatos negligentes facere fructus suos, ea est, quia beneficium datur propter officium: atqui sunt alia officia, praeter recitationem breviarii eaque graviora et utiliora propter quae dantur beneficia, curata scilicet: ergo qui officia ea praestat, ius habet ad fructus beneficii ipsis correspondentes. Igitur satis erit, si restituat, qui omisit breviarium, fructus qui censeantur respondere oneri illius.

Atque ita sane audivimus s. Alph. quaestionem eandem solvere, quae fit propter omissam residentiam, n. 297. et in hac quaestione idem probabile censet l. 3. n. 673. quem cf. Quocirca si beneficium nonnisi eos fructus ferat, qui necessarii sunt honestae sustentationi parochi, qui alioqui ceteris muneribus erga oves suas rite defungitur, credibile haud est, voluisse Concilium hoc in casu obligationem imponere parocho negligenti pensum horarum, privandi se fructibus beneficii. Sane praesumendum non est, legem aliquam poenalem privare, ante iudicis sententiam et ipso facto, aliquem iure iam quaesito: atqui beneficiatus hic, propter officia praestita, iam acquisivit ius ad fructus beneficii. Contrariam sententiam acriter tuetur Suarez l. 4. c. 30. quem cf. sis.

Dices: cum modo beneficia etiam habentium curam animarum sint generatim adeo tenuia, ut vix sustentationi beneficiati sufficiant, fere nunquam erit locus huic poenae. Resp. id esse per accidens et manere semper poenam aeternam omittentibus culpabiliter officium.

343. Nam quaerit s. Alph. l. 4. n. 145. 2., an beneficiarius (qui ex solo titulo beneficii ad breviarium tenetur) omittens officium peccet graviter, si alias habeat animum restituendi fructus beneficii. Respondet autem ex Lugo, affirmative. Quia nemple duplex est praeceptum, alterum absolutum et antiquum, quo beneficiato imponitur obligatio recitandi horas canonicas et propter hunc actum divini cultus, qui per se exigitur, datur et accipitur beneficium. Aliud est praeceptum novum et conditionatum; ut nempe privetur fructibus, qui negligit horas.

Iam vero beneficiarius tenetur priori obligationi satisfacere, quae gravis est; non facit autem ei satis, etsi fructus restituat: ergo peccat graviter omissione officii, quamvis restituat fructus.

Quapropter primo quidem semestri non tenetur restituere fructus, sed nihilominus peccat, ut dixit Leo X. l. c. et post eum rursus Pius V. Const. cit.

344. Quaestio est, an solo iure canonico, an etiam naturali sit haec obligatio restituendi fructus. Distingue primum, cum Lessio c. 34. n. 179., beneficium simplex a curato. Si est curatum, ipsum non est institutum saltem principaliter ad recitationem officii, sed ad alia

munera, quae qui praestet, iam iure naturae ius habet ad fructus: eos ergo iure naturae restituere non tenetur, si breviarium omittat.

Si beneficium est simplex, ut nullum aliud obsequium exigat, quam recitationem officii (dicimus nullum aliud: nam si aliud postularet, puta celebrationem missae vel aliquod servitium, idem dicendum foret ac prius): videretur ius naturae obligare ad restitutionem; quia conditione non impleta nequis tenere quod sub ea accepisti. Nihilominus Lessius rursus distinguit: nimirum, si beneficiatus hic officium omittit, ratio est ex ipso iure naturae, ut lege positiva privetur fructibus idque ratio allata satis demonstrat. Non tamen idem iure naturae sponte restituere tenetur. Quod argumento extrinseco probatur.

Extrinsecum argumentum ex eo ducitur, quod ante Conc. Later. sub Leone X., nullo canone id praecipiebatur negligentibus, quod tamen praeceptum omissum non fuisset, si constitisset ius naturae id exigere.

Argumentum intrinsecum est situm in penitiore declaratione rationis contrariae, quae afferri solet. Scilicet fructus beneficii non dantur clerico propter officium tanquam huius merces, sicut mercenario datur merces pro opera diurna: sed dantur immediate pro sustentatione ministri Ecclesiae *cum onere recitandi officii:* porro qui onus non implet seu obligationi non facit satis, potest utique et debet puniri, sed ius naturae non exigit, ut ipse se puniat. Accedente autem iure positivo, quod impedit, ne talis beneficiatus fructus faciat suos, consequitur obligatio restituendi etiam ante sententiam.

Unde resolves.

XXXV. 1. Non tenentur ante acceptam possessionem nec si sine sua culpa fructus nullos percipiant nec percepturi sint. Laym. l. 4. t. 2. c. 4. n. 3.; quia non habent beneficium secundum omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. Trull. l. c.

345. A. duo copulat: *si non percipiant nec sint percepturi:* causam huius coniunctivae mox videbimus. Cum singuli fructus singulis annis semel percipiantur, perinde est ac si dicatur: si anno, puta collationis, non percipiant nec sint sequentibus annis percepturi.

Porro si simpliciter verum sit, nullos percipi fructus, nulla erit obligatio; nam in hac hypothesi non solum non habetur beneficium secundum omnem effectum, sed habetur secundum nullum; nam effectus omnis est acceptio fructuum et per eos sustentatio. Perpende tamen quod dicitur *si sine sua culpa,* sive si per eos non stet, quominus percipiant aut sint percepturi. Doctrina huius resol. est communis, ait Lessius c. 34. n. 168.; neque enim beneficiarii ex sua vel

Ecclesiae intentione se obligant ad officium, nisi persolvantur eis stipendia sustentationis.

Excipit s. Alph. l. 3. n. 664., si beneficiatus spem certam habeat exigendi fructus sequentibus annis; tunc scilicet et anno praecedenti tenetur ad officium. Quae doctrina mihi difficilis est, nec video quî cohaereat cum universa doctrina de obligatione Horarum. Nam in rebus homogeneis eadem est ratio totius et partis: si ergo certe nunquam percepturus fructus, nunquam teneor recitare officium, non percepturus hoc anno non tenebor hoc anno. Et sane nonne Pius V. ita voluit dividi fructus, ut singulis diebus responderent et eorum velut essent proprii atque cum iis necteretur obligatio officii? Ut ergo obligatione nunc urgear recitandi officii, non satis videtur spes certa, quod annis sequentibus (forte abhinc duobus aut tribus) fructus sint percipiendi. Si tamen s. Doctor inter fructus, qui sequentibus annis percipientur, intelligit comprehendi et fructus anno praecedente omissos, nulla est difficultas in eius doctrina.

346. Si lis de beneficio collato quidem ac nondum possesso agatur, quantacumque sit probabilitas victoriae, non tenetur institutus, lite pendente, ad officium; quia nondum possessionem adeptus, nondum habet ius expeditum in re, non habet nempe ius ad fructus percipiendos: Ita s. Alph. l. c. ex hoc principio procedens: quod *beneficiarius ad officium non tenetur, nisi ex perceptione fructuum.*

Ac si lis post possessionem adeptam moveatur et interim fructus sequestrentur, tunc distinguunt. Si spes moraliter certa affulgeat, vincendi litem, aiunt iam nunc teneri: secus, non; quia *nemo obstringendus ad onus certum ob mercedem incertam.* Atque haec probat s. Alph. Verum nonne cum ante Ecclesiae tribunal lis vertitur, est eo ipso iuridice res adhuc incerta? et cur beneficiato non licebit hanc incertitudinem acceptare? Quamcumque spem reus foveat, res semper, dum causa agitur, in ancipiti pendet; cum praesertim nemo sit idoneus iudex in causa propria. Videtur ergo semper esse locus applicationi illius principii: *non est quis obstringendus ad onus certum, ob mercedem incertam.*

Et sane ad effectum quod spectat, possessio non adepta et possessio controversa perinde videtur semperque potest beneficiarius se hoc axiomate tueri: *beneficiarius ad officium non tenetur, nisi ex perceptione fructuum.* Quid vero, si, omisso officio eo quod spes aberat vincendi, deinde reapse vincat? an tenetur fructus sequestratos eique redditos ipse restituere? Probat s. Alph. sententiam Lugo, ei nempe, qui absque culpa sic omisit officium, nullam esse obligationem restitutionis et licite posse eos retinere, sicut licite retinet fructus maturatos a die

beneficii etsi officium ipse, durante vacatione, non dixerit. Quod A. addit in fine, spectat potius ad resol. 4.

XXXVI. 2. Tenetur is, qui etsi (sive sine, sive cum sua culpa) non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem, quae sufficit ad sustentationem. Bon. d. l. q, 6. p. 3.

Nulla in hac re difficultas.

XXXVII. 3. Tenentur ii, qui primo aut etiam secundo anno non percipiunt fructus, eo quod assignentur fabricae vel praedecessori mortuo; quia etiam ipsi mortui fruentur eodem privilegio et sic pro tota vita satisfaciunt fabricae. Bonac. p. 4. n. 22. Laym. c. 5. Suar. Regin. etc. Contraria tamen sententia non est improbabilis et negat Less. cum Caiet. se talem damnaturum, eo quod vel resignare vel mori ante possit et sic non frui anno gratiae. Laym. l. c. Pal. Trull. d. 13. §. 3.

347. Refert A. morem, quem in nonnullis Ecclesiis observari et a longis retro temporibus observatum fuisse, affirmat Ioannes XXII. in sua Extrav. *Suscepti, de Electione.* Duplex mos est: vel enim fructus hi applicantur fabricae aut distribuuntur inter canonicos alios vel reservantur praedecessori defuncto: ut idcirco et recens institutus iisdem deinceps sua vice sit fruiturus emolumentis. Utrumque improbavit Pontifex Ioannes XXII. et abolevit; quia « illud inconveniens sequitur, quod commode nequeunt, ad impendendum servitium debitum, residere in ecclesiis, in quibus beneficiati exsistunt ». Non ait Pontifex: nolunt residere, id veluti eorum vitio vertens; sed *commode nequeunt:* quod quidem inconveniens gravissimum est; cum adversetur residentiae, quae a beneficio puta Canonici postulatur. Habita ergo ratione Constit. Ioannis XXII. nemo tenetur hunc morem observare, nisi adhibito gravissimo temperamento ab eodem Papa statuto.

Hunc praeterea morem, quoad priorem saltem partem reprobavit et abrogavit Pius V. Const. *Durum nimis* §. 2., prohibens nempe eam applicationem fructuum beneficii, quae fiebat mensae capitulari seu qua fructus inter alios canonicos sive personas ecclesiae aut capituli dividebantur.

Quoad alteram partem refert Suarez *de Relig.* l. 4. c. 20. n. 9. responsum Congr. Conc. « Neque hoc decreto (Trid. nemp. sess. 24. c. 14.) neque Bulla Pii V. super hac eadem re edita, prohibentur statuta Ecclesiarum deserviendi per annum aut aliquod tempus, nihil percipiendo interim de Massa grossa (beneficio scilicet: distributiones quotidianae ad eam non pertinent, quae proinde percipiuntur), nisi peracto integro servitio idque post obitum heredibus deberi: *cum sit potius differre quam auferre.* ».

Ubi citatae Constitutiones non sint receptae et mos dictus idcirco vigeat (ut in Hispaniis et Germania cf. Laymann *de eccl. Benef.* c. 5. n. 4.), quaeri potest an beneficiatus, cuius beneficii fructus primo vel

altero anno applicantur aliis capitularibus aut praedecessori, teneatur interim officium recitare. Utique si distributiones lucrari velit, choro assistet et psallet: sed si a choro absit, teneturne privatim recitare, ratione beneficii? Affirmandum videtur; quia reapse (ut aiebat s. Congr.) fructus non auferuntur sed differuntur, cum is pari emolumento est deinceps sua vice usurus, ad quod iam nunc ius acquirit; nempe postea cum aliis percepturus est fructus novarum vacationum et institutionum vel fructus sui beneficii post mortem suam, de iis pro suis heredibus disponens aut pro suis solvendis debitis.

Verum ex hac ipsa demonstratione oritur probabilitas contrariae sententiae. Ratio enim obligationis est ista spes certa boni, quod differtur, non aufertur: atqui, si rem penitius spectes, patebit spem hanc non esse certam; quia potest ipse cito mori, potest fieri, ut oporteat vel deceat resignare aut permutare beneficium etc.: ergo tandem imponeretur obligatio certa pro mercede incerta: quod nec s. Alph. probat.

XXXVIII. 4. Tenentur et ii, qui habent beneficium tenue, octo v. gr. vel decem aureorum; quia iura omnibus indistincte obligationem Horarum imponunt, sicut iis, qui sunt in maioribus ordinibus. Ita probabiliter Sylv. Azor, Suar. Palaus, Bonac. d. 1. q. 2. p. 4. n. 17. et communis contra Sotum, Less. Rodr. et Dian. r. 9. Malder., qui dicunt, si habet beneficium tam tenue, ut tertiam partem mediocris sustentationis alicuius Clerici non adaequet, non teneri. Vid. Dian. loc. cit. Escob. tr. 5. c. 6. c. 13., quorum sententiam non damno. Vid. Trull. l. 1. c. 7. dist. 12. §. 3. ubi notat, eum, qui habet plura beneficia tenuia, quibus competentia habeat, teneri ad Horas.

348. Auctore benignior est in hac re s. Alphonsus l. 3. n. 674. qui, etsi referens duas sententias, quid ipse sentiat, disserte non dicat; tamen satis significat se adhaerere sententiae neganti obligationem officii recitandi, si beneficium est tenue; quam sententiam pluribus communit auctoritatibus et ratione. Ratio huc redit. In iure canonico habenti beneficium insufficiens potest provideri aliud beneficium c. *Is cui, de Praebendis* in 6.: atqui, ut ait Glossa ex c. *Quia in tantum, de Praebendis,* beneficiatus beneficiari non potest: ergo in iure beneficium insufficiens non censetur beneficium: idcirco neque obligationem affert recitandi officium.

Haec tamen demonstratio non videtur recte deducta. Ex eo enim quod habenti insufficiens (nempe ad integram sustentationem) beneficium, potest aliud conferri, non sequitur, illud non esse simpliciter beneficium, sed sequitur, non esse tale quod prohibeat collationem alterius; quae prohibitio, saltem frequenter, est ex iure positivo. Et sane si duo sint huiusmodi beneficia uni collata, hic dicitur habere duo beneficia et prohibetur accipere tertium.

Praeterea si ea ratio valet, iam definita erit etiam quaestio, quodnam dicendum sit beneficium tenue; nimirum quod est insufficiens. Atqui nec s. Alphonsus id probat l. c., qui tenue vult esse, quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis. Si ergo eo pertingit vel plus minus excedit, iam non est tenue et tamen nondum sufficit.

Nec admodum clara hac in re est doctrina Lessii, quem s. Doctor citat. Ait Lessius c. 34. n. 169. probabile esse, excusari eos ab officii recitatione, qui valde parum recipiunt ex beneficio, ut non habeant supra 8. aureos (nunc habenda erit ratio diminuti valoris pecuniae) sive, ut ait paulo post, non recipiant bonam partem sustentationis aitque multos recentiores ita censere cum Soto et multos viros doctos idem sentire, teste Navarro. Ratio est; quia cum hi ad officium obligentur non vi ordinis sed solius beneficii seu mercedis, quam accipiunt, non videtur rationabile quod qui accipit 8. obligetur ad tantundem ac qui accipit 100. Et sane sicut qui nihil accipit, ad nihil tenetur, ita qui parum accipit, non tenebitur ad totum. Et re quidem vera necesse est, ut beneficiatus dici possit vivere de proventibus Ecclesiae; atqui ut id dici possit, oportet ut beneficium tribuat saltem bonam partem sustentationis. Nihilominus, subdit, quia hic tandem aliquid accipit, oportebit ut et ipse aliquid praestet, persolvendo e. gr. officium dominicis diebus et festivis.

Diximus doctrinam non esse admodum claram, tum quia non definitur quanta sit haec bona pars sustentationis, tum quia ex principiis seu rationibus allatis id sponte consequitur, ut qui beneficium non habet sufficiens ad annuam sustentationem, etsi non sit simpliciter tenue, non teneatur toto anno ad recitationem. Et sane nisi aliquod ius, sive scriptum sive non scriptum, afferatur quod rem magis definiat, nunquam ex sola habitudine inter beneficium et officium arguendo demonstrabis, habentem beneficium insufficiens ad annuam sustentationem teneri toto anno ad recitationem officii.

349. Provocatur quidem ad universalem legem, quae omnibus beneficiis, nullo discrimine facto, obligationem officii imponit, ut patet ex citatis Constit. Leonis X. et Pii V.: verum non videtur haec lex accepta sensu universali absque limitatione; cum plures DD. censeant abesse obligationem vel esse minorem, si valde tenue sit Beneficium.

Quidam dicunt etiam in tenui Beneficio obligationem quotidiani officii haberi, si beneficiatus *scienter* illud acceptavit (Ferraris v. *Beneficiatus* art. 1. n. 2.), sciens nempe illius tenuitatem. Verum haec scientia conferet quidem ut libere acceptet obligationem quae inest beneficio, non ut aliam superaddat, nisi is sponte velit se ulterius obligare; quo in casu obligatio haec, quaecumque sit, non ex beneficio aut lege Ecclesiae, sed ex libera acceptantis voluntate pendebit.

Addunt, id mirum esse non debere, cum etiam habentes tenuia beneficia, si curam habeant adnexam animarum, teneantur ad residentiam c. *Conquerentibus, de Clericis non residentibus:* ergo et ad officium recitandum tenebuntur, quae est obligatio arctior cum omnibus sit beneficiis communis. At obligatio residentiae est ex alia causa speciali, nempe ex fine, qui est cura animarum, cui nequit facere satis non residens; qui ergo illud beneficium acceptat, quodcumque sit, acceptat quoque curam et obligationem residendi. Neque verum est, obligationem officii esse arctiorem; id saltem non probat ratio allata, quae solum ostendit, obligationem esse universaliorem.

350. His omissis, haec magis ad rem facientia apud DD. reperio. 1° Monet Laymann l. c. n. 5. quod, quemadmodum consuetudo induxit ut ordinatus in sacris, etsi nullo instructus beneficio, teneatur ad quotidianam recitationem officii, ita potuit consuetudo eandem obligationem inducere pro habentibus beneficium quantumvis tenue, cum praesertim hi clerici non minus ac alii gaudeant iisdem ecclesiasticis privilegiis fori, canonis etc. Haec doctrina est satis clara.

2° Sententia satis communis DD. est: beneficium sufficiens ad tertiam partem annuae sustentationis (quae victum, vestitum, habitationem complectitur) ferre obligationem quotidiani officii: beneficium vero non pertingens ad tertiam partem annuae sustentationis esse *tenue* et non ferre obligationem officii saltem quotidiani. S. Alph. l. 3. n. 674.

Iam vero ex hoc communi sensu DD., tanquam interprete legis, colligere licet consuetudinem esse obligantem ad quotidianum pensum eos omnes beneficiatos, qui ex suis beneficiis hauriunt saltem tertiam partem annuae sustentationis, alios non: quos tamen aliquando pro rata teneri, ipsa lex naturae docet; cum aliquam mercedem accipiant: nisi alia forte Ecclesiae utilia praestent ministeria.

XXXIX. 5. Non excusatur, qui primis annis parum recipit, eo quod fructus expendat in substitutum: quia Horarum onus beneficio annexum est personale, cum quo sponte acceptatur. Bonac. loc. cit ex Azor, Vasquez, Fill. etc.

351. Si in substitutum fructus expendit, fructus fecit suos; non est ergo, cur excusetur a recitatione officii.

XL. 6. Si filius a patre coactus ad statum Ecclesiasticum, percipiat ipse fructus, tenetur ad Horas: secus, si percipiat pater; hic vero ad restitutionem obligatur. Laym. c. 5. n. 2. ex Less. l. 2. a. 34. d. 3.

352. Metus prohibet obligationem nexam statui (cf. dicta n. 330.): at si ipse percipiat fructus beneficii, censetur ratam habere acceptationem beneficii. Si vero fructus percipiat pater, filius ad nihil tenetur, nec tenetur pater ad recitationem officii, sed ad restituendos fructus

atque praeterea liberare filium a metu, ut libere possit dimittere beneficium, cui non vult facere satis.

XLI. 7. Probabile est, eum, qui non residet ex legitima licentia vel dispensatione ideoque fructus non recipit, non teneri ad Horas; quia obligatio haec est propter sustentationem datam. Trull. l. 1. c. 7. d. 13. §. 3. ex Sanchez etc.

353. Casus esse potest habentis in collegiata praebendam, quae non requirit ordinem sacrum, quo et ipse caret. Si ex legitima dispensatione non residet et interim fructus non recipit, dispensatus quoque ab officio potest censeri.

XLII. 8. Non tenentur, qui habent praestimonia, quae solent dari adolescentibus in subsidium studiorum: eo quod non sint proprie dicta beneficia. Ita Med. Garz. et Less. contra Nav. Sot. et Rodriq. Tamen recte monet Laym. c. 5. n. 6. considerandam rationem praestimoniorum. Si enim dentur in titulum perpetuum et habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per Laicum expediri nequit, esse beneficia Ecclesiastica proindeque obligare ad Horas: secus, si consistant in solo temporali obsequio. Similiter non tenentur pensionarii, cum pensiones non sint proprie dicta beneficia, ut dub. praec. videri potest. Quod limitat Escob. t. 5. c. 6. c. 4. ex Palao, si fruantur pensione ob secularia obsequia: secus, si titulo clericali. Denique neque tenetur Coadiutor, si non administrat; quia obligatio tenet proprietarium, Pal. Escob. l. c. V. Laym. c. 5. n. 9.

354. Praestimonia sunt portiones ex ecclesiasticis reditibus (non ex solis beneficiis, ut pensiones) detractae et praestitae alicui: duplicis autem sunt generis. Quaedam enim habent annexum obsequium spirituale et dantur in titulum perpetuum atque ita sunt vera beneficia, ut patet ex c. ult. *de Concess. Praebend.* in 6., ubi ceteris beneficiis et praestimonia connumerantur. Habentes ergo talia praestimonia, ad officium obligantur, sicut ceteri beneficiati. Atque de iis loquitur Pius V. in Const. *Ex proximo.*

Alia vero praestimonia sunt, quae et clericis dantur ad certum tempus, in vitae subsidium, puta adolescentibus ad prosequenda studia litterarum seu scientiarum; in quem finem videntur primitus praestimonia collata, vel ut alicui consulatur, donec ei beneficium conferatur. Haec non sunt beneficia; quia nec perpetua sunt nec propter spirituale obsequium dantur ideoque nullum onus ferunt officii divini: sed sunt stipendia quaedam. Ait Croix l. 4. n. 217. annexam iis esse obligationem recitandi quotidie quinquies Pater et Ave. Alii huius obligationis non meminerunt, lex nulla est: forte in quibusdam locis vel lex particularis est vel consuetudo inducta.

Diximus quinam ad divinum officium teneantur. Restat monendum, quod decrevit Pius V. Const. *Ex proximo* circa pensiones temporales. « Nimirum quicumque pensionem, fructus aut alias res ecclesiasticas *ut Clericus* percipit (nempe propter aliquod obsequium spirituale), cum

modo praedicto (quomodo scilicet dicti sunt obligari beneficiati ad divinum officium) ad dicendum officium parvum b. Mariae V. decernimus obligatum et pensionum, fructum rerumque ipsarum amissioni obnoxium », quemadmodum de beneficiatis dictum est.

Idem ergo et de quibusdam praestimoniis temporalibus esset dicendum, si quis ea *ut clericus* perciperet, nempe propter aliquod obsequium spirituale; nam Pius omnia complectitur, *pensiones, fructus et alias res ecclesiasticas*, quae ab aliquo, ut clerico percipiuntur.

XLIII. 9. Etsi habens plura beneficia satisfaciat unica recitatione Horarum; tenetur tamen tot facere commemorationes, quot sunt beneficia, seu patroni beneficiorum; quia par est omnium ratio. Bon. Trull. l. c. n. 27.

355. Res clara est. Una autem recitatione pluribus his obligationibus satisfieri constat ex perpetua praxi seu consuetudine atque analogia: sic enim pariter una auditione Missae satis fit duplici praecepto, si festum de praecepto incidat in Dominicam.

Subdit s. Alph. l. 4. n. 145. quaestionem an duo peccata committat omittens officium qui tenetur duplici titulo, beneficii et ordinis sacri. Respondet vero, quod, si velit restituere fructus, peccabit contra religionem, ex cuius motivo imposita est tum clerico in sacris tum beneficiato obligatio officii: si vero nolit restituere fructus, peccabit praeterea contra iustitiam. Cf. n. 343. Obligatio recitandi offici imponitur sive clerico sive beneficiato ex motivo tantum religionis, ait s. Doctor: at ex iustitia imponitur beneficiato omittenti officium obligatio restituendi: quia fructus non facit suos.

Articulus II.

Quanta sit haec obligatio.

XLIV. Resp. 1. Est tanta, ut peccet mortaliter quisquis habens hoc onus, Horas vel notabilem earum partem omittit. Ita communiter omnes, contra Angelum v. *Horae* et Richardum, qui dicunt non esse mortale, nisi quis habeat consuetudinem omittendi, quam sententiam Less. non audet dicere probabilem, quod sit contra torrentem Doctorum. Ratio est, quia violat praeceptum in re gravi pertinente ad virtutem religionis.

356. Quod mortalis sit integra omissio officii vel unius diei, doctrina est communis, si quosdam veteres excipias, Angelum et Richardum (Lessius c. 37. n. 52.), qui voluerunt solam omissionem ex consuetudine vel ex contemptu esse mortalem. Ratio communis sententiae est, quod materia tum in se tum ratione finis sit gravis et graviter ab Ecclesia praecipiatur. Adde, Pium V. in cit. Const. *Ex proximo* affirmare beneficiatos omittentes primis sex mensibus officium, etsi non obligentur ad restitutionem fructuum, grave tamen peccatum admit-

tere, quae affirmatio, puto, pro singulis diebus valet, non solum pro integro spatio sex mensium. Cf. Suarez *de Relig.* l. 4. c. 25. n. 12.

Addit A. mortalem esse quoque omissionem notabilis partis officii.

Notabilis pars est profecto, qua omissa, non censetur quis obligationi rei praeceptae satisfecisse: sic pro auditione Missae est notabilis pars canon: haud notabilis pars e contrario est ea, qua omissa, adhuc censeris obligationi rei praeceptae satisfecisse, ut omissio unius psalmi in officio. Sed prior non est in indivisibili sita et plerumque quaestio fit, an certa pars sit necne notabilis, ut eius omissio sit gravis violatio praecepti.

Itaque si quod omittitur, pars sit maior seu saltem dimidium totius officii, haud difficile suadetur quod ait A. Nam cum praecepti obiectum est aliquod totum ex pluribus constans atque ipsa quantitas sub praecepto cadit, quemadmodum heic; quoniam praecipitur totum officium nocturnum et diurnum: tunc omissio maioris partis vel saltem dimidii est non levis sed gravis mutatio obiecti praecepti et sic gravis huius violatio. Accedit in hac re consensus DD. non secus ac in priore affirmatione.

At si omissa pars sit infra dimidium; tunc, ne ex arbitrio et sine fine partes notabiles assignentur, oportet regulam praesto esse, qua pars notabilis definiatur, quae sub gravi dicitur praecipi et infra quam minor non sit notabilis nec sub gravi praecepta. Fuerunt enim qui et tertiam partem cuiuslibet horae partem notabilem officii censerent; quia est pars notabilis horae (cf. s. Alph. heic n. 117.): qui nescio cur ibi haeserint et non dixerint quoque tertiam partem psalmi esse notabilem; quia est pars notabilis psalmi et ita porro.

357. Communior sententia est (nam quidam dissentiunt, cf. s. Alph. n. 147.), singulas Horas vel parvas, in quas Officium dividitur, esse partem notabilem eiusdem ac sub gravi obligare. In id consentire omnes, ait Suarez *de Relig.* l. 4. c. 25. Fere communem esse DD. ait Ferraris v. *Officium divinum* art. 3. n. 6. Subdit porro Suarez: «Ratio est, quia iudicio prudentum ita aestimatur potestque ita declarari: quia illa est notabilis deformitas ac mutilatio divini Officii, item quia quaelibet hora est materia sufficiens, si sola praeciperetur, ut sub reatu mortalis culpae imponeretur, sed nunc ita singulae horae praecipiuntur, ac si unaquaeque sola et per se praeciperetur.

Ex quibus verbis patet, veram rationem doctrinae huius esse prudentum iudicium et aestimationem h. e. communem vel fere communem sensum, qui habet singulas horas tamquam materiam gravem. Nam argumentum intrinsecum, puto, difficile est reperire. Atque hunc DD. communem sensum accipere licet veluti interpretationem sensus

quo ab Ecclesia lex est lata. Cuius rectitudinis rationem Suarez in eo reperit, quod omissio vel parvae horae sit gravis difformitas. Nam singulis horis (iuxta veterem divisionem) diei, tertia, sexta, nona, vespere et singulis vigiliis noctis et diei initio, est ex praecepto Ecclesiae orandum; haec est scilicet Ecclesiae intentio, ut omnes horae temporis diurni et nocturni et sic omne tempus, per obsequium certarum precum sit Deo dicatum. Idcirco vel unius Horae omissio graviter laedit hanc intentionem legis et est difformitas gravis.

Unde etiam patet, quod singulae horae, sub hac intentione legis, seu spectato fine, sunt materia capax gravis obligationis, ut ait idem Suarez. Nec multum urgendam putabis earum brevitatem, si consideres, eas ex primitiva institutione fuisse in choro ab omnibus canendas: permissa vero privata recitatione, opus non fuit vim praecepti minuere. Ad chorum vero quod spectat reprobatum est a s. C. C. statutum cuiusdam Episcopi, qui Canonicis licentiam concessit non omnes Horas canendi seu recitandi in choro (apud Gury V. 2. §. 119.).

Ex dictis resolvuntur hi Casus.

XLV. 1. Non est mortale omittere unum psalmum, lectionem, vel quid simile, ut habet communis contra Navar. nec tertiam partem parvae Horae, contra Azor, et Mald. quia non censetur pars notabilis. Talem autem dicit Palaus lib. 1. p. s. esse in Matutino, quod est aequale uni parvae Horae. Sanch. *in Sum.* t. 1. l. 1. cap. 18. n. 8. dicit tres lectiones cum responsoriis in feriali officio esse materiam parvam. In parvis Horis dicit Pern. Fill. et Laym. dimidium esse notabilem quantitatem. V. Esc. loc. cit. cap. 13. n. 107. ubi docet, unam parvam Horam non esse partem notabilem, respectu totius Officii, quod per modum unius est praeceptum. Verum hoc merito reiicitur ab aliis.

XLVI. 2. Est mortale, si omittas vel unam integram ex Horis, quae sunt septem, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae et Completorium: vel dimidiam etiam ex brevioribus, ut docet Fern. Regin. Fil. Suarez, Laymann contra Bonac. et Less. vel ex Matutino. 9. Lectiones cum responsoriis; ut Sanch. 1. *Mor.* c. 18. aut partem aequivalentem Horae uni minimae, ut Suar. *de Rel.* t. 2. l. 5. c. 25. et Gavantus, vel, ut alii, unum Nocturnum. V. Bon. d. 1. q. 1. p. 1. Dian. p. 2. t. 12. R. 26. et 41.

358. Antiquata est rigida et irrationalis opinio culpam gravem cernens in omissione psalmi unius vel tertiae partis parvae Horae: nec opus est audire Suarez, qui l. c. n. 16. ut a mortali absolvat, requirit ut saltem dimidium horae parvae dicatur.

Auctor heic refert aliam partem regulae, pro definienda quantitate gravi, qua et s. Alphonsus utitur. Nimirum 1° quaelibet Hora, quamvis parva, est materia gravis; de hoc iam locuti sumus: 2° quaelibet pars Horae (quae sit ex longioribus) aequivalens parvae Horae, iam materia gravis est, cuius scilicet omissio peccatum est mortale.

« Haec regula (ait Baller.) est intelligenda 1° de omissione partis « (aequivalentis parvae Horae) in aliqua Hora, puta matutino aut ve- « speris, non de omissione partis, quae sparsa sit per totum officium; « neque enim qui omitteret omnia *Pater* et *Ave* et *Credo*, etsi haec « simul sumpta aequent unam parvam Horam, censeretur notabilem « partem omittere et graviter peccare. 2° Intelligenda est regula in « hypothesi, quod quis possit integram horam recitare vel saltem ita « recitare, ut per eam recitationem censeatur facere satis praecepto; « nam si quis hoc nequeat, utrum tunc teneatur recitare eam partem, « quam potest quaeque quoad quantitatem aequivalet uni parvae horae, « disputabimus sub resol. 4. artic. seq. ».

Hoc pacto circumscripta regula, eius rectitudo ex eo ostenditur, quod talis omissio sit gravis difformitas Horae praeceptae, secundum prudentum aestimationem. Suarez l. 4. c. 25. n. 16.

Censerem tamen pro huius secundae regulae gravi violatione aliquid amplius requiri, quam pro prioris. Nam in priore cum aliqua Hora omittitur, duplex occurrit difformitas et quod omittatur pars quaedam quantitativa officii et pars quaedam principalis: in altero est quidem prius vitium, non vero secundum nisi diminute, quatenus pars principalis, cuius pars omittitur, per hanc omissionem deturpatur.

Itaque omissio novem lectionum cum responsoriis, gravis censetur: omissio trium cum responsoriis non videtur. Et adverte lectiones esse quidem partes totius Officii, sed proprie non esse precationes; legimus enim eas, ut instruamur, non ut oremus: quocirca non est improbabile, quod plus in earum omissione requiratur, ut materia sit gravis.

XLVII. 3. Sive omissio Horarum (abstrahendo a multiplicatione actuum voluntatis) sit unum numero peccatum, ut vult Bonac. sive sint plura formaliter, ut docet Less. sive unum multiplex, ut Suarez, sive unum pluribus aequivalens, ut Fill. loquitur: probabile tamen est, in confessione explicandum, quot Horae sint omissae: eo quod sit circumstantia tenens se ex parte obiecti et costituens actum in ratione sua individuali. Bon. l. c. n. 9. Less. Suar. Fill.

359. Lessius c. 37. n. 53. censet non quidem plura esse formaliter praecepta, sed unum praeceptum implicite seu virtute continere septem praecepta; eo quod septem opera praecipiuntur, inter se essentialiter non connexa et sic singularum Horarum omissionem esse distinctum peccatum mortale. Suarez l. 4. c. 25. n. 18. docet simpliciter unum esse peccatum, quia unum est praeceptum.

Verior sententia et communis, ait s. Alph. n. 148., est, unum committi peccatum omissione totius Officii, quod iam audivimus a s. Antonino, n. 153. 2., qui et rationem reddit: eo quod totum officium sub uno praecepto cadit; violatio autem unius praecepti unum est peccatum.

Fatemur tamen, inspecta universa doctrina circa obligationem recitandi Horas canonicas, magis logicam videri nobis sententiam asserentem unum praeceptum esse virtualiter septuplex. Sic enim clare reddi potest ratio eorum, quae omnes admittunt: nimirum 1° quod si vel unam tantum Horam possis recitare, ad eam recitandam tenearis: 2° quod notabilis omissio in aliqua Hora longiore, aequivalens saltem uni parvae Horae, sit materia gravis. Sane si praeceptum unum est nec virtualiter multiplex, erit etiam unum eius obiectum, h. e. totum officium quotidianum: una autem hora non est tale obiectum; cum ergo una tantum hora recitari potest, nequit impleri illud praeceptum ideoque eius obligatio ex toto cessabit. Item si praeceptum unum est unumque eius obiectum, quod est totum Officium: cur omissio partis notabilis in parte est materia gravis? nam respectu totius, quod est praeceptum, ea pars non est notabilis.

Verum haec quaestio non admodum refert ad praxim, cum omnes, ad obligationem quod spectat, idem tandem dicant.

Si unum est praeceptum unumque peccatum omissio totius officii vel plurium Horarum, quod peccatum externe consummatur in fine diei, cum impossibilis evadit recitatio eius, quod est omissum (cf. Suarez l. c. nn. 19. 20.), gravius quidem erit peccatum omissio totius, quam si una Hora omittatur: utrum autem haec circumstantia aggravans sit necessario sponte (h. e. etiamsi confessarius non sciscitetur) confitenda, pendet id ex doctrina proponenda circa circumstantias aggravantes in Tr. de Sacramento Poenitentiae.

360. Quaerit s. Alph. quot peccata committat, qui breviarium in mare proiiciens reddit se impotentem ad recitationem officii. Supponitur impotentia futura nota proiicienti saltem in confuso et nullam esse causam legitimam proiiciendi. Non quaeritur, an ille actus, quo clericus sciens et volens se impotentem reddit, sit unum peccatum, an tot quot sunt quotidianae omissiones futurae praevisae: qua de re cf. dicta in Vol. I. n. 638.: sed quaeritur, an omissiones subsequentes, propter impotentiam, sint formaliter peccata, an peccatum formale tantum fuerit in eo primo actu, quo clericus se impotentem reddidit. Affimat s. Alph. subsequentes omissiones esse totidem peccata (utique formalia); quia adest pro singulis sufficiens voluntarium, nempe in causa. Quid ergo si, adhuc durante impotentia, ipsum poeniteret et quidem poenitentia auferente reatum? Sed hanc quaestionem iam solvit B. in tr. *de Actibus humanis* Vol. I. n. 31. quem cf.

XLVIII. Respond. 2. Tanta est obligatio, ut inducat ei onus restitutionis fructuum, pro rata omissionis Officii, qui titulo beneficii ad Horas tenetur, si elapsis sex mensibus post adeptam possessionem (iis enim etsi graviter peccet omittendo, non tamen tenetur ad restitutionem) culpabiliter officium non recitaverit. Patet ex Concil. Lateranensi sub

Leone X. Sed quia dubium fuit, utrum hoc Concilium esset receptum, Pius V. Bullam edidit, quae est apud Navar. c. 25., qua hoc decretum confirmat ac declarat sic, ut qui uno die totum officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi diei respondentes, verbi gratia, qui accipit annue 365. florenos, tenentur pro uno die restituere unum florenum, qui autem omiserit Matutinum tantum, mediam partem fructuum unius diei, qui reliquas Horas, etiam mediam partem, qui vero unam ex illis, sextam partem eaque restitutio facienda est vel fabricae, vel pauperibus. Laym. Fill. Bonac. d. 1. q. 5. p. 2. etc. contra de la Cruz et Lopez, apud Dian. p. 2. t. 12. res. 34. qui dicunt, si beneficiatus intra annum per 8. vel 10. dies tantum omittat, non teneri ad restitutionem, eo quod sit servus liberalissimi Domini, qui multo minus, quam domini temporales, ad pauca attendat. * Haec autem restitutio facienda vel ante Iudicis sententiam, ut definit Alexander VII. in damn. prop. 20. *

361. De hac re iam locuti sumus nn. 340. seqq. Quod vero quidam dixerunt, ut refert A., eum qui, intra annum, octo aut decem diebus omittat officium, non teneri ad restitutionem, eo quod sit servus liberalissimi Domini, qui multo minus, quam domini temporales, ad pauca attendat, hoc, inquam, nequit componi cum decreto Pii V. qui de omissione loquitur vel unius diei *(qui omnes horas uno vel pluribus diebus intermiserit)* et ratio allata, si quid probaret, probaret quoque hunc omittentem non peccare, imo id unice probaret; quia quod Deo debetur, est precatio per Horas, non fructus beneficii: illud vero est certe falsum.

Unde resolves.

XLIX. 1. Clerici maiorum ordinum, qui solo titulo ordinis et quotquot alio titulo, quam Beneficii, ad Horas tenentur, non obligantur ad dictam restitutionem: quia nullos percipiunt fructus propter onus recitandi officium Bonac. l. c. p. 2. n. 3.

Evidens est.

L. 2. Nec ii obligantur, qui ex naturali oblivione, iusto impedimento, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa omiserunt. Ratio est, quia in conscientia non debetur poena, ubi non est culpa. Less. Suar. Bon n. 4.

362. Leo X. in Bulla cit. restitutionem debitam vocat *poenam*. Cf. dicta n. 340.

LI. 3. Valde probabile est, quod qui alia onera habent, quam precum v. gr. Pastores, Episcopi etc. omittentes Horas possint retinere maiorem partem fructuum istius diei, ratione dictorum onerum sufficiatque dare tertiam partem vel quartam fructuum: eo quod tantum obligentur ad restitutionem fructuum respondentium oneri divini officii Nav. Fill. Bon. p. 3. Dian. p. 2. tr. 12. res. 8. citans alios multos.

LII. 4. Si talis pastor habeat tenues reditus ad sustentationem, videtur ad nihil obligandus; cum ob alia onera illi debeatur sustentatio. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 5. Imo Dian. p. 2. tr. 12. res. 9. Mald. tr. 10. c. 2. dub. 3. dicunt eum, qui habet beneficium valde tenue, verbi gratia, cuius reditus tertiam partem mediocris sustentationis non adaequent, non teneri, ob Horas aliquoties neglectas, ad restitutionem.

De his iam disputavimus n. 342.

LIII. 3. Restitutio haec fieri potest vel pauperibus amicis vel aliis, vel ipsi etiam beneficiato, si pauper est. Item impendi potest in fabricam domus vel meliorandos agros beneficii; quia haec nomine fabricae etiam intelliguntur apud Suarez et Bonac. Denique aliquando compensari potest, offerendo suffragia pro defunctis aliisque precibus, ut vid. Bonac. l. c. p. 4. et sic etiam per alium, seu per officium, aut preces ab alio ad tuam intentionem recitatas et a te defunctis applicatas satisfieri posse, docet Quintan. t. 8. section. 6. Nec continuo damnandus qui ordinarie recitare solitus, semel, verbi gratia, vel bis in anno omisit, etsi nihil restituat, docent Sot. Med. Fill. c. 10. n. 316. et 317.

363. Heic s. Alph. duo non probat, tum quod dicitur de compensatione per oblata suffragia pro defunctis; nam ubi poena certa est statuta a lege, non est integrum reo aliam substituere: tum quod dicitur de omissione semel aut bis in anno; quia Pius V. punit disserte et omissionem unius diei.

LIV. 6. Qui pecuniam, quam ob neglectas Horas tenetur restituere sive erogare in usus pios, impendit in alios, quam vel in pauperes vel fabricam beneficii, non satisfecit (secundum ius commune, ubi Concilium Lateranense vel Bulla Pii Quinti est recepta) obligationi suae, nisi aliud ferat consuetudo vel statutum alicubi receptum; quia disserte praecipitur restitui pauperibus vel fabricae beneficii. Vid. Bonac. q. 2. p. 2. et 4.

364. Haec clara sunt, sed exinde patet, merito a s. Alph. reprobatum esse prius ex duobus in praeced. resol.

LV. 7. Posse aliquando beneficiatum excusari a restitutione, ob Horas neglectas, titulo pecuniae expensae (intellige post omissionem Horarum * nam si ante omissionem, non valet, iuxta definitionem Alexandri VII. in damnat. Proposit. 33.*), etsi non isto intuitu, in pauperes vel alios usus pios, censet Dian. p. 3. res. 57. ex Laym. l. 3. s. 5. t. 2. c. 12. n. 9. esse probabile; tum quod quidam Auctores ita sentiunt, tum quod videatur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas, satisfacere per illas omnibus obligationibus, quas suis peccatis contraxerunt; tum quod leges Ecclesiasticae benigne debeant explicari. Addit Io. de Salas *de Leg.* d. 15. sess. 2. num. 27. Vasquez, si Canonicus grossam, seu corpus sui Canonicatus vere et absolute lucretur, priusquam omittat officium, non teneri ad restitutionem, propter omissionem sequentem; eo quod poena non sit, ut fructus iam suos factos restituat, sed ut fructus non faciat suos. Sic ille apud Dian. p. 2. t. 12. res. 8. ut infra art. 4. §. 6. in fine.

365. Duas partes habet: altera refert opinionem Ioan. de Salas et Vasquez. Porro doctrinam prioris partis et s. Alph. ut probabilem habet, neque improbat quod in altera dicitur.

Alterius partis doctrinam sic accipio: post annuos fructus collectos si clericus Officium omittat, non tenetur ex iis restitutionem facere, quos iam suos fecit; sed tenetur ex fructibus colligendis, qui iam ad hunc annum spectant, qui incipit. In praxi res eo redit, ut restitutio differatur, donec obtenti sint fructus eius anni, ad quem pertinet dies, quo intermissum est Officium.

LVI. 8. Ubi Bulla Pii V. non est recepta, potest videri probabile, beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari, ut habet Sylv. v. *Clericus.*

366. Manebit semper, puto, decretum Leonis X. seu Conc. Later., cuius Constitutio Piana non est nisi declaratio. Tenebitur ergo clericus omittens restituere fructus *pro rata.* Id enim iam Leo edixit.

Articulus III.

Quae excusent a recitatione Horarum?

LVII. Resp. Haec sequentia. 1. Infirmitas gravis, v. gr. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo vel incremento morbi legere non possint. Dixi, *gravis;* quia levis v. g. dolor stomachi aut pectoris vel etiam aliquando febris tertiana aut quartana non excusat, cum toto die non affligat. Ita Nav. Fill. Laym. Bon. d. 1. q. 6. p. 1. Porro totaliter excusatus non tenetur, ut quidam volunt, audire alium legentem nec alium substituere, ut habet Fill. et Sà, v. *Horae:* si tamen commode potest et solet legere cum socio, tenetur, ut habet Less. et Bon. V. Dian. p. 2. t. 12. res. 43.

367. Operae pretium est referre, quae heic notat s. Alph. Ait A. tertianam aut quartanam non excusare, *cum toto die non affligat:* addit s. Doctor cum aliis: *vel maiore diei parte:* scilicet etsi non tota die, si tamen maiori diei parte affligit, causa exstat excusationis. Diem intelligo ab ortu ad occasum solis, quo officium recitari solet; nam nocte dormiendum est praesertim infirmis.

Monet praeterea s. Doctor, quod excusatus propter legitimum impedimentum ab Officio, non tenetur eius loco alias fundere preces, quam doctrinam communem dicit. Nec tenetur supplere per alium, quia est obligatio personalis, ut habet communis omnium sensus.

Probat s. Doctor n. 158. quod postremo loco docet A., nempe qui non potest solus recitare potest autem sine magno incommodo adhibere socium gratuitum, debet cum socio recitare, quae est plurium sententia quos s. Doctor citat. Ratio est, quia recitatio officii cum socio non est ex aliquo privilegio sed e contrario est quidam ex modis ordinariis recitandi Officii, imo modus conformior primitivae institutioni et publico ritui Ecclesiae: atqui, cum quis mediis ordinariis sine magno incommodo implere praeceptum potest, non excusatur ab eius implemento: ergo.

Si tamen socius non gratis se adiungat, sed pretio sit conducendus, foret medium extraordinarium, saltem pro non beneficiato, ad quod negat teneri clericum s. Doctor cum pluribus aliis. Idem dicendum, si loco pretii oporteret clericum obligationes aliquas ex gratitudine quidem, sed tamen sibi graves subire.

368. An beneficiarius debet pretio soluto ex fructibus beneficii socium conducere, si inveniri potest? Utramque sententiam affirmantem

et negantem dicit s. Doctor probabilem et certe negans firmo innititur argumento; affirmans vero simpliciter accepta nequit admitti. Ratio negandi est, quia, ut iam cum s. Doctore dictum est, obligatio recitationis non est ex iustitia, sed ex religione nec fructus dantur ut merces recitationis sed propter sustentationem. Obligatio proinde privandi se fructibus est tantum poena propter culpam; nequit ergo hic clericus obligari ad fructus expendendos pro conductione socii: etsi beneficium pingue sit.

Diximus affirmantem sententiam simpliciter acceptam haud posse admitti: nam quid si fructus sint tenues, ut vix sufficiant sustentationi: si aliis oneribus gravetur beneficiarius, quae paria sint fructibus aut eos excedant?

Porro cum s. Doctor utramque sententiam dixerit probabilem, concludit: « Hinc dico, quod si talis beneficiarius omisit Officium, eo quod non adhibuit socium et in bona fide fructus perceperit, potest eos retinere; quia melior est conditio possidentis. Secus, si ille non adhuc perceperit, sed innixus probabilitati huius secundae sententiae, velit percipere; quia non potest inchoari possessio cuiusque rei, nisi cum certitudine iuris, ut plures diximus. Propterea dico, quod, si hic percipere fructus, tenetur socium adhibere ».

Quae conclusio est difficilis. Statuitur initio, obligationem beneficiarii conducendi pretio socium, ut possit recitare officium h. e. obligationem recitandi officii hoc medio adhibito, non esse certam (nam sententia negans est probabilis) et tandem concluditur obligatio certa adhibendi hoc medium, ut fructus acquiri possint. Cum privatio fructuum sit poena; quomodo cum non certa obligatione adhibendi illius medii nectitur certa obligatio poenae, si illud medium non adhibeatur?

Nec ratio adducta heic videtur habere locum. Non enim directe agitur de possessione rei alienae inchoanda, pro qua bona fides requiritur, ut praescribi possit: sed agitur directe de subeunda vel non subeunda poena, sita in privatione rei, ad quam, nisi poena intercedat, iam ius plenum habetur.

An requiritur certitudo, quod lex poenalis heic non est applicanda, ut quis a solvenda poena eximatur? nonne sufficit, certum haud esse debitum poenae, ut quis ab ea liberetur, si praesertim ipse eam exsequi debeat?

Ergo cum probabiliter negatur obligatio beneficiarii conducendi pretio socium, imo probabilius negetur; quia auctore ipso s. Alph., obligatio Horarum probabilius non est ex iustitia ideoque talis obligatio certa nullo modo sit; sequitur nullam etiam esse certam obligationem subeundae alicuius poenae, qualis certe foret privatio fructuum, ad quos iam vi beneficii ius habetur, nisi certa lex obstet.

369. Refert heic p. Ballerini quaedam notanda ex s. Alphonso n. 154, seq. quibus doctrina distinctius declaratur. Itaque notat 1° s. Doctor, ut quis ab officio recitando excusetur, opus non esse gravi morbo, sed satis esse grave incommodum certo secuturum, imo huius probabile periculum. Quocirca excusatur, qui prudenter timet, obventuram forte notabilem sive gravedinem capitis sive cruditatem stomachi sive virium lassitudinem vel si credat febrim tardius esse remittendam. Et quamvis hic recreationis gratia plures etiam horas legere possit, non tamen sequitur debere officium recitare; quia ad hoc maior attentio animi et contentio virium requiritur.

2° Non solos aegrotantes sed et convalescentes (qui ex precenti morbo convaluerunt nec satis firma adhuc valetudine utuntur), per aliquot dies, iudicio prudentum, excusari, atque id etiamsi interea Missam celebrent.

3° In dubio, num infirmitas excuset, posse male habentem se committere iudicio medici vel prudentis viri, maxime superioris, qui in tali dubio dispensare etiam potest, ad omnem scrupulum eximendum. Imo et iudicio proprio stare potest, si is idoneus est ad tale iudicium ferendum.

4° Si prudenti inquisitione facta dubium adhuc perseverat (quod erit idcirco dubium positivum) dubium nempe an recitatio graviter sit nocitura, non tenetur recitare; quia ius naturale curandae valetudinis magis urget, quam praeceptum Ecclesiae: *nisi id faceret*, ait. s. Alph., *amore virtutis, secluso periculo mortis,* iuxta dicta l. 3. n. 371. cum Lugo etc. Sed haec allegatio parum ad rem facere videtur. Est allegatio doctrinae de monachis, qui austere vivendo, aliquam largioris vitae iacturam forte incurrant. At differt casus iste damni paulatim forte secuturi a detrimento, quod ipso facto gravem laesionem inducit. Et si ius naturale praecipit, ut ait s. Doctor, non apparet, quomodo hoc ius possit violari.

5° Si vero dubium sit, an indispositio sit talis ut valeat excusare ab officio, si dubium sit pure negativum seu simplex dubium (quod inane videtur), tunc lex possidet recitandi; si autem sit dubium positivum, adsit nempe probabile iudicium de excusatione, non tenetur recitare.

6° Si tandem infirmus, certus se non posse totum officium recitare, dubitat an partem possit; probabiliter tenetur ad nihil: ne scrupulis anxietur, quod satis molestum foret.

370. Quaerit praeterea n. 155. an obligetur recitare qui tertiana vel quartana laborat. Profecto cum actu febri corripitur, non tenetur; sed quaestio est de iis diebus, quibus immunis est ab accessu febris.

Id ex circumstantiis decernendum esse, ait, ut si sine gravi incommodo valeat recitare, ab obligatione non liberetur. In praxi consilio prudentis medici acquiescere licet, ut dictum est superius.

Cum vero praevidet certa hora febris aestum imminere, teneturne anticipare, si fieri potest, recitationem officii? E. gr. novit a meridie se febri corripiendum, debetne ante meridem nonam, vesperas et completorium recitare? Sententia affirmans videtur s. Alphonso melior; quia obligatio latitudinem totius diei complectitur: cum ergo dies adest, iam praeceptum urget, quod implendum est eo modo quo fieri potest et provocat ad regulam traditam a nostro Auctore *de Legibus* c. II. dub. II. resol. 6. quod cum quis, manente vi praecepti (h. e. si non extrahitur homo a subiectione legi) est impediendus, tenetur praevenire.

Verum alii, quos ipse s. Alph. citat, Canus, Sanchez, Lessius, Viva aliique vel obligationem anticipationis negant vel hanc negantem sententiam probabilem habent; quia etsi obligatio officii toti diei respondeat et possit illi satisfieri qualibet hora: nulla est tamen obligatio praevertendi tempus et ea potestas anticipandi est potius quidam favor factus privatis; favore autem, quemadmodum et privilegiis, nemo uti tenetur.

Affertur exemplum obligationis Missae die festi. Si in parochia duo tantum Missae celebrentur, prior hora 8ª, altera 11ª et sciat quis se impeditum fore hac altera hora, tenetur hora 8ª audire Sacrum. Sed negatur paritas; nam in hoc casu hora 8ª ad illud tempus spectat, quod est idoneum et proprium, secundum Ecclesiae institutionem, celebrationi et auditioni Missae: at tempus antemeridianum non est tempus proprium, ex ipsa ecclesiastica institutione Officii, ad recitationem vesperarum; quamvis id permittatur, rationabili causa exsistente, ut idcirco, si haec desit, sit culpa quaedam venialis.

Haec ergo sententia negans est vere probabilis. Ipsi vero s. Alphonso satis probabilis est sententia negans obligationem praeoccupandi praecedente vespere matutinum sequentis diei; eo quod haec anticipatio sit ex privilegio, quo nemo tenetur uti. Sed. puto, privilegium improprie dicitur; quia est facultas omnibus communis; nisi sermo sit de speciali quadam et ocyore anticipatione. Itaque ratio est; quia anticipatio haec est tantum facultativa, qua nemo tenetur uti, antequam praeceptum urgeat. Hactenus Ball.

LVIII. 2. Iustum impedimentum, v. gr. metus proditionis inter haereticos. Item gravis, vel repentina occupatio, vel opera charitatis maioris momenti, quam Horae, quae sine scandalo, vel gravi incommodo tuo, vel alterius omitti non possint. Quo modo etsi concionatores, vel confessarii aliquando excusari possint idque ex benigna Ecclesiae in-

tentione, ut docent Syl. Suar. et Laym. etc., tenentur tamen anticipare, si possint, v. gr. si mane praevideas, te tota die confessionibus occupandum, quae differri non possint. Ita ex Suar. et Azor, Bon. l. c. p. 2. n. 1. et 2. etc. communiter.

371. Clara sunt. Affert heic s. Alph. proposit. 21. ab Alexandro VII. damnatam. « Habens cappellaniam collativam vel quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit, si officium per alium recitet ».

Studium ergo litterarum non est causa sufficiens, ut clericus eximatur ab obligatione officii, quae ceteroquin est personalis. Quod autem dicitur ultimo loco de anticipatione, expediendum est, puto, eodem pacto, ac in praeced. resol., si cohaerentes nobis esse volumus.

LIX. Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere, quod neglexisti (nec recitando, nec audiendo) dum thurificando ad Magnificat, vel Benedictus, vel libros necessarios circumferendo, vel lectionem mox cantandam praevidendo, vel alia in choro necessaria peragendo occupatus fuisti ; quia chorus totus pro eo, qui in re ad officii celebritatem pertinente occupatur, videtur supplere et non tantum suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine recitare aut canere. Ita Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. num. 7. Henr. Sylv. Azor, Sot. Molf. Nald. Arag. Regin. citati a Dian. p. 2. t. 12. res. 3. Idem de eo, qui choro organis musicis alternis versibus respondet, dicunt Navar. Sanch. Arag. et Rodr. apud Laymann loc. cit. scilicet eum non esse obligatum, ut etiam voce proferat: sed negat Escob. t. 5. E. 6. V. Trull. d. 16.

Cf. dicta ex s. Alphonso n. 335. 3.

LX. 3. Caecitas, Bonac. p. 2. n. 4. etc. communiter.

372. Sed quid, si ex usu retinuerit memoria Officium vel aliquam eius partem ? Idem dicendum ac in casu seq.

LXI. 4. Carentia breviarii inculpata. Quod si tamen memoriter possis dicere vel totum officium, vel unam Horam, teneris. * Hac in re considera Proposit. 54. inter proscriptas ab Innocent. XI. * Si vero tantum scias Psalmos, vel Lectiones, vel Capitula, dicit Fill. t. 2. tr. 23. cap. 9. num. 187. citans Navarr. et Suarez, item Escob. c. 6. n. 149. probabile esse, non teneri: quia Psalmi ut sic non sunt Hora Canonica, ad quam tenetur Clericus. Idem dicit Garz. *de Benef.* t. 1. p. 12. c. 1. n. 221. Mald. in 2. 2. t. 10. c. 2. d. 5. etc. Io. Sancius in *Select.* d. 11. n. 1. citati a Dian. eo quod Lectiones et Capitula sint pars, licet minor, maxime principalis, ita ut absque illis non sit Officium Canonicum. Idem concedit Sanch. l. 1. c. 19. in Matutino festi duplicis, vel semiduplicis. V. Bonac p. 2. n. 6. Dian. p. 2. tr. 12. res. 30. et 43. Verum haec probare non ausim; sed potius quod docet Bonac. d. 1. a. 6. p. 2. impeditum ex aliqua dictarum causarum, si possit dicere partem notabilem, ad id teneri, alias ad nihil. Denique si quis careret Breviario, quo uti solet, verbi gratia Romano, tenetur legere aliud, quod habere potest; quia per utrumvis impletur substantia praecepti. Creus. Escob. Dian. p. 9. t. 9. res. 25.

373. Exstat propositio 54. damnata ab Innocentio XI. : « Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad se minorem ».

Quid damnatur in hac propositione ? an quod affirmetur matutinum et laudes esse partem maiorem Officii, secus ac censuisse videtur Pius V.

in sua Const. *Ex proximo?* cf. n. 340. Non putanda Romana Sedes pro re levissima esse locuta. An reprobatur, quod pro affirmatione: *ad nihil teneri,* afferatur principium: *maior pars trahit ad se minorem,* ita ut falsitas sit non in re affirmata, sed in ratione allata? Multo minus puto; quia si aliqua ratio exstaret pro ea affirmatione (si vera supponatur) demonstranda, haec profecto foret.

Restat ergo ut improbetur sententia, quod qui non potest maiorem partem officii dicere, non teneatur ad reliquas Horas, quas dicere potest: quo posito sequitur, heic non habere locum principium citatum.

Idcirco etsi maior pars, quae recitari nequit, essent omnes horae, excepta una, haec reliqua recitanda est. Haec autem doctrina non est alia ab ea, quae superius n. 358. statuta est.

374. Sequiturne exinde, quod si psalmos nocturnorum scias, careas tamen lectionibus et responsoriis, tenearis dicere psalmos?

Notat Gury V. 2. §. 96. q. 4. casum differentem esse: nam ibi agitur de eo, qui potest aliquas horas integras, secundum praescriptam formam, recitare: heic agitur de illo, qui in recitatione horarum deficeret a praescripta forma. Idcirco heic est specialis difficultas. Nam, cum non tantum praecepta sit recitatio Officii, sed simul praecepta haec forma: cum haec servari nequit, patet nec ipsum praeceptum posse servari ideoque eius obligationem desinere. Id quidem valet, si forma, quae deficit, talis sit, ut ea omissa non censeatur amplius dici officium praescriptum. Ita si antiphonae tantum desint, defectus videtur accidentalis; at si in nocturnis nequeas dicere lectiones cum responsoriis et capitulis, non videtur amplius haberi ea pars officii determinata, quae praecepta est.

Quaeritur ergo, an teneatur recitare psalmos, quos forte memoria tenet, qui nec antiphonas nec capitula nec lectiones nec responsoria habet.

Dices teneri; quia qui, potens recitare integros nocturnos, omitteret Psalmos, ille certe graviter peccaret, tenetur ergo sub gravi ad Psalmos recitandos: faciat ergo et hic saltem satis huic gravi obligationi.

« Verum (ait Ballerini) si rem paulo accuratius inspicias, videbis « discrimen inter hanc hypothesim et nostram. Cum fit hypothesis, « quod quis possit integrum officium vel integram horam recitare, « tunc adest certe lex ipsum obligans ad integram recitationem et « prohibens notabilem omissionem; qui legi non parens graviter peccat. « At si fiat hypothesis, quod quis, ex nocturnis nequeat dicere nisi « solos Psalmos vel nisi solas lectiones cum responsoriis, tunc dubium « oritur et quaestio fit, an is possit praeceptum implere recitandi no- « cturnos; nam Psalmi soli vel lectiones solae non sunt ea Hora

« canonica, quae dicitur nocturni et sic quaeritur an teneatur obli-
« gatione recitandi ».

« Quocirca Suarez l. c. 2. 28. n. 10. absque haesitatione, de eo qui
« Breviario caret, aliquid tamen memoria tenet, affirmat: licet quis
« non possit omnes horas dicere, si tamen posset aliquas vel aliquam
« recitare, deberet illam dicere, dummodo integram dicere possit....
« Neque obligatur aliquis ad dicendum Psalmos, aut orationes, aut
« partes Horarum (quas tantum memoria tenet); quia illae, ut sic,
« non sunt Horae canonicae neque Officium divinum, ad quod tantum
« recitandum clericus obligatur. Atque hoc modo sentit Navarrus c. 2.
« *de Orat.* n. 15. Ita et Filliuccius tr. 23. c. 3. n. 287. — Si quis in
« casu posito (scil. carentiae Breviarii) possit recitare memoriter totum
« officium vel integram aliquam Horam, tenetur: si autem Psalmos
« tantum sciat, non autem lectiones, orationem et capitula, non te-
« netur. Ratio est, quia illi Psalmi, ut sic, non sunt Hora canonica, ad
« quam clericus obligatur; ut ex mente Navarri, docet Suarez l. c. —».

375. « Hanc doctrinam paulo aliter proponit Laymann l. 4. tr.:
« l. c. 6. n. 2. ait: 1° Si indubitatum sit, te integram aliquam Horam...
« recitare posse, licet alias Horas non possis, teneris illam recitare;
« eo quod quaevis Hora per se sit canonica oratio a reliquis officii
« partibus dividua ».

« 2° Si alicuius Horae v. gr. matutini vel vesperarum notabilem
« partem recitare non possis, omnino ab ea Hora excusatus censeris.
« Et provocat ad ea, quae iam tradiderat in lib. 1. tr. *de Legibus* c. 19.
« n. 6. ubi exstat haec thesis: — Si praeceptum sit de re individua,
« qui excusatur a parte eius substantiali, excusatur a toto: — dein
« vero addit exceptionem: — Nisi pars praecepti, quae servari non
« potest, exigua sit: ut qui reliquum observat, censeatur moraliter
« implere praeceptum quoad substantiam. — Et ponit exemplum etiam
« in Breviario, inquiens: — Simile est, si, qui Breviarium suum amisit,
« in matutinis alicuius feriae omnes Psalmos memoriter sciat, sed tres
« lectiones cum responsoriis nesciat: obligatur ad Psalmos recitandos;
« quia tunc pars, quae omittitur, notabilis non est. Aliud vero dicen-
« dum de matutinis novem lectionum; quarum omissio notabilis cen-
« setur: quare qui eam partem recitare nequit, a toto excusatus
« videtur ».

Discrimen inter doctrinam Laymann et Suarez, quem tamen Laymann l. prius cit. sequi se profitetur, in hoc esse videtur, quod Suarez rationem habeat deficientis formae praescriptae, per quam oratio evadit Hora canonica; alteri vero satis est defectus partis notabilis etiam quoad quantitatem; nam, si solius formae ratio habeatur, etiam matutinum feriae sine lectionibus caret propria forma.

Sententia Suarez rationalis magis videtur; quia ex ipsa natura rei praeceptae deducta: verum difficultas erit in applicatione; nam et Suarez, puto, defectum formae in substantialem et accidentalem distinguet nec a recitatione Horae excusabit eum, qui solum Capitulum ignoret.

376. Supposuimus carentem Breviario sed memoria Officium vel aliquam Horam tenentem non excusari a recitatione eius, quod scit: Soto tamen citatus a Suarez l. c. n. 10. de hac obligatione dubitabat; quia, aiebat, quod quis memoria didicerit Officium, est accidentarium nec est propterea ille magis gravandus quam alter stupidus, qui nihil valet memoriae mandare, ut hic idcirco Breviario carens ad nihil teneatur. Verum, ut advertit Suarez, obligatio, qua clericus urgetur, non est per se habendi breviari, sed recitandi Officii: haec autem obligatio implenda est, cum fieri potest: atqui qui memoriter scit, potest, et commode potest.

Excusatne ignorantia, qua quis nescit Officium prout oportet recitare, ignorans prorsus methodum et rubricas? Casus est potius metaphysicus. Per se in eo, qui accipit beneficium aut ordinem, ignorantia haec, qua impeditur a penso statim persolvendo, est culpabilis, nisi ope alterius statim dirigi possit; sic enim nec impotentia foret. Nihilominus fieri forte identidem potest, ut quis adhuc huius muneris plane rudis nequeat occasionem dimittere vel suscipiendi ordinis sacri vel accipiendi beneficii: tunc si nescit et non potest, excusabitur paucis diebus donec discat: verum si latine scit et potest rubricas intelligere; satius est, etsi pluribus cum erroribus, Officium statim recitare, quam nihil dicere. Cf. Suarez l. c. c. 28. n. 6.

377. Perpendendum, quod ultimo loco habet A. Doctrina heic tradita certe valet, si carens Officio diei vel Officio proprio alicuius festi, habeas ex eodem Breviario aliud officium, vel commune: licet enim, ut dicemus art. seq., ex rationabili causa, officium in alterum mutare. Item si loco Breviarii, quo uti soles, habeas aliud, probatum pariter ab Ecclesia, ut si carens Breviario Romano, habeas ad manum Ambrosianum aut Benedictinum, teneri te aiunt hoc uti; quia, duplex est veluti praeceptum, alterum de recitandis horis canonicis, alterum de recitandis hoc modo determinato: dummodo ergo modus sit ex probatis ab Ecclesia, adhuc potes facere satis principali obligationi recitandi officii; haec ergo implenda, etsi altera non possit. Haec tamen sententia non est omnino certa et contradicunt Salmanticenses citati a s. Alphonso n. 158.; quia potius dicendum est unum esse praeceptum sive ex duabus rebus praeceptis, recitationem officii et determinatam formam, puta romanam pro iis, qui privilegiato Breviario non utuntur, alteram sine altera esse non posse.

Nam Pius V. Const. *Quod a nobis* 9. Iul. 1568. statuit *neminem, nisi hac sola formula, satisfacere posse.* Quocirca s. Alph. ibid. contentus est dicere opinionem affirmantem obligationem, altero breviario utendi, videri sibi, tamquam magis piam et rationabilem, sequendam.

Sed certa est sententia Salmanticensium, si loco Breviarii Romani, habeas aliud, quod Ecclesia non probavit, ut quaedam Gallicana: tunc enim vere diceris Breviario simpliciter carere.

LXII. 5. Dispensatio, quam sine causa solus Papa dat valide, cum causa Episcopi. Et sic subdiaconum, qui ex dispensatione Pontificia ducit uxorem, hoc ipso liberari ab onere Horarum, contra Bon. et Azor, docet Sanch. *de Matr.* t. 8. d. 8. Dian. p. 8. t. 3. res. 34.

378. Causa iusta dispensandi est, ait heic s. Alph., si dubitatur de impotentia morali clerici.

Sanchez citatus ab A. *de Matr.* l. 8. disp. 8. n. 11. postquam id de religioso professo affirmaverit, quod dedimus n. 337., subdit idem valere non quidem in subdiacono tantum, sed in sacerdote dispensato a Pontifice ad nuptias ineundas, ut is non teneatur amplius ad officii recitationem, postquam habitum mutaverit et ad statum laicalem se receperit. Quia mutatus est status et non gaudet ipse amplius privilegiis clericorum nec bonis Ecclesiae fruitur: quocirca debet similiter manere ab oneribus exemptus sacerdotio annexis.

Articulus IV.

Quomodo recitandae sint Horae.

LXIII. Resp. In recitatione Horarum sequentes circumstantiae sunt servandae. 1. Ut recitentur iuxta praescriptum Breviarii Romani, iussu Pii V. editi, saltem publice. Excipe Religiosos, qui habent peculiare Breviarum Ordinis, et Ecclesias, quae 200. annis ante institutionem Breviarii per Pium V. peculiare habuerunt; eae enim sine consensu Episcopi illud mutare non possunt. Privatim tamen omnibus etiam Regularibus probabile est licere ex consuetudine uti Romano, ut docet Less. c. 37. d. 12. Rodriq. et Sà, V. *Horae*, Bon. d. 1. q. 3. p. 1. Adde, quod qui eo utitur, ne in choro quidem obligetur ad psalmos poenitentiales, graduales, officium defunctorum, excepto die animarum. Officium tamen B. V. in choro recitari debet, ubi est consuetudo. Ita Fill. et Bon. ex Bulla Pii V. et Clem. VIII. Item tenetur ad Litanias diebus Rogationum; tum quia sunt pars officii eo die: tum quia peculiaris de ea re est Constitutio. Ita Bonac. l. c. ex Fill. Etsi contrarium probabile esse dicat Dian. p. 2. t. 12. res. 12. ex Vasquez; item Escob. t. 5. c. 6. Quod si ex inadvertentia, vel necessitate v. gr. quia lectiones de festo nullas habes, officium mutes, ita ut dicas de feria, quando erat dicendum de Sancto, vel contra, nullum erit peccatum nec obligatio repetendi, licet consultum sit repetere ea, quae ad proprium officium pertinent: si vero studio idem mutes, aliud sentiendum videtur; cum ratio non sit eadem. Quamquam, quod eo casu venialiter tantum pecces nec tenearis repetere vel restituere quidquam, eo quod substantia praecepti sit impleta,

probabile esse censet Escob. t. 5. c. 6. c. 5. Dian. p. 3. t. 12. res. 3. item Caiet. Sylv. Binsfeld. Azor, Valent. Less. Fill. etc. citati a Bonac. d. 1. q. 1. p. 1. n. 17. et Dian. l. c. contra alios multos, quos citat et sequitur Barb. Laym. vero l. 4. t. 1. c. 4. n. 4. cum Suar. limitat, nisi per fraudem, quasi multo longius in multo brevius, v. gr. paschale, mutetur (licet Caram. apud Dian. p. 7. t. 12. res. 16. contra communem sentiat, etiam sic praeceptum impleri et venialiter tantum peccari) aut idem pro libito toto anno dicatur; quia est gravis inordinatio. * Hac de re lege Propos. 34. inter interdictas ab Alex. VII.* V. Trull. d. 14. n. 11. ubi docet, eum, qui per errorem legit hodie de Sancto, qui cras v. gr. colitur, posse cras legere de Sancto, qui hodie celebratur, ne is hoc anno omittatur; imo ita faciendum esse vult Quintan. t. 8. sign. 10. Verum contrarium rectius tenet Villalob.; eo quod praestet semel, quam bis, errare. Idque multis bene confirmat C. Lugo, *Resp. Mor.* l. 5. d. 8. Similiter, eum, qui per errorem, vel oblivionem in festo duplici, vel semiduplici non recitavit de proprio, posse de eo legere primo die non impedito novem lectionum officio, docet idem Quintan. t. 9. s. 9. esse probabile. Verum et hoc merito reiicit C. Lugo l. c. et ipso Quintan. contrariam sententiam agnoscit probabiliorem. Denique qui in aliquibus Horis erravit, legendo v. gr. de feria, quando erat de festo, vel contra, agnoscens errorem non debet eum continuare, sed reliquas horas legere iuxta officium eo die currens, ut in iis saltem conformet se toti Ecclesiae vel communitati, cuius est pars et observet legem, quantum potest. Card. Lugo l. c.

379. Illud *saltem publice* sub initium redundat. Sane Pius V. Const. cit. *Quod a Nobis* disserte prius loquitur de omnibus Orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus etc. in quibus alias officium divinum *Romanae Ecclesiae ritu dici consuevit aut debet* §. 5., quae limitatio est notanda. Non enim loquitur Pontifex de iis ecclesiis etc. quibus alio ritu a Romano in persolvendo officio uti licebat. Illis ergo ecclesiis, monasteriis etc. Breviarum Romanum reformatum iniungitur, quovis alio abolito §. 5. et 7. Porro hanc legem valere *tam in choro, quam extra illum* significatur §. 6. et §. 7. ubi dicit Pontifex: « Statuentes... quoscumque, qui Horas canonicas ex more et ritu ipsius Romanae Ecclesiae iure vel consuetudine dicere vel psallere debent... ad dicendum vel psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas et nocturnas ex huius Romani Breviarii praescripto et ratione omnino teneri neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, *nisi hac sola formula satisfacere posse* ».

Attamen abolens Pontifex in locis ritui Romano subiectis, quaelibet alia Breviaria, excepit ea, quae vel ab ipsa prima eorum institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine inducta, iam a ducentis annis in usu erant; ceteris, etsi ab Apostolica Sede probata fuerint, revocatis et abolitis §§. 5. 6. 7.

Porro iis Ordinibus vel ecclesiis, quae huiusmodi antiqua Breviaria obtinerent, quamvis ea non ademerit, permisit tamen Pontifex, ut, si forte Breviarium quod ipse promulgabat, magis placeret, dummodo Episcopus et universum capitulum in eo consentiret, id in choro dicere et psallere possent §. 5.

Monet Lessius c. 37. n. 74. in monasteriis exemptis non requiri consensum Episcopi, quod facile patet.

380. Ex hac Pii V. Const. aliaque *Ex proximo*, constat quod Officium recitans ex Breviario, quod non sit hoc Romanum, neque aliquod ex non suppressis a Pio V., licet illud auctoritate Episcopi inductum sit, non satisfacit obligationi: etsi identidem propter moralem impossibilitatem excusari possit. S. Rituum Congregatio 15. Mart. 1608. declaravit, eos qui, auctoritate Pii V., proprium poterant retinere Breviarium, semel ac illud in Romanum commutarint, non posse amplius ad vetus suum redire. Cf. Bouix *de Iure liturgico*, part. 4. c. 2. §. 2. prop. 7.

Imo et privilegium veteris Breviarii amittunt, qui illi additamenta aut mutationes quaslibet inducunt. Eadem s. Congr. ad Episcop. Bisuntinum 28. Aug. 1856.

Cum non desierint Romani Pontifices urgere observationem Bullae Pianae et etiam nunc urgeant, manifestum est, nullam contrariam consuetudinem valuisse aut valere contra id, quod ipsa Bulla disponit. Cf. Bouix l. c. §. 3. prop. 6.

381. Quamvis in rubricis Breviarii praescripti a Pio V. adhuc notetur, quibus diebus officium b. Mariae et Defunctorum, Psalmos poenitentiales et graduales dici ac psalli oporteat, nihilominus ipse Pontifex declaravit in Const. cit. §. 9. se pro iis, qui Breviario suo uterentur, tollere quoad illa obligationem sub culpa, excepto tamen Officio b. V. pro iis ecclesiis, in quibus esset illud consuetudo in choro dicendi. Ut autem clerici harum ecclesiarum censeantur sub gravi ad id obligati, oportet ut ibi consuetudo recepta fuerit instar legis sub gravi obligantis, non liberae devotionis. Lessius l. c. n. 76.

Ceteri ut excitentur ad praedictas preces dicendas, Pontifex fidelibus omnibus, qui diebus in rubrica definitis recitarent Officium b. V. aut defunctorum, toties centum dies, qui recitarent Psalmos poenitentiales vel graduales, quinquaginta de iniuncta ipsis poenitentia relaxat §. eod.

382. Pius V. recensens ea, quarum obligationem sustulit, litanias Sanctorum non nominat, quae in rubricis dicendae significantur die s. Marci et diebus Rogationum. Fuerunt tamen, qui putarent obligationem eas dicendi non esse sub gravi.

Exstat quidem rubrica iis diebus, inquiens: « qui non intersunt processioni litaniarum, *dicant* illas privatim post matutinum cum suis precibus et orationibus » et apud Gavantum *Rubr. Brev.* sect. 6. c. 16. refertur responsum s. Congr. quod qui non interfuerunt processioni aut non cecinerunt seu dixerunt, *tenentur* litanias *dicere privatim*. Idcirco

communior, ait s. Alph. n. 161., sententia est, obligationem esse sub gravi dicendi litanias cum precibus et orationibus, praestitutis diebus. Verum quidam aiunt, non constare satis de praecepto gravi; quia formula illa *dicant* significat quidem ordinationem; sed *in lege Ecclesiae non omnes ordinationes vel publica statuta obligant ad mortale*, ut ait s. Thomas 2. 2. q. 186. a q. ad 2. Haec sententia tribuitur non paucis a Salmanticensibus, qui eam probabilem censent, apud s. Alph. l. c. Propterea s. Doctor non audet sententiam hanc vocare improbabilem: sed priorem magis probat; quia ubique viget consuetudo recitandi litanias, ut quidam dicunt (Tournely et Anacletus) et consuetudo est optima legis interpres.

Cum haec postrema verba scriberet s. Doctor, oportuit, ut vel non certus esset de communi consuetudine vel non certus esset, consuetudinem acceptam esse instar legis obligantis: secus conclusisset, sicut in seq. quaestione.

Quaeritur scilicet an sit obligatio gravis recitandi officium Defunctorum in die Commemorationis omnium Defunctorum. Et heic quoque sententia negans probabilis visa aliquibus. Et Tamburini in *Decal.* l. 2. c. 5. §. 2. n. 14. advertens Pium V. in sua Bulla exemisse utentes suo Breviario ab obligatione recitandi officium defunctorum, quin hunc diem exceperit, non audet improbabilem dicere hanc sententiam. Sed verius affirmandum, ait s. Alph. l. c. q. 2., cum sententia communi; quia haec obligatio iam introducta est consuetudine, a qua, cum universe et constanter cum gravi incommodo observetur, non est recedendum.

383. Quaeritur an permissa sit permutatio officii diei in aliud. Quadruplex primum distinguendus est casus. Nam fieri potest, ut ex inadvertentia contingat permutatio, vel ex necessitate; eo quod officio praescripto careas, vel ex arbitrio et hoc vel simpliciter vel iusta aliqua exsistente causa.

Iam vero in prima hypothesi, si ipso die errorem advertas, non teneris rursus aliud officium, h. e. praescriptum, recitare, ut omnes concedunt; tum quia cum non peccaveris, non est cur duplex onus subeas, tum quia reapse etiam per illud officium praecepto satisfecisti, praecepto nempe recitandi officium divinum quotidianum iuxta Romanum ritum.

Adverte, 1° quod, si nondum absoluto officio errorem advertas, potes alterutrum, vel idem officium absolvere, vel reliqua supplere de officio praescripto. Cf. s. Alph. n. 161. q. 5. Sane licet absolvere quod coeptum est, ne difformes partes coniungantur, quam difformitatem per se rubricae non probant: licet supplere reliqua de officio diei ut, quantum potes,

praecepto, quod hoc die urget, facias satis. Imo s. Alph. cum Croix censet hoc alterum esse melius, ne error producatur: verum sic non vitas aliud inconveniens in eo situm, ut partes sibi non congruentes una componantur.

Quid si officium, quod dixisti, sit brevius, puta officium Sancti loco officii dominicae idque adhuc currente die advertas? S. Alph. ait, *rationabilius* advertere Tournely, Laymann, Bonac. Suarez etc., quod debeat fieri compensatio, recitando novem psalmos ex primo nocturno dominicae. Dicit esse rationabilius, non dicit esse necessarium. Sane et tunc integrum quoddam officium iuxta Romanum ritum est recitatum nec illi novem psalmi pars sunt aut esse possunt illius officii nec plus quam unum officium recitare teneris. Quocirca Laymann *de Horis Canon.* c. 5. n. 5. et Suarez *de Relig.* tr. 4. c. 4. c. 23. n. 15. citati a s. Alph. non dicunt simpliciter obligationem hanc esse, sed aiunt: *videri* oportere compensationem aliquam facere.

At 2° qui hodie ex errore recitavit officium de Sancto nondum occurrente, potestne deinceps, cum ille occurrerit, recitare officium Sancti omissi? Posse negat Lugo apud s. Alph. ibid.: alii, ut Salmantic., censent probabile, quod possit, et s. Doctor non putat id improbabile; sed communiter probabilius habetur, recitandum esse officium proprium diei ideoque iam dictum repetendum.

Ratio est, quia praestat se conformare communi ritui Ecclesiae. At communis ritus habet hoc etiam, ut Sancti illius, quem omisisti, officium in anno celebretur nec probat bis de eodem Sancto officium idem celebrari. Idcirco vere probabilis dicenda est sententia affirmans, posse nunc officium omissum recitari; si praesertim liceat, ut videbimus, rationabili exsistente causa, aliquod officium in aliud commutare.

384. In altera hypothesi necessitatis, si e. gr. non habeas ad manum officium Sancti, quod dicendum esset, habeas tamen officium Feriae vel s. Mariae, debes hoc dicere; quia duplex est veluti obligatio: officii nempe quotidiani recitandi et recitandi secundum Kalendarium. Si non potes utrique obligationi satisfacere, non liberaris ab ea, cui potes; cum praesertim tunc iusta subsit causa propter quam licet officium mutare. Officium utique semper dicendum est iuxta Romanum ritum: sed in eum non peccas, cum substituis officium in Breviario Romano probatum et eo ritu recitas, qui ibidem praescribitur.

385. Succedit ergo quaestio, an liceat ex mero arbitrio aliud pro alio officio recitare. Cum absque causa fiat, quod sit saltem veniale, facile convenit inter omnes; quia est quaedam ordinis perversio: sed quaestio est, an sit mortale. Sententia est Lessii c. 38. n. 77.: « mutationem officii etiam dedita opera non esse peccatum mortiferum, ut

si loco officii de Feria, dicatur de ss. Trinitate vel de venerabili Sacramento vel de b. Virgine, aut contra loco officii de Festo, dicatur de Feria ». Atque citat pro hac sententia Caietanum, Silvestrum, alios passim et Azor, qui dicit *hanc esse communem omnium sententiam.*

Et rationem affert; « quia id quod Ecclesia primario praecipit, est, ut septem horae canonicae quotidie recitentur: ut autem dicatur de hoc vel illo Festo, hac vel illa forma, solum pertinet ad modum et circumstantiam secundariam officii, quae non est tanti momenti ». Unde concludit: « Itaque substantia praecepti servatur, quodcumque officium Breviarii concessi dicatur ».

S. Alph. n. 161. q. 3. quaestionem hanc proponit paulo magis circumscriptam: nimirum: an sit peccatum mortale, officium diei in aliud *brevius* permutare. Porro pro sententia negante citat Lessium: hic tamen, ut vidimus, huius circumstantiae *brevioris* officii non meminit et forte eam ne cogitavit quidem: nam exempla ab eo allata versantur in officiis plus minus paribus quoad quantitatem. Negari tamen nequit, eius conclusionem, prout iacet, huc quoque se porrigere. Sed cf. Viva in propos. 34. Alexandri VII. n. 14. S. Alph. producit primo in medium prop. 34. ab Alexandro VII. damnatam: *In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.* Ex qua constat hunc non satisfacere praecepto et pariter constat, conclusionem universalem Lessii esse falsam. Sed non satis constat, quaenam sit ratio, cur ille permutator officii non satisfaciat. Estne ratio, quia officium paschale est brevius? an est ratio, quia officium, quo laetitia Resurrectionis celebratur, non congruit imo repugnat diei, quo passionis recolitur memoria? Vel in hoc tantum non parva difformitas, et perversio ordinis apparet. Utramque rationem valere censet Viva l. c. n. 9. Idcirco negamus aliquid certi ex illius propos. damnatione concludi posse in quaestione, in qua solum agatur de longiore aut breviore officio.

386. Sententiae Lessii prorsus opposita est sententia eorum, qui putant mortale esse mutare officium etiam in aequale quoad quantitatem, etsi semel. Ita Concina cum aliis apud s. Alph. Ratio est, quia Pius V. in Bulla *Quod a Nobis,* statuit debere omnes, qui horas canonicas dicere tenentur, *ex huius Romani Breviarii praescripto ac ratione recitare et neminem, nisi hac sola forma, satisfacere posse;* unde inferunt, praeceptum non esse de recitando officio in genere, sed secundum formam praescriptam. Porro ad formam Breviarii praescriptam pertinet etiam distributio officiorum secundum tempora diversa, ut tempore Adventus dicatur officium de Adventu, tempore Paschali de Paschate, die Assumptionis b. Mariae, de Assumptione etc.: ita sane in Breviario digesta sunt omnia, ut singulis temporibus sua officia

assignentur et singulis diebus vel de Feria vel de certo Sancto officium praescribatur. Cur ergo haec determinatio certi officii pro certis temporibus ac diebus negabitur ad eam formam spectare, quam praescribit Pius V.? Ita Suarez c. 23. nn. 11.-14. cum aliqua limitatione, ut videbimus. Qui affirmat praecedentem aliam sententiam eiusque rationem nunquam sibi probari potuisse et censet talem mutationem esse per se sive ex suo genere peccatum mortale.

387. Duplex est sententia media. Altera dicit, non peccare graviter, qui mutat officium in aequale vel fere aequale, dummodo non fiat in contemptum, puta alicuius sancti: quod si fiat sine causa, erit veniale. Ratio est; quia, ut dicitur c. fin. Dig. *Mandati: Forma reipsa servatur, si per aequivalens id fiat;* quae ratio id supponit, quod Pontifex in assignanda forma officii, habuerit potius rationem quantitatis quam qualitatis in hoc sitae ut sit de Feria vel Sancto, de hoc vel illo Sancto etc.; quae esset forma accidentalis. Hanc suppositionem s. Alph. refert, quin improbet. Si quis ergo die Paschatis, loco officii eius diei diceret officium alicuius Sancti, non peccaret graviter imo nec leviter; quia mutaret in longius. Id autem non videtur sensus communis recipere. Nam etsi accidentalis mutatio dicatur quae fiat in iis quae spectant ad *Proprium Sanctorum,* at talis non videtur in *Proprio de Tempore,* cum certa commemoratio Mysteriorum Domini praescripta est.

Nihilominus Suarez quoque hanc suae sententiae limitationem admittit, ut peccatum non sit grave, si Officium substitutum sit aequivalens vel fere aequivalens in quantitate. Recipit ergo principium huius sententiae: formam essentialem officii praescriptam se tenere ex parte quantitatis; quod nescio quomodo cum eius ratiocinio cohaereat.

388. Altera sententia media est, peccare graviter qui frequenter officium mutat: venialiter qui mutat raro, puta ter vel quater in anno: dummodo mutatio non fiat in officium notabiliter brevius atque sine causa. Haec sententia docet (utor verbis Tamburini, qui pro ea citatur Explic. decal. l. 2. c. 5. §. 2. n. 20. seqq.): si mutatio officii fiat raro sine causa, ob solam commoditatem v. gr., errari venialiter, si vero fiat ex aliqua causa (utique raro) ne peccari quidem venialiter, etiamsi officium, quod assumitur sit brevius omisso. At si id persaepe fiat (utique sine legitima causa) peccari mortaliter. Negat autem Tamburini, licere vel semel, omisso proprio officio, recitare officium Resurrectionis.

389. Ex his quatuor sententiis, primam (n. 385.) s. Alph. improbat aitque eam vix sustineri posse et sane in sua universalitate accepta adversatur damnationi prop. 34. citatae.

Secunda (387.) habetur a s. Doctore satis probabilis et, ut dicam quod sentio, vera mihi videtur: saltem nisi mutatio sit notabilis quoad qualitatem, ut si die Nativitatis Domini loco eius officii, diceres officium sanctorum Petri et Pauli, quod non auderem a gravi excusare.

Tertiam sententiam (n. 388.) s. Doctor dicit *aequiorem* se putare. Quartam (n. 386.) vocat, non secus ac secundam, satis probabilem. Itaque probabile est s. Doctori tum non peccare graviter qui mutat officium in aequale vel fere aequale, tum peccare graviter qui mutat officium in aequale, etsi semel. Aequius tamen censet, peccari tunc tantum graviter, cum frequens est mutatio, ut dictum est n. 388.

Auctore ergo s. Alph., licebit in praxi priori sententiae ex duabus mediis recitatis se conformare, ut mortale nunquam iudicetur, cum mutatio est in aequale vel fere aequale, etsi frequenter fiat, et sine causa.

390. Ex dictis autem sponte consequitur, quod si aliqua rationalis causa occurrat, licita sit prorsus mutatio officii (addit Tamburini l. c. n. 21., etiam in brevius). Causae, ex s. Alph. l. c., plures occurrere possunt. E. gr. 1° si alio pergas, potes recitare officium eius loci, cuius ritui in Missa celebranda conformare te debes; rubrica enim monet officium cum Missa concordandum. Idem dicitur, ait s. Doctor, de cappellano Monialium, qui potest legere Missam de Sancto Ordinis. 2° Si commensalis es aut domesticus Cardinalis vel Episcopi, potes eius uti breviario, quemadmodum in Conc. Viennensi statuit Clemens V. cf. Clementinam *Dignum, de celebr. Miss.*, quin opus sit ut officium cum illis recites; hanc enim conditionem Concilium non postulavit. 3° Si cum socio recites, etiamsi libera sit prorsus, nulla exigente causa, associatio, licet tibi eius recitare officium, idque satis probabiliter ait s. Alph. l. c., si aequale sit officium vel quasi aequale; quia ipsa societas est causa satis rationalis; cum commendetur oratio, quam duo vel tres simul congregati faciunt idque magis cohaereat cum primitiva officii institutione. Cf. n. 393.

Quid vero si officium socii sit brevius puta Sancti, prae tuo de dominica? Sententia affirmans et tunc licere, rationi societatis, permutationem, non placet s. Alphonso ibid. q. 4.: eam tamen disserte non improbat, quam defendi ait a Roncaglia, Diana, Tamburini, Trullench, aliis. Cum ergo, ut vidimus, mortale haud sit, mutare sine causa officium in aequale, saltem si raro fiat, neque erit mortale, mutare in brevius, exsistente causa; haec enim aliquid operari debet et forte nec veniale, saltem si identidem tantum fiat. Hae conclusiones accipiendae sunt cum limitatione, nisi speciali ratione officium illud sit tibi prohibitum, e. gr. tibi Romano officium Ambrosianum. Tamburini *in decal.* l. 2. c. 5. §. 2. n. 28.

391. Si permutasti officium, recitans Matutinum cum socio, quodnam officium recitare debes in ceteris Horis, quas solus dicis?

Puto idem licere ac in casu, quo ex errore aliud prae debito officium recitasti et ante finem errorem advertis (n. 383.). Utroque enim in casu prior recitatio honesta est et valida et utroque in casu valet eadem ratio vel prosequendi idem officium vel suscipiendi quod tu iuberis hodie dicere.

392. Quaerit Tamburini, l. c. n. 15. an satisfaceret praecepto, qui Psalmos legeret graece vel hebraice. Id in choro profecto non licet; nam esset magna difformitas in cultu externo pro Ecclesia latina.

Neque in privata recitatione licet dicere officium lingua vulgari; nam ab hac in sua liturgia abstinendum iam a pluribus seculis duxit Ecclesia latina. At lingua hebraica et graeca sunt linguae sacrae: qui privatim Psalmos graece vel hebraice legeret, nullam mutationem substantialem in officium induceret; forma enim Breviarii Romani adhuc servaretur: is praeterea nullum scandalum aliis crearet: ergo per se non peccaret. Ita Tamburini: id tamen paucis forte probabitur.

393. Heic iuvat subnectere quaedam responsa ss. Congrr.

Episcopus regularis debet recitare officium suae Dioecesis, non vero sui Ordinis S. R. C. 11. Iun. 1605.

Canonici, beneficiarii et multo magis Episcopi debent recitare officium propriae ecclesiae, ubicumque sint. S. R. C. 10. Iulii 1677: 12 Novembris 1831. 7. Maii 1846.

Clerici extranei, qui alicubi quasi domicilium habent, nedum possunt, sed debent conformare se kalendario loci, ubi versantur S. R. C. 1672. Gavantus sect. 2. c. 2. n. 16.

Si nec quasi domicilium habeant, possunt, sed non tenentur ad officium loci, ubi sunt. Herd. s. Lit. Praxis. T. 2. n. 228. Ecclesiastici, adscripti alicui ecclesiae auctoritate Episcopi, tenentur recitare officia propria illius ecclesiae, exceptis officiis concessis solummodo choro S. R. C. 26. Aug. 1752. cf. de his *Monitore Eccl.* 1898. Agosto.

« An sacerdotes seculares, qui censentur alicui ecclesiae adscripti, quia Missam ibi celebrant, confessiones excipiunt aut aliud quodcumque sacrum ministerium exercent, possint officium recitare de Patrono vel Titulari eiusdem ecclesiae, qui non est patronus civitatis vel loci, ut habeatur uniformitas inter sacerdotes illos et pastorem ac vicepastores ecclesiae, qui celebrant festum Titularis eiusdem ritus duplicis 1^{ae} classis cum octava, etiamsi nulla adsit obligatio ad chorum? Resp. Iuxta alias decreta, negative; non enim censeri, sed revera esse debent adscripti stricto servitio ecclesiae, uti parochus et viceparochus ». S. R. C. 7. Dec. 1844.

Magistri et alumni in Seminario degentes tenentur ad officium ecclesiae Seminario adiectae, quamvis alibi Missam celebrent. S. C. R. 7. Sept. 1850.

Monalium cappellani et confessarii non possunt earum officium recitare. S. R. C. 21. Mart. 1795. 17. Aug. 1833.

Pro regularibus. « In itinere sequendum divini officii ordinem coenobii, ex quo discessit... Tempore quadragesimae divini Verbi praecones commorantes extra coenobium se conformare debent ad Provinciae Kalendarium, sine ulla diversitate pro omnibus quolibet anno extensum ». S. R. C. 15. Aug. 1839. Ord. Minor. Cappucc. Si in aliquo conventu vel brevissimo tempore morantur et choro sint addicti, officium proprium loci recitare debent. S. R. C. 18. Sept. 1877. Alii vero, qui non tenentur ad chorum, possunt sequi kalendarium domus in qua morantur vel domus suae. S. R. C. 18. Sept. 1877.

« An religiosi utriusque sensu proprium Kalendarium non habentes, uti debeant Kalendario dioecesano? Resp. Affirmative, additis officiis peculiariter concessis regularibus in illa dioecesi commorantibus ». S. R. C. 22. Iul. 1843.

LXIV. 2. Pronuntiatio vocalis exterior; ea enim est de substantia praecepti. Et si quidem cum socio legis (quod recte fit et est conforme primae institutioni Ecclesiae ac publico orandi ritui estque licitum, etiamsi is ad eas non obligetur nec interius attendat. Bonac. q. 3. p. 2. §. 1.), ea pronuntiatio adhibenda est, ut ab eo exaudiri possis eumque audire vicissim. Sà tamen v. *Horae*, putat satisfieri, etsi quaedam non percipias, quae a socio dicuntur neque ideo aliquid scrupulose repetendum esse: si vero solus legas, ita legendas esse, ut audire teipsum possis, docent Regin. et Suar. sed probabile est, id non requiri; cum Ecclesia id non praecipiat, ut docent Azor, p. 1. lib. 10. cap. 11. quaest. 4. Bonac. et Dian. res. 11. admittitque Fill. tr. 23. cap. 3. num. 117. pro scrupulosis. Si plures duobus recitent officium simul, non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim facto duplici tantum choro, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; quia sic habet usus, et praxis Ecclesiae: secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam recitat; imo alicubi consuetudo permittit, ut omnes ab uno recitentur, aliis audientibus. Bonac. dist. 1. qu. 5. par. 2. §. 1. et Suar. Azor, et Laymann, addens etiam satisfacere eum, qui lectiones vel orationes vel capitula vel responsoria tantum audit et non recitat. V. Bonac. l. c. Trull. d. 16. n. 17.

394. « Quaestio fit, an audire se debeat recitans divinum officium. Quaestio haec, ait Ballerini, merito videri fere poterit nullius momenti; cum vix constet de quo disputetur ».

« Mitto nunc DD., qui non satis ostendunt, quaenam sit indoles quaestionis atque adeo in eo toti sunt, ut vel affirment vel contra negent necessarium esse ut audiatur vox. Eiusmodi fere est et Gury §. 82., qui totam rem absolvit dicendo, non praecipi auditionem, sed solam recitationem, idest verborum pronunciationem ».

« At vero si inspicias eos, qui funditus contendunt quaestionem attingere ac rationes hauriunt ex ipsa actionis natura; enimvero vix intelliges, in quo distet opinio ab opinione ».

« Et sane inspiciatur s. Alphonsus lib. 4. n. 163., qui ad quaestionem — an recitans officium debeat se audire, ut satisfaciat », postquam dixit aliquos affirmare, inter quos Suarez, subdit: — Sed satis probabiliter dicunt satisfacere Laymann etc. et idem docet doctissimus Sylvius, cuius doctrinam noster ss. P. Benedictus XIV. in multis locis... magni aestimat (scilicet Sylvius, socius Estii et Ioannis Hessels, infelici aevo ac regione, h. e. in Academia Duacena docuit, quo tempore pestis Baiana capita perturbabat; auctor est proinde non secus ac Estius caute legendus: vide Lugo *de Poenit.* disp. 5. n. 98. seq. qui nonnullas Sylvii absonas opiniones refellit).

« Pergit s. Alph. referens sententiam Sylvii: — Hic auctor sic suam sententiam profert et probat: *Sufficit etiam, si te non audias, quia nullo iure probatur, recitantem Horas teneri ad se audiendum, cum praeceptum obliget ad dicendum non ad audiendum Horas... Quia oratio potest ore et voce fieri, etiamsi non audiatur ab ipso recitante et ex se sit sonus quidam formatus ex allisione aeris ad dentes et labia* — ».

« Prima pars, ut patet, nihil dicit, sed utique posterior. Sed quid est ista *vox* et *sonus formatus*, qui non audiatur? Explicat sic s. Alphonsus l. c.: — Ratio igitur est, quia ad satisfaciendum Horis non praecipitur auditio, sed tantum recitatio sive pronuntiatio verborum, quae dicitur vocalis. Ut autem pronuntiatio haec *vocalis* dicatur et a *mentali* distinguatur, non certe requiritur elatio sive *formatio vocis* (sed Sylvius dicebat *sonum formatum;* insuper quid erit vox sine formatione vocis?) alias non satisfaceret, qui recitaret *absque vocis sonitu* (ergo satisfit *sine sonitu* vocis); sed sufficit, quod formetur aliquis sonitus verborum (quid est iste *sonitus verborum* absque ullo *sonitu vocis?*), licet modicus et vix sensibilis sit, recitando *a fiato*, ut vulgo dicitur, prout communiter recitant qui privatim officium persolvunt et sicut dicenda sunt secreta Missae. Hic autem *levis sonitus*, quando verba proferuntur (ut bene ait Sylvius) ex se semper fit cum prolatio fieri non possit, quin per linguam et labia fiat aeris compressio, ex qua necessario aliquis sonitus (id est falsum; dentes et labia modificant sonum gutturis) formatur. Per accidens vero se habet, quod sonitus ille audiatur vel non — ».

« Ex quibus diceres, haberi sonitum, quo utuntur poenitentes et Confessarii, qui alioquin necessario audiendi sunt ».

395. « Audiamus modo Suarez, qui allegatur pro opposita sententia, *de Relig.* tr. 4. lib. 4. cap. 7. n. 5.: « — Solet autem quaeri, quae vox necessaria sit vel sufficiat in huiusmodi oratione. Duo enim extrema in hoc invenio: unum oportere tam altam esse vocem, ut ab aliis possit audiri... Alia sententia extreme contraria est, satis esse vocem formare, labia movendo, etiamsi a nemine, neque ab ipso proferente audiri possit; quia Ecclesia non praecipit quantitatem vocis, sed tantum ut voce oretur, ergo, si id fiat, sufficit; nam quod a nemine sentiri possit, accidentarium est. Sed media via tenenda est et primo distinguendum est, an quis recitet solus vel cum socio. Nam si orat cum socio, tenetur quisque tam alte dicere, ut ab alio audiri possit; quia unusquisque tenetur dicendo vel audiendo totum officium explere; quamvis in hoc possit esse aliqua diversitas, quando socius non tenetur ad Horas canonicas recitandas, vel voluntarie illum adiuvat; tunc enim ut is, qui ex obligatione recitat suo muneri satisfaciat, necessarium est, ut possit percipere, quae alter dicit, et tunc licet socius absolute non teneatur, tamen ex suppositione quod vult alium iuvare ad pensum solvendum, debet ita dicere, ut alius percipiat: ipse vero socius non tenetur tunc alium audire; quia simpliciter recitare non tenetur (ut in casu supponitur) et ideo neque ex illo capite necessarium est, ut alter tam alte recitet. Aliunde vero est moraliter necessarium, ut possit convenienter officium peragi; quia nisi socius audiat non potest convenienti tempore aut modo respondere (n. 6.)... *Secundo* addendum, quando quis recitat solus, non teneri ex praecepto ad dicendum tam alte, ut ab assistentibus percipi possit... Et hoc bene probatur illa ratione, quod vera oratio *vocalis* esse potest, etiamsi ad aliorum sensum non possit applicari; id enim per accidens est et ideo non obstat quominus per illam satisfiat praecepto... *Tertio* vero addo, moraliter necessarium esse, ut quis ita loquatur, ut ipse saltem seipsum possit audire. Probatur... ratione, quia esse debet vox audibilis: ergo saltem ab ipso orante; nam profecto (etiam physice loquendo) vix potest formari vox, quae ab ipso loquente audiri non possit, seclusis impedimentis, quae erunt per accidens. Moraliter etiam videtur id necessarium, ut possit quis humano modo explere illud praeceptum et certus fieri, quod illud sufficienter exsecutioni mandaverit. Et ideo licet quantitas vocis non praecipiatur, tamen in ipso praecepto orandi vocaliter intrinsece includitur obligatio ita orandi, ut possit quis percipere orationem suam per se loquendo et certus reddi, quod eam protulerit —: quae postrema particula forte claudicat: quia alio modo, scil. conscientia sui intimi sensus potest quis de eo certus esse; secus inter magnum strepitum, cum se audire non potest, certus non posset satis esse ».

« Interim ex his patet, quoad rem ne vix quidem, nisi verbo tenus, distare opinionem s. Alphonsi *negantis*, ab opinione Suarez *affirmantis* ».

396. Veruntamen Suarez melius attigit cardinem quaestionis, ex quo etiam statuatur exacto et proprio sensu thesis: nimirum *an de natura vocis sit, ut sit audibilis*. Inde enim resolutio quaestionis reipsa pendet.

Vocem *non audibilem* supposuit Azor (apud Diana tom. 3. tr. 6. res. 51. n. 2.), dum scribit p. 1. lib. 10 cap. 11. q. 4.: — Satis est, si sic recitet et proferat, ut vere dici queat, ore et voce preces fundere sive ab alio, sive a se audiri possit sive non... Satis igitur est, si dum recitat preces, verba ita proferat, linguam et labia movendo, ut seipsum percipiat et intelligat, non solum in gutture pronunciet. — Et Trullench (apud Diana l. c. res. 52. n. 1.) tom. 1. lib. 1. cap. 7. Dub. 11. n. 9.— Respondeo, satis esse, vocem formare labia movendo, etiamsi a nemine neque ab ipso proferente audiri possit... Quia sequeretur, surdastos teneri officium altissima voce recitare — ».

« Diana contra reponit (ibid. res. 52. n. 2.) : — Ego hanc sententiam cum Filliuccio pro scrupolosis libenter admisi; sed non videtur pro omnibus admittenda... Quia vox debet esse audibilis, ergo saltem ab ipso orante et physice loquendo vix potest formari vox, quae ab ipso loquente, seclusis impedimentis, audiri non possit... quia verba, quae auditu percipi non possunt, impedimentis seclusis, non videntur verba, sed quidam motus in gutture seu inter dentes, qui potius sunt inchoatio verborum, quam verba ».

« Hanc in rem ibid. resol. 53. refert ista ex Caramuele (in Reg. s. Benedicti disp. 108. art. 1. n. 1381.): — Non negamus, requiri in recitatione vocem, imo eam unice necessariam asserimus. Sed quaecumque vox est audibilis, licet de facto non audiatur. Nam in hoc, quod est audiri de facto, non consistit vocis essentia; dummodo sit vox, qualiscumque illa sit, est audibilis et sufficiens ut obligationi satisfaciat. Quod vox de facto audiatur, vel non, est per accidens vel ex impedimento medii vel ex laesione sensus et hoc non cadit sub praeceptum — ».

« — Rogas, quid requiratur, ut sit vox? Respondeo, linguam et labia moveri; anhelitus enim necessario sequitur. Ratio est, quia vox nihil aliud est, quam respiratio facta certo modo per labia et linguam. Atqui non possunt labia et lingua moveri, quin frangatur vox; ergo nec moveri poterunt, quin sit vox. Quomodocumque ergo articulent, est vox; ergo et pronunciatio audibilis... In mea sententia omnis vox est audibilis — ».

« Quod vere Diana his Caramuelis verbis subiiciat : — Et haec opinio multum favet sententiae Azorii et aliorum, quibus ego non adhaesi — mirum sane est; nam videri possunt contradictoria ». Hactenus Ball.

397. Quaeritur, ait s. Alph. n. 163. q. 2., an recitans officium in choro vel cum socio, tenearis repetere ea, quae non satis percipis. Supponimus socium vel chorum partem suam recitare. Huic quaestioni alii DD. eam praemittunt, an necesse sit, recitantem in choro vel cum socio attendere ad ea, quae altera pars chori vel socius dicit: quae quaestio spectat ad aliam universaliorem de attentione. Nunc posita necessitate illius attentionis ad partem socii, quaeritur, quid faciendum tibi, si, quamvis attendas ut audias, non tamen distincte audis seu non satis percipis quae alter dicit. Tamburini quaestionem hanc proponens in *Decal.* l. c. §. 4. n. 12. de eo loquitur, qui nihil ex eis percipit, quae alter dicit, quamvis attendat quantum moraliter valet, nec s. Alph. quaestionem facit in hypothesi quod tantum quaedam non satis percipiantur, sed generatim quod non percipiatur satis pars alterius.

Distinguit s. Doctor causam cur non percipis : si causa est strepitus, qui ab aliis fiat, *communiter*, ait, *omnes dicunt*, te satisfacere officio, etsi non audias: si causa est culpa seu defectus chori aut socii, dividuntur DD. in duas sententias, negantem et affirmantem. Qui DD. dissensus nescio quomodo cum priore consensu concilietur; nam quae ratio est discriminis hac in re inter causam et causam? Si quid enim heic postulari potest, est, ut percipias quod alter dicit : quod vero causa cur non percipias sit strepitus aliorum aut defectus recitantis, qui submisse recitat, id prorsus est extrinsecum nec rei conditionem mutat. Nisi culpam socii in hoc ponas, quod non recitet, vel non ita recitet ut vox sit per se audibilis. Quemadmodum paulo ante dictum est : sed sic mutatur quaestio et quaerendum tunc est, non utrum satisfacias, etsi non percipias; sed utrum satisfacias, etsi alter non recitet aut non ita quantum satis est ut dicatur recitare, te tuam partem solam recitante: in qua quaestione nullus erit dissensus.

Et sane Croix lib. 4. n. 1295., quem s. Alph. pro sententia negante citat, quamvis nihil ipse definiat, universim loquitur, non distinguens inter strepitum aliorum et defectum socii, atque ita Tamburini citatus a Croix in *Decal.* l. c. §. 4. n. 12., affirmans satisfieri, eam distinctionem inter causam et causam non habet.

S. Alph. etiam in hac hypothesi quod non percipias ex defectu socii, satis probabilem habet sententiam affirmantem, quod opus non sit repetere haud percepta, pro qua sententia plures affert DD. Ratio est,

ait s. Doctor; quia per societatem et simul per illam tuam applicationem, censeris moraliter communicare in oratione, ut tua sit oratio quoque, quam alter fundit. Addit, praeceptum officii ex benignitate Ecclesiae benigne esse interpretandum: porro seges esset difficultatum et scrupulorum, si socius in officio sollicitus esse deberet, ad quamnam quantitatem pervenerit omissio auditus, ut teneatur vel non teneatur repetere.

Haec conclusio, si nihil ponatur percipi ex iis, quae alter dicit, vel magna pars non percipi, difficilis forte erit praesertim ob collationem cum iis, quae dicentur de surdo: sed ille casus est potius metaphysicus, non practicus.

In praxi quod contingere solet, est, ut identidem quidquam prolatum a socio non percipiatur. Quaestio ergo utilis revocetur ad casum, quo deficiat perceptio huius vel illius versus, huius vel illius lectionis: quo in casu valet profecto argumentum s. Alph. et valet doctrina s. Antonini citati a s. Alph.: « Si quis lectionem vel aliud quod in choro legitur, non intelligat, propter legentis ineptitudinem, non peccat (nimirum: etsi per se non repetat), dummodo conetur intelligere saltem verba ». *Dummodo conetur intelligere* ait, non *dummodo intelligat* et sane fit hypothesis, quod non intelligat. Cf. n. 335. 3.; ratio enim eadem est.

398. Quid autem dicendum de surdo, qui obligatus choro, recitat quidem vel canit partem suam in choro, sed alteram partem non percipit? loquimur de obligato ad chorum, ut de re loquamur, quam probabile est evenire; nam extra chorum vix erit, ut surdus socium inveniat et potest solus recitare.

Suarez, qui a s. Alph. citatur inter affirmantes hunc satisfacere suae obligationi Officii, duo dicit l. c. nempe *de Relig.* l. 4. c. 28. nn. 17. 18. Scilicet primo generaliter affirmat surdum, recitantem cum socio, eo quod non audiat partem alterius, ideoque illam necessario omittat, non recitare verum canonicum Officium: deinde affirmat surdum obligatum choro, non excusari, propter surditatem, ab assistentia chori; quia vi beneficii obligatur principaliter ad assistentiam, quam adhuc praestare potest et qui non potest totum quod debet, debet saltem quod potest, si sit res divisibilis. Ex quibus illud quidem sequitur, hunc distributiones percipere posse; quia assistit et facit quod potest, quoad cetera aegritudine impeditus: at non sequitur, obligationi Officii satisfacere; cum illud reapse hoc pacto non recitet nec valeat recitare, si credimus Suarez.

Idem censet Tamburini l. c. n. 12. de eo, quem dicit omnino surdum, nimirum hunc, qui choro assistit vel socium adhibet, non censeri re-

citare Officium nec ad illud moraliter assistere, quod audire nullatenus potest. Nulla est proinde vera dicta societas in recitatione Officii.

Itaque canonicus surdus, si vult obligationi satisfacere Officii, debet illud per se ipsum legere: s. Alponsus tamen dicit teneri tantum repetere partem non auditam. Imo si vult ab omni onere et scrupulo liberari, recitet eam partem submisse, dum ab altero choro canitur.

399. Difficultas est tamen quoad sententiam negantem satisfacere surdum obligationi Officii, si in choro vel cum socio suam partem tantum dicat; nam hic, ad effectum quod attinet, perinde se habet ac qui recitans cum socio, nihil percipit ex iis, quae socius dicit. Ratio enim tandem, cur surdus nequeat officium cum alio recitare, est quia non percipit quae alius dicit: atqui perinde se habet, qui nihil percipit, etsi non sit surdus. Cur ergo hic dicitur (n. 397.), recitare Officium et satisfacere, recitans cum socio, ille non? Discrimen est utique primum in potestate percipiendi: sed cum potestas ad actum non venit, nescio quid ea potestas conferat. Tum discrimen est, quod qui non est surdus, quamvis distincte verba non percipiat, aliquid tamen confuse audit: verum, quemadmodum recitatio officii sita est in distincta prolatione verborum, ita et auditio videtur debere esse distincta.

Quocirca eam sententiam n. cit. nonnisi cum limitatione ibidem in fine indicata censemus veram esse et hoc sensu traditam a s. Alphonso.

400. Si autem choro obligatus sit non surdus sed surdaster, qui possit aliquoties audire et praestet auditum quem potest: probabile est, non obligari Officium per se rursus repetere; quia non censetur Ecclesia, quae eum ad chorum obligat, velle ei duplicem obligationem imponere, cum assistens in choro etiam ipsi recitationi Officii iam quadantenus fecerit satis. Id probabile censet s. Alph., si saltem surdaster advertat in breviario, quae audit in confuso, ut ea sic percipiat distincte. Et puto quod quilibet non omnino negligens ita se geret, imo et submisse, quae ab adversa parte dicuntur, recitabit.

Nimia celeritas socii efficiens, ut alter nequeat satis percipere et attendere, est ordinarie veniale solum nec obligat ad repetendum. Ita Croix l. c. n. 1301. duos alios citans. Id, puto, secundum sententiam affirmantem, valere recitationem cum socio, etsi satis non percipias dicta a socio. Addit: si secundus incipiat, priusquam alter versum absolverit idque fiat in magna quantitate, non satisfit: quia quae simul proferuntur, non constituunt orationem ab Ecclesia praescriptam, quae essentialiter est successiva, habens unam partem post aliam. Quod s. Alph. certum ait esse, n. 165.

401. Ait A., quod, si plures sint socii recitantes, quam duo non tot chori instituendi sunt in recitatione Psalmorum (nam lectiones et re-

sponsoria singuli legere possunt et etiam unus, aliis audientibus iuxta consuetudinem) quot socii, sed duplex tantum chorus, divisis omnibus sociis in duas partes. Ita profecto, ut mos Ecclesiae antiquus et constans servetur. At nullane esset recitatio Officii, ita ut repetendum foret, si tres e. g. eo pacto convenirent, ut singuli versum dicerent et sic singuli duos versus audirent, pro uno, quem recitarent? Negat eos satisfacere Tamburini l. c. §. 4. n. 25.; quia id est praeter morem in Ecclesia receptum et quia si id licet, liceret quoque, viginti convenientibus, singulos unum versum recitare et undeviginti versus solum audire, quod, ait, nemo dixit. Prior ratio vera est: sed an sit difformitas gravis, cum tres tantum conveniunt, non constat. Altera ratio probat, aliquos limites figendos esse, ut fieri solet in his rebus divisibilibus (et factum est superius circa omissionem materiae sufficientis ad peccatum mortale), ultra quos fines nequeat consistere rectum; sed non probat, perinde esse sive tres sive triginta hoc pacto officium recitent et idcirco non satisfacere illos, quia non satisfaciunt hi.

LXV. 3. Pronuntiatio integra, sine syncopa et abbreviatione verborum et syllabarum et absque praecipitantia. Bonac. dist. 1. qu. 3. p. 1. §. 1. Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari potest mortaliter, ratione scandali et severioris praecepti Ecclesiae, quam in privato. Azor, et Fill. tom. 2. lib. 23. c. 2. Escob. Dian. part. 2. tr. 12. res. 32. ubi addit 1. eum, qui cum tali, qui ultimas syllabas abscindit, recitat officium, satisfacere suo officio, nec teneri repetere. 2. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem et abscissionem syllabarum (vel alia de causa) audientes non possunt verba percipere et attendere, ordinarie tantum esse peccatum veniale, neque obligari ad iteratam recitationem officii; nisi adsit contemptus, vel grave scandalum, seu notabilis corruptio et deformatio verborum in toto cantu. V. Dian. loc. cit. Sylv. et Trull. dist. 15. ubi ex Navar. Azor, Less. et Palao, negant satisfacere eos, qui cum sociis recitant ita festinanter, ut, nondum expletis a socio versiculis, ipsi incipiant; quia pars, quae anticipatur, non communicatur cum socio, qui eam audire nequit. Excusant autem ex Navar. Sà et Suar. surdum, qui alios in choro canentes non intelligit nec sequi potest.

402. Novimus responsum Zachariae Papae circa corruptionem formae baptismi. Ad illud exigitur doctrina heic tradita a s. Alphonso. 1° Peccas tantum venialiter, si ex negligentia syllabas mutiles vel syncopes, ita tamen ut sensus non corrumpatur, vel si mutiles, sensu quoque corrupto, in parva quantitate. Nullo autem modo peccas, si hoc facias ob inadvertentiam vel balbutiem vel inveteratam consuetudinem, quam difficile sit vincere. Non excusaris autem a mortali, si mutilatio esset magna et sensus notabiliter variaretur. Ita, ait, communiter. Nisi tamen compenses, recitato rursus recte, si fieri potest, quod vitiose prolatum est, si est aliqua pars per se stans seu sensum fundens; vel recitata quantitate aequivalente, ut ait Croix l. c. 1303. Idque valet, ait s. Doctor, etsi ea mutilatio notabilis fuerit involuntaria, ut a peccato excuseris omissae partis notabilis officii.

Ceterum, subdit s. Alph., probabile esse quod communissime dicitur, satis impleri obligationem officii, etiamsi verba notabiliter mutiles, quando servatur aliqua significatio verborum.

Si ergo ob balbutiem, puta, necesse esset, te in notabili quantitate ita corrumpere verba cuiuslibet Horae, ut significatio eorum nulla amplius foret, evaderet tibi impossibilis recitatio Officii nec ad eam tenereris.

Quid ergo si cum socio recitas obtruncante vocabula! Idem dicendum; nempe non teneris repetere, si sensus notabiliter ideoque in magna quantitate incisorum non mutetur; secus, si notabilis sit mutatio sensus. Nec s. Doctor excusat a veniali recitantem absque causa cum socio obtruncatore vocum, quamvis sensus notabiliter non mutetur.

LXVI. 4. Pronuntiatio continuata unius Horae; si autem interruptio notabili tempore sine causa fiat, erit tamen veniale tantum, ut aiunt. Fern. Laymann et Less. d. 10.: quia singuli psalmi suam completam significationem habent. Si iusta ex causa fiat, nulla culpa erit nec repetenda priora; quod verum est, etiamsi animo repetendi interrupisses: consilii tamen est, si interruptio longa esset, repetere ab initio psalmi vel nocturni, imo probabile est, nocturnos singulos separatim, saltem intra trium horarum spatium dici posse, (quod certum videtur, si iusta causa concurrat); quia secundum quosdam antiquitus ita fiebat, ut docet Fill. t. 23. cap. 6. et Bonac. qu. 5. par. 3. Escob. etc. Addit Quintan. t. 8. sect. 3. lectiones, sive tres sint, sive novem, posse absque culpa gravi, sine causa et cum hac, absque ulla culpa dividi a psalmodia eiusdem matutini. Divisio autem matutini a laudibus non dicit interruptionem officii: unde privatim fieri potest sine causa. Dian. par. 5. t. 14. res. 48. ex Bonac. Fill. Sanch. etc. Item Trull. l. 1. c. 7. d. 11.

403. Probabilius et communius traditur, etsi in eadem Hora vel psalmo magna interruptio fit, non esse repetendum quod dictum est; quia singuli psalmi et versus completam habent significationem et satis uniuntur per intentionem continuandi. Ita s. Alph. n. 168. At si interruptio eiusdem Horae sine causa fiat et sit notabilis, non carebit culpa veniali.

Tanto ergo magis, absque ullâ necessitate repetendi, separari poterunt nocturni a nocturnis, laudes a nocturnis, dummodo intra spatium diei praescripti omnia dicantur.

Nec ullum peccatum censetur, si nocturnus a nocturno distet spatio trium horarum, iuxta ritum antiquum, e sententia saltem s. Thomae: si distantia sit exorbitans et absque causa, erit forte veniale: laudes vero separari posse a nocturnis, absque ulla causa, communis est doctrina. Ita s. Alph. n. 167. Tunc consulunt quidam, adiiciendum esse *Pater* in fine nocturnorum, quemadmodum rubrica praecipit quotiescumque, absoluta Hora, cessatur ab Officio. Ita Croix l. c. 1305. An dicenda sit etiam oratio, disputant DD.; quamvis affirmativa sententia

conformior videatur intentioni rubricae, quae dum separationem praecipit, etiam praecipit absolvi matutinum oratione (in vigilia Nativ. Dom.) Probabilius est quidem, nocturnos et laudes unam esse Horam, quia una est Collecta, qua omnia absolvuntur; attamen haec una Hora differt a ceteris amplitudine et est totum Officium nocturnum, distinctum a diurno, habens partes distinctas sibique constantes, ut separari possint.

Ex s. Alph. n. 168. causae iustae interrumpendi Horam vel psalmum sunt quaelibet utilitas propria vel aliena, quae incommode differretur; urbanitas, devotio, obedientia praestanda etc.

LXVII. 5. Ne invertatur ordo Horarum absque iusta causa: quod si tamen fiat, erit tantum veniale; quia ordo iste, saltem extra chorum, non est sub praecepto, nisi secundario et tanquam circumstantia minoris momenti. Quod si autem per inadvertentiam vel ex iusta causa mutes, verbi gratia, ut amico vel aegro, qui tecum legere cupit, satisfacias, nullum erit peccatum: vel si in choro dicantur posteriores Horae, cum tu necdum dixeris priores: vel si inter orandum advertas te aliquid omisisse, vel priorem horam nondum dixisse; perges enim et supplebis in fine. Similiter si causa vel necessitas instet Horas dicendi, potes dicere Laudes dilatis lectionibus, vel aliquo simili, quod ad manus non est. Vide Bon. q. 3. p. 4.

404. Statuit s. Alph. n. 170. in privata recitatione, ordinem Officii seu Horarum, ut quae priores tempore sunt, prius dicantur, non cadere sub praecepto, utique gravi et quamlibet rationabilem causam excusare inversionem a veniali: ut si inviteris ab amico ad recitandum simul: si sero ad chorum venias etc. Atque idem dicendum, ait, si in eadem Hora ordo invertatur: qua de re dubito; nam sic ipsa forma praescripta officii videretur mutari: ut si in vesperis prius diceres Capitulum et hymnum, tum aliquos ex quinque psalmis. cum *Magnificat,* tum collectam et reliquos psalmos.

Idem censet probabilius esse, quod etiam in choro inversio ordinis non sit (excluso contemptu legis) peccatum grave; quia non constat de gravi praecepto super hac re imposito: circumstantia enim temporis vel ordinis in choro non videtur pertinere ad substantiam praecepti, sed esse quaedam ceremonia accidentalis. Et Sanchez *Consil.* l. 7. c. 2. dub. 42. n. 4. dicit hanc sententiam probabiliorem. Cavendum tamen a scandalo, quod, ob frequentiam inversionis, forte daretur.

405. Quaerit heic s. Alph. an liceat celebrare Missam ante recitationem Matutini et lectorem reiicit ad ea, quae dicturus est *de Sacrif. Missae* l. 6. Porro in hac quaestione haec habet Ballerini.

« De hac controversia, scil., quale peccatum sit celebrare Missam ante recitationem Matutini, sic s. Alphonsus lib. 6. n. 347.: Adsunt tres sententiae. Prima dicit esse mortale et hanc tenent etc... Secunda autem sententia nullam in hoc culpam agnoscit et hanc tenent etc... Tertia vero sententia communior et probabilior, quam tenent..., docet

contra primam, id nequaquam esse mortale..., contra secundam autem, non excusari a culpa veniali ».

« Quod omissio ista non habeat gravem reatum, postrema sententia inde probat, tum quia *(sunt verba s. Alph.)* nulla adest connexio inter officium et Missam ac ideo recitatio Matutini non videtur necessaria dispositio ad celebrandum; cum sacerdos aliter orando possit etiam se disponere, tum quia huiusmodi gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica neque communiter sub gravi est recepta ». At vero si nulla est connexio inter ea, nec illa dispositio necessaria est, tota vis argumenti contra secundam sententiam habebitur in Rubricae obligatione. At enim si, ut contendunt, in rubrica non exprimitur obligatio gravis, reponent alii, ne levem quidem obligationem exprimi, nisi statuatur generale principium, rubricas omnes esse stricte praeceptivas. Porro opinionem istam, quod Rubricae omnes sint stricte praeceptivae, non est necessarium retinere. Ergo...

Et confirmari potest argumento ad hominem. Nam titulo illo primo « *De praeparatione sacerdotis celebraturi* » plurima occurrunt, quorum omissionem per se vertere culpae theologicae nemini in mentem venit. Et quoad praeparationem eodem censu ponit matutinum, ac reliquas preces: — Sacerdos celebraturus Missam... saltem matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Infra: — Accipiens amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est crux et ponit super caput et mox declinat ad collum et eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis et circumducens per dorsum ante pectus reducit et ligat. Tum alba induitur, caput submittens... Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante et a lateribus hinc inde et cingulo, per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit etc. — ».

406. Afferunt verba, ut inquiunt, ex Decretali Innocenti IV. anno 1254. quae est circa ritus quosdam Graecorum in regno Cypri. — Sacerdotes, ait §. 11., dicant Horas canonicas more suo, sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non praesumant. — Sed haec sunt desumpta ex Responsione, quam s. Pontifex dedit ad dirimendam nescio quam controversiam inter Episcopos ritus latini et Episcopos ritus graeci in regno Cypri. Non constat autem, de quibus sacerdotibus loquatur, neque de quibus matutinalibus officiis, neque de qua Missa sermo sit, et forte sermo est de Missa sollemni cui chorus assistit ».

« Vim faciunt in eo quod §. X. Rubricarum omissio matutini cum laudibus ante Missam ponatur inter defectus. Atqui non esset *defectus*, si ita recitatio foret mere de consilio. Resp. Minime advertunt in fine illius paragraphi reponi inter *defectus* quidquid omittatur ex rubricis

antea descriptis: — Possunt (inquit) etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si sacerdos ignoret ritus et ceremonias ipsas in eo servandas: de quibus omnibus in superioribus rubricis copiose dictum est. — Ergo vel contendant in quolibet defectu haberi culpam venialem, vel concedant, hoc argumento nihil concludi ».

« Sane in eadem paragrapho, ubi de recitatione matutini praemittenda, habetur: — Accipit missale, perquirit missam, perlegit et signacula ordinat... Postea lavat manus... Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta,... ubi calceatus pedibus et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Praelatus secularis, supra rochettum; si sit praelatus regularis, vel alius sacerdos secularis, supra superpelliceum, *si commode haberi possit.* — Quae absurde ad praeceptum revocantur. Scilicet praescribunt modum decenter omnia peragendi et non tam consilia dicuntur, quam instructiones ad rem decenter peragendam, sicut et modus incessus vel tenendi manus aut pileum praescribi potest et solet ».

LXVIII. 6. Ut, nisi iusta causa excuset, dicuntur tempore praefixo a iure vel consuetudine, quae nunc obtinuit, ut Matutinum et Laudes, absoluto Completorio in Ecclesia, hora circiter quarta et secundum Bonac. etiam tertia dicuntur. Et hyeme quidem, media hora ante Solis occasum dici posse, ait Fill. ex communi sententia, cum etiam privilegium quibusdam concedatur, ut hora ante occasum dicant. Quod tamen non est signum, id sine privilegio fieri non posse; quia talia saepe dantur ad tollendos scrupulos et dubia, quae sequuntur ex varietate opinionum. Iuxta eandem sententiam non peccabit, ait Bonacina, qui Primam, Tertiam, Sextam et Nonam duabus vel tribus horis post ortum Solis dicit; tum quia est moderata et consueta postpositio: tum quia tempus a iure praescriptum magnam latitudinem, teste consuetudine, habet: erit tamen veniale, Matutinum, sine causa, ad vesperum differre vel ante prandium sine causa Vesperas et Completorium dicere; quia haec est insueta inversio. In Quadragesima autem Vesperae legi possunt privatim post prandium, cum rubrica Breviarii feria quarta Cinerum non imponat praeceptum. Navar. Sanchez, Trull. dist. 18. num. 6.

Dixi, *Sine causa;* quia, si iter aliave causa urgeat, secundum Caiet. et alios, omnes Horae mane dici possunt, usque ad vesperas inclusive. Denique ad vitandum mortale, sufficit dici omnes a media nocte usque ad alteram mediam noctem: praeterquam quod Matutinum pridie possit anticipari. * Circa tempus hoc divinas horas recitandi cave tibi a Propos. 35. inter. damn. ab Alexand. VII. * Quod si intra dictum tempus quis horas non dixerit, peccavit quidem, non tamen tenetur postmodum dicere; quia sunt onus affixum diei: etsi supplendo possit secundum quosdam restitutionem subterfugere, eo quod rependat aequale. Molfes. 3. tom. 2. item Maior. Palud. Ledesma etc. apud Henriq. lib. 12. cap. 13. Bonacin. d. 1. qu. 5. p. 2. num. 5. ubi dicit, eam sententiam esse probabilem citatque pro ea Suar. et Fill. sed male; quia hi loquuntur tantum de primo medio anno, vel spectato solo iure naturae et secluso iure positivo. Expresse autem eam sequitur Quintan. t. 8. s. 6. vocatque veriorem contraria. V. etiam Dian. p. 2. t. 11. res. 24.

407. Quaestio heic occurrit circa horam idoneam recitando privatim Matutino. Cum enim ex consuetudine iam praescripta, ut ait s. Alph. n. 174., possit Matutinum recitari hora vesperarum diei antecedentis,

quaestio exsistit et etiamnum viget, qua hora liceat pridie recitare Matutinum (Nocturnos et laudes) diei sequentis.

Certum est, licere recitationem Matutini post occasum solis: *licite posse de sero* (di sera) *dici matutinas Horas,* affirmat s. Thomas *Quodl.* 5. art. 28.

Certum quoque est, licite dici ab eo tempore, quo, iuxta ecclesiasticum ritum, publice Vesperae et Completorium dicta sint.

Ita idem s. Doctor l. c. ad 1^{m}: « Quantum ad ecclesiasticum Officium et sollemnitatum celebritates, incipit dies a vesperis: unde si aliquis post dictas Vesperas et Completorium (quod saltem de publica recitatione seu cantu intelligendum) dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem ». Ubi vides s. Thomae tempus idoneum Matutino esse post vesperas dictas tempore suo. Sed quia Officium vesperarum simul et completorii poterat absolvi, adhuc currente hora vespera, ante eius quoque finem licebat Matutinum incipere.

Imo nunc ex universali consuetudine et communi Theologorum sententia, licet incipere eo tempore, quo sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet: quod initium dicitur horae vesperarum. Sane fere ubique auctoritate ecclesiastica confici solent et proponi tabulae eam horam pro diversis anni tempestatibus determinantes, iuxta quam Matutinum rite recitetur.

408. Sed his non omnibus fuit satisfactum et fuerunt qui contenderent: licere hora secunda a meridie incipere Matutinas Horas.

« De hac quaestione (ait Ballerini) ita Salmanticenses tract. 16. cap. 3. n. 15. habent: *Probabilissimum ducimus, posse matutinum cum laudibus immediate hora secunda diei* (scil. post meridiem), *qua solent vesperae, recitari.* Pro qua sententia mox allegant Sanchez, Molfesium, Quintanadvenas, Leandrum, Antonium a Sp. Sancto, Martinum Ledesma, Trullenchium, Martinum a s. Ioseph, Caramuelem et Diana. Subdunt autem: *Ex his plures nec veniale peccatum esse dicunt, hanc anticipationem etiam sine causa factam; alii vero esse veniale asserunt, sed quamlibet causam excusare ab eo.* S. Alphonsus lib. 4. n. 174. his addit Tamburinum, qui *In Decal.* tr. 2. cap. 5. §. 5. n. 2. hanc sententiam aeque ac alias vocat *probabilem.* Diana vero tom. 3. tr. 6. resol. 62. adiungit Fabrum et resol. 64. n. 2. Escobarium a Corro, Garciam et Machadum; ac advertit praeterea, Sanchez *Consil.* lib. 7. cap. 2. dub. 37. opinionem suam ex doctrina s. Thomae, Vigueri, Turrecrematae ac Navarri confirmasse ».

« Haec tamen cum olim protulerimus, probata non fuerunt Auctoribus Vindiciarum. Obiecerunt sane pag. 927. not. 3. 1° perperam a Sanchez allegari s. Thomam, Navarrum et Viguerium; quandoquidem

s. Thomas Quodlib. 5. art. 28. mere affirmet, *licite posse de sero dici matutinas*. Male autem (aiunt) vocem illam *de sero* explicat Sanchez, *quem sequitur* Ballerini, *quasi iam designaret horam secundam post meridiem*. Navarrus porro et Viguerius eodem modo loquuntur, ac Angelicus. — Resp. 1° Ballerini nihil ibi affirmat aut negat, sed mere refert. 2° Sanchez non innititur voci *de sero*, sed aliis s. Doctoris verbis; ita enim scribit *Cons.* lib. 7. c. 2. dub. 37. n. 4.: *Haec conclusio colligitur ex doctrina citata s. Thomae, Viguerii, Turrecrematae, qui dicunt, quod si post vesperas et completorium dicat quis matutinum diei sequentis, iam hoc pertinet ad diem sequentem.* Et reipsa s. Thomas l. c. ad 1. haec habet: *Quantum ad ecclesiasticum officium et sollemnitatum celebritates incipit dies a vesperis; unde si aliquis post dictas vesperas et completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem.* Id ipsum autem legere licet apud Viguerium et Navarrum et Turrecrematam in locis a Sanchez citatis ».

409. « Obiiciunt 2°: *Inter ceteros Auctores pro hac sententia adductos plures sunt aequo mitiores.* Et quinque recensitis, subdunt: *E reliquis pauci sunt, qui gravioribus Doctoribus accenseantur.* — Resp. Quod monent, ex novendecim Auctoribus relatis memorari quinque, qui *nimis* aut *satis benigni* audiunt, hoc argumentum invidiae alioquin sat obnoxium, in casu vi prorsus caret. Dixi hoc argumentum invidiae obnoxium; nam, ut quaerere nunc omittamus, iure ne quinque illi ceu nimis benigni traducantur, probarent ne VV., quod quispiam idipsum regereret, quoties s. Alphonsus aliquem ex illis quinque, ut saepe contingit, pro benigna sua sententia allegat? Sed insuper in casu vi qualibet haec exceptio destituitur. Nam esto, obiiciatur eiusmodi laxitatis aut nimiae benignitatis exceptio (iure ne an iniuria, missum nunc fiat), quando sola cuiuspiam scriptoris auctoritate aliqua opinio nititur. At ubi in eandem sententiam conveniunt plures alii, quibus nimiae benignitatis notam nemo ausus est inferre, patitur ne aequitas, ut illorum suffragium laxitati aut nimiae benignitati tribuatur? Et heic quidem forte quispiam posset VV. invitare, ut inspiciant, num locus sit aliquis huic suae ipsorum exceptioni circa Auctores a s. Alphonso adductos. Aiunt VV., a s. Doctore octo Auctores pro sententia minus benigna adduci. Quid vero, si quis forte potiori iure obiiceret (de quo paulo post), unum re ipsa exstitisse Concinam, qui thesim s. Doctoris propugnaverit; hunc autem, iudice ipso s. Alphonso, auctorem esse rigidissimum? »

« Ad id vero, quod VV. addunt, paucos esse praemissae sententiae patronos, qui gravibus Doctoribus accenseantur, resp. iudicium de hisce aptius aliis relinquendum tum aliis de causis, tum etiam ut prae-

caveatur periculum, ne quis ceu graves, quin et gravissimos, quando pro se, non graves vero, quando contra se militant, eosdem iactet Auctores. In Praefatione, quam s. Alphonsus praemisit Editioni an. 1748., haec leguntur: *Alia explicanda, alia addenda censui ex diversis probatorum DD. auctoritatibus, nimirum Sanchez,... Viva, Croix, Roncaglia et aliorum, praesertim Salmanticensium, qui communi aestimatione moralem hanc scientiam diffuse et egregie pertractant quosque ipse inter ceteros frequentius familiares habui: ita ut fere omnia, quae iidem tot libris latiore calamo in examen revocant, breviter concinnata hic invenias.* Ergo saltem isti quinque, quos s. Alphonsus *probatos Doctores* appellat, non inaniter pro ea sententia afferuntur ».

« Quin et pro eadem sententia allegari potest et s. Alphonsus; quippe qui in eadem illa editione lib. IV. cap. 2. art. IV. dub. 2. nota D. scripsit: *Probabilissimum est, posse recitari matutinum hora secunda post meridiem... ut tenent Sanchez, Viva cum Fill. Bon. Trull. et Tambur. Salmantic. cum Led. Dian., Molf. Leand.* etc. Quid mirum itaque, quod probabilis videri alicui potuerit opinio, quae s. Alphonso videri potuit *probabilissima?* Dices, s. Doctori deinde magis contrariam arrisisse sententiam. At, omissa nunc quaestione, semperne probabiliores prioribus sint posteriores s. Doctoris opiniones, scitari liceat: putant ne VV., s. Doctorem gratis priorem sententiam *probabilissimam* appellasse? Gravem aliquam igitur solidamque rationem stare pro ea sententia s. Doctor facto ipso fassus est ».

410. « Ceterum ut sua allegationibus vis tribuatur, triplex in hac quaestione Auctorum classis distinguenda videtur. Sunt enim 1° qui mere opinionem propriam proponunt, nulla aliarum opinionum mentione iniecta, affirmantes v. gr. *matutinum recitari quarta hora posse.* Porro hi adduci utique efficaciter possent contra eos, qui id ipsum negarent, non ita vero contra opiniones, de quibus nullam sententiam ferunt; quemadmodum qui mere affirmat, in coenula posse ieiunantes vesci herbis, male allegaretur contra concedentes aliquem pisciculum aut etiam maioris piscis, thynni v. gr. particulam, cum quaestionem de piscibus ille minime tangat. Exinde cum scribat v. gr. Filliuccius tr. 23. c. 8. n. 274.: *Dimidia hora ante solis occasum licet anticipare (matutinum) ex communi sententia*, num iure allegaretur, quasi refellens v. gr. s. Alphonsi aliorumve regulam, qui ante illam hora recitari posse statuunt? Quinimo ipse Filliuccius n. 276. subdit: *Si alibi esset alia consuetudo, consultum erit illam servare.* Porro (dempto Concina) eiusmodi sunt plerique omnes Auctores, quos et s. Alphonsus et VV. controversae opinioni opponunt ».

411. « Sunt 2º alii, qui plures opiniones referunt, et in his etiam controversam, quam aut amplectuntur, aut probabilem dicunt, aut saltem non reprobant. E postremis istis habes *Mazzotta,* qui tr. 2. disp. 1. c. 2. q. 5. variis sententiis recensitis, optionem lectoribus relinquit; habes *Illsung* tr. V. disp. 1. q. 1. art. 4. n. 35., *Reiffenstuel* tr. 6. dist. 1. c. 2. n. 71., *Gobat* Tr. 5. n. 679., *Croix* lib. 4. n. 1314. et *Sporer* Tr. Append. *de Hor. Canon.* c. 2. n. 140., qui licet hanc opinionem aliis non praeferant, eam tamen permittunt sine nota et profecto non reprobant. — E prioribus vero, qui scilicet aut ipsam absolute profitentur, aut saltem uti probabilem censent, praeter eos plures quos allegatos superius quisque videt, addendus Viva, qui *Curs. Theol.* part. 2. q. 3. art. 5. n. II. scribit: *Matutinum et laudes... ex consuetudine iam recepta probabiliter recitari possunt citra veniale et absque ulla causa ab inclinato praecedenti die, videlicet* DUABUS *vel tribus horis post meridiem diei antecedentis.* Et Azor part. 1. tr. 10. c. 9. q. 5.: *Doctrina igitur et sententia s. Thomae illa mihi simplicior et planior videtur esse, ut Nocturnum Officium... persolvi queat a Clericis privatim, statim atque Vespertinae et Completae preces recitatae fuerint..., tribus videlicet* DUABUSVE *horis post meridiem elapsis.* Et Felix Potestas *Esam. Conf.* tom. 1. part. 2. n. 459.: *In privata recitatione matutinum et laudes ex iam praescripta consuetudine licite recitari possunt* DUABUS HORIS *post meridiem diei praecedentis.* Et Giribaldi Tr. 5. c. 3. n. 194. recensitis post alios etiam illis, *qui volunt, posse recitari hora* SECUNDA *post meridiem,* subdit n. 195.: *Probabiliter autem quilibet ex dictis Auctoribus putat, eo tempore ab ipsis assignato... licitum esse matutinum persolvere.* Et Babenstuber Tr. 5. disp. 2. art. 3. n. 111.: *Nonnulli apud Tamburini existimant, licitum esse recitare tribus horis ante occasum solis: alii tribus horis post meridiem: alii inter tertiam et quartam pomeridianam: alii hora* SECUNDA *post meridiem. Iudico cum eodem Tamburino, has omnes sententias esse probabiles et quemlibet posse amplecti, quam maluerit.* Et Trullench lib. 1. cap. VII. dub. 18. n. 9., postquam attulit Sanchez *asserentem, quocumque die anni recitantem matutinum diei crastini hora secunda post meridiem, etiamsi nondum recitaverit Vesperas et Completorium, satisfacere praecepto et... exsistente causa, nullo modo peccare,* subdit: *Libenter admitto propter rationem dictam.* Et Roncaglia Tr. 5. q. 2. cap. 5. q. 4.: *Omissis tot diversis opinionibus..., mihi valde probabilis est ea opinio, quae affirmat, recitari posse hora, qua primae vesperae dicuntur. Ratio est, quia tunc incipit dies festivus crastinus... Praeterea nullum inconvieniens est, si dum iam incepta est crastina dies festa, anticipetur matutinum illius diei.* Allegationes, autem quas

subiicit, *Sanchez* et *Antonii a Spiritu Sancto* satis explicant horum verborum sensum. Allegatis autem tum nunc tum superius addendi pro eadem sententia veniunt *Neusser* et *Iosephus Angles* apud Gobat, l. c. et *Sporer* l. c. tum etiam *Narbona*, *Verricelli* et *Bassaeus* apud Giribaldi l. c. et Leandrum disp. 4. q. 93., et Concina *in Dec.* lib. 2. disp. 2. c. 9. §. 8. q. 4. post Leandrum adducit et *Acacium*. Et optandum sane erat, ut VV., qui intentissimi in exquirendis Auctorum de hac re sententiis haec non potuerunt suis oculis non videre, haec eadem silentio non praeterivissent. Equidem s. Doctoris Alphonsi tum exempla tum monita postulant, ut potissimae curae nostrae non ad tuendam qualemcumque causam nostram, sed ad veritatis iura servanda ferantur ».

412. « Sunt 3° denique, qui aliam sectantes opinionem, impugnandam praemissam aesumunt, quae hora sacunda post meridiem recitari matutinum posse concedit. Verum qui s. Alphonso praecesserit in hac sententia oppugnanda, neminem huc usque reperire licuit praeter Danielem Concina. Nam nec septem alii, quos s. Alphonsus addit, nec alii plures, quos VV. diligentissime collegerunt, hanc specialem quaestionem attingunt ».

« Ita e. gr. Croix n. 1314. — Quando pridie inchoari possit Matutinum privatum diei sequentis, varie loquuntur Auctores; nam inchoari posse ab hora secunda putant Quintanad. Molfes. et Faber apud Diana, dicitque probabile esse Tamburini et Gobat dicit se secuturum, si ab hora tertia usque ad coenam deberet audire confessiones. Sanchez autem dicit hoc non fore nisi veniale; quia illud tempus, cum sit hora vesperarum, videtur pertinere ad sequentem diem. Henr. Barb. Bonac. Gav. et alii apud Gob. dicunt inchoari posse hora tertia post prandium; Suarez Castrop. dicunt medio quartae ($3\,^1/_2$): alii dicunt, tribus horis ante occasum solis, quod probabile esse dicit Tamburini: Sanchez dicit semper licere saltem una hora ante occasum solis; tunc enim reipsa appropinquat vesper. Ex universali consuetudine, inquit Pellizz., potest inchoari post vesperas in cathedrali habitas et ita etiam docent s. Thomas aliique multi apud Sanchez et Castrop. Tuta est sententia, quae dicit, inchoari posse pro omni tempore anni, hora quarta — ».

« Est enumeratio opinionum non admodum accurata: sententia Sanchez vix dignoscitur: habes quid Croix tutius censeat; sed nulla est reprobatio alterius sententiae nec de ea disputatur, quae horam secundam a meridie dicit tempus idoneum ».

413. « Hisce inspectis, aequus lector iam iudicet, num reprehendendus foret is, qui probabilem censeret opinionem istam, quam alioquin tot Doctores aut plane admiserunt, aut saltem censuerunt probabilem

et quam nemo reipsa impugnavit nisi Concina et post eum s. Alphonsus, qui tamen prius ipsam uti probabilissimam defenderat. Ratio quidem s. Alphonsi est quod etiamnunc consuetudo non permittit nisi ut hora vesperarum Matutinum recitetur: hora autem vesperarum ea est, quae horam nonam subsequitur, quae est media inter meridiem et occasum; at hora secunda non est hora vesperarum. Neque demonstratum est, iam consuetudine introductum esse, ut hora secunda sequens dies ecclesiasticus incipiat ».

« Verum plures censent, esse iam consuetudinem introductam quoad recitationem officii, ut elapsis duabus horis a meridie iam censeatur incipere hora vesperarum, qua matutinum dicere licet, ut ipse s. Doctor testatur. Ceterum advertimus rationem s. Doctoris non esse rationem aliquam abstrusam, quae non in omnium oculos facile incurreret. Et si quidem tot tantique doctores facto ipso ostenderunt, se nullatenus illa permoveri, iam et aliis demum venia detur, ut existiment, non eiusmodi eam rationem esse, quae controversiam dirimat ».

414. « Obiiciunt 3° denique VV. l. c.: *Ecclesia concessit quibusdam Ordinibus Religiosis privilegium recitandi cum rationabili causa matutinum hora secunda post meridiem... Hoc vero privilegium inutile esset, si, vi iuris communis, id cuique clerico liceret* ».

« Resp. Retorq. argumentum. Nam, ut habent Suarez *de Relig.* Tr. 4. lib. 4. c. 17. n. 12. et Filliuccius Tr. 23. c. 8. n. 274., *per privilegia Pontificia conceditur facultas dicendi matutinum una hora ante occasum solis.* Ergone inutile erit privilegium, si *vi iuris communis* cuique liceat recitare non modo una hora ante occasum solis, sed multo antea, ut concedit s. Alphonsus? Bene Suarez l. c.: *Hoc argumentum infirmum est; quia multa in privilegiis conceduntur, non quia necessaria sunt, sed quia petuntur vel propter timorem seu scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam removendam, vel quia quod petitur, ex rigore iuris non licet et pendet ex consuetudine, quae incerta et varia esse potest.* Et eandem difficultatem quoad horam secundam iam sic solveret Diana tom. 3. tr. 6. res. 54. n. 3.: *Dices: Pontifices concedunt privilegia, ut matutinum possit recitari duas horas post meridiem. Ergo. Respondeo, qui petunt hoc privilegium, signum est, quod tenent contrariam sententiam et multa petuntur a Pontifice ad maiorem cautelam et propter scrupulum; sed non ex his sequitur, citatam Doctorum sententiam non esse probabilem nec sequi posse.*

415. Praetereundum non est duplex responsum s. Congr. Rituum. 16. Mart. 1876. Quaesitum est: « Quanam hora liceat incipere privatim recitationem Matutini cum Laudibus, vespere diei praecedentis? »

Responsum est: « Privatam recitationem Matutini cum laudibus diei subsequentis incipi posse, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum ».

Rursus 13. Iul. 1883. interrogatum est: « An praedicta responsio ita intelligenda sit, ut ille non satisfaceret obligationi suae, qui Matutinum cum laudibus vespere diei praecedentis recitasset, priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum ». Respondit s. Congr. « *Consulantur probati Auctores* ».

Itaque recitatio *licita* ea est, quae inchoatur, semel ac Sol medius est inter meridiem et occasum atque deinceps: *valida* vero utrum sit nec ne si antea fiat, puta hora secunda, noluit s. Congr. definire, sed remisit ad probatos Auctores. Atqui res est in facto posita, probatos Auctores eosque non paucos censere, posse hora secunda a meridie satisfieri obligationi recitationis Matutini diei sequentis sive iam tunc initium fieri horae vesperarum (cf. notam in fine): ergo e sententia s. Congr. licet horum amplecti sententiam nec est, hac facultate facta a s. Congr., in ullius privati auctoritate situm, hanc praxim reprobare et damnare, quidquid ipse speculative sentiat et demonstrasse se putet (a).

(a) Ante mediam noctem recitari posse Matutinum cum laudibus spectans ad Officium sequentis diei, certum est: quaestio tamen fit de origine huius potestatis: est ne scilicet consuetudo, utique ab Ecclesia probata, quae ampliavit tempus pro legitima recitatione Officii nocturni, an in ipsa institutione Officii id continebatur, ut Officium nocturnum ante mediam noctem vel diceretur vel dici posset?

Moderni Theologi generatim id sumere videntur: tempus lege statutum pro valida recitatione Officii esse diem naturalem a media nocte ad mediam noctem, non secus ac est pro ieiunio, pro abstinentia ab operibus servilibus etc.: consuetudine tamen eaque legitime prorogatum esse tempus pro Officio nocturno, ut et plures horas ante mediam noctem complectatur. Hanc autem prorogationem non eo spectare putant, ut iam ante mediam noctem *obligatio* vigeat recitandi Officii, quemadmodum viget toto die naturali, sed quod *facultas* tunc adsit recitandi: unde est distinctio inter diem *obligatorium*, cui nempe obligatio inhaeret, qui est dies naturalis 24. horarum a media nocte ad mediam noctem, et diem *facultativum*, qui praeterea comprehendit illud spatium temporis, quo licet praevertere matutinum, a vespere scilicet usque ad alteram mediam noctem.

Est, cui haec sententia non probatur (cf. *de l'Anticipation de Matines et des laudes...* par P. F. Gebruers. Malines 1889.) et qui censet (intra fines probabilitatis), ex ipsa institutione Officii tempus proprium obligatorium pro recitatione Officii nocturni, sepositа etiam quavis legitima consuetudine subintroducta, incipere ante mediam noctem, puta a vesperis. Sane advertit 1. distinctionem esse sollemnem Officii in *Officium nocturnum* et *Officium diurnum;* tempus vero Officii nocturni esse noctem: porro nox post vespertinum tempus incipit. 2 Quemadmodum singulis horis dici suum Officium assignatum fuit, ita et singulis vigiliis noctis, quae quatuor sunt, suae partes officii assignatae, tria Nocturna et Laudes: porro duae vigiliae noctis antevertunt mediam noctem: ergo haec pars saltem divini Officii ante mediam noctem dicenda erat, cum nempe in festis tria Nocturna dicebantur, quae in primitiva institutione probabilissime « dicebantur divisim, secundum tres vigilias noctis », ut affirmat S. Thomas in 1. Cor. c. 14. lect. 6.; quorsum enim instituta haec divisio trium Nocturnorum loco unius, quod diebus ferialibus dicitur, si una erat semper continuata oratio? Itaque cum Officium, ut dici solet, novem lectionum erat peragendum, iam post horam diei duodecimam, quae sol occiderat, incipiente prima vigilia noctis, tempus erat idoneum et proprium inchoando Officio nocturno.

Porro semel ac pro certis Officiis tempus idoneum recitationi Matutini incipiebat post

416. Non est dubitandum, Matutinum defunctorum, in die Commemorationis omnium defunctorum, dici posse pridie: cum ipsa Ru-

---

vesperas a prima vigilia noctis, pronum erat inferre, 1. quolibet Officium nocturnum etiam trium lectionum posse eo tempore inchoari: 2. posse eo tempore inchoari et absolvi in privata recitatione totum Matutinum una cum Laudibus. Nam et illud tempus est tempus noctis et quod tanquam substantiale respicit lex Officii nocturni, est ut dicatur nocte: in privata autem recitatione nunquam postulatum est, ut partes unius Horae, cuiusmodi est Matutinum cum Laudibus, tempore separarentur.

Huc redit sententia Sanchez *Consil.* l. 7. c. 2. dub. 37. 1.-8. Ait enim 1. « Supponendum est, quod, licet quoad contractus et alia huiusmodi dies incipiat a media nocte, tamen quantum attinet ad Officium divinum et celebrandas ecclesiasticas sollemnitates, incipit dies a vesperis. Sic S. Thomas *quodl.* 5. art. 28. (qui tamen exclusive id accipit, h. e. exacto vesperarum tempore, seu dictis Horis vespertinis et completorio: cf. verba eius superius recitata), Caietanus v. *Horae* c. 4. et reliqui DD. citandi », qui sunt Silvester, Angelus, Tabiena, Viguerius, Turrecremata, Navarrus. Hinc ait 2. « Ad dicendum Matutinum non est deputata, tanquam hora debita, media nox, ut aliqui falso putant; quia nullum ius est id praecipiens vel determinans Matutinorum horam, sed tantum dicunt textus, Matutinum esse Officium nocturnum, de nocte dicendum, ut bene dicit Navarrus. Unde qui matutinum recitant vel prima nocte vel media vel summo mane, debitis horis illud recitant; quia omnes dicunt de nocte ». Hactenus proinde sistimus in lege. Addit 3. « Ad recitandum Matutinum per unam horam ante solis occasum, nulla causa (excusans scilicet) requiritur: sed qui tunc recitat Matutinum, censetur debita hora recitare ». Quod quidem, supposito quod modo dixerat, ex eo demonstrat, quod hora competens non debet sumi punctualiter, sed una hora paulo plus aut minus ante vel post perinde est, ita ut qui Horam canonicam parum ante vel parum post recitaverit, censeatur competenti tempore recitasse. Cf. dub. 35. n. 5. Hinc adhuc currente hora vesperarum recitari potest Matutinum.

Nec aliter Caietanus v. *Horae* c. 4. « Tempus est (pro recitandis Horis) totus dies inchoans a vespere praecedentis diei, usque ad mediam noctem sequentis diei: ita tamen ut solas matutinas liceat in vespere praecedenti dicere ». Ceterae enim horae sunt officium diurnum.

Ita et Navarrus *Enchir. de Orat. etc.* c. 3. n. 60. ait: « recte dictum a. s. Thoma, quod quantum ad horarum recitationem, unusquisque dies incipiat a sua vespera: recte dixisse s. Thomam, eum qui dicta vespertina et completorio unius diei, *de sero* dixit matutinas sequentis diei, videri illas dicere illo die: quod tamen non procedere nisi quoad Matutinum et laudes, dixit Caietanus ».

Igitur ab occasu solis exordiente nocte iam tempus illud incipit, quod Ecclesia deputavit Officio nocturno et quia parum pro nihilo reputatur, etiamsi una hora ante occasum solis, Officium nocturnum dicatur, censetur recitari tempore debito.

Diximus *ab occasu solis*: verum, ut monet Suarez c. 15. n. 8. « Successu temporum... mutatio facta est; nam quod olim erat tempus ad Nonam designatum, nunc fere Vesperarum tempus opportunum est ». Porro hoc more inducto et superiore principio retento, consequens erat, ut legitimum tempus recitationi Matutini esset ab hora nona h. e. postquam solis cursus medius est inter meridiem et occasum. At in hac re, ut ait idem Suarez, non fuit uniformis consuetudo, sed magna varietas et refert frequenter vesperas solere dici (publice scilicet) in hyeme hora 2^{a}, aestate hora 3^{a}.

Hinc Sanchez l. c. n. 4. ratione habita huius moris et forte etiam illius principii quod, una hora praevertens censetur adhuc tempore debito recitare, absque haesitatione affirmavit: « Si quis recitet hodie hora secunda post meridiem Matutinum diei crastinae, satisfacit praecepto nec peccat mortaliter; quia iam illud tempus, cum sit hora Vesperarum, pertinet ad sequentem diem ». Addit n. 6. « Qui absque causa sufficienti recitaret Matutinum diei crastinae hodie hora secunda post meridiem, peccaret venialiter ». De cuius sententiae valore iam superius dictum est.

Quaestio potissima, quae ab expositione huius sententiae sponte oritur, haec est: tempus illud, quod ante diem naturalem (a media nocte ad mediam noctem) est idoneum recitationi Matutini estne tempus obligatorium, quo nempe iam praeceptum urget, an solum facultativum. Nec nullius momenti est quaestio. Nam si obligatorium dicis, consequens videbitur, quod praevidens se cras non posse recitare matutinum, debeat hodie a vesperis, quoniam iam praeceptum urget: secus si tempus est solum facultativum.

Censeo ratione habita institutionis Officii nocturni, quod per se de nocte recitandum

brica illud connectat Matutino diei atque substituat loco v. *Fidelium animae* etc., quo absolvitur Hora.

At litaniae Sanctorum die s. Marci et Rogationum non sic copulantur cum officio, et quia privatim recitantur, loco assistentiae ad processionem, quae diei non vesperis eius est affixa, nequeunt dici pridie. Ita communius et verius, ait S. Alph. n. 174. q. 9.

417. Quemadmodum officium diei incipere licet pridie, ita fuerunt, qui dicerent absolvi posse postridie, ut satisfacias e. gr. si paulo ante mediam noctem, qua desinit dies, puta s. Dominici, incipias officium eius diei et absolvas post mediam noctem. Unde et quibusdam venit in mentem, uno officio posse satisfieri obligationi duplicis diei.

Hoc postremum reprobatum est ab Alexandro VII. prop. 35. Prius communiter reiicitur: lex enim est Ecclesiae, ut singulis diebus suum integrum onus sit affixum: nec valet comparatio cum anticipatione Matutini, tum quia lex ecclesiastica hanc paritatem non recipit, tum quia pro anticipando Matutino ratio adest, ut vidimus, quae non militat pro protrahendo officio ultra terminos diei.

Quocirca, qui aliquo die omisit officium, peccavit nec tenetur amplius omissum officium recitare sed poenitere. Neque si recitet omissum officium, liberat se ab obligatione restituendi fructus pro rata (n. 366.); quia haec recitatio non ea est, qua fiat satis praecepto Ecclesiae semperque verum erit, certo die non dictum esse officium; quo posito iam urget lex restitutionis. S. Alph. heic.

---

est, distinguendum esse. Nimirum ab initio noctis post occasum solis incipit tempus eius obligatorium, ante occasum solis est tantum tempus facultativum. Probatur prius; quia tempus proprium recitando Matutino est tempus noctis, sicut recitandae horae tertiae est hora tertia et recitandis Vesperis hora abeuntis solis, dum *sol recedit igneus* et Completorio *ante terminum lucis*. Utique exinde sequitur, quod qui sciat se impeditum iri postea a recitatione Officii et nunc e. gr. prima hora noctis possit absque difficultate recitare Matutinum, ad id teneatur: sed meminerit lector, hanc esse opinionem et integrum ipsi esse, aliam sententiam pro sua norma sumere.

Probatur alterum; quia tempus ante occasum solis non est nox et non nisi per quandam dispensationem et favorem potest censeri veluti nox ideoque tempus idoneum Matutinis Horis recitandis. Potest quidem tempus vesperarum plus minus dilatari humana institutione; quia illud per se nihil habet definitum a natura; est namque tempus pertingens ad occasum solis et sicut olim tribus horis consuetis continebatur, ita et quinque aut sex contineri potest. At tempus proprium Matutino Officio non est tempus vesperarum, sed nox; fieri vero non potest, ut nox sit ante solis occasum: quod ergo vesperarum tempore possit persolvi Matutinum, id est ex favore.

Hinc sententia Sanchez duabus partibus constat: affirmat recitantem Matutinum hora secunda post meridiem satisfacere praecepto; quia iam cepit hora Vesperarum et affirmat hunc ipsum non peccare quidem mortaliter, venialiter vero, si absque causa sufficienti id faciat. Iam vero si ea hora esset obligatoria, inciperet iam tunc obligatio Officii ideoque et Matutini, quae est prima pars Officii et sic illud recitare nullum esset peccatum: non censuit ergo Sanchez obligationem tunc urgere, sed solam licentiam seu facultatem habere locum et dispensationem, qua uti absque ulla sufficienti causa esse veniale putabat. E.

Adde responsa ss. CC. quoad dubia exorta circa usum *temporis medii*. S. Poenit. 29. Nov. 1832. respondit: Fideles in ieiunio naturali servando et in officio divino recitando, *posse* sequi tempus medium, sed *non teneri*. Quod responsum valere quoque de tempore medio Europae centralis nuper inducto, respondit eadem s. Poenit. 29. Nov. 1893. quod iam Episcopo ultraiactensi responderat C. S. O. 27. April. 1892. quamvis tempus medium fere tertiam horae partem serius adesset tempore vero. Cf. *Monitore Eccles.* 1899. Agosto.

LXIX. 7. Ut devote et cum attentione interna, virtuali saltem, recitentur, sive ea ad Deum sit sive ad sensum verborum sive, ut ait Caiet., ad verba solum. Quam postremam sufficere, recte notat Less. supposito tamen animo orandi et vacandi Deo. Unde attentionem confusam saltem ad Deum et ad verba includit; cum alioqui attentio praecise ad sola verba nihil ab externa attentione differre videatur. Ita communiter contra Navar. Sylv. et Con., qui nullam attentionem internam requirunt, sed tantum externam, quae excludat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, licet animo voluntarie interea distraharis. Quae sententia, secundum Laymann et Less. non est improbabilis et utilis tum scrupulosis, tum confessariis, ne beneficiatis sine attentione Horas recitantibus imperent restitutionem fructuum, partim ob Doctorum auctoritatem, partim quod hoc praecepto tantum materiales quaedam preces earumque externa pronuntiatio, per quam, sicut per hymnos organo cantatos, a Deo aliquid Ecclesia potest impetrare, praecipi videantur: devotio vero tanquam finis praecepti extrinsecus ad eius substantiam non pertineat. Verum nostra sententia est communior et probabilior. Et probatur; sine attentione enim interna nulla est oratio: ergo hoc ipso, quod sub mortali ad orationem obligaris, sub mortali item ad aliquam attentionem ex praedictis obligaberis. Nec refert, quod Ecclesia non possit per se actus internos praecipere; potest enim eos praecipere, ut sunt necessarii ad actus externos debite praestandos, ut sint actus virtutis. Quo modo cum possit praecipere confessionem, potest etiam contritionem.

Dixi, *cum attentione interna virtuali saltem.* Etsi enim melior sit actualis, sufficit tamen virtualis, quam Bonac. et alii communiter dicunt manare ex actuali, quandiu non revocatur expresse vel tacite per distractionem voluntariam vel actionem cum debita attentione incompossibilem. Unde licet involuntarie distraharis, virtualiter tamen attendis, 1. si in genere intenderis officium dicere modo consueto vel animo laudandi Deum vel satisfaciendi tuo muneri: 2. si cum confusa aliqua apprehensione et proposito opus consuetum faciendi recites. Vide Bonac. d. 1. q. 3. p. 5.

418. Distinguenda attentio ab intentione. Intentio est actus voluntatis, quo aliquid nobis proponimus assequendum vel faciendum: attentio est actus intellectus defixi in consideratione alicuius rei. Intentionem orandi necessariam esse ut sit oratio, manifestum est; ut enim aliquod a Deo homo petat vel Deum laudet vel gratias agat etc., oportet, ut velit petere etc.; est enim oratio, prout talis, actus humanus. Secus nullum discrimen foret inter orationem et lectionem aut recitationem psalmi studiumve Scripturae. Cf. Suarez l. 3. c. 3. Haec autem intentio vel formalis est vel virtualis et implicita atque haec sufficit quemadmodum sufficit ad actum moralem. Ibid. n. 6.

Quaestio est autem de necessitate attentionis in oratione et ut in ea re immoremur, de qua agimus, de necessitate attentionis in officio recitando. Non est quaestio de necessitate attentionis ut recitatio officii sit immunis ab omni labe, sed ut recitatio officii sit vere, etsi imperfecto modo, oratio eaque satisfiat praecepto Ecclesiae.

Quocirca, ut monet Croix n. 1349; duplex potest institui quaestio: 1ª an attentio sit de essentia orationis: 2ª an, etsi talis non sit, eam tamen praeceperit Ecclesia in recitatione officii. Nunc priorem quaestionem expediemus, quae difficilior est; nam ea soluta, facilis erit solutio alterius.

419. Distinguitur a Theologis primum duplex attentio, interna et externa. Tum interna triplex esse dicitur, nempe, ut cum s. Bonaventura loquamur, *superficialis*, quae est attentio ad ipsa materialia verba, ut integre et recte dicantur: *litteralis*, quae est attentio ad sensum verborum: *spiritualis*, quae est attentio vel ad Deum qui oratur, vel ad rem quae oratur. Cf. Vol. II. 319. seq.

Externa porro attentio quid est? Ea sita dicitur in non positione actionis impossibilis cum attentione interna, ut esset fabulari, scribere etc. S. Alph. n. 176. « Haec externa attentio consistit in negatione distractionis externae idest in negatione eius negotii vel occupationis externae, quae ex se sit distractiva mentis ab auditione Missae (ait Tamburini loquens de Missa audienda in *Decalog.* l. 4. c. 2. §. 2. n. 20.), qualis esset, velle historiam legere, confabulari, ludere, pingere, scribere etc. ».

Haec distinctio attentionum difficilis est captu et cum distinctionis usus eo spectet, ut claritas fiat, haec potius obscuritatem gignit. Nam quid sibi vult hic terminus complexus: *attentio externa?* Attentio est essentialiter actus mentis ideoque est formaliter et subiective interna; externa itaque non dicetur nisi *obiective:* at si ita est, cur ea non ponitur quartum membrum attentionis internae, cuius tria membra enumerata *ratione solius obiecti* inter se distinguuntur? Et sane ita, paulo accuratius, ut videtur, definitur vel describitur attentio externa a Lessio c. 37. n. 61. « Externam voco, quae est circa externam pronuntiationem et totius corporis compositionem, qua quis exterius se gerit in speciem orantis abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit ».

At ab aliis attentio circa pronuntiationem verborum recensetur inter attentiones internas: quod mirum est. Nam vel attentionem spectas formaliter seu subiective et sic omnis attentio est interna: vel spectas obiective et sic cur attentio ad recte pronunciandum non erit externa? et si haec externa non est, cur externa erit attentio ad non fabulan-

dum? Idcirco Lessius, ut attentio ea, quam superficialem diximus, sit interna, requirit simul attentionem quandam, saltem confusam ad Deum n. 69. et in hac attentione animi ad Deum vel res divinas collocat rationem attentionis internae n. 61.; ea enim sunt obiecta, quae mente et animo solum apprehenduntur.

Satius esset, omissa appellatione *internae* vel *externae*, ita distinguere attentiones, ut attentio sit vel ad Deum resve divinas aut id quod desideramus a Deo, vel ad sensum verborum, vel ad rectam pronuntiationem verborum, vel ad cavenda ea, quae praecedentes attentiones praesertim ultimam excluderent: quamvis nondum intelligamus, cur attentio ad cavenda ea, quae alias attentiones excluderent, potius quam specialis attentio, non sit censenda elementum singularum praedictarum attentionum; nam qui e. gr. ad Deum attendit, attendit etiam, ne distrahatur a Deo; est scilicet eius elementum negativum.

Quibus animadversionibus praemissis, liceat nobis uti formulis iam usu tritis, quibus et utitur s. Alph., ut facilius intelligamur.

420. S. Alph. refert tres sententias. Prima, quam communiorem et probabiliorem dicit, affirmat necessariam esse internam attentionem ad satisfaciendum praecepto divini officii: docet tamen sufficere attentionem virtualem, quae nempe semel habita non retractetur, quae idcirco virtualiter manet. Altera (quam tertio memorat loco) tenet, ad satisfaciendum substantialiter praecepto officii non requiri attentionem internam: sed sufficere intentionem recitandi cum attentione externa. Tertia sententia, quam s. Doctor tribuit Salmanticensibus quaeque vult conciliare utramque extremam sententiam, statuit, sufficere attentionem ad sola verba, cum animo, generali saltem seu confuso, Deum colendi. Verum haec est reapse prima sententia, quae contenta est qualibet attentione interna ideoque et ea, quae solum est ad rectam et ordinatam pronuntiationem: quocirca posita intentione, quam satis est virtualiter perseverare, sufficit attentio ad verba. Ita Suarez l. 3. c. 4. n. 8.

Pro secunda sententia affert s. Doctor argumenta, quae Lugo pro ea protulit, quin idem s. Doctor eadem solvat, imo ipsa non parum commendans: affirmat tamen primam sententiam *videri probabiliorem, saltem ob auctoritatem extrinsecam.* At profecto 1° si auctores pro secunda sententia numerentur et illi, qui eam probabilem dicunt qui plures sunt et primi subsellii, si pro ea citari possunt s. Antoninus et s. Thomas (cf. s. Alph. n. 177. §. *Tertia sententia*): nescio quantum extrinseca auctoritas suffragetur primae sententiae. 2° Nisi argumentis Lugo adhibeatur idonea solutio, non apparet, quomodo opposita doctrina, etiam ratione habita extrinsecae auctoritatis (quae rationi cepere debet) dici possit probabilior.

Opus non est, immorari in quaestione, an Ecclesia praecipere possit actus internos, si praesertim necessarii sint pro recte praestando actu externo; nam et secundae sententiae auctores id concedunt vel concedere possunt, quin presens quaestio paululum proficiat: quaestio est enim, quis actus internus necessarius sit, ut habeatur vera oratio; an sufficiat intentio an praeterea requiratur interna attentio.

421. Ratio primae sententiae potior, si credimus s. Alphonso (nam alia petita ex c. *Dolentes, de Celebr. Miss.* non est ad rem), ea est, quod sine attentione interna non constituitur oratio, quae universim definitur *elevatio mentis ad Deum.* Quo in argumento videtur confundi intentio cum attentione: si autem hanc ab illa distinguas, adhuc restat demonstrandum quod cum sola intentione orandi et extrinseca attentione, nondum habeatur elevatio mentis ad Deum.

Quocirca Suarez l. 4. c. 26. n. 13. sic breviter argumentum instituit. « Necessaria est intentio virtualis orandi: sed haec esse non potest sine attentione virtuali; ergo. Minor probatur; quia tunc solum desinit esse virtualis attentio, quando homo sciens et videns se de aliis cogitare et non attendere, non curat, sed negligit vel directe vult illo tantum modo (preces) dicere: at hoc ipso iam non vult orare, sed revocat priorem intentionem; quia velle sic loqui non est velle orare ». Ergo cum desinit virtualis attentio (h. e. cum quis sciens et volens in distractione, quam advertit, perseverat) desinit quoque virtualis intentio et sic nulla est amplius oratio.

Vis igitur argumenti est in hoc, quod libera evagatio mentis, qualis descripta fuit, excludit intentionem orandi et sic perimit orationem: illa ergo evagatio abesse debet, ut sit oratio: atqui ea absente, aliqua interior attentio saltem virtualis necessario adest: ergo haec requiritur ut sit vera oratio.

Porro iuxta eundem Suarez, ex tribus attentionibus internis supra memoratis, sufficit minima, h. e. attentio ad verba rite proferenda (l. 3. c. 4. n. 8.) eademque virtualis (ibid. n. 6.); cum ergo talis attentio habetur, non exstat ea evagatio animi, quae excludit intentionem orandi.

Lessius l. c. n. 64. cum statuerit veriorem videri et probabiliorem sententiam, nempe requiri attentionem internam, adeo ut si quis interius sponte alienis cogitationibus se occupet, non satisfaciat praecepto Ecclesiae de Horis dicendis: ita thesim suam probat. « Quia Ecclesia praecipit Clericis verum actum orationis et laudis divinae: atqui ad talem actum requiritur interna attentio et reverentia; ergo simul praecipit internam attentionem. Minor probatur, quia oratio potissimum consistit in actu interno, ut docet s. Thomas; est enim colloquium

cum Deo: unde requirit attentionem et reverentiam erga Deum. Confirmatur; quia qui exterius profert verba orationis absque animo (intentione) orandi, vere non orat: sicut ergo requiritur animus orandi (intentio), ita etiam interna mentis attentio ». Redit itaque argumentum Suarez. Est tamen aliquod discrimen. Nam, ut habeatur attentio debita orationi, non sufficit Lessio attentio ad verba, sine aliqua attentione ad Deum saltem confusa; solam enim attentionem ad verba censet Lessius attentionem externam. Cf. dicta n. 419.

Et sane cum attentione ad verba proferenda consistere potest plenissima et liberrima evagatio animi ad res prorsus impertinentes, lubricas, turpes: an qui ita se gerit, adhuc orat, iuxta Suarez et qui cum eo sentiunt?

422. Contrariam sententiam, haud requiri internam attentionem, nemo melius defendit quam Lugo, novis, more suo, productis argumentis *de Euchar.* disp. 22. sect. 2. n. 25. seqq. ubi agit de attentione requisita pro auditione Missae.

Sane 1° cum intentio orandi, laudandi Deum, gratias agendi, petendi etc. adest et ex ea intentione recitantur verba exprimentia orationem, laudem, gratiarum actionem, petitionem, habetur quidquid essentialiter requiritur, ut sit oratio: si enim e. gr. ex intentione laudandi Deum libere recitas *Te Deum*, actus exstat humanus laudationis Dei et idem de ceteris dicatur. Atqui haec duo, intentio et recitatio, haberi possunt sine interna attentione; quia ipsa est ab iis duabus distincta et hae possunt sine ipsa esse: ergo.

Difficultas est in minori. Si sermo sit de attentione interna ad Deum vel aliquid divinum, sive ad id quod petitur, aut ad sensum verborum, facile intelligitur, haberi posse intentionem orandi, quae virtualiter saltem perseveret atque recitationem verborum, sine attentione interna. At si interna attentio dicatur ipsa attentio ad verba proferenda, puta psalmos, hymnos, 1° is qui prima vice legit psalmos et hymnos, nescio quomodo recitare possit, nisi attendat ad ipsas res recitandas seu ipsam recitationem: 2° qui iam assuetus est recitandis Horis, quas memoria tenet, poterit quidem recitare ex habitu, quin actu reflexo advertat ad singula quae dicit: at adest primo aliquid aequivalens attentioni, nempe habitus ex memoria et secundo simul cum memoria se exercente extat aliqua, etsi levis et confusa, attentio; quia actus memoriae est actus cognoscitivus, ut bene advertit Croix n. 1332.

2^{m} Argumentum. Si attentio interior essentialis est, ut sit oratio, illa quamvis involuntarie deficiente, non erit oratio: quia deficiente essentiali elemento, quaecumque sit causa cur deficiat, nequit esse essentia rei. Atqui et adversarii concedunt, quod, si distractio est invo-

luntaria, manet oratio atque id concedere debent; ergo attentio interior non est de essentia orationis. Respondent utique isti, quandiu distractio est involuntaria, manere attentionem virtualem, quae sufficit; at reponunt alii, se non intelligere, quid sit haec attentio virtute manens. Nam cum distractione etiam involuntaria nulla est actu attentio; quia distractio et attentio sunt contradictoria: quid ergo virtute manet? voluntas attendendi, quae actu supponitur ab initio exstitisse. Atqui haec voluntas virtualiter manens non efficit, ut qui distractus est, vere dicatur virtualiter attendere: quemadmodum nequit ille dici virtualiter intelligere quae legit, qui actu non intelligit, etsi habuerit imo et habeat voluntatem intelligendi. Cuius rei atque discriminis inter intentionem et attentionem ratio est, quod attentio sicut et intelligentia est actus intellectus, intentio voluntatis; porro actus voluntatis virtualiter manere potest, ut quis vere, postquam actu voluit, censeatur in ea voluntate permanere, donec retractet voluntatem: at non hoc pacto intellectus actus potest virtualiter manere, ut qui nunc non intelligit actu censeatur intelligere, eo quod prius intellexit: sed solum manere potest voluntas intelligendi. Ergo nulla est attentio virtualis: voluntas enim attendendi non est attentio.

423. Persuadere mihi non possum tot doctos, exercitatos et acutos viros, quales sunt Suarez, Lessius, Sanchez, Laymann aliique plures, non vidisse quod vidit Lugo, qui nihilominus, absque ulla specie dubitationis, de attentione virtualiter manente loquuntur.

Sane distinguendum puto inter actum physice spectatum et actum spectatum moraliter prout nempe est actus honestus, Deo placens, Deo honorem conferens. Prout attentio actus physicus est, quandiu actu non manet, nulla ipsa est nec virtualiter manet idque probat altera pars argumenti a Lugo allati.

Prout vero attentio est actus moralis bonus, ipsa est actus a voluntate imperatus propter finem honestum, qui heic est cultus Dei: hanc voluntatem potissimum Deus respicit atque eam sola distractio voluntaria abolet, ut ipse Lugo concedit. Cum ergo in re morali habeatur potissimum ratio voluntatis, quid repugnat, voluntatem actualem attendendi vocari attentionem et voluntatem attendendi permanentem virtualiter vocari attentionem virtualem? Etsi neges rationem loquendi esse satis idoneam, quaestio tamen realis manet, an ut sit oratio, requiratur 1° aliqua voluntas attendendi, quae implicita saltem sit in intentione orandi et idcirco 2° requiratur absentia voluntariae distractionis.

Alii affirmant; quia recitatio precum cum voluntaria distractione ab eo quod dicis, videtur actus irreligiosus, non oratio; cum ergo in-

tendis orare, intendis etiam attendere atque adeo voluntas attendendi, saltem virtualiter manens, est de essentia orationis. Et sic attentio saltem virtualis est de essentia orationis, nec argumentum Lugo in priore eius parte efficax est, dum attentionem solum physice spectat.

424. Argumentum 3^{m} huc redit. Forma sacramenti extremae unctionis est deprecativa, scilicet oratio, ut clare significat Iacobus V. 14. 15. « Et *orent* super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini et *oratio* fidei etc. »: idcirco si oratio desit, nullum est Sacramentum.

Atqui etsi eam formam presbyter proferat cum voluntaria distractione, dummodo intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, oratio adhuc est; quia sacramentum perficitur: ergo cum voluntaria distractione ab initio ad finem, manere potest oratio.

Hoc argumentum vocat s. Alph. difficilem obiectionem, simul ostendens nullas esse eius solutiones ab aliis allatas, quin tamen ipse sit sollicitus efficaciorem afferre responsionem. Quocirca non tam obiectio quam solida ratio videri potest.

Nihilominus de vi huius argumenti ex comparatione ducti, non sumus prorsus certi. Nam quis dicat e. gr. presbyterum illum orare Deum, qui non credat esse Deum? et tamen hic, si verba extremae unctionis proferat cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, Sacramentum confert ideoque et orat, utique quantum sufficit ad rationem Sacramenti; profert nempe in nomine Christi verba deprecatoria. Haec est ergo specialis conditio verborum sacramentalium, quae nomine Christi proferuntur, qui est princeps minister sacramentorum. Huc redit, puto, responsio Concina, qui, teste s. Alphonso, fuse et perdocte hanc tractat quaestionem: in sacramento satis esse orationem exteriorem seu verba deprecativa, in officio requiri orationem moralem, quae sine attentione aut voluntate attendendi nulla est.

425. Argumentum 4^{a} sit auctoritas s. Antonini, qui 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. sic explicat. c. *Dolentes, de Celebr. Miss.* ubi praecipitur recitantibus in choro, ut *officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent et devote.* « Praecipimus, interpretatur s. Antoninus, ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas: intentionem (attentionem scilicet) et devotionem in praecepto non ponimus; sed gratiae Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum. Et hunc intellectum teneas; quia benignior est et quia non debet Ecclesia alicui laqueum iniicere ». Et §. seq. ait: « Non requiritur, quod intentio comitetur actualiter totam orationem... requiritur tamen, quod orans scienter non distrahat mentem ab oratione (habes *intentionem* esse Antonino *attentionem*); hoc enim non potest esse sine culpa mortali vel veniali ». Subdit: « Sed si evagatio est

advertenter et solum secundum actum interiorem, licet temeraria et gravis foret, non tamen mortalis, nisi per contemptum; quia Ecclesia non habet iudicare de actibus mere interioribus: propter quod minister Ecclesiae, licet dicendo orationem cogitet aliud, non videtur transgressor praecepti ex natura facti. Si autem evagatio mentis sit ex hoc quod aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patiatur attentionem, videtur esse mortalis et directe contra praeceptum Ecclesiae *de celebr. Miss. et Dolentes,* ubi praecipitur, quod Officium celebretur *studiose pariter et devote* ».

Ex quibus patet, s. Doctorem quaestionem proprie agere; an ex praecepto Ecclesiae requiratur attentio et quia, ut ipse ait, de actibus mere interioribus Ecclesia non iudicat, negat requiri attentionem interiorem: quia vero externam requirit Ecclesia, hanc necessariam esse dicit. Iam alibi dictum est, nobis non probari doctrinam: Ecclesiam non praecipere aut non posse praecipere actus mere internos, eo quod de iis non iudicat: liquet tamen ex his, consuisse Antoninum posse haberi orationem, qua satisfiat praecepto ecclesiastico recitandi Officii, absque interiore attentione.

5° Accedit auctoritas s. Thomae in 4^{m} dist. 15. q. 4. a. 2. ql. 4. ad 2. » Quando ex proposito mentem ad alia distrahit in orando, tunc sine culpa non est et praecipue si in aliis sponte se occupat, quae mentem distrahunt, sicut sunt *exteriora opera* et si *ad contrarium* mens evagatur, etiam erit culpa mortalis ».

Ubi, ut advertit Suarez lib. 4. c. 26. n. 4., solum ponit culpam mortalem, quando evagatio mentis est ad contrarium. Porro contrarium, ut idem Suarez monet, erit obiectum contrarium Deo aut divino cultui; hoc enim magis proprie illa verba significant. Et tunc merito dicitur evagatio esse peccatum mortale vel ex genere; quia obiectum illud est turpe vel quid simile, vel ex iniuria Dei contra religionem; quia non solum distrahitur mens, sed etiam ad cogitationem directe Deo contrariam et iniuriosam, loquendo cum illo, evagatur. Ita Suarez verba s. Thomae interpretatur, quamvis eius doctrinam non plene recipiat.

Concludere ergo licet cum s. Alphonso, sententiam Lugo, spectatis etiam intrinsecis eius fundamentis, quae levia non sunt, esse satis probabilem nec aliud Lugo contendit, contentus dicere, se hanc sententiam existimare probabilem l. c. n. 29. Cf. dicta vol. 2. tract. VI. sect. 3. n. 112. seqq.

426. Nihilominus, si res penitius inspicienda sit, iuverit haec advertere.

1° Si attentio ea sola, quae externa vocatur, necessaria censetur, non apparet ratio, cur ea pro essentia orationis requiratur. Ratio esse

dicitur; quia occupatio externa non debet esse talis, quae per se impediat interiorem attentionem. Iam vero haec ratio valet, si interior attentio requiritur; atqui iuxta te haec non requiritur; quid ergo opus est ea removere, per quae ipsa impediretur?

2° Si sufficere dicitur attentio ad pronuntiationem verborum (quae attentio, ut diximus, solet vocari interna), ea non amplius necessaria videtur, cum quis sibi conscius est, se propter contractam habitudinem recte omnia pronuntiare, etsi ad verba non attendat. Nam ratio, cur haec attentio requiratur, ea est, puto, ut verba rite recitentur. Ita Lessius l. c. n. 69. Advertimus tamen aliquam huiusmodi attentionem semper haberi n. 422. 1.

3ª Quocirca res eo redit, ut attentio externa non sit necessaria: attentio interna ad Deum, ad sensum verborum, ad id quod petitur, ad divina, non sit necessaria, e sententia etiam eorum, qui attentionem internam flagitant: attentio ad verba non sit necessaria nisi per accidens, quandiu scilicet contracta non sit habitudo ex ordine recitandi. Quid ergo restat?

Hinc Lessius l. c. n. 64. aliquam attentionem internam requirit ad Deum vel divina, quae virtualiter saltem perseveret, quam voluntariae excludunt distractiones, quae tamen etiam advertantur: ut idcirco, si partem illae occupent officii, quae sub gravi obliget, haec sit devote repetenda.

427. Atque haec de priore questione utrum attentio interna sit de essentia orationis ideoque et officii. Iam vero si pars affirmativa teneatur, iam praeiudicata videtur altera quaestio: an saltem Ecclesia eam praecipiat in recitatione Officii; nam praecipit certe actum religionis et orationem. Dixi *videtur;* nam, ut cum Laymann loquamur *de Orat. et Horis Can.* c. 5. n. 10., « non satis nobis constat, utrum Ecclesia tanta cum obligatione praecipere voluerit; cum ipsi sufficere videatur, si praecepto suo a ministris obtineat, ut in choro vel extra chorum publicas orationes decenter psallant vel pronuntient: de interna autem devotione iudicium Deo committat, sicut s. Antoninus ait ». Et ratio est, « quia negari non potest, hoc etiam cantu vel prolatione externa precum ab Ecclesia institutarum (si externe cum decore fiat) et populum aedificari et quatenus nomine et imperio Ecclesiae funduntur, aliquid a Deo impetrari posse ». Quare subdit, discrimen esse inter confessionem sine dolore, quae sacrilega est nullumque fructum fert et cantum publicum, cui privata recitatio respondet; nam haec si externe cum decore fiat, non caret omni fructu ex Ecclesiae intentione ». Consentit et Lessius l. c. n. 63.

Ergo si hic decor externus servetur, non opus erit officium repetere,

ut fiat satis praecepto Ecclesiae, etsi coram Deo peccatum sit propter defectum debitae attentionis in oratione. Sed si cum ista attentione officium non sit praeceptum; peccatum non erit grave.

Qui vero in priore quaestione negant necessitatem interioris attentionis, ideo tandem externam attentionem postulant; quia eam Ecclesia praecipit c. *Dolentes, de Celebr. Missarum:* ubi prohibet Conc. Later. sub Innocentio III. ne in choro exteriores collocutiones fiant et ne auditus ad indebitos sermones effundatur et similia (cf. resol. 3[m] heic): sed *studiose et devote* officium celebretur. Illa ergo devotio saltem praecipitur, quae externum decorem confert et externas evagationes excludit.

Non ergo facit satis praecepto Ecclesiae recitandi Officii, qui recitans versatur multum inter huiusmodi externas evagationes. Atque in hac re omnes conveniunt.

Ex dictis resolves.

LXX. 1. Is, qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid omiserit, si probabilem coniecturam habeat se dixisse, vel quia proposuit initio attendere vel quia se reperit in fine, v. g. psalmi, praesumere potest, se dixisse, si ex libro, vel memoria, ceteroquin non errare solita, dixit; proindeque melius erit, si non repetat, ad vitandas anxias consuetudines et scrupulos et ut totum officium sine perturbatione decurratur. Ita Binsfeld cap. 11, d. 13. Laym. c. 5.

Non opus est declaratione.

LXXI. 2. Qui sponte distractus nullam harum attentionum habuit, graviter peccavit teneturque secundum sententiam communem Horas repetere nec fructus facit suos; quia non fecit opus praeceptum, quod erat, ut devote oraret. Sot. Navar. Regin. Ferr. Suar. Bonac. et Trull. l. 1. c. 7. d. 17. ubi ex Navar. addit, non excusari a mortali eum, qui recitationem Horarum ita differt vel ita se componit, ut advertat se somno praeoccupandum. v. gr. si Completorium vesperi reservet dicendum in lecto, sciens se tunc somno solere obrui. Quidam tamen Doct. paulo ante citati negant, eo casu necessariam esse repetitionem; eo quod substantia operis sit impleta, absque circumstantia devotionis. Multoque magis ac probabilius iidem negant obligationem restitutionis; eo quod ad illam tantum teneantur, qui officium omiserunt, non qui distracte dixerunt. V. Bon. l. c. Less. Laym. et Dian. tr. *de Horis,* r. 1. et 2. Escob. t. 5. c. 4. c. ult. n. 62.

428. Perpende quod ultimo loco dicitur, non obligari ad restitutionem, qui Officium distracte recitavit; quia lex poenalis respicit eos, qui omittunt Officium; qui vero distracte recitat, non omittit. Etsi ergo peccet, lex tamen poenalis, quae est strictae interpretationis, eum non afficit.

LXXII. 3. Cum recitatione officii coniungere actiones, quae notabiliter non impediunt, v. g. induendi, abluendi, veniale est, si fiat sine causa; alias nullum. Escob. l. c. c. 7. Qui vero advertenter occupat se in aliqua re incompossibili cum attentione interna, v. gr. in scriptione, lectione etc. graviter peccat et praecepto non satisfacit. Atque adeo tenetur repetere. Nav. Suar. Bon. Trull. l. c.

Clara est ex dictis.

429. Quaerit s. Alph. n. 178. an peccet mortaliter qui officium recitat in peccato mortali, et negat cum communiori sententia; quia reapse satisfacit praecepto. Sane recitatio Officii non est actus ordinis sacri, qui exigat statum gratiae: praeterea aliquis etsi adhuc in statu peccati exsistens, potest tamen eius displicentiam habere et bene orare, ita ut impetret et congruenter mereatur iustificationem: cur ergo hic non poterit officium persolvere? Quod si actualis complacentia peccati vel voluntas peccandi adsit, sibi quidem nihil impetrabit; preces tamen ab Ecclesia praescriptas eiusque nomine fundit, quod satis est, ut essentiali obligationi fiat satis: etsi videatur irreverentia saltem venialis hoc pacto orare.

Recitatio Officii in locis immundis, cum naturae satis fit, non videtur carere aliqua irreverentia, si fiat sine causa; saltem indicium est animi illiberalis, qui tempus orationi impendendum, quantum fieri potest, satagit decurtare. Aliud vero est, si ibidem liberae orationi vacetur, quod imo est commendandum.

Dub. III.

* *Quid clerici possint circa dispositionem fructuum suorum beneficiorum.* *

LXXIII. Resp. 1. Clerici Beneficiarii, quoad eam partem bonorum Ecclesiasticorum, quae necessaria est ad congruam sustentationem et decentiam status, ita fiunt domini, ut de iis possint libere disponere. Ubi recte notat Navar., hanc congruitatem et decentiam habere latitudinem et suos gradus: proindeque, si infimum congruae sustentationis pretium sint floreni 300. medium 400. summum 500., Clericus autem infimo vivat, de reliquo libere posse disponere. Ita commun.; quia id acquisivit ut stipendium sustentationis, quasi mercedem operis praestiti.

LXXIV. Respond. 2. Probabilius etiam est, contra Nav. et multos Canonistas, beneficiarios non regulares (secus enim est de regularibus, ut ait Cardin. Lugo t. 1. d. 4. s. 1. n. 2.) absolute esse dominos omnium suorum proventuum ideoque, etsi in profanos usus expendant, non teneri ad restitutionem. Est communior inter recentiores, apud Binsfeld. Mald. et Bon. d. 3. p. 1. ex s. Th. Sot. Mol. etc.; tum quia fructus faciunt suos, ut supponit Trid. sess. 24. c. 12. tum quia alioqui non possent fructuum dominium in alios transferre (extra pios usus) omnesque eorum donationes et contractus essent invalidi et ut tales a iudice declarandi et bona Ecclesiae restituenda; quod cum nunquam sit factum, praesumi non debet esse faciendum. C. Lugo d. 4. n. 1. Quo non obstante, teneri eos bona Ecclesiastica, congruae sustentationi superflua, expendere in pios usus, tam est communis sententia, ut Card. Lugo d. 4. n. 10. dicat nimis singularem esse sententiam Petri Hurt. et Dian. dicentium, eos satisfacere, si (seclusis gravibus necessitatibus) erogent in communibus necessitatibus quartam partem redituum Ecclesiasticorum, vel certe dimidium eius, quod congruae sustentationi superest. V. Cardin. Lugo l. c. ubi plurimis pro se citatis Auctt. ostendit. Tol. Molin. et Bonac. male citari pro contraria sententia, imo ipsummet Hurt. et Dian. in ea non perstitisse atque nulla vel auctoritate vel ratione fulciri ac denique suam multis probat, prae-

sertim ex Trid. sess. 25. c. 1. *de Ref.* ostenditque, istam obligationem nasci ex iure non tantum humano, sed etiam divino naturali. Vide etiam Bonac. l. c. p. 2. Porro congrua sustentatio Clerici censetur, quae necessaria est ad status et familiae sustentationem, secundum conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis et regionis, in qua habitat. Bon. l. c. Mol. Laym. Card. Lugo, etc.

430. De hac quaestione iam disputavit ex parte Ballerini in Vol. III. 38. seqq. Cf. et dicta ibid. 1306. seqq.

Sed restat quaestio, an sit et qualis sit obligatio expendendi in usus pios superflua ex fructibus beneficiorum.

Obligationem esse constat ex Trid. sess. 25. c. 1. *de Reform.*, ubi quicumque beneficia obtinent, prohibentur ex reditibus Ecclesiae consanguineos aut familiares suos augere, nisi pauperes sint, quibus idcirco *tamquam pauperibus* res ecclesiasticas, *quae Dei sunt,* distribuant. Accedit communis sensus Doctorum, qui ante et post Concilium floruerunt: cf. Lugo disp. 4. n. 9. seqq. Lessium l. 2. c. 4. n. 47. Sanchez *Cons.* l. 2. c. 2. d. 38. apud quos longam reperies seriem Doctorum.

Haec obligatio est certe ex iure positivo Ecclesiae id praecipientis, sed non videtur esse ex hoc tantum; scilicet Ecclesia id praecipiens, iam reperit aliquod ius naturae illud postulans, postulans scilicet, ne bona Deo dicata in profanos usus dissipentur. Ita Lugo ex Vasquez l. c. n. 16. Bona enim sunt oblata Deo in eius cultum et honorem expendenda: Deus autem non per se ipsum, sed mediante Ecclesia ea accipit, in cuius dominium transeunt: transeunt tamen cum hac obligatione, ut ipsa de iis disponat secundum eum finem, propter quem data sunt, tanquam administratrix bonorum Dei.

Cum ergo Ecclesia beneficia suis ministris conferet, conferens iis reditus suos pro eorum sustentatione, satisfacit obligationi, qua tenetur et si solum conferret reditus necessarios sustentationi, non esset alteri ordinationi locus. Sed quia confert frequenter reditus, ex quibus, praeter sustentationem clerici, exstant superflua, Ecclesia obligationem suam circa haec, expendendi nempe eadem in usus pios, transfert in beneficiatum et transferre debet, ut dici possit ipsa recte administrare bona Dei.

Qua in re discrimen est inter collationem beneficiorum et distributiones redituum ecclesiasticorum, quae pro mercede operis aut stipendio laboris fiunt. Nam hae in certa et determinata quantitate praestantur secundum operis aut laboris proportionem: collatio vero beneficiorum fit quidem in sustentationem beneficiariis, sed absque illa proportione. Unde sequitur, quod reditus beneficiorum non dentur tanquam merces aut salarium. Iam vero si Ecclesia reditus conferens pro honesta sustentatione, non iuberet superfluos adhuc in eum finem expendi, propter

quem ab ipsa accepta sunt, ipsa non recte administraret res Dei, sed dissiparet. Merito ergo colligitur, hanc esse intentionem Ecclesiae cum beneficia confert, quam intentionem lex ipsa naturae ei praescribit.

Cum autem Ecclesia ex suis reditibus mercedem aut stipendium praestat, iam hoc ipso facit satis obligationi qua tenetur, quae idcirco obligatio cessat nec transfertur ad eos, quibus dantur, ut mox dicemus in resoll.

Haec obligatio, quam Ecclesia imponit, cum oriatur ex eo quod bona sunt Deo dicata, merito censetur obligatio ex motivo Religionis atque obligatio per se gravis; qua in re omnes conveniunt, teste Toleto *Instruct.* l. 5. c. 4. concl. 3.

431. In violanda ista obligatione, quam beneficiarii habent expendendi superflua in usus pios, locum habet parvitas materiae et convenit inter doctores multo maiorem quantitatem requiri ut peccatum hoc dissipationis rerum Dei sit grave, quam quae requiritur ad furtum grave. Lugo n. 42. Qua vero regula uti oporteat, ut quantitas gravis hac in re censeatur, dissident Doctores. Habendam esse rationem maioris vel minoris quantitatis superfluorum, docet Molina apud Lugo ibid.: tertiam, quartam aut quintam eorum partem esse materiam gravem censet Coninck ibid.: Lugo autem putat materiam esse gravem, qua dempta, non possis dici vere expendisse *circiter omnia* superflua: hoc autem dici solet, cum quantitas relative parva censetur et ipse usus communis loquendi normam suppeditare solet pro his iudicandis. Ita si habens centum expendas 90., diceris adhuc 100. circiter expendisse: non vero si expendas 80. aut minus. Quod ergo prohibet ne verum sit te expendisse in usus pios circiter totam summam superfluam, id erit materia gravis.

Huiusmodi tamen regulam, puto, non raro difficile compones cum praecedente, de maiore quantitate in hac re requisita, quam in furto. Lugo loquitur in hypothesi, quod summa superflua non sit levis, quod frequenter ea aetate accidebat, ut e. gr. Archidiaconus Toletanus triginta millia aureorum obtineret, ut ille refert n. 22.

Itaque certiorem et universaliorem regulam puto iudicium prudentum et praxim timoratorum et nostris in regionibus vix opus esse ulla regula puto; cum nedum superflua, sed et necessaria desint.

Unde resolvuntur hi Casus.

LXXV. 1. Congrua sustentatio non est aequalis respectu omnium; quia plus requirit Episcopus, quam Decanus, Decanus, quam Canonicus, Canonicus in Ecclesia principali, quam Parochus, debilis et tener, quam robustus et valens et quod sufficit in uno loco, non sufficit in alio. Quapropter attendi debet ad usum aliorum timoratae conscientiae, in eodem gradu etc. Nec obstat, quod beneficiarius emerserit ex humili, quominus possit statui suo convenientes sumptus facere, ut ex Mol. docet C. Lugo l. c. V. Bon. l. c. n. 8.

432. Non opus est declaratione. Addit Sanchez *Consil.* l. 2. c. 2. d. 41. n. 9. habendam esse quoque rationem qualitatis personae; ut Regis filius e. gr. creatus Episcopus possit ex reditibus beneficii deducere et necessaria ad decentiam regalis conditionis; nisi habeat sufficientia bona patrimonialia et nisi sit maior necessitas Ecclesiae suae. Ratio est, ait, quia omnes fatentur, posse Clericum ex reditibus ecclesiasticis vivere secundum decentiam sui status.

LXXVI. 2. Nomine congruae sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas, non tantum in pauperes peregrinos (qui maxime commendantur Clericis a Trid.) sed etiam urbanos. Card. Lugo n. 66.

433. Addit Lugo disp. 4. n. 66. idem dicendum de moderatis conviviis, pro amicis. Ratio communis est, quia ad haec quoque sustentatio propria se extendit; nam haec etiam facere solent, qui se moderate sustentant. Oportet tamen in his modestiam ecclesiasticam servare nec affectare fastum et luxum secularem. Idem docet Sanchez *Consil.* l. c. n. 2. Cf. Schmalzgr. l. 3. tit. 25. nn. 20. 21.

LXXVII. 3. Debita, quae Clericus contraxit pro sua sustentatione vel ob piam causam, potest solvere ex reditibus Ecclesiasticis: non item quae contraxit ante beneficium obtentum, nisi sit pauper. ibid. n. 67.

434. Agitur heic et in seqq. non de valido, sed de licito usu fructuum beneficiorum.

Porro huius resol. partem negantem docet Lugo l. c. n. 67.: non est tamen sententia communis, sed ita ipse limitat, ut quod alii, ut Sanchez l. c. d. 42. n. 5., dicunt generatim, posse clericum solvere ex fructibus beneficii debita contracta pro sui sustentatione aut pro causa pia, Lugo neget, si agatur de debitis contractis ante beneficium obtentum; quia Ecclesia non tenetur alere suum Ministrum pro toto tempore antecedente vitae suae. Verum reapse, non quaeritur, ad quid Ecclesia tenea-tur, sed utrum, postquam ipsa Clerico dominium fructuum ecclesiasticorum concessit, repugnet necne, quod eos Clericus expendat in solutionem debitorum, quae contraxit pro sui sustentatione aut pro causa pia. Iam vero pro honestate actus (nam de validitate non est sermo) Ecclesia id universim postulat, ut fructus beneficii expendantur vel pro necessaria et decenti sustentatione Clerici vel in causas pias:

atqui et in hypothesi nostra id locum habet nec ubi lex non distinguit, oportet nos distinguere.

Exceptionem, quam Lugo facit suae doctrinae, si clericus pauper sit, accepit ex communi satis doctrina (cf. Sanchez l. c. d. 42. n. 4.). Haec enim docet, posse clericos, imo debere solvere ex reditibus ecclesiasticis debita quaecumque ex causa contracta, si aliis bonis careant, quibus solvant. Ratio est, quia talis clericus reputatur ut pauper ideoque ut pauper ex reditibus ecclesiasticis accipere potest quo et debita profana solvat; cum eleemosynam facere pauperi ut possit solvere debita etiam profana, iam sit causa pia: si autem potest, debet; quia tenetur debita sua solvere eo modo, quo licite potest.

LXXVIII. 4. Potest Clericus ex bonis superfluis licite in studiis alere suos consanguineos, si aliunde non habent; eo quod parentes vel nolint vel non possint alere in studiis, ibid. et Bonac. p. 2. n. 13.

Ratio eadem ac in 2. resol.

LXXIX. 5, Si habet sorores pauperes vel filios spurios, ex fructibus Beneficii dotare licet, si aliunde non potest; quia naturali iure debet illis alimenta, in quarum locum succedit dos. Mel. Binsfeld. etc. Cavendum tamen sub mortali, ne vel illas notabiliter supra statum exaltet, vel hos legitimis aequet: etsi nobilis plus possit dare, quam alius infimae sortis. V. Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 4.

Clara res est.

LXXX. 6. Si bona superflua expendat in usus profanos, verbi gr. in venationes, canes, equos, parasitos, ludiones, luxum, in amicos cognatosque ditandos etc. (quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatis, quae longe maior est, quam in genere furti) graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad restitutionem; quia est dominus fructuum et consequenter neque is, qui accepit. Ita contra Nav. etc. communiter Doctores alii ex Trid. sess. 21. c. 1. Azor t. 2. l. 7. c. 8. qu. 2. V. Laym. l. 4. t. 2. c. 3. n. 4. Bon. d. 4. p. 2. n. 9. et p. 4. n. 1. etc.

Cf. Vol. III. P. 1. sub §. LXXIV.

LXXXI. Quaeres 1. Quae teneantur in pios usus expendere?

Resp. Ea omnia, quae acceperunt sive ab Ecclesia, sive ab aliis, tanquam procuratores cultus divini; non autem illa, quae vel in cultum divinum oblata non sunt, vel iam ab Ecclesia in cultum divinum sunt expensa. C. Lugo d. 4. Ratio est, quia priora habent annexam obligationem Religionis, posteriora non, vel si habuerint, ea iam est exstincta per expensionem in pios usus.

Haec constat ex dictis.

Unde resolves.

LXXXII. 1. In profanos usus expendi possunt a Clericis bona patrimonialia eaque, quae hereditate, industria, donatione aliove modo, ut Laici, acquirunt, vivendo interim ex beneficiis. Item quasi patrimonialia, hoc est, quae acquirunt quidem ut Clerici, non tamen ut reditus beneficii, sed ut stipendia alicuius officii Clericalis, v. gr. ratione concionis, pro Missa, funere, officio defunctorum, administratione Sacramentorum, anniversariis etc. Sanch. Card. Lugo l. c. n. 23. Bon. p. 2. n. 16.

Iam declarata haec sunt.

LXXXIII. 2. Probabilius est, in profanos usus posse expendi distributiones, sive praesentias (ut vocant) quae beneficiariis ob praesentiam in Choro distribuuntur. Ita Silv. Bon. C. Lugo n. 24. Bon. p. 2. n. 17. contra Sanch. etc.

435. Ratio est, quia et ipsae dantur ut merces operis et stipendium laboris; ideoque absque ullo onere aut gravamine expresso vel tacito. Cf. Pichler l. 3. tit. 25. n. 3. Et generatim bona ea clericorum, quae *quasi patrimonialia* dicuntur (ea sunt, quae accipiuntur ut merces operis seu stipendium laboris) sunt in pleno dominio clericorum absque onere ullo iis annexo.

Et sane licet haec deducantur ex bonis ecclesiasticis horumque sint fructus, qui idcirco in pium opus expendi debent; iam hanc destinationem sunt consecuta, cum clerico in mercedem aut stipendium data sunt: idcirco non amplius eam retinent obligationem, cui iam satisfactum est.

Subdit Lugo n. 25. « ex auctoribus nostrae sententiae aliqui addunt, eam locum habere etiam, ubi omnes fructus beneficii consistunt in quotidianis distributionibus; nam tunc etiam omnes fiunt quasi patrimonialia bona et subsunt liberae dispositioni beneficiarii. Quia de omnibus procedit eadem ratio ». Atque citat Glossam, Abbatem, Geminianum, Innocentium, Filliuccium, Bonacina.

LXXXIV. 3. Fructus, qui dantur ob Capellaniam, vel Vicariam non collativam, sed ad nutum amovibilem, possunt expendi in usus profanos: quia non sunt fructus beneficii (hoc enim confertur per collationem Canonicam) sed bona quasi Patrimonialia. Vide Card. Lugo n. 28.

436. Si cappellania vel vicaria est temporaria, non est beneficium (n. 243.) fructusque percepti induunt rationem mercedis et stipendii ideoque bona sunt quasi patrimonialia.

Si cappellania est collativa, adhuc distinguendum est cum Lugo n. 29. Nam si fructus aequent stipendium Missarum, quas legere Cappellanus tenetur, vel parum excedant, praesumere licet, hanc esse fundatoris intentionem, ut eos beneficiatus accipiat tanquam stipendium laboris habeatque ut bona quasi patrimonialia, ne in peiore sit conditione quam illi, qui stipendia manualia pro Missis accipiunt.

Imo fieri potest, ut etiamsi fructus sint pingues, voluerit fundator esse eos stipendia Missarum et in dominium proinde plenum beneficiarii transire absque ullo onere, quemadmodum transit unus aut duplex aureus pro unius Missae stipendio datus.

Haec vero voluntas fundatoris iure praesumitur 1° cum Cappellanus iubetur per se ipsum Missam celebrare nec congruum stipendium ei assignatur; videtur enim totum dari quasi stipendium pro singulis Missis nec refert illud esse pingue, nam si sacerdoti detur aureus pro

una Missa, non tenetur illum in pios usus expendere. 2° Si fundator cappellaniam instituens, non solius cultus, sed et utilitatis familiae rationem habuit, ad quam beneficium spectare voluit; facile enim praesumi potest voluisse, ut pingues reditus essent stipendia Missarum, quas praescripsit eosque reditus absque alio onere in dominium Cappellani transirent. Cf. Lugo l. c. n. 30.

LXXXV. 4. Probabiliter etiam Pensionarius licite suam pensionem expendit in usus profanos; quia eam Papa extrahit ex reditibus beneficii et dat alteri, qui id beneficium non habet. C. Lugo l. c. contra Bon. etc. Secus est de eo, qui beneficium habet in commendam, quia substituitur loco beneficiarii. ibid.

437. Sermo est de pensione secundum sensum communem vocis, quo distinguitur a beneficio. At si pensio sit talis, ut beneficii naturam induat (n. 245.), de ea nunc non loquimur.

Ratio, quam affert A. desumpta est ex Lugo n. 32. qui hanc sententiam probabilem censet; eo quod Pontifex pensionem beneficio imponens, iam eam partem fructuum destinat in opus pium, puta sustentationem clerici, praemium meritorum, compositionem causae et huiusmodi: non ergo necesse est, ut rursus in causam piam pensio expendatur; quia huic obligationi inhaerenti fructibus beneficii iam satis est factum.

LXXXVI. 5. Partem, quam Clericus parce vivendo sibi servat ex congrua sustentatione, licite expendit in usus profanos, quia expensa est iam ante in usus pios. ibid. et Bon. d. 4. p. 2. n. 14. ex Molin.

De his iam dictum est.

LXXXVII. Quaeres 2. Quid intelligatur nomine usus pii?

Respond. Qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem ordinatur, verbi gratia ad cultum templorum, necessitatem pauperum, hoc est eorum, qui non habent necessaria sive ad naturam sive ad statum servandum: item in usum Religiosorum, in Capellanias, Missas, suffragia pro defunctis, hospitalia etc.

Clara sunt. Cf. Vol. III. 983.

Unde resolvuntur sequentes Casus.

LXXXVIII. 1. Si clericus superflua expenderit in usus profanos v. g. emerit sibi bona immobilia, non potest haec retinere; quia obligationi bonis iis annexae non satisfecit et adhuc potest satisfacere, cum bona empta pretio aequivaleant. C. Lugo n. 43. V. Bon. n. 20.

Clara est.

LXXXIX. 2. Qui in usum profanum a Clerico bona accipit dono, ex superfluis, potest excusari a peccato, si eum non induxit ad talem donationem, neque per eam Clericus redditur impotens ad superflua expendenda in usus pios. V. Card. Lugo n. 40. Quia Clericus ex patrimonialibus vel quasi patrimonialibus potest substituere.

438. Peccatum in eo esset, quod sciens cooperetur peccato alterius. Hinc autem superflua bona, etsi valida sit donatio, transeunt in dona-

tarium cum suo onere; qui idcirco vel reddere ea debet clerico expendenda in usus pios vel ipse eodem pacto expendere debet: nisi ipse clericus supplere possit.

XC. 3. Clerici quidem, ex consuetudine multis locis recepta, licite possunt testari de reditibus beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias: etsi enim, ubi consuetudo invaluit, etiam in usus profanos valide testentur, peccant tamen mortaliter. V. Less. l. 2. c. 19. d. 4. Laym. l. c. Bonac. d. 4. p. 3. n. 2. et 5. Trid. sess. 2. c. 1. de ref. et sequitur ex dictis. Nisi tamen fecerint cum facultate Papae; quae licet superveniat testamento iam condito, facit tamen illud convalescere. V. Sanch. Sal. Dian. p. 3. t. 3. r. 99. V. supra *de Testam.*

Cf. dicta Vol. III. 1037.

Dub. IV.

* *Qui sit habitus Clericorum: quae artes, officia,* * *actiones iis prohibeantur.*

XCI. Resp. 1. Clericos maioribus ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram et vestem Clericalem, quae non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgae ducantur, nec partita seu dissecta.

439. Clerici generatim iubentur habitum clericale deferre eorum ordini et dignitati congruentem, iuxta Episcopi ordinationem et mandatum Trid. Syn. sess. 14. *de Reform.* c. 6. et c. *Clerici, de Vita et Honest. Cleric.* Habitus paululum variare potest, iuxta diversarum regionum consuetudines: sed generatim est modo vestis *talaris* (Sixtus V. Const. *Cum Sacrosanctum* 19. Ian. 1589.) *clausa* (c. *Clerici* cit.) et pro inferioribus Episcopo, *nigri coloris,* ut iam a pluribus seculis usus induxit: non ergo virgata sit seu diversi coloris pannis contexta Clement. *Quoniam* eod. tit.

440. Praeter habitum clericalem tonsuram quoque gerere debent. Tonsura dupliciter accipitur. Nam primo eo redit, ut coma capitis non nutriatur, sed inferius in modum circuli tondeatur, ut aures exstent et pateant. *Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit* c. 4. *de Vita et Honest. Cleric.* Item c. seq. *Clericus neque comam nutriat neque barbam.* Deinde est circulus in vertice, modo amplior, modo angustior. Conc. Tolet. 4. c. 41. « Omnes Clerici... detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galleciae partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. » Sed deinde et hic modicus circulus in vertice capitis, servata utique semper lege non nutriendi comam, dictus simpliciter tonsura.

In Conc. Mediolan. sub. s. Carolo an. 1563. sub. titulo *de Clericorum vestitu* praecipitur: Presbyteri, diaconi, subdiaconi ceterique clerici

clericali tonsura sint insigniti ad formam, quam ratio uniuscuiusque ordinis, Episcopi arbitrio, postulabit: *ita sint abrasi capilli, ut tonsura conspicua sit omnibus: comam* vero et barbam *ne studiose nutriant* ».

441. Quemadmodum comam, et ita barbam nutrire prohibentur clerici, ut patet ex textibus citatis. Id vero non perinde est ac barbam radere; quemadmodum *non nutrire comam* non est eam radere, sed tondere congruenter. Imo can. 5. ex decretalibus citatus, ita in quibusdam codicibus legitur: *Clericus neque comam nutriat neque barbam radat:* e Surio autem ita refertur: *Nec comam nutriat neque barbam, sed radat vel tondeat.* Cf. Gonzalez in hunc et praeced. canonem Decretalium.

In hac re non semper eadem viguit consuetudo; nam Gregorius VII. Epist. ad Iacobum Calarit. iubet clericos omnes barbam radere idque ex maiorum consuetudine: s. Carolus autem in decreto cit. subdit: « barba ita a superiori labro recidatur, ut pili, in sacrificio Missae, Christi Domini corpus et sanguinem sumentem non impediant ».

Et in Concilio Rhemensi anno 1583. tit. *de Clericis* statuitur, « ut a superiore labro, ob sacrae communionis reverentiam, barbam tondeant vel radant: infra vero gerant clericali modestiae congruentem ». Atque ita aliae Synodi eius aetatis. Cf. Gonzalez l. c. Modo in Ecclesia latina, si excipias forte Cappuccinos, alia est consuetudo, quae sequenda est.

442. Nunc distinguendi sunt Clerici constituti in sacris aut in minoribus quidem sed beneficium habentes ab aliis tonsuratis solum aut clericis minoribus. Nam qui tonsurati solum sunt aut in minoribus ordinibus constituti nullumque beneficium habent, eatenus iubentur gestare habitum clericalem et tonsuram, quatenus frui velint privilegio fori. Ex lege enim Tridentinae Synodi sess. 23. c. 6. *de Reform.*, huiusmodi clericus privilegio fori non gaudet, « nisi clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui Ecclesiae, ex mandato Episcopi, inserviat, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versetur ». Clericus vero coniugatus « qui cum unica et virgine contraxit, modo alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputatus eidem ecclesiae serviat vel ministret et clericali habitu et tonsura utatur » (omnia haec simul requiruntur) eodem gaudet privilegio fori, iuxta c. *Clerici, de Clericis coniugatis* in 6., quod confirmavit Trid. Syn. l. c.

443. Alia quoque privilegia contingit amitti abiectione habitus, ut dicemus paulo post: sed ad talem amissionem non sufficit sola habitus dimissio. Ille proinde, qui his conditionibus non facit satis (quae sunt

gestatio habitus et tonsurae, cum aliquo ecclesiae ministerio praestito aut opera data studiis in seminario sive alibi ut dictum est) amittit privilegium fori atque ex iure Tridentino hoc tantum; nam de hoc solum loquitur; cf. Schmalzgr. in l. 3. tit. 1. n. 39. Pius IX. utique per litteras s. C. Immun. 20. Sept. 1860. statuit, quod clericus, quando, ob non servatas conditiones Conc. Trid. l. c. fori privilegium amittit, ipso iure et ipso facto amisisse censeatur et reapse amittat cuncta privilegia clericalia, ita ut considerari et tractari debeat, ut persona mere laica, etiam in causis criminalibus et poenalibus effectibus, quin trina monitio vel peculiaris declaratio de hac amissione requiratur. Lucidi de Visit. ss. Lim. c. 3. n. 437. Acta s. Sedis. Maii 1892. pag. 627. At litteras istas italica lingua conscriptas (a) et ad solos Episcopos Pontificiae ditionis datas negat cl. Seb. Sanguineti (*Iuris eccles. priv. Instit.* n. 200.) vim legis universalis habere, quae idcirco praecedens ius commune mutaverit. Declaratum est tamen a s. Congr. Conc., privilegia haec non amitti eo quod ad breve tantum tempus habitus clericalis gestari solitus deponatur neque si illi ecclesiae clericus non inserviat, quam praescripsit Episcopus, dum tamen alicui inserviat: item declaratum est privilegiis gaudere clericum, qui deposito habitu, animo contrahendi matrimonii aut nomen dandi militiae, dein mutato consilio, habitum clericalem resumit; dummodo id in fraudem non fiat. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 12. c. 3. n. 1. et s. Alph. l. 6. n. 827. declarantem quando fraus praesumatur. Cf. et Lucidi l. c. nn. 432.-437.

Adverte cum eodem Benedicto XIV. *de Syn.* l. c. c. 2. nn. 3. 4. decretum Tridentini (idem dic de decreto Pii IX.) id quidem operari, ut nequeat a clerico, qui praescriptas conditiones non implet, declinari forum seculare, at non privare Episcopum iurisdictione et facultate illum tanquam subditum puniendi. Quam iurisdictionem et facultatem demonstrat Benedictus XIV. auctoritate Congr. Conc. 9. Nov. 1630. quae ita censuit et cuius sententiam Summus Pontifex Urbanus VIII. 1. Aug. 1634. et probavit et iussit omnino servari.

Obiter pariter adverte cum eodem Auctore ibid. c. 3. n. 3., semper esse in potestate clerici minoris, habitum dimittere atque illum rursus resumere, quo facto privilegia clericalia ei restituuntur neque id posse particulari lege Episcopos impedire.

444. Tonsuratus autem aut in minoribus, si beneficium habeat, iam gaudet privilegio fori: sic enim statuit Conc. Trid. l. c, « Is fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum etc. ut supra. Non eo igitur privilegio privatur, etsi aliis

(a) Cf. Card. Petra in diss. prooemiali §. 3. n. 31. seq.

supradictis conditionibus non faciat satis, quandiu beneficium obtinet; sed si clericalem habitum non gestat, subiicitur certis poenis, sicut et initiati maioribus ordinibus, si idem peccent.

Nam tum constituti in sacris ordinibus, tum clerici beneficiis aucti iubentur vestes gerere clericales et tonsuram: secus, privandi sunt exercitio Ordinum et fructibus beneficii.

Ita Trid. Syn. innovans et amplians Const. Clementis V. c. *Quoniam in Clementinis, de Vita et Honest. Cleric.* decrevit Sess. 14. c. 6.: « Omnes ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint aut dignitates, personatus, officia aut beneficia ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per publicum edictum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitatem congruentem et iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus, reditibus et proventibus ipsorum beneficiorum nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant ».

Porro Sixtus V. Const. *Cum sacrosanctum* 9. Ian. 1589. iussit universos clericos nedum beneficia ecclesiastica sed et pensiones super fructibus ecclesiasticis aut fructus ipsos reservatos percipientes, habitum et tonsuram clericalem iugiter deferre. Inobedientes vero, praeter alias poenas, voluit, sine ulla monitione, citatione vel decreto iudicis, ipso facto poena privationis multatos esse, ita ut beneficia tanquam vacantia et pensiones uti exstinctae ac deletae considerari debeant et collatio beneficii Summo Pontifici pro tempore reservata censeatur.

Paulo post vero Const. *Pastoralis* 31. Ian. eod. anno temperavit legem quoad habentes pensiones: ut iis poenis non subiicerentur, nisi quorum pensio 60. ducatus aureos de camera excederet.

Rursus Benedictus XIII. Constitutiones *Apostolicae Ecclesiae* nonis Maiis 1725. decrevit, « eiusmodi beneficiatos ex mero facto incessus in habitu laicali (dummodo non sit per breve tempus: cf. declar. s. Congr. sub n. praeced.). quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis beneficiorum, quae obtinent, imo etiamsi nulla citatio, monitio vel alius iudicialis actus in eos fuerit institutus, ipso iure amissionis et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere », idcirco subdit, nullatenus ipsos posse fructus illos percipere, sed omnes in commodum ecclesiae, in qua beneficia sita sunt, sub poena letalis culpae restituendos ab iis esse. Cf. Lucidi l. c. nn. 440.-445.

445. In his legibus poenalibus fere semper sermo est de non deferentibus habitum. Quid de eo clerico in sacris vel beneficiato, qui ince-

dens quidem habitu clericali, solam tonsuram non gereret? Hunc negat Schmalzgr. l. c. n. 36. poenis a iure statuti subiici, posse tamen affirmat arbitrio iudicis puniri.

Id extendendum puto et ad eos clericos, qui ex decreto Pii IX. paulo ante allato, privantur privilegiis clericorum.

At peccaretne graviter clericus in sacris tonsuram non gerens?

Negat Gury V. 2. §. 48., nisi omittat deferre tonsuram per tempus notabile, quale non esse ait tempus unius vel alterius mensis. Subdit: « an vero sit grave tonsuram non deferre per integrum annum, communius affirmant Theologi: sed non clare probatur ». Et citat s. Alph. l. 6. n. 426., qui advertit peccatum grave ex eo ab Theologis probari quod in Conc. Later. sub Leone X. Sess. 9. excommunicantur, qui tonsuram non ferunt: at monet s. Doctor, certum haud esse, tonsurae nomine ibi eam venire, quam modo intelligimus, parvum nempe circulum abrasis capillis in summitate capitis: probabiliter enim ibi ea tonsura intelligitur qua fit satis legi *ne coma nutriatur*. Cf. heic n. 297. Sane canon Lateranensis hic est: *Clerici in sacris constituti barbam nec comam nutriant, sed tonsuram ferant; si quis contra fecerit, excommunicationem incurrat.* Quocirca interpretatio s. Alphonsi nedum probabilis est, sed certa.

446. Quamvis lex exstet deferendi habitum clericalem, sunt tamen casus, quibus licite vel saltem impune non defertur. Hos recenset Schmalzgr. l. c. nn. 36. 37.

1° Si clericus ratione paupertatis habitum ordini suo congruentem gestare nequit.

2° Si solum domi aut in occulto habitum non gestat.

3° Si eundem dimittat ob probabile periculum: « nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari » c. *Clerici* t. cit.

4° Si iter agat: tunc enim clerici vestes breviores induere possunt. Cf. Lucidi l. c. n. 455.

Imo etiam alias sufficit, ait idem Schmalzgr., quod pallium pertingat ad talos, toga vero (vel quid simile, puto) tegat genua. Quod (nisi consuetudo ex necessitate quadam inducta excuset) nescio quomodo cum lege Sixti V. componatur, praecipiente *vestem talarem*. Certe Episcopi hanc praecipere possunt semper prodeuntibus in publicum deferendam, cui praecepto obediendum est. Lucidi l. c. n. 454. Iam s. Carolus in Conc. Mediol. 1. art. 14. *de Clericorum habitu*, praeceperat: « Interior (vestis) eiusdem generis ad talos demittatur ». Atque idem antea iusserat Conc. Later. sub Leone X. in Bulla reformationis Curiae. « Vestes colorum gestent, qui clericis a iure non prohibentur usque ad talos saltem demissas ».

5° Si mutatio habitus conferat ad fructum animarum ferendum ut in missionibus, in quibus et Religiosi vestes proprias sui Ordinis exuere possunt.

Hinc vides reprehendendos non esse clericos catholicos Anglos et Germanos, qui veste talari uti non solent, sed habitu decenti, quo faciunt satis ordinationi Trid. Conc., quod sess. 14. c. 6. solum iussit deferri a clericis habitum *eorum ordini et dignitati congruentem, iuxta Episcopi ordinationem et mandatum.*

XCII. Resp. 2. Quoad artes, prohibentur macellariorum, tabernariorum, ioculatorum, quorum etiam ludis, uti et hastiludiis, prohibentur interesse. Item medicorum, aut chirurgicorum, ubi opus est incisione aut adustione; nisi, ut habet Nav., erga pauperes aut propinquos, aut in necessitate.

XCIII. Resp. 3. Quoad officia, prohibetur (si sint beneficiati, vel initiati sacris) officium Iudicis in causa sanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum, seu Notariorum, in placitis secularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus haec licent, v. g. advocare pro personis coniunctis et miserabilibus. Ratio autem est, quia Clericus non debet se immiscere negotiis secularibus. Sayr. l. 12. c. 25. n. 6. (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere) Bonac. in praec. d. 10. q. 1. p. ult. Laym. l. 1. t. 5. p. 5. c. 8. et notat consuetudine inductum esse, ut officio Cancellarii, Consiliarii, imo etiam Iudicis fungi possint in causis civilibus.

447. Regula generalis est, ait Schmalzgr. l. c. n. 45., ne Clerici officia, munera, commercia secularia exerceant, praesertim, quae statum dedecent clericalem, vel ecclesiasticis functionibus sunt impedimento.

Speciatim haec habes. C. 15. *Clerici* tit. cit. « Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maxime inhonesta, Mimis, Ioculatoribus et Histrionibus non intendant ».

Poena vero hanc artem ignominiosam exercentibus clericis, si per annum, vel postquam ter moniti fuerint, exerceant, est infamia atque amissio privilegii omnis clericalis. C. un. hoc. tit. in 6.

Clement. *Dioecesanis* eod. tit. « Dioecesanis locorum districte praecipimus, ut Clericos carnificum seu macellariorum aut tabernariorum officium publice et personaliter exercentes, nominatim et tertio moneant, ut sic ab huiusmodi officiis intra convenientem terminum, monentium ipsorum arbitrio moderandum, desistant ».

Poena est in contumaces amissio privilegii clericalis, omnino quidem, si sit clericus coniugatus, vel non coniugatus, si ut laicus incedat: si vero non coniugatus habitum gestet clericalem, privilegium quoad res, non quoad personam amittit. Ibid.

Ibidem iubentur Episcopi canonica servare instituta « adversus Clericos negotiationibus vel commerciis secularibus vel officiis non convenientibus clericali proposito publice insistentes vel arma portantes ».

C. 9. *Sententiam, Ne Clerici vel Monachi.* « Nullus Clericus ruptariis (c. Gonzalez in h. l.) vel ballistariis aut huiusmodi viris sanguinum praeponatur nec illam chirurgiae artem subdiaconus, diaconus vel sacerdos exerceat, quae adustionem vel incisionem inducit ». Clericis ergo in minoribus, etiam beneficiatis hoc alterum non interdicitur. S. Alph. l. 7. n. 385. Excipiunt tamen ab ea lege doctores casum necessitatis, et res per se patet. Cf. Ferraris v. *Clericus* art. 2. n. 77.

Ibid. « Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat aut ubi exerceatur, intersit (auctoritative, videlicet exsecutioni sententiae quasi opem ferendo. C. *Ex litteris, de excess. Praelat.*)... Nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas ». Cf. et c. *Clericis* ibid... ubi Clerici iudicium sanguinis agitantes aut qui per se truncationes membrorum faciunt aut iudicant inferendas, iubentur honore privari et loco.

C. *Episcopus* eod. tit, in 6. « Licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen, cum iurisdictionem obtinent temporalem, debent et possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare ».

C. *Sicut* eod. tit. « Fraternitati tuae mandamus, quatenus Clericis in sacris ordinibus constitutis tabellionatus (tabelliones heic sunt ii, quos notarios dicimus) officium, per beneficiorum subtractionem, appellatione postposita, interdicas ». Ratio prohibitionis est, quia illud est officium seculare, ad res civiles proprie spectans. Eorum tamen acta non irritantur. Gonzalez h. l.

C. *Sed nec* eod. tit. « Sed nec procurationes villarum (h. e. gubernationes oppidorum vel administrationes civilium rerumpublicarum) aut iurisdictiones etiam seculares sub aliquibus principibus et secularibus viris, ut iustitiarius eorum fiat, Clericorum quisquam exercere praesumat ».

C. *Clericis* eod. tit. « Iubemus sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis (vicecomes vice comitis iustitiam administrabat ac iustitiarios designabat) aut praepositi secularis ».

C. 2. *Sacerdotibus* eod. tit. « Sacerdotibus et Clericis tuis denunties publice, ne ministri laicorum fiant nec in rebus eorum procuratores exsistant ». Est enim hoc indecens statum clericalem et a propriis eius functionibus avertit.

448. Quoad Advocati munus in negotiis secularibus exstat c. *Clerici de Postulando.* « Clerici in subdiaconatu et supra et in ordinibus quoque minoribus, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, coram seculari iudice advocati in negotiis secularibus fieri non praesumant

nisi propriam causam vel ecclesiae suae fuerint prosecuti aut pro miserabilibus forte personis, quae proprias causas administrare non possunt ».

Et c. 3. ibid. « Cum sacerdotis sit officium, nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, nonnisi pro se ipso vel ecclesia sua vel, si necessitas immineat, pro personis coniunctis aut miserabilibus sibi licitum est postulare (advocati officium exercere) ». Hinc Responsum s. Congr. EE. et RR. 8. Mai 1716. « 1° An liceat ecclesiasticis Castrimaris proprias causas ecclesiarum, pauperum ac miserabilium personarum tueri in tribunalibus laicorum *absque licentia Episcopi?* 2° An possint agere vel comparere per se vel procuratores in dictis tribunalibus pro eorum causis civilibus activis contra laicos, *absque licentia Episcopi in casu?* Resp. ad 1^{m} affirmative: ad 2^{m} provisum in primo ». Facultas scilicet iam facta est plene a iure.

Ergo in foro ecclesiastico licet clericis esse advocatis quavis in causa.

Ergo clerici minores et simul stipendia ecclesiastica non obtinentes possunt et in foro seculari advocati officium praestare.

Quid aliis clericis liceat, habes disserte ab ipsis canonibus citatis.

Monent tamen DD., exceptis sacerdotibus, posse alios clericos patrocinari, ut victum sibi quaerant. Cf. Sanchez *Consil.* l. 6. c. 7. dub. 3. n. 7. et Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 41. n. 2. Supponunt Doctores clericum huiusmodi non habere patrimonium aut beneficium sufficiens. Cur vero in tali necessitate non liceat presbytero, quod licet diacono, neuter ex citatis dicit. Certe presbyter stipendio Missae aliorumque officiorum, quae exerceat, victum comparare sibi facile potest.

Monachi autem ac canonici regulares ideoque generatim religiosi regulares neque in foro ecclesiastico causas patrocinari possunt, nisi pro suo monasterio, ex mandato superioris e. *Ex parte, de Postulando.*

449. Quaerit s. Alph. l. 3. n. 838., an liceat clericis gerere negotia seu procurationes secularium. Certum est, ait, illicitum eis esse exercere officium tutoris, curatoris (cf. Vol. III. P. 3. c. 3. n. 680,) aut procuratoris pupillorum, item tabellionis et *qualecumque aliud officium publici ministerii, ex quo teneantur rationes reddere de iustitia vel de bonis administratis.* Et hanc ob causam tales clerici fiunt irregulares. C. un. *de obligat. et ratioc.* Ad quaestionem autem propositam dicit, communiter docere Lessium, Laymann et alios, illicitum esse clericis procurationem gerere personae secularis privatae non miserabilis cum obligatione reddendae rationis. Provocatur ad c. *Sed nec* superius citatum, ubi forte de alio officio sermo est, at provocare licet ad c. *Sacerdotibus* ibid. citatum.

Si vero talis procuratio non impediret clericum a suis functionibus, si non ex avaritia, sed ex quadam necessitate, ut sui suaeque familiae statum decentius servaret, id ageret clericus, s. Alph. ait, se non audere eum mortalis peccati reum dicere.

XCIV. Resp. 4. Quoad actiones, prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamorosae vacare (quod addo, quia venatio sine strepitu, recreationis causa, permittitur) accipitres vel falcones alere pro venatione, aleis aut taxillis ludere, mercaturam aut negotiationem lucri causa (non tamen necessitatis) exercere, cohabitare mulieri, nisi sit mater, soror, amita, aut certe talis, quacum nullum periculum aut scandalum immineat. Less. l. 2. c. 5. d. 9. n. 40. Caiet. tamen v. *Clericus*, contra Ang. et Nav. docet, horum et similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus et scandalum. V. Laym. l. 5. t. 9. c. 12. n. 2. et 3. Nec refert, quod transgressor sit excommunicandus; quia haec poena est sententiae ferendae, quam non nisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen universim Nav. putat esse laxius, maxime cum Canones utantur verbo, praecipio. Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent. Quod restringit Bon. d. 8. *de Sacr.* qu. 1. p. ult. n. 8. si sint initiati maioribus ordinibus, aut habeant beneficium et tonsuram, vel habitum longo tempore, absque iusta causa, non gestent; tunc enim peccare mortaliter citatque pro se Reg. Navar. Vasq. Negat tamen Sylv. et Laym. l. c. si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari vero esse mortale, concedit idem Laym. l. 3. t. 4. c. 17. et alii commun. Sed de hoc v. supra *de Contractibus, de emptione et venditione.*

450. C. 2. *de Vita et Honest. Cler.* « Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur »: arma scilicet militaria (Schmalzgr. l. c. n. 33.), quae publice more laicorum gerantur, ut tunc erat in usu. Idcirco et militem agere clericus in sacris vel beneficiatus prohibetur atque hic militiae nomen dans, tacite ipso facto videtur renuntiare beneficio. Item clericus minor, miles sponte effectus, eo ipso a statu clericali excluditur. Cf. Anacletum l. 3. tit. 1. n. 124.

Causa est tamen, ut possit clericus impune gestare arma, nempe ob sui defensionem, vel ob necessariam defensionem suorum et patriae, si alii desint; ita in itinere per loca infesta latronibus. Cf. ibid. n. 125. et Schmalzgr. l. c.

Tandem adverte excommunicationem esse ferendae sententiae: *excommunicentur*, ait.

Monachi vero intra septa monasterii arma tenentes absque licentia Abbatis, excommunicationem ipso facto incurrunt ex Clement. *Ne in agro* §. 7. *de Statu Monachorum:* quae excommunicatio non est abrogata in Const. *Apostolicae Sedis*, coll. in fine §. *Quae vero.*

451. Inter actiones clericis vetitas sunt choreae nec eis licet ipsis interesse publice ductis. Satis patet haec dedecere clericos et nonnulla particularia concilia ab his clericos compescuerunt (cf. Ferraris v. *Clericus* art. 4. n. 13.) et ipsa Trid. Syn. choreas recensuit inter ea, quae summi Pontifices aut sacra Concilia clericis interdixerunt, ut ex loco mox citando liquet.

Eodem pacto prohibentur Clerici personati aut larvati in publicum prodire; hoc enim quoque est intendere mimis, ioculatoribus aut histrionibus, de qua re supra dictum est.

Item prohibentur sacerdotes et clerici comoedias agere confertque hanc in rem Ferraris l. c. n. 19. epistolam quandam iussu Papae scriptam ad quendam Episcopum anno 1706., qua haec graviter reprehenduntur. Verum agebatur de comoediis cum cantu et iis repraesentationibus, quae vix in laicis, ut dicitur ibidem, tolerantur. Ne ergo credas honestas comoedias, exercitii et recreationis causa, inter Seminarii parietes agi non posse a clericis. C. 12. quidem *de Vita et Honest. Cleric.* prohibentur Presbyteri, diaconi et subdiaconi theatrales ludos exercere et utique in ecclesiis, ut identidem tunc erat in more.

Quoad alias actiones, c. 14. *de Vita et Honest. Cleric.* « A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant... Si quis super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur ». C. 15. eod. tit. « Clerici ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint ». Trid. Syn. sess. 22. *de Reform.* c. l. iubet, « quae alias a summis Pontificibus et a sacris Conciliis, de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus nec non secularibus negotiis fugiendis (a Clericis) copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur ».

452. Quod spectat ad *lusum* exstat c. l. dist. 35. qui desumptus dicitur ex canonibus Apostolicis. « Episcopus aut Presbyter aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens, aut desinat aut certe deponatur (καθαιρείσθω deponatur): subdiaconus aut lector aut cantor similia faciens aut desinat aut communione privetur ». Has poenas a Trid. Syn. confirmatas censere licet sess. 22. c. 1. *de Reform.* at cum seqq. limitationibus.

Nimirum canones vetantes lusum alearum afficiunt solos clericos in sacris aut beneficiatos: s. Alph. l. 3. n. 895.; quod alios enim consuetudo legem abrogavit.

Praeterea advertunt DD. agi de alea h. e. de lusu, qui fortuna, non arte aut ingenio regitur. Quocirca lusus, qui arte aut ingenio regitur (ut sunt plures ludi chartarum) vel magis arte aut ingenio quam fortuna, non est vetitus clericis. S. Alph. l. 3. n. 900.

Porro clerici ludentes aleis peccant mortaliter, si id faciant frequenter, in magna quantitate, lucri scilicet: s. Alph. l. c. n. 896., qui idem contendit, etsi quantitas lucri sit parva n. 897. Si vero absit frequentia, etsi quantitas sit magna, concedit non esse mortale, nisi sit scandalum n. 898. Frequentiam vero haberi negat, si semel in

hebdomada ludatur n. 897. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 46. Gury vol. 2. §. 101. Et si identidem ob honestam recreationem, cum nullo vel parvo lucro ludant, nullum peccatum peccant. Gury l. c.

Quoad *ingressum tabernarum* c. 15. *de Vita et Honest. Cleric.* « Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti ». Talis sane frequentia dedecet clericalem statum et scandalum fidelibus creare solent.

453. Quoad *venationem* c. l. *de Clerico venatore.* « Episcopum, presbyterum aut diaconum canes aut accipitres aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuerit, si Episcopus, tribus mensibus, si presbyter, duobus, si diaconus, ab omni officio suspendatur ».

Idem religiosis interdicitur Clement. *Ne in agro* §. 3. *de Statu Monachorum* etc. « A venationibus et aucupationibus omnes (Monachi scilicet et Canonici regulares) semper abstineant nec eis interesse aut canes vel aves venaticas per se vel per alios tenere praesumant ». Subditur §. 4. « Si quis praemissorum temerarius exstiterit violator, regulari subiaceat disciplinae ».

Notat s. Alph. l. 3. n. 606. 1° DD. communiter haec accipere de venatione, ut dicitur, clamorosa cum strepitu; huc enim spectant canes (seu multa canis, ut ait Horatius Epod. 2. 31.): unde inferre licet, haec esse illicita aucupia et venationes, a quibus Trid. Syn. sess. 24. c. 12. *de Reform.* iubet clericos abstinere.

Notat 2° venationem clamorosam non prohiberi sub gravi, nisi sit frequens; nam textus cit. ait *saepius.* Et sane per se sola non est gravis inordinatio: unde et poena statuta suspensionis ferendae non est gravis.

Monet 3° testari DD. hanc suspensionem modo in usu haud esse. Hinc ait doctus quidam recens Scriptor (Instruz. pe'novelli Confessori), docet venationem haud clamorosam, ad honestam recreationem, omnino licere, clamorosam vero, iuxta communiorem sententiam, ratione canonum, non esse peccatum mortale, nisi adsit contemptus et contumacia.

Religiosi quoque, si praeciso scandalo et raro id faciant, excusantur a mortali a Salmanticensibus, ibid.

454. Quoad cohabitationem clericorum cum mulieribus (a) haec exstant decreta. Primum quod citari solet, est canon Nicaenus, qui agit quidem de feminis subintroductis (συνείσακτοις): quae erant feminae devotae et caelibatum professae, quae a clericis veluti sorores diligebantur aut diligi dicebantur et cum iis vivebant: at deinde idem canon

(a) Quidam addunt *sub eodem tecto,* quod est nimis; nam sub eodem tecto plures familiae vel coetus una viventium esse solent prorsus ab invicem separati.

cum feminas indicat, quibuscum clericus habitare potest, non amplius subintroductarum mulierum rationem habet, sed simpliciter earum feminarum, quae possint vel non possint una cum clerico habitare. Refertur hic canon a Gratiano c. 16. dist. 32. « Interdixit per omnia s. Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono vel alicui omnino, qui in Clero est, subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam vel eas tantum personas, quae omnem fugerint suspicionem ».

C. 9. *de Cohabit. Cleric.* « Cum clericis non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis exsistant, in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari ».

Huiusmodi esse dicuntur consanguineae in primo et secundo gradu, argumento ducto ex can. Nicaeno, qui huiusmodi solum meminit: non affines nisi forte in primo gradu, ut noverca et privignus vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reverentiam debet, qualis esset uxor defuncti patrui aut avunculi; quia et in his naturale foedus nihil saevum permittit suspicari. Schmalzgr. tit. 2. nn. 1. 2.

Clerici, quibus tale contubernium interdicitur, ii sunt, qui ob sacrum Ordinem ad continentiam adstringuntur, vel qui ratione beneficii Ecclesiae deserviunt. Pichler in h. tit. n. 2.

At si in illis quoque consanguineis et affinibus, quae permittuntur, ratio esset turpis suspicionis, et harum cohabitatio interdicitur. Nam prima lex in hac materia est ea, quae c. 1. tit. cit. effertur, scilicet: « Inhibendum est, ut nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat » subdit: « Sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem (si nempe suspectae sint, quod quidem contingere potest); quia, instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur aut etiam in pedissequis earum ».

Si ergo feminae tales sint, quae suspicionem merito ingerant, clericus, etsi ob virtutem suam vel frigiditatem nihil ex earum societate sit passurus, prohibetur iure ecclesiastico cum eis habitare, imo iure quoque naturali prohibente scandalum, quod generari potest.

455. Cum liceat clericis habitare una cum dictis consanguineis aut affinibus, dummodo legitima suspicio absit, permittitur iis quoque habitare cum illis feminis, quae de earum feminarum coniunctarum sint familia, ut sunt illarum famulae et pedissequae, item cum uxoribus servorum ac filiabus. Nam si suspectae non sint, favet his canon Nicaenus in fine.

Vi eiusdem canonis permittitur idcirco feminam in servitium assumere et generatim habitare etiam cum extraneis feminis, si provectae sint aetatis honestaeque famae. Schmalzgr. l. c.

Unde tandem alia regula generalis patet: si feminae sint eiusmodi, ut nullam legitimam suspicionem ingerant, non prohibetur clericus cum iis habitare, spectato iure canonico.

Habenda est tamen in his ratio etiam statutorum dioecesis et auctoritatis Episcopi, cui ius est inquirere in observationem horum canonum et iudicium ferre, an cum hac vel illa femina, si praesertim extranea sit, liceat clerico habitare. Cf. Ferraris v. *Clericus* art. 4. n. 8., qui notat, aetatem provectam in feminis, quae suspicionem excludit, esse ordinarie 50. annorum.

Monet Schmalzgr. l. c. n. 3. in iure canonico nihil speciale, prae ceteris clericis, praeceptum esse in hac re Episcopis; quamvis per se, dummodo fieri possit, magis honestum sit et consultum, ut Episcopus maxime coniunctarum quoque feminarum cohabitationem vitet, etiam matris, ne populo occasio detur suspicandi, Episcopi consilia et decreta ex materno instinctu profecta esse.

456. Contra eos, qui hanc Ecclesiae legem circa cohabitationem violant, nullae sunt poenae iure statutae, sed arbitrio Episcopi relinquuntur: at poenae sunt a iure statutae contra eos, qui aliquid amplius peccant.

Et 1° quidem Trid. Syn. sess. 21. c. 6. *de Reform.* praecipit, ut Episcopi « eos, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant et castigent et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant ».

2° Speciatim sess. 25. c. 14. *de Reform.* statuit modum procedendi contra Clericos concubinarios aut detinentes domi vel extra alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, aut habentes cum iis ullam consuetudinem.

Si de concubinario agitur, ille est, qui cum aliqua femina, vel domi vel extra, carnalem consuetudinem habet, ideoque requiritur, ut saltem bis cum ea sit versatus. Schmalzgr., c. 3. tit. 2. n. 11.: idcirco differt concubinarius, de quo solum loquitur Trid. Syn., a simplici fornicario.

Clerici concubinarii, lege hac Tridentina plectendi, sunt clerici in maioribus constituti et quicumque beneficium habent; loquitur enim Trid. Synodus de iis, quos iam veteres canones puniendos censuerunt: hi porro sunt clerici in sacris aut beneficium habentes: cf. cc. 3. 4. c. 6. *de Cohabit. Clericis.* Cf. Pichler in h. tit. nn. 3. 4. Poenae hae sunt: 1° confirmantur eae, quas veteres canones contra huiusmodi flagitia clericorum constituerunt et quas singularum ecclesiarum statuta decreverunt. Tum 2° modus quidam poenas inferendi stabilitur.

457. Itaque clericus concubinarius 1° monendus est a superiore monitione speciali: 2° si monitus non desistat, ipso facto privatus est tertia parte fructuum beneficii, applicanda ecclesiae vel alteri pio loco: non tamen tenetur amissos fructus restituere, ante sententiam declaratoriam. Porro non desistit, etsi semel post monitionem labatur in crimen: pergit enim reapse in concubinatu. 3° Si nec tunc resipiscat, sed pergat cum eadem vel cum alia femina (quacum saltem bis peccet) in eodem delicto, omittit ipso facto omnes fructus dictis locis applicandos et praeterea suspendendus est ab administratione beneficii, quandiu Ordinarius, etiam ut Sedis Apostolicae delegatus, arbitrabitur. 4° Si suspensus non se emendat, privandus est perpetuo beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis ac inhabilis reddendus et indignus quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis et officiis. 5° Si neque haec proficiant, excommunicandus est ab Episcopo.

Monent DD. poenam privationis fructuum non comprehendere distributiones in choro; quia non sunt fructus beneficii nec pensiones aut portiones s. Alph. l. 3. n. 442.

Cum poenae, quae Synodus concubinariis statuit, initium sumant a privatione fructuum, si clericus, in sacris quidem sit, sed nihil ab Ecclesia accipiat, vult Synodus, ut is ab Episcopo, iuxta delicti et contumaciae perseverantiam, puniatur poena carceris, suspensione ab Ordine etc.

458. Difficultas est quoad modum procedendi statutum a Trid. contra concubinarios clericos, ut ad privationem officii et excommunicationem post longa experimenta deveniatur.

Nam si agatur de eo clerico, cuius delictum non sit notorium, merito tamen praesumatur ex certis indiciis, facile intelligitur posse et debere Episcopum eo pacto procedere. Atque hic est casus practicus, qui non raro occurrit. At si agatur de clerico, puta parocho, cuius concubinatus prius occultus erumpat in publicum et fiat notorius: quî poterit Episcopus, sine scandalo populi, tandiu illum in possessione beneficii et officii relinquere, quandiu tot monitiones et experimenta praemittere licuerit?

Et sane Syn. l. c., dum methodum illius processus praefinit, non loquitur solum de clericis habentibus concubinas sed et de clericis alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, domi vel extra detinentibus, aut audentibus cum iis ullam consuetudinem habere. Contra hos valet certe id, quod deinceps in poenam constituitur. At contra notorios nonne saltem licet aliter quoquè procedere? Iuvat profecto advertere, quod Tridentina Synodus poenas antiquas non abrogavit, sed aperte sanxit,

clericos incontinentes puniendos esse poenis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis. Iam vero ex veteribus canonibus, quidam, ut canon Apostolicus relatus c. 12. dist. 81., presbyteros et diaconos in fornicatione captos iubet deponi, alii, ut Nicolai Papae relatus c. 33. dist. 50. Sacerdotes lapsos in fornicationem, si actus manifestus sive ostensus fuerit, iubent honori sacerdotali privari: alii ut c. 5. dist. 82. ex auctoritate s. Silvestri, volunt, presbyterum fornicatum decem annos poenitere et c. *ut Clericorum, de Cohabit. Cleric.* etc. clerici comprehensi laborare vitio incontinentiae, suspendendi sunt et si nihilominus praesumant celebrare, perpetuo deponendi: quin in his canonibus monitio praemittenda decernatur. Videtur ergo in potestate esse Episcopi, cum crimen est notorium; huiusmodi animadversionibus in reos uti. Ita Anacletus in tit. *de Cohabitatione Clericorum* etc. Ut idcirco ad poenam etiam gravissimam inferendam non sit exspectanda incorrigibilitas.

Certe Trid. Syn. hac in re vult servari statuta ecclesiarum. Fit ergo Episcopis potestas poenas statuendi contra clericos fornicarios aut concubinarios, quae, si monitionem non postulent et attentis omnibus circumstantiis, videbuntur utiles, non exorbitantes, necessariae, profecto servandae erunt. Cf. Bouix *de Parochis* §. 3. sect. 4. c. 2. q. 13. §§. 1.-9. Et quia Canones decretalium contra clericos fornicarios aut concubinarios procedendum paulatim praescribunt, praemissa monitione secunda vel tertia cc. 2. 4. 6.: aiunt, haec de suspectis, non notoriis, criminosis accipienda esse. Cf. Auctores citatos.

Alii aliter sentiunt voluntque sequendum esse in omnibus tramitem iuris Decretalium et Tridentini: cf. Schmalzgr. in tit. 2. libri 3. et Pichler ibid. Quidquid sit, negari non posse puto, salutem populi et Ecclesiae honorem supremam legem in his esse.

Si autem fornicatio clerici sit qualificata, puta adulterium, incestus et crimen sit notorium, concedunt doctores posse ei poenam depositionis infligi, quin prius experimentum sumatur de eius incorrigibilitate. Pichler l. c. n. 3.

Quoad Episcopos vero, « si quod absit, ab huiusmodi crimine (incontinentiae) non abstinuerint et a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi et si perseveraverint, etiam ad ss. Rom. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui, pro qualitate culpae, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat ». Ita Trid. Syn. l. c.

Restat dicendum de Negotiatione Clericis interdicta.

459. Inter ea quae clericis sunt prohibita, est negotiatio; quae quid sit, diximus Vol. III. 821. seqq. Haec autem prohibitio spectat etiam ad religiosos.

Nomine clericorum in hac quaestione veniunt constituti *in sacris ordinibus*, quo nomine non intelliguntur ordines minores. Si tamen clerici in minoribus sint *beneficiati*, communior est sententia, eos hac lege teneri, licet quidam probabilem existimaverint contrariam sententiam praesertim, ut inquit Filliuccius tom. 2. tr. 35. c. 1. q. 8. n. 20., si praebenda non sufficiat ad sustentationem.

Cur DD. excipiant communiter clericos minores non beneficiatos, ratio est: quia cum possint inire nuptias et curam idcirco familiae gerere, non videtur ipsis adeo indecens negotiatio.

Contradicit tamen cum aliis Schmalzgr. in tit. *Ne clerici vel monachi* etc. n. 28.; quia canones indiscriminatim de omnibus clericis loquuntur et ipsi quoque minores clerici sunt milites Christi. Verum cum hac qualicumque militia sociari potest laicalis conditio et verba Canonum loquentium de clericis minoribus accipere licet cum communiori interpretatione, quae antiquum forte rigorem temperavit, de iisdem beneficiatis.

Beneficiatos vero etsi in minoribus DD., ut diximus, communius comprehendunt, quod probant primo ex ratione prohibitionis (cf. c. *Consequens*, distinct. 88. c. *Sed nec*, *Ne clerici vel Monachi* etc.) quae est, ut qui Deo vacant et serviunt, non se implicent negotiis secularibus (a): beneficiarius autem est addictus ministerio et officio ecclesiastico et debet ex officio Ecclesiae inservire. Lugo, *de Iust. et Iur.* disp. 26. n. 26. s. Alph. l. 3. n. 831. Alia ratio a posteriori est, quod bullae Pontificiae, ut asserit Lugo l. c., iubent spolia accipi ex bonis beneficiarii morientis, quae ex negotiatione acquisivit, etsi beneficiarius non fuerit in sacris; ergo iis quoque negotiatio est vetita.

Nomine autem religiosorum veniunt omnes religiosi utriusque sexus, qui secundum ecclesiasticum morem vere appellantur religiosi. Non includuntur tamen ex rigore Novitii, quia reipsa nondum sunt vere religiosi; quamvis in favorabilibus eo nomine censeantur.

Quidquid tamen sit, nemo probaret, novitios exercere mercaturam seu negotiationem: quod et de clericis ad sacros ordines tendentibus facile intelligitur.

(a) Pontifices hac et in simili re provocant frequenter ad verba 2. Tim. II. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Dices, in textu graeco et, ut advertit Bellarminus *de Rom. Pont.* l. 5. c. 10., etiam in quibusdam latinis codicibus, legi simpliciter: *Nemo militans implicat se negotiis secularibus;* quae est alia a priore sententia. Resp. hac recepta lectione rem tandem eodem redire et sententiam in textu vulgato et ab Ecclesia intellectam contineri reapse implicite in verbis Apostoli. Verba sunt ad Timotheum episcopum: dicit ei v. 3. *Labora sicut bonus miles Iesu Christi:* subdit exemplum simul et argumentum a minori ad maius: *nemo militans* (qui militiae est addictus) *implicat se negotiis secularibus:* quid consequitur aut quodnam consequens voluit inferri Apostolus? ergo multo magis tu miles Christi debes esse alienus a negotiis secularibus.

Porro cum haec dicantur Timotheo episcopo, non immerito Ecclesia verba Vulgatae *militans Deo* accepit non de cunctis universim fidelibus, sed de Clericis.

460. Ut quae negotiatio Clericis (supple semper ; et religiosis) sit interdicta, declaremus, recolantur ea, quae in superiori Tract. l. c. de triplici venditione dedimus ex Molina.

Quod ergo attinet ad primam speciem venditionis, qua quis emit ea, quae sibi suisque sunt necessaria et vendit superflua, haec, ex omnium consensu, est licita clericis. S. Thomas 2. 2. q. 27 a. 4. ad 4^{m}: « licet tamen clericis uti prima commutationis specie, quae ordinatur ad necessitatem vitae, emendo vel vendendo ». « Procedit hoc, ait Schmalzgr. in tit. *Ne Clerici vel Monachi* etc. 11., etsi quae clericus ita emit et postea vendit, superflua non sint, sufficit enim, quod ea emerit pro suo aut suorum usu, sine animo revendendi ».

Tertia vero species, quae in eo est, ut quis aliquid emat, ut ipsum immutatum carius vendat (cf. l. c. n. 452.), quae dicitur mere lucrativa seu quaestuosa et est proprie dicta negotiatio, clericis penitus illicita est et interdicta: licet non sit invalida. C. 6. *Ne Clerici vel Monachi* etc. « Secundum instituta praedecessorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur ». Et in c. *Consequens* dist. 88. poena suspensionis iisdem infligitur: imo et degradatio c. *Clericus* dist. 91. Poenae hae excommunicationis et suspensionis sunt ferendae sententiae (cf. Molina disp. 342. n. 2.), excepta excommunicatione lata a Clemente IX. Const. *Sollicitudo* et confirmata a Pio IX. de qua mox. Rursus in c. fin. *de Vita et honest. Clerici* affirmatur, clericos secularibus negotiationibus intendentes, facto abiicere *privilegium clericale* (quoad bona), amittere nempe, ut in Clementinis l. 3. tit. 13. c. 3. significatur, immunitatem a tributis, vectigalibus etc. cf. Schmalzgr. l. c. n. 32. Tandem bona acquisita a clericis illicita negotiatione, quae exstant post ipsorum obitum, spectant tanquam spolium ad Cameram Apostolicam. Cf. Constit. cit. Pii IV.

Altera species venditionis, quae et ipsa negotiatio, etsi minus proprie, vocatur, in eo sita, ut quod emptum est (etiam quod proprium est, cf. l. c.), mutatum sive inducta nova forma per artem seu industriam nostram, id carius vendamus; non est per se vetita clericis. Imo advertunt DD., Apostolum Paulum hoc pacto sibi et suis victum comparasse, manibus suis artem exercens scenofactoriam: cf. Actus XVIII. 3. XX. 34. atque veteres monachos storearum (quarum materiam frequenter in suis bonis habebant), quas fecerant, venditione consuluisse sustentationi suae. Praeterea in c. 4. *Clericus* dist. 91. (quod caput ex multis capitibus conflatum est Concilii Carthagin. 4^{i} ut aiunt romani correctores) edicitur: « Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, *artificiolo* victum quaerat ». Item : « Omnes clerici, qui ad operandum validi

sunt, et *artificiola* et litteras discant ». Et ibid. c. 3. additur agricultura: « Clericus victum et vestimentum sibi artificiolo vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, paret ». Adverte in his omnibus agi de industria a clerico exercita per se ipsum, non per alios.

Nihilominus negotiatio etiam improprie dicta prohibita censeri debet clericis, si eorum statum dedeceat; quaedam enim sunt ad hoc genus spectantia, quae, ad decorum quod spectat, ad tertium genus accedunt et idcirco minus ecclesiasticos decent ac proinde per epikeiam censenda sunt iisdem vetita: ait Molina l. c. n. 6. Et nunc generatim in Clericis ad maiores ordines promovendis beneficium vel patrimonium requiritur, ne status vilescat; forte enim modo dedecent quaedam ex iis, quae olim non dedecebant, ut agricultura. Quidquid vero sit: quod canones antiqui et veterum exempla permittunt, nondum est prohibitum, dummodo nihil indecens fiat.

461. Haec ἐν τύπῳ dicta, sunt modo paulo uberius declaranda.

Et. 1. quaeri potest, cur tertia species negotiationis potius quam secunda sit per se clericis vetita.

Rationem accipere possumus ex iis, quae habet s. Thomas 2. 2. q. 77. a. 4. Nimirum clerici non solum debent abstinere ab iis, quae sunt secundum se mala sed etiam ab iis, quae habent speciem mali. Hoc vero in tertia specie negotiationis certe contingit, tum propter hoc, quod est per se ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores, tum propter frequentia negotiatorum vitia; quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum, ut dicitur Eccli. XXVI. 28. Ita s. Doctor ad 3^{m}. Est ergo talis negotiatio per se indecens statum clericalem.

In altera vero specie non apparet haec directa ordinatio ad lucrum: qui enim rem in melius mutatam carius vendit, videtur potius praemium sui laboris et artis quaerere ibid. ad 1^{m} et sunt praeterea in hac specie plures actus, qui nullam habent speciem mali, ut in Paulo et monachis antiquis videre est. Per se ergo non erat prohibenda.

Quaeritur 2. an negotiatio, quae per alios exerceatur, sit clericis prohibita. Olim quidem communiter docebant DD. hanc non prohiberi; quia nullo iure id expressum continebatur et quia ratio praecipue prohibitionis est indecentia et distractio a divinis, quae omnino cessat, aiebant, si negotiatio non per clericum sed per alium exerceatur. Cf. Schmalzgr. l. c. nn. 24. 27. Nota non dici exerceri per alios, si per famulos proprios exerceatur.

Verum deinde Benedictus XIV. Const. *Apostolicae* 25. febr. 1741. vetuit quoque, ne a clericis negotiatio per alios exerceretur et si negotia a laicis incepta ad clericum deferrentur quovis titulo, puta he-

reditatis, iussit, ut aut statim dimitterentur, si fieri posset aut si absque detrimento id non posset fieri, ea agerentur 1° solum ad tempus, 2° per interpositam laici personam, 3° cum facultate aut S. C. C. in Italia aut Episcopi extra Italiam: secus clericus incurreret poenam spolii.

Porro Clemens XIII. Const. *Cum primum* 27. Sept. 1759. confirmavit Const. Benedicti XIV. de negotiatione per alios exercenda et speciatim vetuit ne Clerici per alios exercerent *cambium activum* h. e. partes agerent *campsoris*. Addit praeterea, quod si dubitetur an aliquis contractus licite a clerico iniri possit, ob suspicionem negotiationis, expeditissima sit via scribendi ad s. Congr. Conc., quae dubium dirimet.

462. Quaeritur 3. an semper, in quavis hypothesi prohibita sit Clericis talis negotiatio. Communis est DD. sententia, haud illicitum esse clericis negotiari pro sua vel suorum necessaria sustentatione. Necessitas sane excusare debet a lege, quae aliquid prohibet non per se inhonestum. Et sane in c. *Secundum* superius relato, excommunicantur ii, qui *causa lucri* negotiantur. An vero sola necessitas suae suorumve sustentationis excuset, respondet s. Alph. n. 837. advertens, nimis rigide Laymann requirere necessitatem ad vitam sustentandam; cum praesertim c. *Multa, ne Clerici vel Monachi* etc. dicat: « Nec tamen iustum negotium est contradicendum, *propter necessitates diversas* »: sed communius et probabilius dicere Palaum, Sporer etc., quod sufficiat necessitas gravis ad statum decentem, nempe si aliter clericus cum sua familia commode sustentari nequeat. Ratio est, ait, tum quia lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo, tum quia prohibitio, cum facta sit ob decentiam status, non censetur prohibere id, quod necessarium est ad decentem statum servandum suum vel suorum.

Nihilominus Clemens XIII. in citata Const. ad abusus et hallucinationes praecavendas, indixit, ut, vel necessitate exsistente pro sua suorumve sustentatione, negotiatio ne susciperetur sine dispensatione Sedis Apost. intra Italiam aut Episcopi extra Italiam.

Absente vero qualibet dicta necessitate, si quis quid emit ut immutatum carius vendat, et lucrum facto suo quaerit et causa lucri negotiari censetur.

463. Quaeritur 4. an clericus negotians peccet semper mortaliter. Peccatum esse per se mortale patet ex poenis inflictis. Veruntamen DD. communiter admittunt et levitatem materiae et levitatem quantitatis quoad actus. Sane A., ubi de negotiatione agit, inquit resol. 1. « Si clericus semel iterumque tantum negotietur in materia non gravi (h. e. gravis momenti) e. gr. libros, cruces etc. emat, ut occulte (ad

vitandum nempe scandalum) iterum vendat carius, non est mortale » et DD. citat primi subsellii. Quae resolutio, ut patet, complectitur negotiationem etiam proprie dictam; intelligi tamen debet de negotio, quod non sit turpe, quod ex duplici capite contingit: si nempe sit iniustum et multum abhorreat a clericali statu.

Probabile quoque DD. censent, quod non peccet graviter si quis semel in materia gravi negotiatur (excipe casus const. Clementis IX.): cf. s. Alph. n. 831. Ratio est, quia canones prohibent clericos negotiationem *exercere*. Exercere autem (quo verbo Clemens IX. non utitur) ex communi hominum sensu significat pluralitatem actuum et quidem actuum qui moraliter h. e. proposito uniantur. Quocirca si quis plus vice simplici in idem recideret, sed non ex eodem praevertente proposito, non exerceret. Recole quae diximus de unione morali in furtis.

464. Quia vero specialia quaedam continent, recolendae sunt Constitutiones Urbani VIII. et Clementis IX. circa negotiationes missionariorum et cum Clemens confirmaverit atque ampliaverit Urbani constitutionem, satis erit verba afferre Clementis. Itaque Clemens IX. Const. *Sollicitudo* die 17. Iunii 1669. ait: « Omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis et qualitatis ac cuiusvis ordinis, congregationis, instituti, tam mendicantium quam non mendicantium, etiam Societatis Iesu et earum cuilibet, quae ad insulas, provincias, regna Indiarum Orientalium... ac in partes Americae tam australes quam septentrionales, a Sede Apostolica vel congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum aut ab eorum superioribus, sub nomine missionariorum aut quovis alio titulo, pro tempore missae fuerint aut illis in partibus quomodolibet morabuntur: sub *excommunicationis latae sententiae* ac privationis vocis activae et passivae et officiorum, dignitatum et graduum quorumcumque per eas obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda nec non *amissionis mercium omnium ipso facto incurrendis* ac aliis nostro et Romani Pontificis pro tempore exsistentis vel praedictae Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis poenis, tenore praesentium districte prohibemus pariter et interdicimus, ne *mercaturis et negotiationibus secularibus huiusmodi*, quovis protextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione et forma, *etiam semel, per se aut mediantibus ministris seu aliis personis subsidiariis, directe vel indirecte,* tam nomine proprio quam suarum respective religionum seu congregationum ac societatum etiam Iesu vel aliorum quorumlibet et alias quovis modo et qualitercumque *se ingerant vel immisceant.* Ac ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam casus

evenerit, merces et lucra quaecumque, quae ex huiusmodi mercaturis et negotiationibus provenerint et provenient, in usus et commodum pauperum, hospitalium, seminariorum ecclesiasticorum ac operariorum (non tamen religionum, congregationum et societatum etiam Iesu seu instituti eorum, qui in praemissis vel circa ea deliquerint, sed aliorum non delinquentium) harum serie applicamus ». Tum easdem poenas, de quibus supra, statuit contra superiores religionum etc., qui subditos vel semel delinquentes non puniverint, saltem per amotionem a locis commissi delicti.

Agitur ergo de ecclesiasticis aliunde missis seu euntibus ad loca missionum, non de clero ibidem indigeno. Habes excommunicationem *latae sententiae* et sub gravi prohiberi his negotiationem *vel semel* actam eamque quae *per alios* fiat. Habes alias praeterea poenas et loco poenae, spolii applicationem mercium et lucrorum ad commodum missionum. Quandiu delinquentes lucra huiusmodi non restituerint, a nemine absolvi possunt a sententia excommunicationis, praeterquam a Romano Pontifice, vel in mortis articulo; restitutis vero, a quolibet Confessario absolvi possunt. Ita fert clausula Constitutionis. Cf. Acta s. Sedis V. 7. p. 319. seqq. Hanc constitutionem Clementis IX., sicut et Urbani VIII. *Ex delicto* 22. Febr. 1633., quas in sua Constit. *Apostolicae Sedis* Pius IX. praeterierat, idem Pontifex, postulante Congreg. s. Inquisitionis, declaravit adhuc vigere 4. Dec. 1872. Cf. ibid. p. 317.

465. His positis, quae ad negotiationem presse acceptam pertinent, licet ad quosdam descendere casus particulares in hac ipsa re.

Sane referente Fagnano in lib. 3. decretal. tit. *ne Clerici vel Monachi* c. *Multa,* Congregatio Concilii declaravit (apud Scavini vol. I. App. 2. n. 26. cf. Lucidi *de Visitat. ss. Limin.* V. I. p. 522., qui haec refert ex Giraldi).

« Licere Clericis agros beneficiorum et patrimoniorum suorum per laicos colere, absque reatu illicitae negotiationis ». Id per se intelligitur: cum secus frustra haberentur agri et nulla sit negotiatio.

« Posse pro eiusdem culturae usu boves et alia animalia necessaria coemere illorumque foetus iusto pretio atque honesta ratione vendere ». Quoad priorem partem nulla est difficultas: quoad alteram, nulla est negotiatio; quia foeti sunt fructus rei nostrae, non sunt empti, ut carius venderentur immutati.

« Posse pro sua et familiae sustentatione eos, qui in propriis terris habent quercus et castaneas, emere sues eosque alere et vendere: dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendis suibus nihil sordidum aut indecens ordini clericali exerceant ». Ratio est, quia tum non emunt ut carius vendant, tum non vendunt immutata, sed mutata, quod spe-

ctat ad alteram negotiationem, quae per se licita est, dummodo nihil sordidum et indecens ordini clericali praeseferat.

« Licere clerico arborum in propriis bonis exsistentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum, quod ex bombycibus proveniet, inter utrumque dividatur ». Nulla heic est negotiatio, sed fructus tantum quaeritur ex re sua.

« Pariter eidem licere, eorundem arborum foliis utendo, per se ipsum, absque officii sui detrimento ac pro sua et familiae sustentatione, arti sericae operam dare, dummodo tamen in artificio huiusmodi personas non suspectas adhibeat (feminae enim adhiberi solent) et quoad hoc Episcopi licentiam, quae gratis detur, obtineat ». Id quoque spectat ad alteram negotiationem, ubi si omnes conditiones heic praescriptae serventur, ut officium clerici detrimentum non patiatur, ut non cupidine lucri, sed necessitate id fiat etc., nihil indecens occurrit.

« Clericos pauperes ob suam suorumque necessitatem posse terras ecclesiasticorum conducere (subintellige: et fructus vendere) absque reatu illicitae negotiationis: bona vero laicorum non posse, nisi ex mera praecisa necessitate ». Conductio fundi, ut ex eo quis, fructibus perceptis aut venditis, vivat, non est propria negotiatio: nihilominus, quia ad lucrum captandum fieri solet, speciatim prohibita fuit clericis in Conciliis Calcedonensi et Carthaginiensi, quorum decreta referuntur a Gratiano *caus.* 21. q. 3., prioris c. 1. alterius c. 3. Cf. et c. *Secundum*, *Ne clerici vel monachi* etc. in eius secunda parte.

Hinc inferunt theologi, eodem pacto haud licere clericis salinas conducere, ut sal inde vendant, greges alienos conducere, ut lana aut lac vendatur. Lugo disp. 26. n. 29.

Quid vero foret, si haec emerentur? Cf. sub seq. Resol.

466. Urgente autem necessitate conceditur clericis conductio fundi (idem puto dicendum de conductione gregis, salinae, fodinae metalli etc.), cum limitatione tamen, ut terras ecclesiasticorum conducant, non laicorum; nisi necessitas, quae nulli subest legi, hoc quoque postulet.

Lugo tamen ibid. n. 35. censet non esse speciem prohibitae negotiationis, conducere agros alienos ad praediorum nostrorum administrationem, vel animalium nostrorum sustentationem. Tunc est enim quaedam necessitas causa conductionis, non lucri cupiditas, propter quam conductio est prohibita.

Schmalzgr. l. c. n. 12. monet Clericum successorem eius, qui agrum alienum non negotiandi animo, sed ad se et familiam suam sustentandam, conduxerat, posse continuare usque ad tempus praefinitum conductionem, etiamsi non habeat eandem necessitatem sustentationis.

« Posse retinere et locare boves, oves et alia animalia, quae habent

ex successione vel decimis nec non fructus illorum vendere ». Res clara est. Cf. et c. *Vestra, de Locato et conducto.* Hactenus s. Conc. Congr.

467. Negat Molina disp. cit. in fine, licere Clerico iumenta emere, ut postea lucri gratia ea locet. Profecto si frequenter fieret, indecens quid praeseferret et speciem negotiationis: verum re per se spectata, difficultas est; nam licet certe, auctore ipso Molina, locare praedia et iumenta, postquam empta sint. Ita Lugo n. 34.

Nihilominus Ferraris v. *Clericus* art. 3. refert responsa quaedam s. C. C. inter quae 2^{m} sic habet. Quaest. An Sacerdotes et Clerici beneficiati possint, si boves emerint vel in suis praediis natos educaverint et instruxerint, conducere (h. e. locare) ut vulgo dicitur *a giovatico* pro certa tritici quantitate qualibet anno persolvenda. Responsum est. « Ad 2^{m} quoad boves emptos, negative, quo vero ad boves proprios, affirmative » et citarunt Molina disp. 342. Oblitus est Ferraris notare annum et mensem huius declarationis.

Sed ecce alia responsio eiusdem Cong. C. data 2. Oct. 1662. relata ab eodem Ferraris ibid.: « An praedictis presbyteris et clericis liceat absque negotiationis clericis interdictae nota, oves, boves aliaque huiusmodi animalia emere eaque, locationis aut societatis titulo, conductori aut socio tradere ac lucrum ex huiusmodi locatione sive societate percipere ». Resp. est: s. C. C. *censuit non licere.* Censuit scilicet id speciem referre negotiationis, si, puto, animalia emantur, ut locentur: secus, si qualibet alia ex causa empta postea locentur. Si res tales, ait Schmalzgr. l. 3. t. *Ne clerici vel monachi* n. 18. lucri seu quaestus intentione coemantur, ut immutatae vel melioratae vendantur carius, extra casum necessitatis, hoc prohibetur clericis et religiosis.

468. Ex conceptu negotiationis infert Lugo l. c. n. 30. non esse negotiationem prohibitam si quis ex propria vena ferrum faciat, ut vendat; quia non emit quidquam ut illud immutatum carius vendat. Quid vero, si quis emat venam ad hunc finem, ut ferrum faciat et vendat? Ait Lugo ibid., se discrimen non videre inter venam seu fodinam emptam aut alio titulo in suis bonis habitam: est enim semper res nostra, cuius fructus capere et vendere licet. Cf. tamen responsa mox allata s. C. C., quae discrimen inter haec ponunt, si ematur res ut locetur.

Ceterum quod valet in ferro ex vena constructo, valet et in quavis materia rudi extracta ex fodina. Lessius l. 2. c. 21. n. 5.

At quid dicendum si quis ex sua vena ferrum faciat per operarios quamvis laicos? Quidam DD. enim concedunt quaedam facienda per se, non per conductas operas; eo quod conductio sit prohibita. Sed intelligendane est conductio operarum? quî potest extrahi ferrum e

fodina (idem dic de rebus similibus) absque ope aliorum, qui certo pretio conducantur? An decet magis Clericum haec per se ipsum facere? Et tamen res ipsa licet. Fatendum sane est, probationem, quae in hanc rem ab aliquibus petitur ex c. *Multa* non esse efficacem. Afferuntur verba: « Quidquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est, munera iniusta accipere *vel etiam dare: pro aliquo seculari quaestu pretio aliquem conducere* ». At lectio huius loci, iuxta Gonzalez, genuina haec est: *vel etiam clare pro aliquo seculari conquestu aliquem conducere.* Porro *conquestare* gallice (nam textus est ex Conc. Moguntino) est acquirere seu addere imperio sive adiicere finibus ditionis suae (conquistare). Agitur ergo de muneribus datis vel personis conductis ut aliqua ditio, praefectura, iurisdictio acquiratur vel concedatur. Id vero indecens est quam maxime. Nam inter foediores negotiationes clericis et monachis vetitas praecipua est, ait Gonzalez, officiorum secularium seu ditionum venalitas. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 17.

Item licet, ait A. l. c. resol. 2. Clericis emere pecora, quae pascuis suis saginata vendant; quia vendunt fructus suorum praediorum et res est mutata.

Quid vero si non suis pascuis ea alant, sed ad id conducant alienos agros? s. Alph. n. 825. monet disserte vetari, conducere agros alienos ad vendendos fructus, ut iam vidimus (n. 465.). Ergo etiam, imo, inquit contra alios, multo magis, ad alendos greges.

Attamen sincere dicendum, non eandem speciem turpis negotiationis apparere; si praesertim quis praedia iam habens, quaedam in supplementum conduceret. Neque item dedeceret, conducere agrum vicinum propriis praediis, ob quaedam incommoda vitanda.

469. At licet ne clerico emere fructus alienorum agrorum, ad sua animalia saginanda et saginata vendenda? Profecto heic nulla est negotiatio proprie dicta; fructus enim empti mutantur et quod venditur non est id, quod emptum sit, ut immutatum carius vendatur. Sane s. Alph. l. c. allatis hinc inde sententiis, contra Laymann, qui licere negat, haec scribit, quae et pro aliis casibus valere possunt. « Veruntamen nequeo intelligere, cur hoc sit absolute illicitum; cum ex una parte haec non sit negotiatio; emere enim rem, ut in melius mutata postea vendatur, certum est non esse negotiari, sed praemium sui laboris accipere, ut docet s. Thomas cum aliis: ex alia parte nullo canone hoc vetitum invenitur. *Et regula generalis est: licitum esse quodcumque non constat a lege prohibitum.* Dicit Laymann, hoc prohiberi; quia dedecet statum ecclesiasticum. Sed respondeo: vel dedecet per se vel propter scandalum aliorum. Quod per se dedeceat, nequit dici: nam si hoc esset, clericum dedeceret etiam animalia saginare in pro-

priis praediis, quod communiter DD. cum ipso Laymann permittunt. Si vero propter scandalum; ergo secluso scandalo (quod est per accidens), non erit illicitum ».

Addit s. Alph. n. 834., e sententia aliorum licitum esse clericis emere pullos equinos, ut postea domitos vendant: sed hoc parum sibi arridere. Forte, quia videntur immutati carius vendi: verum realis mutatio qualitatis, ex industria hominis, in ipsis contingit, dum sunt subacti; quae ratio est cur usui esse possint et emantur. Si ergo licet emere boves saginandos et saginatos vendere, cur non licebit emere equos domandos et domitos vendere?

Palam est, licere emere animo vendendi sine lucro, e. gr. libros, cruces, capsulas, pisces, quae vili comparas pretio, ut des amici pretio eodem.

Quid si aliquid plus requiris in compensationem solummodo expensarum, quas subiisti forte pro traductione mercium? Nondum, fateor, lucrum apparet, cum tantundem accipias ac expenderis.

Si autem venditor gratis remittat tibi aliquid de pretio iusto et tu hoc pretio vendas, lucrum quidem facis, at non proprie per negotiationem, verum ex benevolentia venditoris, qui tibi aliquid donat. Opus tamen foret periculi plenum.

Item, ut ait A. l. c. resol. 3., licet Clerico emere agrum cum fructibus iam maturis illosque vendere; quia vendere fructus agri sui non est negotiari.

470. Lugo n. 23. casum proponit, quaerens an contineat prohibitam negotiationem. « Si pecuniae, quas ex propriis reditibus vel fructibus habes in alio regno, non possint ad te Romam, ubi eis indiges, afferri sine magno detrimento, eo quod moneta e. gr. neapolitana minus Romae valeat, quam Neapoli et ideo ne afferantur pecuniae Romae minus utiles, facis iis pecuniis emi Neapoli merces aliquas, quas Romae vendere possis eodem pretio et fortasse maiori. In quo casu, ait Lugo, distinguendum puto. Nam vel Neapoli pecunia illa aequivalet romanae in valore, ita ut non plus ibi valeat Iulius romanus quam neapolitanus, vel non aequivalet ».

« In posteriori casu videtur esse negotiatio prohibita; nam vere emis Neapoli merces, ut Romae carius vendas: ibi enim emisti e. gr. 100. Iuliis neapolitanis, ut Romae vendas 100. Iuliis romanis, cum tamen nec Neapoli nec Romae Iulius neapolitanus aequivaleat romano; quare perinde est ac si Neapoli emisses 90. Iuliis romanis, quibus aequivalebant ibi 100. neapolitani, ut Romae postea venderes 100. Iuliis romanis ».

« In priori autem casu, subdit, non videtur esse negotiatio illicita;

quia non emis, ut carius vendas. Emis enim Neapoli 100. Iuliis neapolitanis, qui ibi aequivalent 100. romanis, ut eodem pretio Romae vendas et tuam pecuniam sine detrimento traiicias, sicut si ibi commutares Iulios neapolitanos pro romanis, quos sine detrimento valoris posses tecum afferre. Quare nec credo id fore illicitum, licet scires merces illas carius esse Romae vendendas, quando intentio tua non est illius lucri, sed servandi te indemnem ».

Ait Lugo in posteriori casu, quo neque Neapoli pecunia neapolitana aequivalet romanae, *videri* esse negotiationem illicitam: non simpliciter affirmat, sed ait *videri;* nam profecto id non est evidens.

Ibi enim nullum est reapse lucrum et nullum quaeris, sed tantum servas te indemnem: deficiente vero *causa lucri,* non habetur illicita negotiatio.

471. Ad alteram minus propriam negotiationem quod spectat, qua res empta, mutata venditur carius; hanc regulam statuit Schmalzgr. l. c. nn. 17. 19. Videndum in primis, an res, quae mutatae carius venduntur, sint fructus propriorum fundorum, an vero aliunde coemptae aut comparatae. Si prius, licet: si alterum, rursus distinguendum est: vel nempe eae res coemptae sunt intentione dumtaxat lucri seu quaestus, vel non lucri mero studio, sed ex alio honesto fine: si prius, extra casum necessitatis, est species negotiationis illicitae: si alterum, licet.

Verum in hac hypothesi, regula prior desumpta ex intentione lucri, non admodum clara est; nam intentio, prava etiam, lucri adiungi potest actibus per se omnino licitis. Nunc autem quaestio per se est de actibus externis, etsi, ut par est, ab intentione non praescindamus et quaeritur, quinam sint in ista impropria negotiatione ii actus externi, qui, vel propter alias causas, vel propter intentionem lucri, censendi sunt prohibiti.

Neque superior regula: licere res suas mutatas vendere, potest universaliter accipi. Quid enim si vinum ex uvis tuis confectum ipse in taberna vendas?

472. Duo itaque animadvertimus. Primo: quamvis res sit per se licita, potest tamen identidem esse illicitus modus.

Ita licet tibi quidem artefactum tuum, puta horologium vendere: at nemo dicet licere tibi officinam publicam argentariam tenere ibique artefacta tua vendere adventantibus; id enim statum clericalem dedecet et non tam praemium tui laboris, quam lucrum quaerere videris.

Rursus quamvis genus hoc negotiationis sit per se licitum, multa tamen illo contenta non licent; eo quod ad negotiationem proprie dictam videantur accedere et dedecentia sint statum clericalem et

habenda est ratio communis sensus et publicae existimationis. Ita non licet uvas emere ut vinum ex eis factum vendatur, nec emere lanas, ut pannum ex ipsis confectum vendatur, saltem si per conductos operarios fiant haec; perinde est enim, ac si artefacta emeres et empta immutata venderes. Sane discrimen huius negotiationis a presse accepta in eo solum est, quod in illa praestas duplici actu, quod in ista uno. Nam venditurus pannum ad lucrum faciendum vel emis simpliciter pannum, vel emis primo lanam, deinde operas ad conficiendum pannum: res tamen eodem redit. Ex quo concludimus, verum videri, quod ait cl. Sanguineti *Iuris ecclesiastici* etc. n. 216. 1., hanc negotiationem, si *non propria sed aliena opera* exerceatur, negotiationi proprie dictae aequiparari et clericis illicitam esse.

473. Speciatim prohibetur quoque clericus *tabernarium* publice et personaliter agere *Clementin.* l. 3. tit. 1. c. un. cf. et c. 3. dist. 44. ex sexta Synodo: « Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium (καπηλικὸν ἐργαστήριον) habere... Si enim huiusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset aut deponatur ». Hoc est ergo *habere tabernam*, nempe *ministrare aliis in ea.* Idem porro in similibus rebus aut negotiis valere censendum est.

At licetne clericis habere tabernam, ubi per ministros vinum suum vendant? Concedit Schmalzgr. n. 17. cum aliis; cuius doctrinae tamen ratio esse nequit, quod non per se, sed per alios negotientur; nam et hoc est illicitum: sed quia suum vinum vendere non est negotiari. Etsi vero dedeceat clericum tabernarium agere; non est tamen indecens eum esse dominum tabernae suaque re lucrari, neque id ullo canone prohibetur. Idem dic de similibus.

474. Reliquus est casus, de quo recentiores DD. et recentiora decreta loquuntur.

Quaeritur: utrum liceat clericis accipere *actiones* et *obligationes* societatum commercialium vel industrialium.

Quid *societas* vel *contractus societatis* sit, iam diximus (Vol. III. 884. seqq,). Societas commercio et lucro intenta aetate nostra, spectato modo quo coit, triplex est, *collectiva (in nome collettivo), accomanditaria (in accomandita) anonyma.* Prior est, in qua omnes socii in solidum et infinite spondent cunctas obligationes societatis. Altera habet socios duplicis generis: quidam enim sunt *responsabiles infinite iidemque in solidum:* quidam solum *contribuentes*, qui nimirum pecuniam suppeditant et *responsabiles* sunt tantum iuxta pecuniae summam, ad quam se obligarunt. Eos codex italicus comm. art. 76. n. 2. vocat *accomandatarios*, hos *accomandantes.* Haec societas *nomen so-*

ciale habet, sub quo exsistit et operatur (ragione sociale, ditta sociale) et quo nomen unius vel plurium sociorum exhibetur, qui solidarii sint.

Ad huius societatis speciem pertinet *mensa nummaria publica regni* seu *status* (banca del regno e dello stato).

Societas *anonyma* nomine sociali caret, sed distinguitur ex obiecto seu scopo, quem persequitur, ut viarum aperiendarum, aedificiorum construendorum, fodinarum etc. In ea obligationes sociales definiuntur limite certi capitalis et quilibet socius non obligatur praeter suam quotam aut actionem. C. It. cit. art. cit. n. 3.

Huc spectat societas dicta *crediti fundiarii* vel *mobiliaris*, *societas ad vias ferreas* etc.

Quaelibet societas habet suos administratores, *gerentes* seu *mandatarios*, qui non necessario ad societatem pertinent quique vel gratuito vel accepto stipendio operam suam praestant.

Certis temporibus *conventus generalis* cogitur. Ad eum vero non omnes vocantur socii, sed ii tantum ius ad eum habent, qui maiorem *Actionum* partem possident: nec tamen hi tenentur adesse. Conventui adest *Commissarius* a civili auctoritate deputatus; oportet enim, ut secundum civiles leges societas agat.

475. Quoniam *actiones* nominavimus, per quas ingressus in societatem patet, dicendum quid sit *actio* et quid differat ab *obligatione*.

Exemplo res declaratur. Fac aliquod opus aggrediendum esse, constructionem e. gr. viae ferreae, aedificationem ingentis aquaeductus etc.: molientibus tamen hoc opus deesse necessariam pecuniam. Opem eis praestat societatis anonymae institutio. Opusne est mille millium francorum? ut ea obtineantur, emittuntur signatae signo societatis papyri quaedam mille e. g. numero, iisque dantur, qui mille francos suppeditant: ita capitale necessarium adunatur. Hae papyri sunt *tituli* societatis et quia omnis *actio* societatis est opus earum partialium contributionum, vocantur hi tituli *actiones*. Dicuntur etiam actiones, quia hi tituli ius conferunt ad partem fructuum seu beneficiorum provenientium ex actione societatis, ut qui eas vendit vèndat reapse ius ad illud beneficium. Beneficium istud, quod ex actione societatis consequitur et est finis *operantis* seu sociorum, nullos habet per se definitos limites, sed pendet ab exitu rei, quam sibi societas proposuit, ut aliquando ingens sit, identidem tenue, subinde etiam, loco lucri, detrimentum socii patiantur. Istud beneficium appellatur *dividendum*, eo quod inter socios seu *actionarios* sit dividendum.

Porro, ut huius rei quoque mentionem faciamus, actiones duplicis sunt generis: quaedam *nominativae*, quae nempe nomen illius gerunt, cui sunt traditae; is potest utique eas alteri cedere, sed opus est ut

cessionis seu translationis huius a possessore in alterum, mentio fiat in regestis Societatis. Aliae dicuntur *ad ferentem* (al portatore): scilicet *titulus* nullam mentionem facit nominis proprietarii earumque proprietas ab altero in alterum transit, non secus ac pecunia, per simplicem tituli traditionem.

476. Ab *actionibus* differunt omnino *obligationes*. Sane si societas iam constituta et agens, nova pecuniae summa indigeat et nolit aut nequeat novis actionibus oblatis socios sibi adsciscere, pecuniam mutuam petit, quod quidem praestat emittendo novos titulos eosque offerendo illis, qui certam summam dent mutuo: idcirco hi tituli vocantur *obligationes;* quia his se obligat societas erga creditores pro interesse et sorte.

Qui hos titulos accipit, non evadit membrum societatis, sed est simplex creditor erga ipsam, non secus ac erga quamlibet aliam personam; quapropter hi tituli non habent eandem vim ac priores seu actiones, quibus quis constituitur membrum societatis.

Actiones enim conferunt ius ad partem *dividendi,* quantumcumque illud sit: obligationes conferunt ius ad solum interesse, quod respondet summae mutuatae. At *dividendum* societatis computandum est, detractis *obligationibus;* quod enim debes, non est tuum: ideoque obligationes prius solvendae sunt, quam ad divisionem inter actionarios deveniatur. Quocirca non raro contingit, ut feliciores sint qui *obligationes*, quam qui *actiones* habent. Cf. de his hactenus dictis opus *Les opérations de bourse devant la conscience* auctore Deville, Lyon 1884. et P. Villada *Casus conscientiae* p. 3. pag. 66. seqq. Sanguineti op. cit. n. 219. ex quibus haec exscripsimus.

Iam vero si quaestio fiat, an liceat clericis *obligationes* societatum accipere; nulla est difficultas; cum liceat clericis mutuo dare pecunias suas.

Si quaestio sit de *actionibus*, certum est eas non posse emi (nam vendi solent) ut carius vendantur; est enim specialis casus negotiationis et rursus hac in re nulla est difficultas.

477. Quaestio est, non parum agitata, utrum liceat actiones accipere societatum. Et in primis, si impendenda sint bona ecclesiastica, id non licere universim colligitur verisimiliter ex peculiari responso C. s. O. infra sub n. seq. citato. Quaestio autem est, cum bona expendenda clericorum non sunt ecclesiastica. Qua in re duplex distinctio adhiberi solet. Prior inter ipsas societates; nam quaedam sunt *negotiatoriae,* quaedam *industriales.* Altera est inter actiones quae accipiantur pro societate constituenda et eas, quae accipiantur societate iam constituta.

Si agitur de actionibus acceptis, *cum societas iam sit constituta,* haec autem sit negotiatoria, videtur earum acceptio illicita clericis. Sane actio totius societatis est negotiatio proprie dicta; si autem negotiatio exercetur, sunt ergo et negotiatores; quinam porro isti, nisi qui sunt membra societatis? porro qui actiones habent (actionarii) censentur huiusmodi membra. Nec refert quod per administratores societatis negotiatio exerceatur; nam et per alios negotiari vetitum est Clericis.

Nihilominus sunt iique viri doctissimi, qui re non *abstracte* considerata, in qua consideratione ratio nunc allata videretur efficax, sed considerata *in facto,* secundum id, quod reapse agitur (nam negotiari est agere), aliter censeant (cf. Sanguineti l. c. n. 220.). Distinguunt hi actionarios in eos, qui maiorem partem actionum possideant et qui secus. Hi secundi nullam partem habent in negotiis agendis societatis, quae ad priores solos spectat et quidem *si hi ipsi velint.* Quocirca qui non maiorem partem actionum habent vel si habent, nolint se operationibus immiscere, *ad factum quod spectat,* perinde sunt ac ii, qui, pro rata pecuniae collatae, ius habent ad divisionem lucri percepti. Atqui hoc non est negotiari vel per alium et quamvis alia sit ratio lucri, formaliter tamen hi differre non videntur, quoad lucrum captatum et opus, quod impendunt, ab illis, qui habent *obligationes.* Cum vero Benedictus XIV. vetuit, per alium negotiari, censendus est, aiunt, eam actionem prohibuisse, quae efficaciter influat in ipsam negotiationem; atqui hi nequeunt dici efficaciter in negotiationem influere; quippe qui vel nullo modo negotiationi se ingerant vel si velint se ingerere in actus negotiationis, iure ab aliis repellantur.

Hinc huiusmodi homines non avocantur ab officiis sui status nec, si clerici sint, impediuntur, quominus muneribus suis implendis possint omnino vacare. Ratio proinde petita ex fine prohibitionis heic non habet locum.

Quod argumentum si valet, valebit etiam in alia hypothesi, quod actiones acquirantur, cum agitur *de societate constituenda;* dummodo maiorem partem actionum clericus non acquirat aut saltem nolit se immiscere negotiationi et non se immisceat. Advertunt tamen, in hac hypothesi maiorem gigni suspicionem cupiditatis lucri per se enim ad lucrum constituitur societas, ideoque permittendum non videri.

Si autem quaestio fiat de societatibus industrialibus, sunt qui, negantes clericum posse actiones accipere societatum commercialium, concedunt id licere clericis in societate industriali; quia haec est negotiatio improprie dicta, clericis non prohibita. Verum iam monuimus (nn. 471. seq.), industriam per alios exercitam pro lucro captando ad

negotiationem vetitam revocari: idcirco in nostro casu, in quo clerici per alios industriam exercerent, distinctio ista idoneo fundamento caret. Sed de huiusmodi societatibus illud dicendum est, quod dictum est de commercialibus.

Attulimus utriusque sententiae affirmantis et negantis argumenta: nos nihil definimus.

478. Exstant responsa Romanarum Congregationum super hac re, S. C. EE. RR. 1846. 30. Ian. (Collectanea Bizzarri p. 530.) interrogata an liceret clericis actiones accipere ad constituendam societatem argentariam (in accomandita), cuius institutum erat commercium agere pecuniae, mutuam eam dare, respondit: *non licere*. Sane consultor, omnibus inspectis, concluserat, ibi veram exerceri negotiationem. At cl. Sanguineti l. c.: monet, quod agebatur de societate constituenda, a qua consultius est, clericos abstinere.

Deinde s. Congr. s. Officii 1. April. 1857. ad dubium: « Utrum liceat ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere lucrumque ex eis proveniens accipere » respondit: « Sanctissimus concedit facultates Episcopis, communicandas per s. Congregationem Episcoporum, permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones viae ferreae de propria pecunia tantum ». Pecunia autem propria clericorum est, quam in proprios usus et valide et licite omnino expendere ipsi possunt, cuiusmodi sunt bona patrimonialia, sed et mercedes laborum obtentae ex reditibus ecclesiasticis, aut eleemosynis manualibus, puta pro Missis. Cf. n. 425. Agitur heic quaestio de speciali quadam ratione huiusmodi titulos acquirendi. Porro ex hac responsione duo colligi possent, quae sibi ipsis contraria videantur.

Alterum est, quod talis negotiatio industrialis per actiones viae ferreae non visa sit Romanae Sedi dedecere statum ecclesiasticum; secus enim haud eam permisisset: si autem ita est, non est, cur dicatur ipsis illicita; quia non est negotiatio proprie dicta et nullo canone prohibita fuit. Favet proinde haec responsio iis, qui docent, licere actiones accipere in societatibus industrialibus. Alterum est: si Romana Sedes facultatem facit permittendi, censuit ergo per se id non licere; nam secus nulla est opus permissione et facultate, quae a s. Congr. petatur.

Verum haec posterior collectio non est admodum firma. Nam causa, cur Pontifex dixerit facultatem se facere permittendi, ea esse potuit, quod ex una parte noluerit quaestionem definire, ex alia autem parte voluerit consulere tum commodo temporali, tum tranquillitati conscientiae ecclesiasticorum. Scilicet quaestio hactenus permissa est disputationi Theologorum: at ex principiis theologiae in hac re, non apparet certa ratio, cur illicitae putentur tales actiones clericis.

En alia responsio s. C. C. Propositae fuerant hae preces: « Beatissime Pater. A. et B. Sacerdotes dioecesis C. humiliter exponunt, ex hereditate paterna consecutos se fuisse in diversis societatibus commercialibus, industrialibus, vel cambiariis etc. *actiones,* quarum valor 60000. francos fere attingit. Cum autem clericis per sacros canones prohibeatur ne similes actiones conservent, humiliter supplicant S. V., ut cum ipsis, hac in lege, benigne dispensare dignetur, ob sequentes rationes. 1° Mens oratoribus est, illarum actionum reditus annuos bonis impendere operibus. 2° Quod si illas actiones in obligationes converterent, singulis annis ad minus tertiae fructuum partis iacturam subire deberent. 3° Ceteroquin oratores comitiis actionariorum nunquam intersunt nec intererunt. 4° Tandem praedictae societates solide fundatae videntur et si forte in ruinam abirent, inde tamen non totum oratorum patrimonium absumeretur ».

« Die 6. Iulii 1885. SS. D. N., audita relatione Episcopi C. et infrascripti secretarii s. Congr. Conc. *attentisque peculiaribus circumstantiis* suprascriptas preces benigne remisit eidem Episcopo, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut, veris exsistentibus narratis, *ad quinquennium tantum* super ipsis precibus gratis gerat, statuat atque decernat quidquid pro suo arbitrio et conscientia magis in Domino expedire iudicaverit ». L. Card. Nina Praef. C. Archiep. Seleuc. secr.

Quibus verbis satis significat Romana Sedes se gratiam conferre: sed verisimiliter ratio fuit, quod nollet Romana Sedes quaestionem definire, vellet tamen morem gerere honestae petitioni. Saltem si agatur de actionibus acquirendis societatum tantum industrialium, responsum hoc contra eos, qui industriales societates solum permittunt, afferri nequit; quia agitur heic et de societatibus commercialibus. Ceterum ignoramus sacros canones, citatos ab oratoribus, quibus clare prohibeantur clerici huiusmodi actiones retinere.

In periodico (*Neuv. Rev. theol.* t. 25. p. 604.) affertur responsum C. s. O. 15. Apr. 1885.: « iuxta exposita et attentis peculiaribus temporis circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis s. Sedis et abstineant a qualibet negotiatione dictorum titulorum et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, dei *giuochi di borsa.*

Etiamnum DD. in diversa abeunt et adhuc sub iudice lis est.

APPENDIX I.

DE EPISCOPIS

479. Enarrare oportet breviter eorum officia; nam et hi qui Episcopi non sunt, puta eorum confessarii, ea nosse debent: moralis autem haec doctrina pro confessariis traditur. Sermo est de Episcopis, qui dioeceses habent et regunt.

Eorum ergo primum meminisse oportet, quae Apostolus, Episcoporum mores informans, Timotheo (1. Tim. III. 2.-7. IV. 12. 16. V. 20.-22.) ut Tito (Tit. I. 7.-9.) praescripsit. Pastor sane a Spiritu Sancto positus regere gregem sibi commissum (Act. XX. 28.) ea praestare debet, quae propria sunt pastoris, ut exemplo praeeat, veram doctrinam doceat eiusque integritatem tueatur erroribus profligatis: sanctitatem morum procuret tum per se tum per sibi subditos ministros, scandalis, quoad eius fieri poterit, semotis, cultum religiosum promoveat, idoneisque statutis aut legibus fideles omnes tum clericos tum laicos in obedientia Dei et Ecclesiae contineat.

480. Specialia Episcopi officia haec sunt.

1° *Reverentia et obedientia* summo Pontifici in ipso regimine Dioecesis: summus enim Pontifex pastor est supremus, cuius et Episcopus est ovis et a quo in partem sollicitudinis vocatur.

2° *Residentia*, de qua satis dictum est superius.

3° *Oratio* et praecipue *sacrificii Missae oblatio* singulis dominicis et diebus festis. Nam, ut ait Trid. Syn. sess. 23. c. 1. *de Reform.* « praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre etc. ». Porro praeceptum Missae pro populo celebrando declaravit et statuit s. Sedes singulis diebus Dominicis et festis urgere (cf. dicenda *de Parochis*). Iam vero ait Leo XIII. Const. *In suprema* 10. Iun. 1882.: « Moralis et iuris Pontificii Doctorum una fere sententia est, officium celebrandi Missam pro populo maiore ratione ad Episcopos quam ad parochos pertinere (et citat s. Alph. l. 6. n. 326.) ». Hinc decernit et declarat: « Omnes et singulos Episcopos... in dominicis aliisque festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur et qui ex diorum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri ».

Quod si duas vel plures dioeceses aeque principaliter unitas habeant; declarat, eos suo officio « satisfacturos per celebrationem et applica-

tionem unius Missae pro universo populo sibi commisso (secus ac pro parochis constitutum est) ».

Hac obligatione tenentur Episcopi ab adepta possessione suae Ecclesiae s. R. C. 12. Nov. 1831.

Cum viderentur Vicarii capitulares hac lege teneri, declaravit eadem s. R. C. eodem decreto, eos non teneri.

Quoad Vicarios Apostolicos cf. dicenda sub seq. App.

481. 4° *Visitatio dioecesis* Ita decernit Trid. Syn. sess. 24. c. 3. *de Reform.* «Patriarchae, Primates, Metropolitani et Episcopi propriarum Dioecesium per se ipsos aut, si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium aut visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant ».

Quod de Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis dicitur, spectat ad eorum proprias dioeceses; nam statim subdit idem decretum: « A Metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam dioecesim, non visitentur Cathedrales ecclesiae neque dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio provinciali ».

Igitur tenetur Episcopus *per se* visitare, nisi legitime sit impeditus.

Tenetur singulis annis et si latitudo obstet, saltem biennis singulis visitare, quod cum vel per se vel per visitatores missos facere Episcopis liceat, si per se non possint, non est cur quantumvis latitudinem dioecesis aut alia negotia excusent. Nulla tamen, ut advertit Lucidi *de Visit. ss. Lim.* v. 1. c. 2. n. 27., certa poena in externo Ecclesiae foro legitur statuta in eos Episcopos, qui visitationem stato tempore praetermittant.

Finis huius visitationis est, ut habet l. c. Trid. Syn. « sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere, cetera, prout locus, tempus et occasio feret, et visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere ».

« Illud est, ait cl. Sanguineti *Iuris Eccl. Inst.* pag. 286., proprium eorum quae in visitatione ab Episcopo geruntur, ut non fiant ad modum iudicii: hinc a Decretis latis in visitatione non datur veri nominis appellatio (cf. Benedicti XIV. Const. *Ad militantis Ecclesiae* §§. 6. 19.). Ex quo etiam sequitur, causas ordinarias non esse in visitatione discutiendas ».

Omnes et singulae personae sacrae atque omnia loca pia ecclesiastica, nisi manifesta exemptione potiantur, subiacent visitationi. Quamvis vero

Episcopus inquirere crimina possit et debeat, nequit tamen edicta proponere, quibus fideles in virtute obedientiae adigantur crimina detegere multoque minus addicta censura; poterit tamen ad id hortari. Lucidi l. c. n. 34.

Quae in visitatione gesta sunt, debent referri in acta, et decreta in visitatione edita debent promulgari, ut exsecutioni possint mandari Ibid. n. 40.

Ius habet Episcopus (quod ius *procuratio* vocatur) exigendi expensas pro visitatione, quae, iuxta Trid. l. c., debent esse moderatae. Eae sitae sunt in habitatione et victu pro visitante et pro iis qui eum comitantur et pro iumentis seu equis. Sed quod Innocentius IV. et Gregorius X. prohibuerant (c. *Exigit* de Censibus in 6°), licet iis, qui visitantur, loco victualium, solvere congruentem pecuniae summam, ex concessione Bonifacii VIII. (c. *Felicis* ibid.).

Quia vero ratio exigendae *procurationis* est necessitas, nequit haec exigi in urbe Episcopali neque ab iis ecclesiis, quae adeo parum ab urbe distant, ut eadem die Episcopus domum reverti possit. Neque si duae ecclesiae uno die visitantur, duplicem procurationem postulare potest. c. *Felicis* cit.

Et quamvis Episcopus semel iterumque uno anno visitationem peragat, unam tantum procurationem exigere potest: s. C. EE. RR. anno 1586. C. S. C. 1. Iun. 1737. Cf. Benedictum XIV. *De Syn.* l. 10. c. 10. n. 6.

Procurationem debent parochus et clerici et possessores beneficiorum simplicium et sodalitia ecclesiastica aliaque pia loca. S. C. C. 26. November 1638. 24. Nov. 1654. 15. Sept. 1636.

Verum adverte responsum eiusdem s. C. 15. Mart. 1656.: « Parochos teneri ad contributionem victualium Episcopo visitanti pro rata temporis quo ipsorum parochiae visitantur, non autem pro tempore, quo Episcopus versatur circa visitationem locorum sacrorum in eodem loco exsistentium ». Lucidi l. c. nn. 46. 48.

482. 5° *Visitatio ss. Liminum.* Haec obligatio ab antiquis temporibus vigens, confirmata est a Sixto V. Const. *Romanus Pontifex* 20. dec. 1585. Ea sita est 1° in visitatione Basilicarum ss. Apostolorum Petri et Pauli Romae, (si autem Papa alibi resideret, eo oporteret convenire: Ferraris v. *Visitare* n. 29.): 2° in exhibitione obedientiae Romano Pontifici: 3° in relatione status suarum ecclesiarum.

Ad eam quisque Episcopus (exceptis titularibus, qui grege carent et iurisdictionem non habent) tenetur per se ipsum: si autem legitime impeditus sit, impedimenti legitimas probationes praestare debet aliumque loco sui mittere, non qui in curia Romana degat sed qui de gremio sit

sui capituli aut in dignitate aut personatu constitutus et si his careat, dioecesanum sacerdotem et si clero quoque careat, alium presbyterum secularem aut regularem idoneum. Ita Const. cit. Sixti V. §. 4.

Episcopi ex Italia insulisque adiacentibus *tertio quoque anno;* Germani, Galli, Hispani, Angli, ceteri qui in Europa sunt circa mare Germanicum et Balticum et in insulis maris mediterranei, *quarto quoque anno:* qui in remotioribus Europae provinciis et in Africa, *quinto quoque anno:* qui in Asia ceterisque locis, *decimo quoque anno* Romanum inter aggredi debent. Sixtus V. l. c. §. 7.

Computatio vero triennii, quadriennii etc. non a suscepto Episcopatu fieri debet, sed a die datae Sixtinae Constitutionis 20. Dec. 1585.: ut idcirco successor in Episcopatu eodem ipso anno peragere visitationem teneatur, quo eius antecessor, si vixisset, facere debuisset. Visitatio autem facienda est currente ultimo anno trienni etc.

Poenas ibid. §. 9. constituit Sixtus V. Episcopis negligentibus, inter quas interdictum ab ingressu ecclesiae et prohibita perceptio fructuum suarum ecclesiarum.

Cf. Bouix l. c. c. 3. Lucidi op. cit. c. 1.

483. 6° *Seminarii cura.* Institutionem Seminariorum praecepit Episcopis et maxime commendavit Trid. Syn. sess. 23. c. 18.

Singulae Ecclesiae cathedrales vel saltem singulae Provinciae eo instructae esse debent. Admittendi ii, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Aetas quoque praescribitur, scilicet non minor sit anno duodecimo. Cf. Lucidi c. 6. n. 11. Sed hoc spectat ad eos, qui gratis aluntur. Tonsuram quoque atque habitum clericalem semper gerere debent; verum quoad tonsuram videtur consuetudo abrogasse legem. Eorum regimen nequit Episcopus, inconsulta Apostolica Sede, tradere Regularibus. Benedictus XIV. *De Syn.* l. 5. c. 11. n. 9.

In his quae accidentalia sunt, temporum iniquitas, corrupti in praematura aetate mores et moralis impotentia non raro permittunt aut cogunt a statutis Tridentinis invitos Episcopos plus minus discedere ut finis intentus obtineatur, qui est norma obligationis. Cf. Bouix l. c. c. 4. Lucidi cc. 3. et 6.

Si in aliqua dioecesi plura sunt seminaria, cetera ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependere debent. Ita l. c. Trid. Sin.

7ª *Ordinationes:* de his in Tr. X. *de Ordine.*

484. 8° *Synodus dioecesana.* Tridentina Synodus sess. 24. c. 2. iussit, Concilia provincialia quolibet saltem triennio haberi, dioecesanas Synodos singulis annis. De vi huius legis conferendus Benedictus XIV.

de Syn. l. 1. c. 6. atque ex toto opere quomodo ea agenda sit quisque Episcopus discet, nec ullum esse Episcopum credimus, qui hoc opere careat.

9° *Praedicatio.* Trid. Syn. sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. *de Reform.* aperte affirmat, *praedicationis munus esse Episcoporum praecipuum;* ideoque mandat, ut in ecclesia sua ipsi per se aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad praedicationis munus assumant... sacras Scripturas divinamque legem annuntient. In aliis vero ecclesiis id per parochos vel, his impeditis, per alios idoneos idem praestari curent. Tempus autem decernit esse omnes dominicos dies et sollemnes dies festos, tum in Quadragesima et Adventu quotidie vel saltem ter in hebdomada, si ita oportere duxerint Episcopi.

Sed tum aliis ex causis tum propter plurima non omittenda aut non differenda negotia, consuetudo invaluit, ut fere semper Episcopi per alios praedicent in Quadragesima et Adventu aliisque forte occurrentibus aut poenitentiae aut festivitatis diebus; ceteris vero dominicis et festis praedicatione parochorum contenti sint atque etiam religiosorum.

* APPENDIX II. *

DE PAROCHIS.

485. De parochis seu parochialibus Ecclesiis seu Rectoriis sive beneficiis annexam habentibus curam animarum atque de Parochis seu ut dicitur, Sacerdotibus parochialibus, deputatis ad servitium earum ecclesiarum sive Rectoribus, sermo occurrit non raro in decretalibus: cf. *de Parochis* (qui potius sunt Episcopi) *de Praebendis* cc. 22. 29. 38. *de officio Vicarii* cc. 1. 2. 3. 6. *de Elect.* c. 7. §. *Inferiora* et eod. tit. c. 15. in 6. etc. Desideratur tamen ibid. titulus de officio Parochi seu Rectoris Ecclesiae, ubi non desunt tituli *de officio Sacristae, Custodis, Vicarii.*

Parochus definitur: presbyter legitime deputatus ad procurandam animarum salutem certae portionis dioecesis, tum mediis, quae caritas suggerit tum praesertim administratione verbi Dei et sacramentorum, ex obligatione et proprio nomine, eidem portioni dioecesanorum, qui vicissim tenentur ab eodem, aliquatenus saltem, sacra recipere.

Inde notio parochiae, quae est certa pars incolarum dioecesis (vel pars territorii dioecesis), subiecta alicui tanquam parocho. Sed et nomine parochiae solet ecclesia intelligi, cui adscriptus est certus populus a rectore eiusdem ecclesiae tanquam parocho regendus.

Rectitudo traditae definitionis Parochi ex eo patet, quod, ut parochus

sit, haec quae sequuntur, postulantur et sufficiunt: nempe officium invigilandi animarum saluti ideoque praedicandi verbi Dei et administrandi sacramenta, officium autem exercendum, non vice et nomine alterius, sed nomine proprio; quamvis subordinate ad alterius auctoritatem atque exercendum non ex arbitrio sed ex obligatione suscepta: exercendum porro pro certa portione dioecesis, non pro aliqua integra dioecesi, quae curae Episcopi concredita est atque ita ut fideles eius partis teneantur vicissim sacramenta saluti necessaria ab eo accipere saltem aliqua aut identidem. Atqui haec omnia in allata definitione continentur. Maiorem probant longe a pluribus seculis Ecclesiae consuetudo, praxis Romanarum Congregationum et sensus communis canonistarum, a quibus haec requiruntur et quibus haec satis sunt, ut quis vere Parochus dicatur et sit. Cf. Bouix *de Parochis* p. 1. sect. 2. cap. 9.

Consequitur 1ª de essentia huius officii esse iurisdictionem fori poenitentialis. Nam administratio sacramenti Poenitentiae hanc iurisdictionem necessario exigit. Consequitur 2º hanc iurisdictionem esse *ordinariam;* quia ex iure est et annexa titulo. Idcirco cum quis parochus instituitur, eo ipso confertur ei iurisdictio fori interni erga suos parochianos.

Quia tamen parochus Episcopo et Papae subest, quorum oves pascit, iurisdictio, quae parocho competit, circumscribitur iis limitibus, quos Pastores Ecclesiarum definiunt, reservatis sibi certis casibus.

486. Definitio tradita Parochi sic breviter illustratur. Dicitur *Presbyter;* quia actus eius officii characterem sacerdotalem requirunt et quamvis parochus institui possit, qui nondum sit sacerdos, debet tamen intra annum posse sacerdos ordinari. *Legitime deputatus;* mitti enim debet ab iis qui in Ecclesia auctoritatem habent.

Ad procurandam animarum salutem: hic est finis instituti huius officii, ut idcirco beneficium parochiale dici soleat beneficium, cui annexa est cura animarum. *Certae portionis dioecesis;* hic est enim conceptus Parochi, ut sub Episcopo cooperetur ei in pascenda certe portione gregis; ideoque parochia non est tota dioecesis, quam regit Episcopus vel per se solum vel cum suo Vicario; sed est pars dioecesis: distinguendus est namque ab Episcopo populus in certas propriasque parochias et unicuique suus perpetuus et peculiaris parochus assignandus. Conc. Trid. sess. 24. c. 13. *de Reform.*

Tum mediis, quae caritas suggerit: oportet enim parochum invigilare moribus parochianorum et scandala ac animarum pericula, pro sua virili parte, avertere; hoc est enim curam habere animarum: at quia iurisdictione in foro externo caret ut mox dicemus, non tenetur

nisi ad ea media, quae caritas suggerit, in ceteris auxilio Episcopi invocato.

Tum praesertim, administratione verbi Dei et Sacramentorum: ex communi enim sensu hoc est potissimum officium Parochi, sacramenta, quae ad salutem necessaria sunt, administrare et verbo Dei pascere fideles sibi concreditos: hoc sane potissimum conducit ad animarum salutem et id praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est Syn. Trid. sess. 13. *de Reform.* c. 1.

Ex obligatione et proprio nomine; hoc enim est discrimen inter parochum et alium presbyterum, qui curam suscipiat animarum, quod hic sponte suscipere eam potest, quando ei libeat, dimittendam: parochus ratione ipsius officii ac beneficii debet curam animarum gerere et citra hanc obligationem nemo dicitur esse parochus. Item parochus non est, qui animarum quidem curam gerit, sed vice alterius fungens ad idem ministerium obligati, ideoque non nomine suo, sed alterius pascit certam portionem dioecesis. Parochus ratione officii sibi concrediti fideles suos pascit, non tanquam vicarius, sed ut principalis in hoc ipso munere pascendi portionem gregis; ideoque nomine suo munere suo fungitur. Ita ipse a suis coadiutoribus, qui eosdem exercent actus, iure distinguitur.

Qui vicissim tenentur ab eodem, aliquatenus saltem, sacra recipere. Oportet sane aliquod esse vinculum, quo et parochiani parocho suo obligentur atque olim is sub Episcopo erat eorum proprius sacerdos cui tenerentur confiteri ordinarie (nisi Episcopus scilicet, utrorumque superior, aliter disposuisset): at deinde privilegiis, iustas ob causas, aliis concessis, relaxata est haec obligatio, ut satis sit confiteri cuilibet Sacerdoti a Papa vel Episcopo approbata. Manet tamen obligatio suscipiendi a Parocho Eucharistiam in Paschate pro adimplendo praecepto, item Viaticum in morte et Extremam Unctionem, item baptismum (nisi quaedam legitima obstet consuetudo, quae uni principali ecclesiae fontem baptismalem attribuit) et celebrandi coram eo matrimonium.

487. Diximus Parochos iurisdictionem non habere fori externi. Sane haec iurisdictio in eo est, ut sit potestas ferendi leges, publica instituendi iudicia ac poenas publicas decernendi tum decreta fidei condendi. Iam vero Parochus nequit suis parochianis leges indicere, nullum habet tribunal nec ullas publicas poenas, puta censuras, inferre potest nec in conciliis sedere. Res est satis clara in iure nec nisi technis et paralogismis Gersonianis et Ianseniānis ac totius historiae veteris perversione, adiuvante quorundam parochorum ignorantia et superbia, effectum est, ab aetate Constantiensis Concilii, ut tene-

brae obfunderentur patenti veritati. Cf. Opus Nardi *Dei Parochi:* cf. Bouix l. c. cc. 5. seqq.; nostrum enim non est hanc agere quaestionem.

Neque Parochis competit portio aliqua diminuta externae iurisdictionis qualis e. g. in iure fiebat olim Archidiaconis: nam de huiusmodi qualicumque portione externae iurisdictionis Parochis concessae in iure ne verbum quidem.

Hinc neque Parocho proprie competit titulus *Pastor*. Nam ex Scripturarum, Traditionis ac praxis constantis usu, Pastor simpliciter in Ecclesia vocatur, qui iurisdictionem fori externi habet, Episcopus scilicet. Attamen, si minus proprie (ratione habita sensus ecclesiastici) nomen hoc *Pastor* accipiatur, nihil impedit, quominus et Parochi sub Pastorum nomine veniant; nam et ii censentur a Trid. Syn. inter eos, qui oves habent easque pascere debent sess. 13. c. 1. *de Reform.* Atque identidem in monumentis ecclesiasticis nomen Pastorum ipsis fit.

Idcirco neque *Praelati* proprie sunt; cum in Ecclesia *Praelatus* ille censeatur, qui potitur externa aliqua iurisdictione. Cf. in Clementinis c. *Dudum, de Sepulturis*, ubi sacerdotes parochiales seu rectores ecclesiarum seu curati distinguuntur semper a Praelatis.

Neque Parochus est in *dignitate* constitutus. Nam in iure canonico dignitas est praecedentia cum externa iurisdictione, quae saltem olim officio alicui adhaeserit, ut etsi deinceps amissa sit, titulus tamen dignitatis cum certis privilegiis relictus sit a iure. Ita Archidiaconus et Archipresbyter olim dignitates erant quandam habentes iurisdictionem externam et etiam nunc sunt, licet ea careant. Iam vero Parochi neque olim habuerunt neque nunc habent ullam externam iurisdictionem neque reapse a iure aut a Romanis Congregationibus inter dignitates censentur.

Habetne saltem Parochus *personatum,* qui est *merum ius praecedendi* in capitulo, in choro, in processionibus? Certe in sua ecclesia Parochus praecedit presbyteris et clericis addictis ministerio ecclesiae suae. At extra ecclesiam suam nulla ei competit praecedentia in quoslibet, quatenus parochus est. Hinc consuetudo quidem est in quibusdam locis, ut quodlibet beneficium curatum habeatur tanquam personatus; at ius ipsum hanc qualitatem Parochis non tribuit.

Quocirca, attento iure communi, restat: ut parochiatus (si ita loqui fas est) sit solum *officium.*

Officium quidem, quod quanto minus honoris obtinet apud homines, tanto maioris meriti et gloriae erit apud Deum, apud quem nihil praestantius animarum cura, ut par est, exercita.

Nota. Parochis accensendi sunt Vicarii perpetui canonice instituti

in parochiali ecclesia, penes quos residet tota cura actualis parochiae, ita ut qui rector principalis dicitur, nequeat se immiscere in ullo actu ipsius curae. Cf. Bouix op. cit. p. 1. sect. 3. c. 1. Anacletum l. 1. tit. 28. nn. 23.-43.

Vicarii quoque temporales, constituti eo quod ecclesia vacet, donec ei de rectore provideatur, ea omnia exercere tenentur ad animarum salutem, quae ad Parochos spectant.

488. Sunt in quibusdam regionibus parochi seu curati amovibiles ad nutum Episcopi (a quibus certe non abhorret Trid. Syn. sess. 7. c. 7. *de Reform.*): hi prout nomine suo curam omnem actualem habent, quae tota apud eos residet, non apud alium, cuius sint dumtaxat vicarii seu adiutores, vere obtinent id, quod spectat ad essentiam huius officii, diminute tamen; quia deest perpetuitas, quae in iure officio et beneficio parochiali asseritur. Nihilominus « nulla, quoad curam animarum, datur differentia inter parochos amovibiles et perpetuos ». S. C. C. in Helborensi 14. Mart. 1615. apud Bouix l. c. c. 4.

489. Iura Parochi breviter recensebimus ex Bouix op. cit. p. 4. c. 2.

Ius est Parochi sacerdotes sibi adsciscere ad munus administrandi sacramenta et ad divinum cultum celebrandum, ubi populus ita numerosus sit, ut unus rector nequeat sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo. Constat ex Trid. sess. 21. c. 4. *de Reform.*, ex quo colligitur, quod id non tam ius est, quam officium; nam ab Episcopo cogendus est Parochus id facere in hypothesi huius necessitatis. Sacerdotes tamen adsciti a Parocho debent ab Episcopo approbari ad huius muneris exercitium. Const. Innocentii XIII. *Apostolici muneris* § 11.

Ius est Parochi baptismum sollemnem parochianis sui conferendi.

Item iisdem sacram Eucharistiam tempore paschali ministrandi, quo Ecclesiae praecepto faciant satis.

Item ius administrandi iisdem sacramentum Poenitentiae, ut iam dictum est. Potest autem parochianos suos confitentes audire ubique locorum.

Posset et sacerdotibus, approbatis quidem ab Episcopo sed ab eo nondum iurisdictionem in foro interno obtinentibus, hanc iurisdictionem Parochus pro suis parochianis dare, qui habens iurisdictionem ordinariam potest eam delegare: sed hoc ius nostra aetate nullius est usus; quoniam Episcopi nunc cum approbatione ad confessiones conferunt etiam iurisdictionem.

Sacerdos ab Episcopo approbatus, si in parochiali ecclesia confessiones audit sine consensu Parochi, valide quidem sed illicite agit; reverentia enim et honor Rectori debetur. Nihilominus extra ecclesiam

parochialem, ut confessiones parochianorum, puta si aegrotent, licite audiantur, consensus Parochi non postulatur.

Ius non esse Parocho obligandi parochianos, ut in sua parochia Missam audiant diebus festis, iam diximus Vol. II. 799.

Et quamvis Trid. Syn. sess. 24. c. 4. *de Reform.* voluerit, Episcopos diligenter monere populum, *teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei;* contraria tamen invalescente consuetudine, haec qualiscumque obligatio desiit, passim viris piis alio se conferentibus ad sacras conciones audiendas; ita ut nec Episcopi modo possint fideles mulctis aut poenis cogere ad audiendum Dei verbum in ecclesia parochiali. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 11. c. ult. nn. 12. 13.

490. Ius est, ut coram Parocho alterutrius contrahentis matrimonium contrahatur, sub poena nullitatis. Trid. Syn. sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrim.* Quod praestare potest parochus etsi sit tantum tonsuratus.

Cum hoc iure connexum est ius denuntiandi publice matrimonia a suis parochianis contrahenda atque benedictionem nuptialem impertiendi sponsis. Trid. Syn. ibid.

Advertunt DD. per praedictum ius non excludi ius Episcopi per se ipsum, vel per alium a se delegatum sacerdotem (Trid. Syn. sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrim.* qui loco Parochi sit, vult esse sacerdotem), tum praestandi assistentiam contrahentibus ut valide contrahant, tum denuntiationes faciendi et impertiendi nuptialem benedictionem. Imo neque excluditur Vicarius generalis Episcopi, ob ordinariam, quam habet, iurisdictionem.

Ius Parochi est parochianis suis aegrotantibus viaticum et Extremam Unctionem conferre: ita ut extra casum necessitatis, nemo, absque ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, ea licite conferat, etsi valide. Instante autem mortis periculo et absente parocho, potest quilibet sacerdos aegrotum sacro oleo inungere. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 7. c. 19. n. 7.

Excommunicationi latae sententiae R. P. reservatae subduntur Regulares praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare, absque Parochi licentia. Const. *Apost. Sedis* in 2. Serie Excomm. n. 14. Licentiam Parochi supplet licentia Ordinarii.

Licet vero Regularibus haec sacramenta ministrare in suis domibus fratribus tum professis tum novitiis ac fratribus, qui dicuntur oblati atque famulis inservientibus et degentibus intra septa monasterii. Trid. Syn. sess. 24. c. 11.

An liceat Regularibus, excluso Parocho, ministrare haec quoque alumnis Collegii vel Seminarii, cuius curam ipsi gerunt, in domo tamen non sua ideoque non religiosa, disputatum est, sed non decisum. Cf. Acta s. Sedis V. 3. p. 47. seqq., ubi Collector Actorum concludit, congruam videri sententiae Tridentinae legis citatae hanc quoque immunitatem Regularium, sed cf. et Lucidi op. cit. c. 6. nn. 42.-47.

491. Nisi parochiani sepulchrum maiorum habeant alibi aut nisi iidem sepulturam alibi elegerint, ius est Parochi sepeliendi mortuos suos, qui domicilium nempe vel etiam qui quasi domicilium in parochia habuerunt (D'Annibale vol. 1. n. 113. not. 13.) et si quis extra haec loca decesserit, ad alterutrum ex his deferendus est. Imo ius est Parochi sepelire peregrinos quoque et vagos, qui in eius parochia decedunt et ad propriam deferri nequeunt: nisi, eo quod in civitate aliquandiu commorati sunt, ius sepeliendi spectet ad ecclesiam cathedralem, ut docet Petra in Const. IX. Innocentii III. n. 50. Barbosa de Officio parochi c. 26. n. 35. Etiamsi vero parochianus in sua defunctus in aliena ecclesia aut ab aliis sepeliendus sit, competit ius Parocho interveniendi elationi cadaveris; eius enim est in hac funebri ceremonia stolam deferre, corpus e domo levare, aqua benedicta aspergere ac praecinere antiphonam *Exultabunt Domino*. Porro in ducendo funere regula est omnino certa et universalis, unam crucem tantum esse elevandam, atque haec est *crux ecclesiae tumulantis*, in qua officium peragitur: nisi pompae funebri interveniat capitulum cathedrale aut capitulum collegiatae; tunc enim crux capituli elevanda est.

Tandem si defunctus a suo parocho sepeliendus est, hic ius habet recipiendi eas oblationes quae pro iustis funeribus dari solent et vocantur iura stolae nigrae. Si vero defunctus in aliena ecclesia sepeliendus sit, debetur eius parocho *quarta funebris*, c. *Cum super, de Sepulturis*, quae non est tamen necessario quarta pars sed certa portio, quam consuetudo regionis vel Episcopus determinavit (c. *Certificari*, tit. eod.).

Idcirco oportet rationem habere legum aut consuetudinum cuiusque dioecesis. Cf. Bouix l. c. c. 10.

Illud est advertendum, per morem recens inductum sepeliendi omnes in publicis coemeteriis non esse mutata iura fidelium et ecclesiarum quoad funera in ecclesiis peragenda et sepulturam, ut eaedem idcirco leges canonicae valeant in ceteris, quae prius valebant. Cf. Acta s. Sedis V. 1. pag. 86. et 124. seqq. Vol. 3. pag. 305.

492. Possunt Parochi dispensare cum suis subditis particularibus, non vero pro tota parochia, ex iusta causa, in ieiunio et abstinentia, etiam praesente Episcopo; hanc enim facultatem consuetudo eis tribuit.

Idem possunt et vicarii parochorum, qui actus exercent parochiales exigentes iurisdictionem; nisi parochi expresse repugnent. Ita s. Alph. l. 3. n. 1032.

Item possunt licentiam parochianis dare, ex iusta causa, ut diebus festis vacent operibus servilibus, si Episcopus adiri nequit, sed tantum ad tempus et pro aliquo particulari casu. Imo, etiam praesente Episcopo, in hac re dispensare possunt vi consuetudinis.

Consuetudine enim introductum est, ut Parochi, etiamsi Episcopus adiri possit, dispensare valeant in minutis et frequentibus necessitatibus. Ita rursus s. Alph. l. 3. n. 288.

Hinc aliqualis participatio iurisdictionis voluntariae externi fori Parochis concessa est ex consuetudine.

Quod vel minimum cum non omnibus placeat, sunt qui ex Const. Benedicti XIV. *Si fraternitas* 10. Iun. 1745. contendunt, Parochum in iis casibus declarare tantum, quod obligatio servandae legis non adest.

493. De iure communi oblationes, quae fiunt intra limites parochiae, sive in ecclesia parochiali, sive in oratorio privato vel alicui imagini, pertinent ad Parochum. Verum hodie consuetudines locorum attendendae et praecipue intentio fidelium offerentium.

Sane decreto Urbis et Orbis s. R. C. 1703. 10. Dec. in dub. 28. cum quaereretur: *an possit Parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum in ecclesiis confraternitatum collectarum vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere*, responsum est: *negative*. Cf. Santi l. 3. t. 30.

494. Iuribus Parochorum subdendae sunt quaedam *functiones*, dictae *parochiales;* quae, quamvis non sint de iuribus mere parochialibus, quia et ab aliis peragi possunt, tamen in sua Parochia ad Parochum spectant. Huiusmodi sunt benedictio fontis baptismalis: Missa sollemnis in feria V. in coena Domini: benedictio mulieris post partum, ratione habita citati Decreti Urbis et Orbis, s. R. C. 10. Dec. 1703., officium funebre super parochianorum cadaveribus sepeliendis in ecclesiis confraternitatum aut oratoriis publicis exsistentibus intra fines parochiae: cf. artt. 6. 7. 8. 20. Non sunt autem functiones parochiales benedictio et distributio cinerum, candelarum, palmarum, ignis, ovorum et similium, nec functiones hebdomadae sanctae, excepta Missa sollemni in coena Domini: neque Missae sollemnes per annum nec expositio 40. horarum et benedictio super populum nec expositio reliquiarum et benedictio quae per easdem fiat super populum: ideoque hae functiones peragi possunt in oratoriis privatis, etiam contradicente parocho. Cf. Decretum cit. artt. 5. 6. 7. 11. et Benedictum XIV. Inst. 105. n. 102. seqq. et Bouix l. c. c. 11.

Quod spectat speciatim ad laicorum confraternitates legitime erectas, si istae erectae sint in ecclesia parochiali vel in cappellis aut oratoriis tam publicis quam privatis, quae adnexa sint parochiali ecclesiae et ab ea dependentia, nequeunt ab iis confraternitatibus functiones ullae ecclesiasticae peragi, nisi dependenter a parocho. Si vero confraternitates istae erectae sint in oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab ecclesia parochiali vel in aliis ecclesiis publicis, nullam habent dependentiam a parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt, in explendis functionibus ecclesiasticis, quae non sint parochiales. Constant haec ex cit. Decreto artt. 1.-4.

Sed quaerere licet, in quo sita sit dependentia haec a Parocho. Scilicet, habet ne parochus ius exercendi per se ipsum vel a se deputatas functiones omnes Confraternitatis erectae in sua ecclesia? Quaestionem egregie solvit auctor periodici *Il Monitore Eccl.* Vol. 7. p. 1. pag. 16. segg. Distinguendae sunt functiones. Vel enim sunt functiones non praescriptae statutis rite probatis confraternitatis vel sunt ex praescriptis. Si primum, potest eas Parochus prohibere vel permittere sub quavis honesta conditione, etiam hac, quod ipse eas sit peracturus. Habet enim in sua ecclesia dominium tanquam in domo sua, confraternitas vero se habet tanquam qui versatur in domo aliena, nec aliunde habet ad eas functiones aliquod ius. Si alterum, h. e. si sermo sit de functionibus propriis Confraternitatis praescriptis per statuta probata ab Episcopo, ad quas peragendas iure ipsorum statutorum vocatur Cappellanus vel director Confraternitatis, Parochus nequit eas sibi arrogare aut eas prohibere; sed tantummodo postulare potest, ut eius venia petatur quoad horam et modum, ne functiones ecclesiae suae turbentur. Patet id ex art. 30. eiusdem decreti: *An confraternitates, sive sint erectae in ecclesia parochiali sive extra illam, possint pro libito et iuxta uuiuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere absque interventu et licentia Parochi?* responsum est: *affirmative: dummodo non impediant functiones et divina officia.* Et sane quorsum esset auctoritate Episcopi erecta confraternitas, condita et probata statuta, si alteri liceret ea omnia pessumdare et veluti dominum in iis versari?

495. Restat ut dicamus de obligationibus seu officiis Parochorum. De obligatione *emittendae professionis* fidei, quam provisis de beneficio curato imposuit Trid. Syn. sess. 24. c. 22. *de Reform.*, dictum est 1° per transennam in Tr. V. sect. *de Fide* sub. n. XVIII., ubi monuimus, ex declaratione s. C. C. teneri ad professionem fidei parochos quoque ad nutum amovibiles et emittendam esse professionem quoties nova cura seu parochia suscipitur.

Emittenda est autem professio coram Episcopo vel eius Vicario generali, ita ut non valeat facta coram simplici deputato ab Episcopo. De eadem obligatione 2° egimus heic, ubi de Beneficiis sub n. XXVII. in fine et cf. ibi dicta.

De obligatione *residentiae* ac personalis ministerii, qua Parochus tenetur et utrum ei liceat identidem abesse, iam diximus disputantes cum A. de residentia beneficiatorum sub nn. XIV.-XVIII.

496. Alia est obligatio eaque gravis applicandi Missam pro populo certis diebus. « Auctor (aiebat. Baller. in 4. praec.) in 4° Praecepto (§. XXXIX.) meminit sententiae Toleti, qui docuit, teneri Parochum applicare Missam pro populo diebus saltem festis et aliquot aliis. Haec sententia media erat inter severiorem Soti, qui cum aliis (vid. Suar. *de Euch.* disp. 86. sect. 1.) docuit, parochum teneri diebus singulis pro populo applicare, et benigniorem aliorum, qui vel vagam aliquando applicandi obligationem statuebant ex Tridentino (ut Bonacina, qui *de Euch.* disp. 4. quaest. ult. punct. 7. n. 5. hanc obligationem restringit ad dominicos dies et praecipuas sollemnitates Domini aut saltem semel in hebdomada) vel quandam solum obligationem admittebant ex caritate, commensurandam arbitrio prudentis, ut Coninck ab Auctore allegatus (In 3. part. q. 83. art. 1. dub. 9. n. 199.) ».

« Ast ipsa Toleti sententia nunc severior esset. Nam Benedictus XIV. Const. *Cum semper* 19. August. 1744. declaravit ac decrevit, hanc obligationem valere solum pro diebus dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto. Ita ille: - Idcirco opportunum censemus... declarare, nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse (alloquitur Episcopos), dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto - ».

« Sed verba haec Benedicti XIV. sane sunt intelligenda. Non enim loquitur de diebus festis, qui modo in hac vel illa provincia serventur, sed prout determinati iam fuerant a Sede Apostolica sub Urbano VIII., prout opportune meminit etiam Pius IX. in suis encyclicis de hoc argumento datis ad omnes Episcopos 3. Maii 1858 ».

« Sciendum enim est, Urbanum VIII. Const. *Universa* 5. Sept. 1642. determinasse dies festos per annum celebrandos: quod quidem praestitit, quia (ut ipse ait §. 1.) per varias regiones multitudo festorum, devotione et consuetudine nova in dies introducente, ita creverat, ut dein plerique dubitarent, quinam de praecepto dies servandi forent, quinam non et praeterea clamor pauperum frequens audiebatur, ob necessitatem victus sibi suis laboribus comparandi. Sanxit igitur, in posterum celebrandos pro festis illos dumtaxat dies, quos vel ab initio

veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur: Dominicos scil. totius anni dies, Nativitatis D. N. I. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SS. Trinitatis, Sollemnitatis Corporis Christi et Inventionis s. Crucis nec non festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis (adde Conceptionem, quam de praecepto servandam in tota Ecclesia indixit Clemens XI. 6. Dec. 1708.), Dedicationis s. Michaelis Archangeli, Nativitatis s. Io. Baptistae, ss. Petri et Pauli, s. Andreae, s. Iacobi, s. Ioannis, s. Thomae, ss. Philippi et Iacobi, s. Bartholomaei, s. Matthaei, ss. Simonis et Iudae et s. Matthiae Christi Domini Apostolorum, item s. Stephani Protomartyris, ss. Innocentium, s. Laurentii Martyris, s. Sylvestri Papae et Confessoris, s. Iosephi etiam Confessoris et s. Annae Deiparae respective sponsi et genitricis, Sollemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno, sive provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. De hisce ergo festis intelligenda est decisio Benedicti XIV. ».

497. « At, inquies, plures ex his diebus non amplius de praecepto festi sunt. Quid ergo? Resp. Ubi imminutus est festorum numerus et quidem ex Sedis Apostolicae dispositione, id duplici modo contigit: nempe vel ita, ut populus licite possit quibusdam diebus laboribus vacare, teneatur tamen audire Missam: vel ita, ut nec abstinere ab operibus servilibus, nec Missam audire teneatur. At utrolibet modo res accidat, parochus semper tenetur Missam applicare, perinde ac observantia festorum eorum adhuc in suo vigore persisteret ».

« Et quoad primam hypothesim sic decernit Benedictus XIV. in cit. Const.: - Et quia in quibusdam dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto, de apostolica nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant: in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae sacrificium; Nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in huiusmodi festis diebus penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare teneantur - ».

« Difficilius suaderi id potuit quoad aliam hypothesim, praesertim

quod invaluerat apud plerosque instar regulae, tunc obligari curatores animarum ad Missam applicandam, quando populus tenebatur Missam audire. Quae persuasio quibusdam in locis perdurabat ad nostros prope dies, licet plura responsa ss. Congregationum oppositum declarassent, inter quae responsa memorandum et illud, quod 22. Febr. 1848. dedit s. Poenitentiaria ad instantiam P. Xaverii Tomei tunc in hoc Rom. Coll. Professoris Theologiae Moralis, quod referunt Gury (tom. 2. §. 364. in not.), et Scavini (adnot. R. ad tract. 3. tom. 2. pag. 392.) ».

« Idcirco SS. D. N. Pius IX. Const. *Amantissimi* 3. Maii 1858. finem imponendum huic quaestioni censuit. - Quamobrem hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi curatores animarum debebant, dum memorata Urbani VIII. Constitutio in suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur ac transferrentur. - Et ista ergo pars extra controversiam modo est ».

498. « Duo porro notanda sunt in allatis Pontificis verbis: 1° quod obligatio urgeat tum parochos, tum alios animarum curam habentes ».

« Porro praeter parochos intelligi debent, ut explicat Benedictus XIV. in cit. Const. tum illi, quos, quotiescumque opus fuerit, ceu vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem (scil. parochialem) curam exercendam Episcopi eligant ac deputent, tum illi, qui, ecclesia parochiali vacante, vicarii pariter ad implenda huiusmodi ecclesiae onera usque ad novi Rectoris electionem ab Episcopo deputari debent ».

« De hisce itaque ita statuit idem Benedictus XIV. Const. cit. §. 4. - Itaque mens nostra et sententia est, sicut etiam pluries a praelaudatis congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui ACTU animarum curam exercent et non solum parochi aut vicarii seculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso - ».

« *Actu* inquit; nam si cura *habitu* residet penes aliquod capitulum, dignitatem aut quodvis aliud beneficium, *actu* vero penes vicarium sive perpetuum sive temporarium, Missa pro populo a rectore actuali, minime vero ab habituali applicanda est, ut ibid. declarat idem Pontifex ».

499. * Quid vero si Parochus duas habeat parochias? S. C. C. 11. Martii 1774. proposito dubio: « An Parochi duabus ecclesiis pa-

rochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus Missam in unaquaque ecclesia, sive per se sive per alios, applicare pro populo », responsum est: « Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et exstinctiva (exstincto scilicet titulo alterius) ».

Et 20. Iul. 1854. propositis dubiis, 1° An parochi duabus parochiis praepositi suo muneri satisfaciant applicatione unius Missae dictis diebus pro suo grege exsistente in duabus paroeciis, quando isti tantum in una celebrant et alius sacerdos illud facit in altera, qui pro sua intentione applicat: 2° An iidem Parochi duplicem celebrando Missam, scilicet in utraque (ut accidit ubi non est alius sacerdos, qui pro eis celebrat), in una earum poterunt unam applicare pro duobus populis sibi commissis et aliam ad libitum suum ». S. C. C. respondit: « Parochum teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis Missae, *sive per se sive per alium* ». Ed adverte quod subdit: « nec non teneri ad eandem applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel infirmi gerant ».

500. Praestat referre etiam responsa quaedam s. Congr. de Prop. Fide ex Actis s. Sedis V. p. 1. 389. seqq.

Proposita enim fuere s. Congr. de P. F. sequentia dubia.

1° An vicarii Apostolici et Missionarii, qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim ex iustitia applicare Missam pro populo diebus festis.

Et quatenus negative.

2° In quosnam Vicarios Apostolicos et Missionarios eiusmodi onus incumbat.

3° An illis, qui ex iustitia non tenentur, responderi debeat: *decere ex caritate* vel *teneri ex caritate*, ad applicandam Missam pro populo.

4° An Episcopus N. qui officium Parochi exercet, applicatione Missae pro suis dioecesanis, satisfaciat quoque obligationi, qua tenetur ob parochiale officium.

S. Congr. P. F. die 23. martii 1863. respondit:

Ad 1^{m} negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae iam sint atque ad ea Vicarius Apostolicus et Missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant.

Ad 2^{m} provisum in 1°.

Ad 3^{m} vitandam esse locutionem: *teneri ex caritate*, dicendum autem esse: *decere ex caritate* idque ita ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.

Ad 4^{m} iuxta exposita negative et ad mentem.

Scilicet res non ita exposita fuerat, ut appareret, paroeciam unitam fuisse episcopali mensae, unione plenaria et exstinctiva.

Rursus eadem s. C. C. dec. 1865. (cf. eadem *Acta* v. 2. p. 90. seqq.) statuit, quod, si filiales ecclesiae non sint paroeciae distinctae a Matrice, sed unicam eam paroeciam constituant, licet territorium distinctum habeant, illi, qui filialibus ecclesiis praefecti sunt, utpote meri coadiutores titularis Parochi, non tenentur Missam pro populo applicare. *

« Alterum notandum in verbis Pii IX. est quod includit festa translata ».

« Notum nempe est, in Gallis v. gr., ubi non nisi quatuor reliqua sunt festa infra annum, morem invaluisse (ne obliteretur penes fideles memoria ss. Mysteriorum) ut sollemnitas transferatur in sequentem diem dominicam. Ita v. gr. festum Corporis Christi, Epiphaniae, Ascensionis etc. Mota ergo est quaestio, an applicanda sit Missa ea die, qua festum illud celebratur per universam Ecclesiam, an vero satis sit applicationem transferre simul cum festo ».

« Dubium porro sic resolvit ss. D. N. Pius IX. cit. Const.: - Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet quando *una cum sollemnitate* divinum officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a parocho applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est una simul cum ipso officio translata existimari debet - ».

501. « Illud vero heic advertendum, quod tum Benedictus XIV., tum Pius IX. apertissime declarant, hanc obligationem contra ac quidem veteres DD. sensisse videntur, 1° imponi parochis a Concilio Tridentino: 2° ab ipso Concilio declarari hanc obligationem esse iuris divini. Sic enim s. Synodus sess. 23. cap. 1. *de Reform.* Cum praecepto mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique divini praedicatione etc, ».

« Quod tamen ius divinum non videtur, nisi ius quoddam naturale quod supponit Paulus *Hebr.* V. 1.-3.: *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis* (a) et praeceptum afficit perfecte eos, qui perfecti sunt sacerdotes h. e. Episcopos, parochos vero ex participatione muneris iure humano commissi: unde optime Benedictus XIV. et Pius IX. utuntur phrasi: *hanc obligationem a iure divino descendere* ».

(a) Puto Apostolum in hoc loco habere prae oculis sacerdotium V. L. et respicere ad legem, quae iubebat sacerdotes et pro suis peccatis offerre sacrificia. Cf. ex. gr. Levit. IV. 3. IX. 7. Ceterum quod *certis diebus* obligatio urgeat, secundarium est, licet et hoc ex tot decretis appareat grave. E.

« Ceterum cum obiiceretur, interdum parochos haberi ita pauperes, ut non possent respuere eleemosynas pro Missa oblatas celebranda diebus, quibus applicare deberent pro populo, Benedictus XIV. Const. cit. - quod attinet ad praedictos pauperes agentes (inquit), unicuique Vestrum (scil. Episcopos alloquitur) facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc ut etiam diebus festis huiusmodi eleemosynam ab aliquo offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent: *ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem pii benefactoris obtulerint.* Cf. eiusd. Benedicti Instr. X. n. 5. ubi refert. responsum s. C. C. favens parochis pauperibus ».

« Hac obligatione urgeri parochos, etsi congruis reditibus destituantur, declaraverat Innocentius XII. Constit. *Nuper.* 24. Apr. 1699.

« Quoad Vicarios vero seu oeconomos, quibus ob exiguitatem proventuum nimis durum esset, ut Missas illas pro populo applicent, statuit Benedictus XIV. ibid. ut ab Episcopis pro onere celebrandi pro populo congruum aliquod augmentum fructuum praebeatur ».

502. « Plus vice simplici responsum est a s. C. C., obligationem Parochi celebrandi Missam pro populo esse personalem, h. e. Parochum per se ipsum offerre debere Missam pro suo populo. Hinc propositis dubiis : - An parochi in Dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto et ad aliam diem transferre Missam pro populo applicandam... et an saltem applicationi Missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem etc. -: s. Congr. Concil. 26. ian. 1771. in Fesulana ad utrumque respondit, *Negative.* Unde Scavini suggerit: - Quare Missam pro defuncto transferat cum eius humatione: vel, si adest, alii sacerdoti Missam decantandam committat, cui quidem tribuat eleemosynam, quae solet pro manualibus et aliquid amplius pro incommodo. Non tamen stricto iure totum, quod accipit, tenetur dare parochus; cum et ipse gaudere possit privilegio ceterorum beneficiorum, dum Missas proprii beneficii alteri tribuunt celebrandas - ».

* Quocirca universalius (cf. Lucidi V. 1. c. 3. n. 371.) definitum fuit 25. Sept. 1347. in Mechliniensi. Proposito dubio: « An Parochi sanctae Missae sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediuntur, an vero per alium ex. gr. sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint ». Respondit s. C. C. « Affir-

mative ad primam partem: negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica ». Consuetudinis contrariae nulla est ratio habenda ut in cit. Mechlin. dicitur: « consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam ».

Quaenam vero sunt causae *canonicae?* Auctores enumerant tres (cf. Santi l. 3. t. 29. n. 17.). Nimirum 1ª est *impossibilitas* physica vel moralis, ex. gr. infirmitas vel irregularitas. 2ª *Absentia* legitima s. C. C. 14. Dec. 1872. 3ª *duplex* applicandi *obligatio,* si quis nempe missam conventualem et parochialem uno eodemque die celebrare deberet; in hac hypothesi s. C. C. 11. Maii 1720. respondit: « Occurrente, quod Archipresbyter parochus celebret Missam conventualem... tunc tenetur celebrare facere per alium Missam parochialem pro populo ». Addenda 4ª *paupertas* parochi, consentiente Episcopo, iuxta concessionem Bened. XIV, cf. sup. n. 501.

Adde duas exceptiones. 1ª Si parochus etiam in applicanda Missa parochiali coadiuvatur ex consuetudine a coadiutoribus curae, talis consuetudo sustinetur: s. C. C. in Spoletana 14. Maii 1831. 2ª Si residente cura habituali in aliquo Capitulo, legitima consuetudo fert, ut non solum Vicarius parochiae, sed et ceteri canonici per turnum Missam pro populo applicent s. C. C. in Camerin. 16. Dec. 1820.

Ad absentiam quod spectat, proposito dubio: « An Parochus die festo a sua parochia absens satisfaciat suae obligationi Missam celebrando in loco ubi degit, an potius teneatur substituere alium, qui Missam pro populo dicat in propria ecclesia » respondit s. C. C. 14. Decembris 1872.: « Parochum die festo a sua paroecia legitime absentem satisfacere suae obligationi, Missam applicando pro populo suo in loco, ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet » (Acta s. Sedis V. 7. p. 191.).

Tandem adverte, Missam pro populo celebrandam esse a Parocho, in ecclesia parochiali (Ferraris v. *Parochus* art. 3. n. 1.). Ita et s. Rota declaravit (Decis. 469. n. 67. p. 19. t. 2. rec.): « Parochi tenentur omnibus diebus festivis Missam celebrare in propria ecclesia, non autem in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, per textum *Ut Dominicis* 2° *de parochiis et alien. paroch.* Quae lex, iusta exsistente causa, exceptionem, sub debita conditione, patitur, ut modo audivimus ex resp. s. C. C. 14. Dec. 1872. *.

503. « Quaestio fit, an parochus vel Episcopus infirmus, teneatur supplere per alium ».

« S. Alph. lib. 6. n. 327. dicit, se hanc quaestionem penes neminem discussam aut etiam indicatam vidisse: consuluisse de ipsa plures do-

ctos, quorum alii negarunt, parochum ad id teneri, alii affirmarunt. Ipse censet affirmandum, sed sincere fateor, rationes allatas non esse demonstrativas (a). Etiam Scavini tract. 3. l. c. q. 7. censet affirmandum; sed nihil validius affert. Gury quoque affirmat tom. 2. §. 363. et licet nullam aliam rationem afferat, allegat tamen decisionem s. Congreg. Rit. 11 Maii 1720. Sed unde hanc responsionem sumpserit, nescio; quippe inter authenticas non reperitur ».

« Ceterum si sola dominica die aegrotaret, quaeri posset, an per hebdomadam supplere debeat. Cum Congr. adeo difficilis sit circa committendum alteri hoc munus et obligatio diei festo alligetur, quis forte concludet negandum. At si agatur de morbo, qui occupet eum diutius, nec haec quidem quaestio posse fieri videtur ».

« Illud unice quoad haec advertam, quoties in Tridentina Synodo mentio fit pascendi gregem sermone, fere semper addi, *per se* vel *per alium;* at de offerendo sacrificio id nunquam dicitur ». Verum ecce interrogata. s. C. C. « An parochus morbi causa legitime impeditus, ne Missam celebret, teneatur, post recuperatam sanitatem tot Missas applicare pro populo, quot durante morbo omisit, sive in casu quo nec per se nec per alium poterat celebrare sine gravi incommodo, sive in casu quo poterat per alium sed ex aliquo vano timore vel negligentia non curavit vel non obtinuit, ut alius pro se celebraret », respondit 14. dec. 1872. theoria quadam generali: « Parochum, utcumque legitime impeditum, ne Missam celebret, teneri eam die festo celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali: quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam pro populo applicare debere ».

504. Sequitur obligatio *praedicandi verbi Dei:* de qua rursus Baller. l. c. « De obligatione parochi pascendi verbo gregem Conc. Trid. sess. 5. *de Reform.* cap. 2. haec habet: - Archipresbyteri quoque, Plebani et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis sollemnibus plebes sibi commissas *pro sua* et *earum capacitate* pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat... provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis.*

(a) Ratio s. Doctoris est, quia obligatio *applicandi* Missam est realis: verum cum Auctores *realem* obligationem dicunt, intelligunt *localem,* ut nempe in propria ecclesia celebretur Missa E.

Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur ; ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat - ».

« Ac praeceptum hoc esse *divinum* eadem s. Synodus sic declarat sess. 23. *de Reform.* cap. 1. : - Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre *verbique divini praedicatione...* pascere - ».

Praeterea sess. 24. *de Reform.* cap. 4. mandat Episcopis, - ut... per parochos, sive... per alios,.. deputandos..., saltem omnibus dominicis et sollemnibus diebus festis... sacras Scripturas divinamque legem annuntient etc. - ».

« Gravis ergo inest parochis obligatio ministrandi verbi Dei : quod ex Concilio praesertim refertur ad plebem instruendam de scitu necessariis et ad vitia fugienda virtutesque sectandas etc. ».

505. « Sed cum gravis sit obligatio, quaestio fit, quaenam omissio censeatur gravis. Nam, ut ait s. Alph. l. 3. n. 269. *communiter DD... in tali praecepto admittunt parvitatem materiae.* Nec ullus est, qui gravem culpam dixerit, si quis semel aut bis omiserit ».

« S. Alph. *rigidam* appellat opinionem Roncaglia (*de* 3. *Praec.* c. 5. p. 6.) aientis parvam materiam restringendam esse ad duodecimam partem concionum totius anni, scil. si quinquies circiter omittat ».

« Affert dein Salmanticenses aientes *de* 3. *Praec.* c. 1. n. 145., non excusari a gravi, si quis *saepius* omittat ; unde s. Alph. concludit, ex Salmanticensibus excusari a gravi, qui omittant *interdum.* Quae regula nihil dicit : quia non dicit, quid sit omittere *saepius* aut *interdum* ».

« Denique addit s. Alph. ibid. sibi non videri improbabilem opinionem, quam Bonacinae tribuit et Palao, graviter peccare, qui per unum mensem continuum omittat, aut per tres menses discontinuos in anno ; verum Palaus tract. 9. disp. unic. punct. 4. n. 5. non omnino videtur consonare cum Bonacina *in Decalog.* disp. 5. q. unic. punct. 2. n. 31., qui alioquin testatur, se admittere et sequi sententiam Suarez, quam tamen s. Alphonsus cum Salmanticensibus non recipit, scil. non peccare graviter si parochus interdum aut etiam saepius omittat. At enim quo pacto probabit s. Alph. gravem esse omissionem per integrum continuum mensem quando rigidam dixit opinionem Roncaglia, qui duodecimam partem concionum anni, scil. omissionem unius mensis, pro gravi materia assignabat ? ».

« Proinde Ferraris (V. *Parochus* art. 2. n. 72.) primam partem illius opinionis omittens, de *gravi* nempe omissione unius mensis, scribit : « Hinc graviter peccant parochi, si tribus mensibus totius anni

discontinuis... non concionentur, cum sit materia gravis; Concilium enim Trid. (sup. n. 281.), decernit, parochos, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio suo muneri defuerint, cogendos esse per censuras et alias poenas. Unde Concilium supponit saltem trium mensium spatium esse notabile et gravem culpam admitti; cum ecclesiasticae censurae imponi non soleant nisi graviter peccantibus. Ad quae adverterim, verba Concilii Tridentini potius ad tres continuos menses, quam ad discontinuos per se spectare, ut ex contextu patet ».

« Praeter haec nihil magis determinatum statui potest ex DD. mente ».

« Adde habendam esse rationem consuetudinis et si quo mense aliquam ob causam consueverit omitti (v. gr. in parochis ruralibus ob aestivos labores), non potest continuo damnari ».

« Non videri ex lege tridentina parochum obligatum ad utrumque, scil. ad concionem et catechesim (salva semper puerorum instructione), dummodo inter catechesim quaedam alia, ut fere contingit, admisceat ex doctrina N. T. atque de virtutibus et vitiis (a) ». Hactenus Baller.

(a) Sane Trid. Syn. sess. 5., ut retulimus, praedicationem Verbi Dei Parochis praecipit: sess. 24. vero c. 4. statuit teneri Episcopos curare, ut dominicis saltem et aliis festivis diebus pueri, in singulis parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter doceantur ab iis, ad quos spectabit. Porro Parochi heic disserte non nominantur. Sed si ad eos hoc officium docendi pueros spectat, profecto ipsi, quod mandat Synodus, praestare debent.

Iam vero adverte, heic sermonem esse de eruditione puerorum. Hinc si Parochus, puta vespere, catechesim habeat pro pueris, non satisfacit utique muneri suo si omittat praedicationem seu concionem, qua universum populum suum pascat; quia omnibus ovibus suis debitor est doctrinae. At si catechesim habeat ita, ut non solos pueros sed etiam populum universum doceat, explanans doctrinam Evangelii, disserens de obligationibus christianorum, non videtur teneri bis in die verba facere. Neque ll. cc. Trid. Syn. satis significat, se duplex praeceptum condere singulis diebus dominicis et festis servandum; nam quae habet c. 4. sess. 24. declaratio potius videntur eorum, quae iam decreverat sess. 5. c. 2. Quae autem sess. 24. c. 4. praecipit, haec sunt, ut in parochiis divina lex annuntietur et pueri rudimenta fidei doceantur: atqui his duobus fit satis, si eo modo, quo diximus, Parochus catechesim habeat. At certe ipsi semper curae esse debet puerorum instructio, ut doctrinam christianam mature addiscant et ad sacramenta percipienda bene praeparentur.

Haec forte recolens Ball. negavit constare duplicem obligationem. At ecce eadem Trid. Syn. sess. 22. *de Sacrif. Missae* c. 8. ait. « Mandat s. Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter *inter Missae celebrationem* vel per se vel per alios, *ex iis, quae in Missa leguntur*, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, *diebus praesertim dominicis et festis* ». Heic et tempus et hora praedicationis statuitur et materia circa quam illa versari debet, ad quam materiam aegre revocabis ea quae in puerorum catechesi tradi solent et debent.

Igitur Tridentini menti conformior ea praxis videtur, quae utrumque, concionem nempe et catechesim complectitur; quae statis diebus a Parocho vel per se vel per alium fiant.

Et sane Benedictus XIV. Const. *Etsi minime* 7. Febr. 1742. §. 5. ait.: « Duo potissimum onera a Trid. Syn. curatoribus animarum sunt imposita, alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant: alterum ut pueros et rudiores quosque divinae legis Fideique rudimentis informent ». Id porro diebus ipsis praestandum esse, quibus illud prius praestant, mox Pontifex affirmat. E.

Ad concionis modum quod spectat, s. C. C, (apud Benedictum XIV. Instr. 10. n. 3.) praescripsit: « satis esse, ut Parochi, etsi formaliter non praedicent, saltem dominicis et festis diebus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis ».

Adde quoad tempus Resp. s. C. C. 1. Apr. 1876. « Tenentur Parochi diebus dominicis et festis de praecepto populo sermonem habere, iuxta Conc. Trid. praescriptionem: attamen erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus sollemnioribus diebus ».

506. Obligatio est cum officio Parochi essentialiter nexa, ut ab initio diximus, *administrandi suis ovibus sacramenta,* non solum in necessitate extrema, sed etiam in gravi, ait s. Alph. l. 3. n. 357. Sed, ut pronum est cuique animadvertere, cum non eadem sit necessitas omnium sacramentorum, quae Parochus dispensat, haec affirmatio aliqua indigeret explicatione.

Haec autem satius dabitur, cum de singulis sacramentis eorumque ministro sermo erit: quod et visum s. Alphonso, qui l. c. reiicit lectorem ad tractationem de sacramentis; monens tantum, quoad Eucharistiam, teneri Parochum eam ministrare, quoties fideles sui rationabiliter petant et probabile esse, quod tempore pestis non teneatur eam ministrare cum periculo vitae: quod et pariter de Extrema Unctione dicendum videtur, si poenitentiae sacramentum infirmus susceperit.

507. A. in 4. Praec. Decal. meminit n. XLII. obligationis quoque *visitandi infirmos*, *habendi curam pauperum*, *corrigendi* et curandi ut pericula removeantur spiritualis ruinae ideoque et *extirpandi abusus* etc. quantum est in eius potestate. Obligatio gravis est, ratione officii, corrigendi et auferendi scandala: verum, quid in singulis casibus fieri possit ac debeat, ex omnium adiunctorum indole definiendum est, ad quod iuvabunt regulae iam traditae de fraterna correctione.

Certam methodum suggerit s. Alph. l. c. n. 360. inquiens: « Parochi tenentur cum quocumque incommodo auferre scandala: unde si aliquis subditorum sit incorrigibilis, sed suo pravo exemplo sit aliis occasio ruinae, tenetur parochus tale damnum impedire, saltem episcopum certiorando, non tantum semel sed quousque scandalum perseverat et spes effulget, quod illi occurri possit ».

Porro si nulla sit spes emendationis, non censet s. Doctor adesse obligationem corrigendi seu monendi oves in peccato vel eius proximo periculo exsistentes; quod satis evidens est et ad sublevandos anxios animos piorum Parochorum nostris in regionibus conducere debet, dummodo non sibi leviter illudant, putantes absque causa, spem omnem abesse.

Certe etiam cum periculo vitae debet Parochus doctrinam fidei divinamque legem suas oves docere atque ita e. g. monere aperte, coniunctionem viri et feminae, quod non sit sacramentum, esse merum concubinatum.

Quaerit s. Alph. l. 3. n. 360. dub. 3., an Episcopi et Parochi teneantur non deserere gregem etiam cum periculo vitae. Respondet autem allata doctrina s. Thom. 2. 2. q. 185. a. 5. « Ubi subditorum salus exigit personae pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere neque propter aliquod commodum temporale neque etiam propter aliquod personale periculum imminens ; cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter, in absentia pastoris, per alium provideri, tunc licet pastori, vel propter aliquid commodum ecclesiae vel personae periculum, corporaliter gregem deserere ».

508. Debet Parochus habere apud se libros baptizatorum eorumque qui matrimonio coniuncti sunt ac defunctorum atque in singulis nomina ac tempus accurate describere.

Compelli quoque Parochus potest, ut ex reditibus superfluis sui Beneficii conferat ad reparationem ecclesiae parochialis c. *de His, de Ecclesiis aedificandis :* Trid. Syn. sess. 21. c. 7. *de Reform.* Benedictus XIV. *Instr.* 100. n. 3. seqq.

Episcopus cogere potest ad interessendum congregationi casuum conscientiae parochos tam seculares, quam regulares curam animarum exercentes. Ita s. C. C. 3. Sept. 1640. C. Bened. XIV. *Instr.* 103. n. 9.

Officium Parocho incumbit administrandi bona Ecclesiae suae, imo ius ad id habet sub Episcopo. Meminerit proinde inter cetera, quid circa alienationem bonorum Ecclesiae praescriptum sit in Extrav. *Ambitiosae, de Rebus ecclesiae non alienandis* et Const. *Apostolicae Sedis,* inter excommunicationes serie 4. n. 3.

* APPENDIX III. *

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

§. I. *Privilegia communia.*

509. Privilegia dicuntur non quasi sint simplices favores, absque ratione exigente concessi, sed sensu iuridico, leges nempe particulares seu particularia iura alicui coetui vel personae a legitima auctoritate tributa : quo cum componitur ut ab ipsa ratione seu natura rei postulentur.

Privilegia clericorum dividuntur in classes duas : altera complectitur *praerogativas*, altera *immunitates* (Sanguineti op. c. n. 181.).

Praerogativae sunt iura, quae clericis prae laicis competunt. Praecipuae sunt 1° divina officia peragere, sacra contingere, altari ministrare (unumquemque iuxta ordinem suum). 2° Assequi et exercere iurisdictionem ecclesiasticam. Sane in causis natura sua ecclesiasticis duplex distingui potest iurisdictio, *ordinaria,* quae nempe iure et nomine suo exercetur, ratione nempe proprii muneris aut officii ecclesiastici et *delegata*, quae alterius iure et nomine.

Porro ne Romanus quidem Pontifex iurisdictionem ordinariam laicis concedere potest; quia id iuri divino constituenti Ecclesiam adversatur.

Potest tamen laicis concedi a Romano Pontifice iurisdictio delegata, quae iure et nomine Pontificis exerceatur et ab eo quoad modum et tempus sit prorsus dependens quaeque ad sui valorem potestatem Ordinis non requirat.

Ut autem talis delegata iurisdictio exerceri possit, oportet, ut omnino certa sit, exhibito pontificio authentico diplomate nec, ulla etiam immemoriali consuetudine suffragante, praesumi potest. Const. Pii IX. *Suprema* 25. Ian. 1867. cf. Auct. cit.

510. Quaerere heic licet, quaenam potestas competat Abbatissis aliisque Praepositis Monasteriorum Monialium (cuiusque nominis moniales intelligimus, quae vota sollemnia vel simplicia profitentur) et an feminis a Papa aliqua iurisdictio ecclesiastica possit delegari.

Ad 1^{m} respondeo ex Schmalzgr. l. 1. tit. 31. n. 38. « Possunt 1° administrare et regere Monasterium in temporalibus (administratione tamen bonorum, sive exempta sint monasteria sive non exempta, existente sub cura Episcopi: Const. Gregorii XV. *Inscrutabili.* Cf. Bouix *de Regularibus* p. 5. subs. 3. c. 2. §. 1. 3. nisi Cardinali Protectori hoc ius reservetur cf. Lucidi c. 5. §. 8. n. 394.), eiusdem munera committere et auferre, delinquentes corrigere et moderata castigatione punire,

ut quaevis materfamilias potest; *habent enim potestatem dominativam, domesticam et maternam* ».

2° Possunt monialibus sibi subiectis spiritualia quoque praecepta, quae regulae sint conformia, propter finem spiritualem, imponere, ut orationem, ieiunia, disciplinas et huiusmodi. Haec enim non excedunt potestatem dominativam eam, cui moniales profitentes sponte se subiiciunt. Laurenius *Forum ecclesiast.* l. 1. q. 61. n. 3. Nequeunt tamen se immiscere auctoritative in directione interiore animarum, quae spectat ad Sacerdotes; quamvis superiorissas, si idoneae sint, consilium in his rebus dare sponte petentibus, quid vetat? Et certe rationem ac spiritum sui Instituti moniales melius a sua praelata, quam ab extraneis, etsi doctis, docebuntur. Ita sane censebat s. Theresia.

Ipsis certe prohibitum est, facultatem dare aut negare subditis suis communicandi. Die 14. April. 1725. propositum fuit dubium s. C. C. « An et cuius de licentia Eucharistiam recipere debeant moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a constitutionibus vel a consuetudine monasterii ut in illis omnes moniales communicent »?

Resp. « De licentia confessarii ordinarii et non directorum (multo minus superiorissae), praevia participatione praelati ordinarii ».

511. Sed accipe hac de re decretum nuper editum Summi Pontificis per s. C. EE. et RR.

DECRETUM

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint, ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut sollemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum. Quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis: aliunde Superiorum arbitrium

eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent: sed et haec per abusionem extensa in id etiam exstitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SS. D. N. Leo divina providentia Papa XIII., pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae, die decimaquarta Decembris 1890. omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive sollemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus, consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis, ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic s. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Praeterea firmo remanente, quoad Confessarios ordinarios Communitatum, quoad a sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in Sess. 25. cap. 10. *de Regul. et a S. M. Benedicti XIV.* statuitur in Constitutione quae incipit « *Pastoralis curae* » Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates exsistunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis et quoties, ob favorem et spiritualem alicuius profectum, Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum, de quibus supra sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum et saltem semel in anno, stato tempore, in unaquaque

Domo sive in publica mensa sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17. Decembris 1890.

I. CARDINALIS VERGA *Praefectus*
† FR. ALOISIUS EPISCOPUS CALLINICEN. *Secretarius.*

Ut vides, heic fit potestas confessario permittendi moniali poenitenti frequentiorem accessum ad sacram Synaxim, quam regulae eius Ordinis praescribant. Huc facit declaratio data ab eadem s. C. EE. et RR. 17. Aug. 1891.: « Quod spectat ad frequentiorem ad sacram Synaxim accessum, quam diebus statutis in propriis regulis: *abrogatas censendas esse constitutiones, quibus vetatur, ne Moniales sive Religiosi sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies.* Acta s. Sedis mens. Sept. 1892.

512. Ad secundam q. « Etsi iurisdictionem (pergit Schmalzgr. l. c. n. 349.) spiritualem proprie dictam non habeant Praepositae Monialibus, cum potestatis clavium, a qua illa descendit, incapaces, de iure communi, sint; aliquando tamen, ex delegatione Praelatorum Ecclesiae, usum quendam seu exercitium iurisdictionis spiritualis in moniales et clericos sibi subiectos habent, ita ut istos in beneficiis pleno iure sibi subiectis instituere easque ab his et moniales ab officiis suspendere quodammodo possint c. *Dilecta, de Maior. et Obedientia* -. Dilecta filia in Christo Abbatissa de Bubrigen., trasmissa nobis petitione, monstravit, quod cum ipsa plerumque canonicas suas et clericos suae iurisdictioni subiectos, propter inobedientias et culpas eorum, officio beneficioque suspendat; iidem confisi ex eo, quod eadem Abbatissa excommunicare eos non potest, suspensionem huiusmodi non observant, propter quod eorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus, quatenus dictas canonicas et clericos, ut Abbatissae praefatae obedientiam et reverentiam debitam impendentes, eius salubria monita et mandata observent, ecclesiastica censura compellas -». Ita Honorius III. Abbati cuidam. Subdit Schmalzgr.: « Ubi tamen duo sunt advertenda. Primum est, quod institutio illa, quam huiusmodi Abbatissae in beneficiis sibi subiectis faciunt, sit tantum collativa tituli et possessionis, non vero auctoritativa, per quam huiusmodi clericis conferatur animarum cura; hanc enim nemo dat, qui ipsam non habet. Secundum est, quod suspensio haec ab Abbatissa facta non sit proprie dicta su-

spensio; nam censuras ferre non possunt, sed improprie tantum, sive simplex praeceptum, ne celebrent et muneris sui actus exerceant et hanc ob causam c. cit. suspensiones huiusmodi *salubria monita et mandata* dicuntur ». Idem habet Gonzalez l. 1. Decretal. in c. cit.

Ad quaestionem, an possit aliqua iurisdictio ecclesiastica delegari feminis a Papa, advertit idem Schmalzgr. n. 39. videri negandum ; quia feminae incapaces sunt potestatis clavium, ut dicitur c. *Nova, de Poenit. et Remiss.* contra quasdam Abbatissas, quae audebant moniales benedicere, ipsarum confessiones audire et publice praedicare. Verum ait, « concedendum esse quod Papa ex plenitudine potestatis possit delegare etiam feminis aliquam iurisdictionem spiritualem, modo potestatem Ordinis non includat: huiusmodi est potestas condendi legem, ferendi censuram, dispensandi in votis etc. Ita, ait, communis Theoll. et Canonistarum cum s. Thoma in 4. dist. 19. q. 1. ql. 3. ad 4. Ratio est; quia huiusmodi iura spiritualia de papalis potestatis plenitudine possunt communicari laicis: igitur nihil impediet, in casu aliquo extraordinario saltem, illa concedi feminis ». Et haec quidem quoad possibilitatem; nam de facto aut eius convenientia non disputatur. Cf. quae Baller. habet Tr. ult. de Censuris, c. 1. dub. 3.

Haec autem sunt verba s. Thomae citata: « Mulier non potest habere aliquam iurisdictionem spiritualem... unde mulier non habet neque clavem ordinis nec clavem iurisdictionis. Sed *mulieri committitur aliquis usus clavium* (huc ergo redit iurisdictio delegata nec loquitur Thomas de eo, quod fieri potest, sed de eo, quod fit), sicut habere correptionem in subditas mulieres, propter periculum, quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent »: quae cohabitatio necessaria esset, si moniales non nisi a viris corripi possent. Cf. et Laurenium l. c. q. 483.

513. 3ª Praerogativa clericorum est consequi et possidere ecclesiastica beneficia; etsi Papa ex plenitudine potestatis ea et laicis concedere valeat, quoad fructuum dominium: cf. Lauren. l. c.

4ª Stare in ecclesia, *ceu in proprio loco,* intra cancellos altaris.

5ª Coire posse in collegium clericale, suis legibus et iuribus instructum.

6ª Iurare, in iudiciali actione, in conscientia *tacto pectore.*

514. Privilegia, quae et Immunitates, tria numerantur. 1ᵐ Privilegium *canonis,* sic dictum ex canone 15° Conc. lateranensis II. sub Innocentio II. anno 1139. « Si quis suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in *clericum* vel *monachum* violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat ». Excommunicatio

est latae sententiae eademque, dummodo crimen notorium sit, efficit *vitandum* percussorem, etiam post Const. Martini V.

Verba *suadente diabolo*, ait Laymann l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. n. 5., significant, ad incurrendam canonis huius censuram, requiri gravem iniuriam adeoque mortale peccatum, etiam in ratione sacrilegii; cum hoc sit proprium obiectum ecclesiasticae huius poenae, ut patet ex verbis canonis.

Ad gravitatem porro iniuriae utrumque requiritur, et ut animi affectus mortalis sit et ut externa iniusta violentia gravis sit, vel in corporis vel saltem honoris laesione.

Per verba *si quis*, nulla persona excluditur, dummodo capax sit gravis peccati; non ergo aetas, sexus, dignitas ulla excusat. Cf. cc. 6. et 60. *de Sent. excomm.*

Nomine *Clerici* veniunt quicumque per primam saltem tonsuram aggregati sunt Clero. Excipiuntur tamen primo *Bigami*, clerici nempe in minoribus constituti (nam in maioribus, cum nullum sit matrimonium, non essent vere bigami) qui coniugium cum secunda vel cum una vidua aut ab altero corrupta contraxerunt. Ita b. Gregorius X. in Conc. Lugd. c. un. *de Bigamis* in 6.: « Altercationis antiquae dubium praesentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos et coercitioni fori secularis addictos, consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum clericalem.

« Clerici vero, qui cum unicis et virginibus contraxerunt, si tonsuram et vestes deferant clericales, privilegium retineant canonis ab Innocentio Papa II. praedecessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis », ait Bonifacius VIII. c. un. *de Clericis coniugatis* in 6. Iisdem Clericis praeterea idem Bonifacius ibid. privilegium fori asserit. Hoc decretum renovavit Trid. Syn. sess. 23. c. 6. *de Reform.*

Dubium tamen occurrit, an eadem Synodus, ut hi clerici coniugati hoc privilegio gaudere pergant, alias adiecerit conditiones. Nam inquit: « In Clericis coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII. quae incipit *Clerici, qui cum unicis* » sed addit: « *modo hi clerici alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem ecclesiae serviant vel ministrent* et clericali habitu et tonsura utantur », quod alterum et Bonifacius postulaverat. Oportet ergo, ut hi coniugati servitio alicuius ecclesiae sint addicti, ex decreto Trid. Verum monent quidam, Trid. Syn. l. c. non loqui nisi de privilegio fori, de quo et Const. Bonifacii ideoque conditionem illam adiectam a Synodo requiri quidem pro conservando privilegio fori, non autem privilegio canonis. Alii e contrario arguunt, quod si ex decreto Trid. amittitur a clerico coniu-

gato privilegium fori, nisi alicui ecclesiae ministret, multo magis, e sententia Synodi, dicendum est amitti privilegium canonis; quia illud difficilius amittitur, cum sit iuris divini, hoc vero humani. Cf. Laym. l. c. n. 3. Res incerta est.

515. Praeterea ipso iure privilegium canonis amittunt clerici degradati reali degradatione, ut patet ex ipsa formula in eo ritu adhibita: « exuimus te omni ordine, beneficio et *privilegio clericali* » c. *Degradatio, de Poenis* in 6.

Item clerici minores, qui habitu ecclesiastico deposito, militiae se addicunt, si tertio ab Ordinario suo admoniti, ab ea non recedant. Ita Clemens III. c. *in Audientia, de Sent. excomm.*

Idem quoque, si se enormibus criminibus maculaverint, e. gr. seditione, homicidio, rebellione; ut statuit idem Clemens III. c. *Cum non ab homine, de Sententia excomm.*

Iidem rursus si histrionicae, comicae aut tabernarum artibus operam dent, si per anni spatium has artes exercuerint, omni privilegio clericali, ipso iure, privantur. Si vero breviori tempore ita se gesserint, non subeunt hanc poenam, nisi post spretam trinam Ordinarii sui monitionem. Ita Bonifacius VIII. c. un. *de Vita et Honest. cleric.* in 6.

Nullo quoque privilegio clericali gaudent clerici minores ordinati, sede vacante, intra annum a die vacationis nisi beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctati fuerint. Trid. Syn. sess. 7. c. 10. *de Reform.*

516. Nomine *Monachi* veniunt utriusque sexus religiosi, sive votorum sollemnium sive simplicium: etiam conversi et novitii. Cf. cc. *Ex tenore* et *de Monialibus, de Sententia excomm.* et c. *Religioso* §. 1. eod. tit. in 6.

Viros autem tertiarios, ut sui Ordinis privilegiis gaudeant, oportet *collegialiter vivere seu cum claustratibus habitare.* Leo X. Const. *Dum intra* edita in Conc. Later. sess. 21.

« Mulieres vero virginalem seu caelibem aut castam vidualem, expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus fratres Ordinis, cuius tertiae regulae habitum gestant, gaudere debeant ». Ita Leo X. ibid.

Idque etsi in consanguineorum et affinium suorum aut propriis domibus vel seorsim habitent: ut idem Pontifex Const. *Nuper* in eod. Conc. declaravit. Satis est autem, si simplex virginitatis seu castitatis votum emiserint illudque solum: ut declaravit S. C. Episcc. et Regg. anno 1606. 20. Dec. apud Pennacchi I. infra cit.

517. *Violenta manuum iniectio* intelligebatur olim et etiamnum intelligitur (cf. Comm. in Const. *Apostolicae Sedis* Ios. Pennacchi app. 17. p. 494.) quaevis actio externa et graviter peccaminosa in personam

clerici vel monachi vel in res adhaerentes corpori illorum, ita ut per eam nocumentum inferatur vel corpori vel libertati vel dignitati eorundem. Itaque excommunicantur, qui manu, pede, baculo, lapide percutiunt aut feriunt clericos, qui in eos contemptibiliter sputa, sordes proiiciunt; qui vestimenta clerico adhaerentia proscindunt vel violenter detinent; qui fraenum equi, cui clericus insidet, violenter retinent, vel clericum fugientem ita persequuntur, ut is ea de causa in foveam aut utcumque praeceps ruat.

Etsi in qualibet manuum iniectione, ad censuram incurrendam, supponatur semper culpa letalis ideoque gravis iniuria, etiam externa, saltem ratione violati honoris ac contemptus: tamen respectu facultatis absolvendi a censura, distingui solet materialiter violentia ista in *levem*, *mediocrem* et *enormem;* nam diversa est facultas absolvendi pro diversa violentiae gravitate.

Levis est percussio quae fiat pugno, palma, pede, baculo aut lapide quae nullam affert maculam neque sigillationem carnium relinquit neque abscindit membrum: sine effractione dentium, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Ita ex Const. *Perlectis* Ioannis XXII. apud Pennacchi l. c.

Mediocris est, qua extrahitur dens aut capillorum copia evellitur aut fit sigillatio carnis, qua sanguis copia effunditur absque gravi laesione. S. Alph. l. 7. n. 277.

Enormis est, si magna intervenit vulneratio, vel magna effusio sanguinis aliunde quam e naribus, vel magna iniuria. S. Alph. ibid.

Manifestum est autem levitatem et gravitatem relative quoque esse pensandam; quod enim absolute grave est id valebit in omnibus: at quod absolute leve est, potest in certis circumstantiis evadere grave.

Circumstantiae sunt 1° *pars corporis,* quae laedatur; gravior enim censetur e. g. percussio in facie quam in ceteris partibus: idcirco minor percussio in ore gravis iniuria esse potest. Item si percutiatur clericus sacris indutus vestibus, gravior iniuria evadit.

2° *Locus*, si in publico loco percutiatur, si coram illustri persona in dignitate constituta, gravior certe erit iniuria.

3° *Personae offensae conditio :* gravior enim, etsi eadem sit percussio, erit iniuria, si Episcopus, quam si clericus simplex percutiatur: item si quis ex popello nobilem ecclesiasticum percutiat.

518. In primis notandum est, quod olim, ante Pii IX. Constitutionem, poena anathematis, quam canon *Si quis* infligebat violentas manus iniicientibus in clericum aut monachum, auctoritate aliorum subsequentium canonum, protendebatur, interpretatione *extensiva*, ad alios quoque, qui sub verbis canonis *Si quis* reipsa non comprehendebantur, nimirum ad *mandantes*, ad *cooperatores* seu *fautores*, ad *consulentes*,

ad *ratihabentes* percussionem suo nomine factam, ad *non impedientes*, cum saltem ex officio deberent, ad *retinentes in custodia* clericos seu monachos. Constant haec ex tit. *de Sententia excomm.* Nunc vero Pius IX. distinctione inter clericos facta, inter excommunicatos excommunicatione speciali modo R° P^{i} reservata, recensuit n. 5. *omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes* vel *hostiliter insequentes* S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios aut eos a suis Dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis *eiicientes* nec non ea *mandantes*, vel *rata habentes*, seu *praestantes in eis auxilium, consilium* vel *favorem*. Quoad ceteros clericos canonem *Si quis* simpliciter expressit sub excommunicationibus R° P^{i} reservatis n. 2... *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos* vel *utriusque sexus monachos:* exceptis, quoad reservationem, casibus et personis de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat ».

Quoniam excommunicationes veteres latae sententiae non eae amplius valent quae in hac constitutione Pii IX. non recensentur: excommunicatio vero contra *mandantes* etc. violentam manuum iniectionem in clericum, quae olim addita erat excommunicationi canonis *Si quis*, heic a Pio IX. non memoratur, qui profecto, si voluisset eos quoque comprehendi, eosdem nominasset, quemadmodum fecit in articulo superiore primae seriei; dicendum est, quod ea excommunicatio contra *mandantes*, *consulentes*, etc. violentam manuum iniectionem in clericum, nisi agatur de Cardinalibus, Episcopis, Legatis et Nuntiis s. Sedis, non amplius vigeat. Cf. Pennacchi l. c.

519. Porro excommunicationem canonis non incurrunt percutientes clericum fruentem privilegio, 1° qui ignorantia iuris aut facti laborant, ut per se patet: 2° Qui se vel sua bona tuentur, servato, quoad eius fieri potest, moderamine inculpatae tutelae c. *Si vero, de Sentent. excomm.:* 3° qui clericum procacem, turbas cientem domo vi expellunt aut clericum cum alienis bonis fugientem persequuntur et sua repetunt, plagis etiam impositis; 3. Superiores seu Magistri, qui clericum etiam subdiaconum, correptionis et disciplinae causa percutiunt, aut qui ex illorum legitimo mandato id faciunt cc. *Ex Tenore* et *cum Voluntate* §. 2. tit. cit. Porro percussio disciplinae causa esse debet moderata. Sane hi non suadente diabolo agunt nec ulla hoc pacto fit iniuria coetui clericali. 4° Laici, qui de mandato legitimorum superiorum clericos etiam sacerdotes capiunt et in carcerem detrudunt c. *Ut famae tuae*, tit. cit. 5° Parentes et propinqui, qui disciplinae et correptionis gratia filium clericum in minoribus constitutum leviter percutiunt c. *Cum voluntates* §. 2. iam citato.

Nequeunt tamen parentes aut propinqui clericum subdiaconum ea de causa percutere; facultas enim in iure parentibus aut propinquis concessa respicit solum clericos minores cf. c. cit.: etsi superioribus aut magistris facta sit etiam erga subdiaconum c. cit. *Ex tenore.* Sed forte analogia rationis id suadebit, ut credatur concessum parentibus, quod permittitur magistris. Dignitas vero Diaconatus et Sacerdotii immunes facit clericos a ferula privati correptoris.

6° Qui percutiunt, feriunt, occidunt clericum cum uxore, matre, sorore vel filia turpiter inventum (sub quo et turpes actus, amplexus etc. intelliguntur), dummodo in ipso instanti (moraliter sumpto) id faciant, quo delinquentem deprehendunt c. *Si vero* iam citato, ubi non apponitur conditio, ut adhibeatur moderamen inculpatae tutelae ad vitandam excommunicationem: at si clericus inveniatur cum ea, quae non ita proxime sit coniuncta et violentae inferantur manus, excommunicatio incurritur, ut ibid. statuitur. 7. Mulier, quae clericum, etiam sacerdotem, suae pudicitiae insidiantem, dum aliter non potest, verberibus cultro aut alia quasi violenta manuum inectione repellit. Haec enim est iusta defensio. Cetera cf. dicenda de Censuris.

520. Privilegium alterum est *privilegium fori*, quo immunis est persona ecclesiastica a laico tribunali. Hoc privilegium in eo est, ut clerici neque in civilibus neque in criminalibus causis possint conveniri apud iudicem laicum, sed ad ecclesiasticum tantummodo trahendi sint. c. *Nullus de Foro competenti.* Dicitur: *non possint conveniri;* agitur enim de hypothesi, quod ipsi sint *rei* seu petantur; si autem actores sint et laicum petant, apud iudicem laicum seu iudicem *rei* convenire debent, *actor* enim forum *rei* sequi debet: qua in hypothesi si deinceps causa cadant, a iudice laico damnari poterunt c. *si Clericus*, tit. eod. Exsecutio tamen sententiae relinquenda est iudici ecclesiastico.

Privilegium istud aliquas patitur exceptiones. Sane ut frequentiores memoremus: si clericus ratione officii alieno nomine conveniatur, tanquam tutor, curator vel procurator alicuius laici, sortitur forum huius; sicut vicissim si conveniatur laicus ratione administrationis bonorum temporalium ecclesiae, apud iudicem ecclesiasticum conveniri debet. Item si clericus sit heres laici et lis cum defuncto iam fuerit coepta, apud eundem iudicem lis terminanda erit. Cf. Schmalzgr. l. 2. tit. 2. n. 80.

Privilegium hoc valet, sive intentetur contra clericum actio realis sive personalis. Etsi enim, cum actio est realis et res, de qua agitur, non est ecclesiastica, legistae communiter affirment, ad forum laicum trahendum esse clericum; verius tamen est, ait Schmalzgr. ibid. n. 82.,

clericum etiam actione reali in foro seculari conveniri non posse atque haec est communis sententia Theologg. et Canonistarum. Sane leges et canones universaliter loquuntur, nulla distinctione facta inter actionem realem et personalem: cf. legem Valentiniani relatam a Gratiano caus. 11. q. 1. c. 5. et cc. *Nullus* et *Si quis, de Foro competenti.* Excipitur quidem causa feudalis cc. 6. et 7. eod. tit.; sed hoc ipso exceptio firmat regulam in ceteris casibus non exceptis. Et re quidem vera iudex, qui de actione reali cognoscere debet, iurisdictionem suam exercet in personam, quae rem possidet, citans eam, ut se in iudicio sistat: atqui laicus nequit iurisdictionem exercere in personam clerici; ergo. Itaque cum res et bona sint accessoria personae, sequuntur conditionem personae.

521. Origo huius privilegii, e sententia Trid. Syn. sess. 25. c. 20. *de Reform.* sunt *Dei ordinatio* et *canonicae sanctiones:* ubi vides de legibus aut concessionibus laicae potestatis nihil dixisse Patres Tridentinos, qui e contrario monent Principes officii, quo tenentur, tuendi Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum libertatem, immunitatem et iurisdictionem ac severe compescendi eos, qui ipsam laederent. Pariter in Syllabo §. 5. n. 30. Pius IX. proscripsit propositionem: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.* Et iam in Conc. Later. Leo X. Const. *Supernae dispositionis*, edixerat: *cum a iure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit.* Quod perinde est, puto, ac dicere, ipsis hanc potestatem iure divino et ecclesiastico subtractam esse, ut nonnisi ex auctoritate aut permissione legitimi superioris, cuiusmodi certe est R. Pontifex, nequeat ipsa a laicis in clericos exerceri.

Ex quo fit, ut extensio huius privilegii tum quoad causas tum quoad personas, consentiente Ecclesia, variare possit et modo amplior esse, modo contractior. Quemadmodum scilicet charactere ordinis insigniti iure divino discernuntur a laicis hisque praeponuntur, ita etiam iure divino subtrahuntur e laica iurisdictione: facultate tamen simul facta Ecclesiae tum clericalem ordinem ampliandi, tum speciatim determinandi quinam et quibus in rebus seu causis immunes actu esse debeant a laica iurisdictione.

Quocirca non dicimus, iure divino statutum esse, ut charactere ordinis aucti et ceteri clerici immunes esse actu debeant a laica iurisdictione in omnibus et semper: sed dicimus, iure divino ademptam esse laicis iurisdictionem, quam iure suo exerceant in clericos eamque unice collatam Ecclesiae simulque huic potestatem factam determinandi, quibus in rebus et qui actu immunes esse debeant ac quibus in rebus et qui permittendi sint iudicio seculari.

Tenentur quidem clerici in societate civili viventes, publicas leges, sine quibus ordo perturbaretur et leges praesertim circa contractus servare; id enim ratio exigit et natura societatis: sed vis coactiva in his erga clericos non a civili auctoritate est, verum ab ecclesiastica, cuius est eosdem, si deliquerint, punire c. *Clericis, de Iudiciis* et c. *Cum non ab homine* tit. eod.

522. Iam vero si quaestio fiat, quinam clerici gaudeant privilegio fori: primo si agatur de clericis in minoribus constitutis, hi sunt, qui faciunt satis conditionibus requisitis a Trid. sess. 23. c. 6. *de Reform.* de quibus iam diximus superius.

Si sermo sit de clericis in maioribus constitutis: hi privilegio semper gaudent, donec degradentur: nam hi, nisi aliquid peculiare in concordatis concessum fuerit, nonnisi post degradationem (realem) seculari brachio traduntur. Sanguineti op. cit. n. 198. Causas vero degradationis cf. apud Anacletum l. 5. tit. 37. n. 38.

Advertendum est in hac re sub nomine clericorum seu personarum ecclesiasticarum venire etiam regulares utriusque sexus, novitios quoque et conversos, Anacletus l. 2. *de Foro compet.* n. 190.

Tandem tenendum est non esse in potestate clerici huic privilegio renuntiare et se ex pacto vel sponte submittere laico tribunali; quia, ut dicitur c. *Si diligenti, de Foro compet.*, non est beneficium hoc personale cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico est publice inductum, cui privatorum pactio derogare non potest. Certum est enim, pacto seu voluntate privatorum iuri publico minime derogari.

In Const. *Apostolicae Sedis* excommunicatio speciali modo Papae reservata fertur in « impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum seculare eiusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes » n. 6. Tum « cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae » n. 7. cf. tr. de Censuris.

523. Tertium privilegium est *exemptio*, quo nempe Clerici eximuntur tum a civilibus publicis muneribus et officiis, tum a solvendis tributis, gabellis, exactionibus et huiusmodi, quae imponuntur civibus a laica potestate.

Quod spectat ad exemptionem a civilibus seu secularibus muneribus, satis patet, ius ipsum divinum postulare, non quidem ut nunquam clerici ea munera exerceant: sed ut semper sit, sub Ecclesiae directione, in eorum potestate, ab iisdem abstinere. Propria enim habent officia altioris ordinis, quibus bonum publicum procurant, quibuscum officia

secularia etiam illustria haud convenit componi, nisi aliqua speciali urgente causa, puta necessitatis. Si qua vero sunt sordida aut ignobilia, liqueat ea clericalem statum dedecere, ut sunt angariae aliaque huiusmodi servitia personalia. Schmalzgr. l. 3. tit. 49. n. 14.

Olim vigente Codice Iustiniani, leges exstabant, quae clericos, propter eorum dignitatem, a *sordidis muneribus* immunes decernebant negabantque obligari posse ad secularia munera vel *indifferentia*, ut tutoris, vel *honorabilia,* ut decurionis. Cf. tit. in C. *de Episcopis et clericis* l. 1. 2. 17. 52. etc. cf. et l. 12. C. *de Excus. muner.* Nunc si a certis muneribus arcentur, id ex odio fit et contemptu.

524. Quod spectat ad exemptionem ab exactionibus laicae auctoritatis, sive tributa dicantur sive gabellae sive aliis nominibus appellentur, canones exstant disserti inter Decretales, qui clericos ab his immunes volunt. Cf. c. *Non minus, de Immun. eccles.* c. *Quia nonnulli* et c. *Clericis,* eod. tit. in 6. et c. *Quamquam, de Censibus* in 6. In his res et personae ecclesiasticae a laicis exactionibus immunes declarantur.

Quocirca 1° Si quod est tributum personale, quemadmodum olim erat *capitatio,* quod a singulis subditis Principi solvebatur in signum subiectionis iurisdictioni eiusdem, clerici immunes ab eius iurisdictione, non tenentur illud pendere.

2° Res ecclesiasticae, vel consecratione vel benedictione vel certe auctoritate ecclesiastica, Deo dicatae, ut sunt ecclesiae, sacella, monasteria, coemeteria, vasa sacra, sacrae vestes etc. immunes sunt ab oneribus exactionum, quas propter eas res civilis auctoritas imponere velit. Sunt enim res subtractae ab usu civili nec fas est res divino cultui dicatas subiici oneribus a laica potestate.

3° Bona ecclesiarum, monasteriorum similiumque locorum, oblata a fidelibus in cultum divinum, sustentationem ministrorum, pauperumque curam, sunt et ipsa immunia ab exactionibus, ut constat ex canonibus citatis et manifesta ratione, eo quod sint res Deo dicatae.

Pariter bona, quibus fruuntur personae ecclesiasticae, si bona et ipsa sint ecclesiastica nempe ab Ecclesia accepta, eadem fruuntur immunitate, iuxta canones citatos.

Ad haec certe spectat, quod ait Bonifacius VIII. c. *Quamquam, de Censibus* in 6. « Ecclesiae ecclesiasticaeque personae et res ipsarum non solum iure humano, quinimo et divino a secularium personarum exactionibus sunt immunes », ut scilicet, nisi consentiente Ecclesia, exigi ex iis tributa non possint: id sane satis est ad plenam Ecclesiae libertatem et Dei honorem vindicandum.

Si ius vigens quaeratur (non simplex factum, quod est fere ubique

immane latrocinium), consulenda sunt Concordata singularum nationum, si qua sunt.

Porro in Const. Apostolicae Sedis, excommunicatione speciali modo R. P. reservata plectuntur n. 11. « Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum, pertinentes ». Cf. et Trid. Syn. sess. 22. c. 11. *de Reform.*

525. Quaestio fit de bonis patrimonialibus clericorum. Ea quoque exempta esse ab exactionibus laicae potestatis, est communis doctrina idque iam statuisse Imperator Fridericus dicitur (Auth. *Item nulla* sub l. 2. c. *de Episc. et Cler.*). Cf. Pignatelli tom. 2. Consult. 54. n. 54. seqq. qui sententiam hanc tanquam communem habet. Cf. praeterea Ferraris v. *Clericus* art. 7., qui de hoc privilegio late disserit, pluribus ss. Congr. decretis allatis.

Opus tamen haud est affirmare, hanc immunitatem esse ex iure divino et commode verba superius citata Bonifacii VIII. accipiuntur de bonis ecclesiasticis, de quibus et ceteri canones superius citati loqui videntur, ipsaque constitutio Friderici. Sed certe Ecclesia potuit, pro honore status clericalis, absque detrimento civilis societatis, talem constituere immunitatem.

Opus haud est, plura distinctius addere; cum propter temporum iniquitatem res haec sit tantum iuris, non facti.

§ II.

De Privilegiis Episcoporum.

526. Privilegia haec, ait Gury V. II. §. 124., respiciunt 1° excommunicationes, suspensiones et irregularitates, 2° impedimenta matrimonii, 3° vota et iuramenta, 4° alios speciales casus.

Quod spectat ad irregularitates et suspensiones, prostat decretum Trid. Syn. sess. 24. c. 6. « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ».

Porro *delictum occultum* intelligendum illud est, ait s. Alph. l. 1. *de Privilegiis* n. 33., quod aliquo modo possit celari, etsi in iudicio possit probari. Et affert doctrinam Benedicti XIV. Instr. 87. n. 45., loquentis de impedimentis occultis matrimonii (ubi, ait s. Doctor, currit eadem regula): asserit autem Benedictus XIV. haberi pro occulto illud, quod innotuit, septem vel octo in aliqua civitate (a) et sex in aliquo

(a) Pro Londino, puto, plus requireretur.

oppido. Quandiu erga delicta, propter quae contracta est irregularitas aut suspensio, sint hoc pacto occulta, licet Episcopis a contracta irregularitate aut suspensione dispensare.

Quocumque vero modo homicidium voluntarium occultum sit, sive quia nemini notum, sive quia paucissimis, nequit Episcopus dispensare, vi huius decreti; quia simpliciter excipitur homicidium voluntarium occultum et decretum negans universaliter est accipiendum s. Alph. l. c. n. 51.

Cum solum homicidium voluntarium excipiatur: poterit ergo Episcopus dispensare in irregularitate propter occultam mutilationem et propter homicidium casuale (sed hoc non est delictum) atque propter homicidium patratum ob sui quidem defensionem, non tamen servato prorsus (quod difficillimum quidem est frequenter) moderamine inculpatae tutelae; quia tale homicidium nequit dici absolute voluntarium. S. Doctor nn. 51. 52. qui hanc ait communissimam esse sententiam.

Si irregularitas non sit occulta, potest Episcopus dispensare ob defectum natalium, ad ordines minores et beneficia simplicia c. *Is qui, de Filiis presbyter.* in 6. ideoque et canonicatus Collegiatae: non vero ad canonicatus Cathedralis; quia iis nunc ex decreto Trid. sess. 24. c. 12. annexus est ordo sacer. Ad ordines sane maiores quemadmodum et ad beneficia curam animarum habentia, nequeunt Episcopi cum illegitimis dispensare, eod. c. cit.

Idque valet, etsi defectus natalium sit occultus; non iuvantur scilicet Episcopi privilegio Trid. quod permittit eos dispensare in irregularitate et delicto occulto, quatenus haec sit irregularitas ex delicto; quia oritur ex delicto parentum. Nam in iure haec irregularitas recensetur inter irregularitates ex defectu atque delictum, unde irregularitas oritur, intelligitur proprium, non alienum. S. Alph. n. 49. Cf. tamen dicta ex Pichler n. 274. 5°.

527. Quod spectat ad excommunicationes, eadem Trid. Syn. l. c. subdit: *(Liceat Episcopis)* et in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicae reservatis, delinquentes sibi subditos in dioecesi sua, per se ipsos aut per vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae, gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae, eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum ». Hanc facultatem Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis* temperavit, excipiens casus Romanae Sedi *speciali modo* reservatos.

Verba: *aut per vicarium ad id specialiter deputandum,* non postulant deputationem fieri pro singulis casibus particularibus, quibus oporteat absolvere; nam verba Trid. optime verificantur, sive delegatio

generalis concedatur, dummodo facultas specificetur: sive singulis vicibus actu quis deputetur. S. Alph. n. 34.

Inquiens Syn. « a casibus occultis *etiam sedi Apostolicae* reservatis », innuit (nisi illud *etiam* eo spectet tantum ut nectat secundam hanc facultatem quoad casus occultos, cum praecedente circa irregularitates et suspensiones) alios esse casus aliis reservatos, a quibus, si occulti sint, absolvere valeant Episcopi. Quinam hi vero sunt? non qui in iure reservantur Episcopis, pro quibus opus haud erat, fieri a Synodo facultatem Episcopis, ubi quid novum ipsa statuit in eorum favorem. Restat, ut sint casus, quos singuli Episcopi sibi reservant etiam cum censura, a quibus, si casus occulti sunt, licet alieno Episcopo in foro conscientiae, absolvere subditum reservantis, apud se commorantem. Sed Synodus loquitur de subditis absolventis. S. Alph. eam doctrinam non improbat, sed duarum meminit conditionum seu limitationum n. 35.: altera est, quod reservatio et censura latae sint per statutum, non per sententiam particularem; hac scilicet intercedente, reus a solo reservante aut eius superiore absolvi potest: altera est, quod poenitens non confugiat ad alienum Episcopum in fraudem reservationis.

528. Quaestio fuit, an facultas Trid. intelligenda sit concessa Episcopis pro casibus et suspensionibus etiam post Trid. reservatis. De qua quaestione haec habet Ballerini.

« An Episcopi absolvere possint a casibus post Tridentinum reservatis, si occulti sint, non una fuit DD. sententia. Pro affirmativa sententia steterunt Bonacina, Mazzuchellus, Peregrinus, Bossius, Gavantus et Suarez a Diana allegati (tom. 3. tr. 3. res. 27. n. 2.), quibus s. Alphonsus (lib. 6. n. 594.) addit Sanchez, Sorbum, Delbene, Renzi, Beia, Mazzotta et ipsum Diana, qui has rationes affert (l. c.): = Probatur haec opinio, quia licet Concilium verba praeteriti temporis utatur, extenditur tamen etiam ad futura propter naturam legis, cuius est proprium comprehendere futura ut habetur cap. fin. *de Constit.* et ibidem Doctores. Et confirmatur ex l. *Ariani* C. *De hereticis*, ubi habetur legem semper esse in viridi observantia et semper loqui: Concilium autem generale vim legis habet. Tum quia Concilium concedit Episcopis dictam facultatem generaliter, non distinguendo inter reservationes praeteritas et futuras, ergo generaliter est intelligendum (l. *Pretio* ff. *de publ. in rem. action.*, et cap. *Solitae* §. fin. *de Maior., et obed.*): tum quia facultas absolvendi, quae datur in iubilaeis, extenditur ad peccata futura: tum quia Concilium in dicto decreto ponit regulam generalem circa Reservationes pontificias, ut nimirum intelligantur de criminibus publicis, non vero de occultis cum limitatione in eodem decreto posita; tum demum quia tam in reservatis, quam in

reservandis est eadem ratio absolutionis, si sunt occulta ac proinde debet in utrisque esse eadem legis dispositio. Cur enim minor erit Episcoporum auctoritas in novis reservationibus, quam in antiquis? = ».

« Hisce rationibus accedit argumentum petitum ex Sixti V. Constit. *Effraenatam* 29. Octobr. 1588. contra procurantes abortum. Dum enim sibi reservabat tum absolutionem a peccato et censura, tum dispensationem ab irregularitate quoad clericos huius criminis forte complices, expresse derogandum censuit privilegio Episcopis concesso a Tridentina Synodo, ut ab occultis papalibus possint absolvere. Atqui nihil opus fuisset huic privilegio derogare, si ad casus post Tridentinam Synodum reservatos privilegium se non extenderet. Ergo ».

« Et s. Alphonsus quidem (l. c.) concedit, *haec valde probabiliter affirmari;* censet tamen, non satis solidum esse responsum, quod praefati DD. reddunt obiicientibus Declarationem Gregorii XIII., dum respondent, *de ea non constare authentice.* Contra vero opponit s. Alphonsus auctoritatem Fagnani, qui (*in* c. *Dilectus de Tempor. Ordin.* nn. 30.-33.) dum generatim thesim statuit, non posse Episcopos absolvere ab occultis reservatis nova Constitutione post Tridentinum, subdit, *sic censuisse s. Congregationem.* Quae quidem Fagnani thesis atque allegata Declaratio alioqui subverteret etiam s. Alphonsi sententiam, quam subiiciemus ».

529. « Ceterum plane dicendum videtur, rationes pro ea thesi a Fagnano allatas valde claudicare. Et sane primo ipse ex eo arguit, quod hodie Episcopus absolvere non possit ab haeresi aliisque casibus in Bulla Coenae reservatis, *licet sint occulti.* Atqui perperam ex his ad alios casus arguitur. Quippe facultas absolvendi a casibus, etiam occultis, in Bulla Coenae reservatis, ex DD. sententia Episcopis fuit adempta vi clausulae *derogatoriae cuiusvis Concilii decretis*, quae iuxta Benedictum XIV. *de Syn. Dioec.* lib. 9. cap. 4. n. 8.) post Card. De Lugo *de Fid.* disp. 23. n. 48.) apponi eidem Bullae sub Gregorio XIII. coepit. Haec autem clausula in aliis Constitutionibus, quae casum aliquem S. Pontifici reservant, minime reperitur ».

« Arguit deinde Fagnanus ex responsione Archiepiscopo Florentino reddita sub Gregorio XIII. Nam = cum dubitasset (rem narro eiusdem Fagnani verbis) Archiepiscopus Florentinus, an vigore cap. 6. sess. 24. posset absolvere monialem, quae occulte et ad malum finem fregerat clausuram, non obstante Bulla Pii V., quae videtur habere locum in casu publico, variatum est sententiis. Nam ex decem Cardinalibus tres censuerunt, Bullam intelligendam esse etiam in occultis; quia illius verba sunt generalia, et est tantum exceptus casus in articulo mortis etc. et quia iam declaratum, Bullam Coenae Domini,

quae prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis et quia cum Bulla sit confecta post Concilium, censetur derogasse Concilio. Quatuor censuerunt, eam Bullam non habere locum in casibus occultis. Reliqui autem tres dixerunt, agendum cum Sanctissimo, qui declaravit, Bullam Pii V. habere locum etiam in occultis... Unde postea s. Congregatio generaliter consulta: An si monialis alicuius monasterii, iurisdictioni Regularium subiecti, secreto deliquerit in materia clausurae, in foro conscientiae absolvi possit, vigore eiusdem Decreti, ab Episcopo, cui tanquam Delegato in iis, quae ad clausuram pertinent, auctoritas tributa est Decreto cap. 5. sess. 25. *de Regularibus*, stante praedicta Bulla Pii V., respondit: NON POSSE =. Haec Fagnanus. At enim et hoc argumentum eodem, ac praecedens, vitio laborat. Nam 1° Declaratio Gregorii XIII. afficit unice Constitutionem s. Pii V. circa clausuram monialium. 2° S. Congregationis responsio, quae additur, ad casum dumtaxat violatae clausurae spectat. 3° Imo alia responsionis huius negativae ratio suppetebat; quippe potestas facta Episcopo ceu Delegato Sedis Apostolicae circa clausuram monialium exemptarum, nullam iurisdictionem circa ipsas exemptas illi tribuit (vid. s. Alphons. lib. 6. n. 602. q. VII.). Quinimo haec potior videri potest ratio, cur negata sit facultas. Nam alioqui cum moniales censerentur inter personas ab Urbe adeunda impeditas et ex communi sententia sic impeditus non teneretur per litteras absolutionem quaerere (vid. s. Alph. lib. 7. n. 89.), ex iure communi facultas absolvendi facta fuisset Episcopo, nisi monialis exempta ab Episcopi iurisdictione, alium habuisset Ordinarium. Fagnani ergo rationes circa quaestionem generalem concludunt nihil ».

530. « S. Alphonsus l. 6. n. 504. in fin., memorata ex Fagnano praemissae Declarationis historia, censuit, Declarationem illam non quidem ad omnes Constitutiones extendendam, sed ad illas tantum, quae iisdem clausulis sint munitae: qua in re a Fagnano, uti patet, discedit. Ita ille: « *Animadvertendum cum eodem Fagnano in* c. *Quoniam De Constit.* nn. 29.-30., *facultati a Tridentino Episcopis concessae in dicto* c. Liceat, *derogatum fuisse pro casibus contentis in duabus Bullis, nempe in Bulla Coenae et in hac praefata s. Pii V. propter clausulas derogatorias, nempe in prima:* Non obstantibus decretis cuiusvis Concilii *et in hac secunda:* Nisi in mortis articulo. *Hinc dicimus, quod quaelibet Bulla, ubi adsunt praedictae clausulae, aufert facultatem Episcopis absolvendi casus occultos Papae reservatos: non vero aliae Bullae, in quibus nulla adest derogatoria clausula, ut Diana* p. 7. tr. 2. res. 22. ».

« Verum ista theoria nec Dianae adscribi debet, nec Fagnano. Non Dianae, quippe l. c. excipit quidem, nisi *in nova Constitutione adsit clausula sufficienter derogans huic decreto Concilii;* at nuspiam dicit, eiusmodi clausulam contineri verbis: *Nisi in mortis articulo.* Non Fagnano qui *(in citat. c. Dilectus)* ad quaslibet reservationes Tridentino posteriores suam doctrinam extendit: alibi vero *(in cit.* c. *Quoniam)* mere dicit, S. Congregationem declarasse: *Ex Bulla Coenae sublatam esse facultatem Episcopis tributam decreto Concilii* cap. 6. sess. 24. *et similiter ex Bulla Pii V. ademptam esse facultatem Episcopis competentem* (*ex eodem cap.* Liceat) *absolvendi moniales secreto delinquentes in materia clausurae.* De clausulis vero eiusdem Bullae s. Pii V. nihil omnino habet. Quod ergo ex sua sententia addit s. Alphonsus, id intelligendum esse de quavis Constitutione habente clausulam: *Nisi in articulo mortis,* id utique, ut sup. vidimus, dixerunt tres Cardinales in Congregatione, allatis rationibus, quae magni ponderis esse non videntur; quod autem pretium aliquod insit huic ipsorum opinioni, nemo definivit, nec ullo modo constat, Gregorium XIII. id prae oculis in sua Declaratione habuisse. Quocirca extensio ista ad alias Constitutiones, spectato principio cui nititur, haud satis firma videtur ».

531. « Levioris denique momenti ea sunt, quae de Decreto seu Declaratione a Fagnano memorata habet Caietanus Giraldi tum in *Exposit. Iuris Pontif.* Part. 2. sect. 132. tum in *Notis ad Thesauri opus De Poenis ecclesiasticis* part. 1. c. 22. Sic enim de hac re scribit: = Quia a Fagnano non indicatur, quo anno primum hîc a se citatum decretum emanaverit, ne in dubium revocetur eius emanatio, diligenter a me pervolutis Regestis s. Congregationis Concilii, illud reperi emanatum fuisse mense Ianuario 1589. in Responso ad Postulatum XII. quod inter alia eidem Congregationi fecit Gaspar Vicecomes, Archiepiscopus Mediolanensis, occasione visitationis ad sacra limina. Cum enim dictum postulatum XII. expresserit italico idiomate, quod in latinum versum sonat: *Quia multoties accidit, incurri censuras reservatas Sedi Apostolicae, contraveniendo Constitutionibus Papalibus emanatis post Concilium Tridentinum, desiderat Archiepiscopus facultatem absolvendi contravenientes, qui aliquando remanent diutius censuris obstricti, cum non habeant modum obtinendi absolutionem a Romana Curia, potissimum circa clausuram monialium et Regularium virorum* prout reperitur l. 5. Decret. pag. 239.: s. Congregatio abstinuit a concessione Postulati, sed dumtaxat tacite confirmavit, quod circa huiusmodi facultatem sentiebat ipsemet Archiepiscopus per haec praecisa verba, mense Ianuario 1859. prout reperiuntur cit. lib. 5. pag. 240. *Reservationes casuum de novo post Concilium non compre-*

henduntur in cap. 6. *sess.* 24. *de Reform., et praesertim super clausura monialium.* Quam declarationem Gallemart ad hoc idem caput refert confirmatam fuisse a Gregorio XIII. Ex quibus patet, qui sensus Episcoporum fuerit post quasi proximam Tridentini publicationem circa facultatem ipsis tributam cit. cap. 6° = ».

« Dixi, *haec levioris esse momenti;* nam quisnam, rogo, qualecumque hoc *responsum* (si *responsi* nomine digna est mera postulatae facultatis negatio) admittat ceu primum s. Congregationis de hac re decretum, quod deinde Gregorius XIII. confirmaverit, quando Postulatum istud Archiepiscopi Mediolanensis oblatum dicitur mense Ianuario an. 1589., Gregorius autem quadriennio ante e vivis iam decesserat? Deinde vero quid haec, quam sibi fingit Giraldi, TACITA RESPONSIO commune habet cum Decreto, quo s. Congregatio iuxta Fagnanum EXPRESSE responderit illud, NON POSSE? Imo quid commune habet quaestio circa casus occultos, de qua Fagnanus, cum Postulato Archiep. Mediolanensis, in quo facultas absolvendi petitur absque ulla inter casus occultos aut non occultos distinctione? Tota ergo argumenti vis in eo tandem residebit, quod in supplici libello expressa reperiatur ea Postulatoris opinio. At vero confundine debet privata Episcopi postulantis opinio cum Decreto s. Congregationis, quae nihil de ipsa respondet? Sane si novus hic canon statuatur, et si opiniones, quas Postulator in supplici libello expresserit, habendae sint ceu totidem s. Congr. Decreta, iam a s. Congregatione hoc neque definitum dicemus, Episcopum a casibus papalibus absolvere eos non potuisse, qui quominus Pontificem pro absolutione adirent, legitimo detinebantur impedimento! Nam in eodem libello facultas petitur absolvendi eos, qui secus *remanent* (sunt verba Postulati) *diutius censuris obstricti cum non habeant modum obtinendi absolutionem a Romana Curia;* nec tamen s. Congregatio isti petitioni annuendum censuit, sed facultatem illos absolvendi negavit. Concludamus itaque, multam Giraldi operam in Regestis s. Congregationis perscrutandis non modo nihil contulisse ad evincendam authentiam Declarationis, de qua quaestio est, sed contra, cum quidpiam melius in iisdem Regestis, utut diligentissime pervolutatis, non invenerit, gravissimam potius suspicionem merito iniecisse, Prosperum Fagnanum, qui caecus opus suum dictavit, lapsum memoria esse et Declarationem istam reipsa nunquam exstitisse ».

532. « Sed ne illa quidem controversiam omnino dirimunt, quae ex *Cremonensi* 4. Decembris 1632. referuntur in alia s. Severinae 28. Maii 1796., ubi secretarius haec narrat: *Inhaerens* (s. Congr.) *declarationibus alias factis rescripsit, Episcopos vigore* cap. 6. sess. 24. *de Reform. non posse absolvere nec dispensare in casu haeresis, neque*

in aliis nova lege post Concilium Sedi Apostolicae reservatis. Verum in his casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utique transferri in Vicarium Capitularem etc. Et sane heic non satis apparet, num illa *nova lex* pro ea accipi debeat, quae more consueto peccati absolutionem Sedi Apostolicae reservat, an vero sumi pro ea debeat, quae solum exceptionem apponit facultati Episcopis per illud cap. 6. concessae circa casus occultos, cuiusmodi habentur Const. Pii V. quoad clausuram monialiam et Gregorii XIII. circa casus Bullae Coenae. Porro nisi hoc certe definiatur nihil ex hisce concludi reipsa potest. Ceterum si consequentia inspiciantur, profecto diceres, reservationem illam posteriori hoc sensu accipiendam esse. Sequitur enim: *Verum in his casibus, in quibus Episcopis* TALIS FACULTAS NON EST ADEMPTA etc. Ergo contextus exigit, ut antecedentia intelligantur de *nova lege*, per quam *talis potestas sit adempta.* Atqui talis potestas nulla est alia, quam quae per cap. 6. conceditur Episcopis circa casus occultos. Ergo *nova lex* heic intelligenda est, qua Pontifex post Tridentinum exceptionem seu limitationem apposuerit facultati Episcoporum circa occulta, non vero qua generatim casum aliquem Apostolicae Sedi reservaverit ».

« Et haec quidem dicta fuerint de statu controversiae, prouti ex rationibus, quae afferri consuevere ab utraque dissidentium parte, iudicare hucusque licuit. Nam quod Sedes Apostolica facultates per c. *Liceat* Episcopis concessas aut revocare potuerit, prout factum reipsa est, v. gr. quoad casus in Bulla Coenae contentos, aut illas potuerit ita circumscribere, ut v. gr. ad reservationes Tridentino posteriores non sese extendat, nemini dubium esse debet aut potest ».

533. « Ceterum post Constitutionem *Apostolicae Sedis* a SS. D. N. P. Pio IX. 12. Octobr. 1869. editam, iam, nihil dubitandum est, eiusmodi controversiam ceu definitam habendam esse. *Firmam tamen* (ait Summus Pontifex) *esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam* sess. 24. cap. 6. *de Reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedis hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedis speciali modo reservata declaravimus* ».

« Discrimen ergo inter vetus Ius et novum in eo residet, quod in priori exciperentur casus in Bulla Coenae contenti et censurae adversus violantes clausuram Monialium latae: in recentiori autem excipiantur tantummodo casus speciali modo Apostolicae Sedi reservati, qui sunt duodecim, quibus addenda sunt 1° *interdictum* contra universitates, Collegia et Capitula ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia: 2° (ex Declarat. s. Offic. Inquis. 17. Iun. 1866. et

4. April. 1871.) casus personae cuiuscumque sexus *falso denunciantis* Sacerdotem de sollicitationis crimine in Confessione ». Hactenus Ballerini.

Quoniam Pius IX. non dixit indefinite, firmam manere facultatem a Tridentino concessam Episcopis, sed definite, nempe *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi* HAC NOSTRA CONSTITUTIONE *reservatis:* patet, quoad alias deinceps, quae a Sede Apostolica reserventur, eandem quaestionem, quae prius exstitit, habituram locum et eodem pacto, ac indicatum modo est, solvendam fore.

Itaque et nunc per const. *Apostolicae Sedis,* sicut olim per Bullam *Coenae*, adempta est Episcopis facultas absolvendi occultos haereticos. « Bene tamen, ait s. Alph. n. 39., potest Episcopus, ut delegatus Apostolicus, absolvere haereticum notorium, quoad forum externum, facta prius abiuratione coram notario et testibus et postquam absolutus fuerit ab Episcopo delinquens, tunc poterit ipse absolvi a peccato haeresis a quolibet confessario ».

534. Porro excommunicationes latae sententiae Episcopis reservatae, per Const. *Apost. Sed.*, tres sunt. His feriuntur 1° Clerici in sacris constituti vel Regulares aut moniales post votum sollemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes atque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2° Procurantes abortum, effectu secuto.

3° Litteris apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.

Item levis percussio clerici et gravis facta a femina, puero aliave persona Romam pergere impedita, absolvi potest ab Episcopo. Cf. cc. 17. 26. 58. *de Sent. Excomm.* et Const. *Apost. Sedis,* §. 2. n. 2.

Cetera cf. in tr. *de Censuris.*

535. Quod spectat ad Missae sacrificium Bonifacius VIII. (c. fin. *de Privil.* in 6°) concessit Episcopis, ut non solum in domo sua episcopali, sed in quavis alia domo, etiam extra dioecesim, ubi diversentur, possint, quandiu ibi maneant, altare viaticum habere ibique celebrare ac celebrari facere, praesentibus ipsis, ait s. Alph. n. 63., quia est privilegium personale. Non licet autem ipsis, e suo domo vel hospitio egressis, in aliena domo, amicitiae causa vel alia simili, celebrare. Const. Clementis XI. 15. Dec. 1703. Illud privilegium adhuc durat (cf. heic in fine) pro titularibus quoque, et valet, etiamsi in eadem domo iam aliud oratorium privatum haberetur. Ita s. R. C. 22. Aug. 1818. (cf. *Monit. eccl.* V. 8. p. 1. pag. 241.).

Circa matrimonium non pauca Episcopis licent. 1° Dispensare possunt a denuntiationibus publicis praemittendis celebrationi sacramenti. Trid. Syn. sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrim.*

2º In impedimentis *impedientibus:* exceptis his nempe voto castitatis perpetuae, voto Religionis, sponsalibus et disparitate cultus inter catholicum et haereticum atque dissensu rationabili parentum.

3º In impedimentis, quae contracto matrimonio *superveniant,* quibus impeditur facultas petendi debitum; si e. gr. coniux carnale commercium cum consanguinea alterius habuerit, aut votum castitatis emiserit.

4º Etiam a voto perpetuae castitatis ante matrimonium emissum, potest Episcopus coniugem eo pacto dispensare, ut iura matrimonialia licite valeat exercere.

Quoad impedimenta dirimentia tum in causa necessitatis, tum si sint occulta, possunt plura Episcopi et praeterea delegari eis solet ampla plus minus in aliis casibus facultas: sed de his tr. *de Matrim.*

Quid possint circa vota et iuramenta Episcopi, dictum est vol. II. n. 707. seq.

536. Tandem quod alios speciales casus, dispensare possunt, in iis, quae communiter eveniunt, ut in ieiuniis, auditione Missae, officio divino pro certis casibus vel ad breve tempus: non tamen in his et similibus totam communitatem seu dioecesim, sed personas particulares. Item in omnibus statutis seu legibus, quae habent *clausulam: donec dispensetur.* Cf. dicta vol. II. 403.

Possunt dispensare ab interstitiis ordinationum. Trid. Syn. sess. 23. c. 11. *de Reform.*

Possunt extra dioecesim sibi eligere confessarium, qui vel sit eorum subditus, vel approbatus ab Ordinario loci, ubi eligitur, atque hunc extra dioecesim quocumque ducere et apud eum confiteri. S. Alph. l. c. n. 65.

Possunt suspendere clericos *ex informata conscientia:* qua de re in Tr. *de Censuris, de Suspensione.*

Nuper ss. Leo XIII. decreto Urbis et Orbis 1896. 19. Maii et 8. Iun. concessit, Episcopis omnibus sive dioecesanis sive titularibus privilegium, quo iam Cardinales gaudebant, scilicet, ut non solum ipsi in propriae habitationis Oratorio aut supra ara portatili ubicumque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missam audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant, contrariis non obstantibus quibuscumque ».

CAPUT III. (a)

* DE STATU ET OFFICIO QUARUMDAM PERSONARUM SECULARIUM * PRAESERTIM IUDICIALIUM

DUB. I.

Quae requirantur ad legitimum iudicium.

1. Resp. Haec tria. Primum est iurisdictio, sine qua sententia nulla est et peccatur mortaliter, ut ex s. Thom. 2. 2. qu. 60. habet communis. Quare peccat Iudex secularis, si personas aut causas mere ecclesiasticas ad se trahat; uti et ecclesiasticus, si mere civiles, nisi forte per accidens, ob defectum iustitiae in foro seculari, aut nisi sint causae miserabilium personarum. Porro, quae causae dicantur mere civiles, quae ecclesiasticae, quae et mixtae, nosse oportet iudices et iurisperitos potestque videri apud Laymann l. 4. c. 2. Card. de Lugo d. 37. s. 3.

Secundum, Rectus processus, v. gr. ut citetur reus et audiatur etc. Nisi forte expediat aliquando, cum delicta sunt atrocia, in flagranti crimine deprehensos subito plectere, vel in criminibus exceptis communem procedendi modum mutare; nam iudici supremo, (dummodo crimen sit publicum) aliquando licere, sine citatione, defensione et omni processu, rem morti adiudicare, eo quod factum notorium et publicum sit loco accusatorum et testium neque reo ius defendendi se in iudicio relinquat, docent Navar. c. 2. num. 10. Less. Fill. Bon. d. 10. *in Praecep.* q. 2. num. 5. p. 2. Vide etiam Card. Lugo d. 37. s. 5. Trull. l. 8. c. 1. d. 13. Ubi tamen bene notandum, quod, et si talia crimina excipiantur a communi dispositione legis positivae et iuris communis, non tamen legis seu iuris naturae: ideoque graviter peccare Iudicem, qui in tali processu v. g. contra Sagas, quidvis licere putat. V. *Cautionem criminalem* c. 17. 18. 37. et seq.

Tertium, Recta intentio, ut scilicet procedatur ex intentione iustitiae. Unde si iudex procedat ex odio aliove fine malo, v. gr. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra iustitiam, sed caritatem aliamve virtutem, mortaliter aut venialiter, prout finis illius mortalis aut venialis erit. Bon. d. 10. q. 2. p. 3.

537. Haec tractatio propria est iuris civilis vel canonici: nobis satis erit in his quaestiones attingere, quae ad mores plus minus proxime spectant, ut facit ipse A.

Primo requiri dicit A. *iurisdictionem* sive, ut ait s. Thomas 2. 2. q. 60. a. 6., *publicam auctoritatem:* eadem scilicet auctoritas, quae leges condit, eas coactive h. e. necessitate imposita obediendi, applicare potest.

Qui ergo sententiam fert in eum, in quem iurisdictione caret sive in non subditum, pervertit ordinem iuris et iniuste agit tum erga societatem, cuius auctoritatem usurpat, tum erga non subditum, quem contra ius cogit: peccatum proinde est ex genere mortale. Hoc peccatum dicitur *usurpationis iudicii.*

(a) Paucissima heic quoque, sicut in praecedentibus duobus capitibus, reliquit Ballerini, quae dabimus suo loco.

Fieri tamen potest, ut peccatum leve sit, vel quia materia levis est et exiguum damnum illatum ei, contra quem sententia fertur, vel quia levis est perversio ordinis iuris, quod potest e. gr. accidere, cum plures in eundem iurisdictionem habent, exercendam tamen ab eo qui praeoccupat alios, si quis ex istis iudicium usurpat.

Si iudex secularis personas ecclesiasticas aut causas mere ecclesiasticas ad se trahat, peccat non solum contra iustitiam, sed etiam contra religionem. Patet ex dictis cp. praeced. de privilegio fori. Excipe, quoties vel legitima consuetudo vel concordata cum s. Sede inita id permittant.

Perpende duplicem excommunicationem in Const. *Apostolicae Sedis* reservatam speciali modo Romano Pontifici sub nn. 6. 7. Altera est in « Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum seculare eiusve mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes ». Altera est in « Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae ».

Hac non plectuntur iudices laici subordinati, qui de personis ecclesiasticis iudicant, sed qui eos iudicare cogunt: priorem vero incurrere possunt, si se iniuria ingerentes impediant, ne iudices ecclesiastici iurisdictionem suam exerceant. Sed cf. dicenda *de Censuris*.

Ceterum, si christianorum societas regatur ab hostibus Ecclesiae, ut idcirco iudices laici, si iudices esse velint, cogantur et de personis ecclesiasticis contra legem Ecclesiae, iudicare; facultate ii se muniant a legitima ecclesiastica auctoritate. Interest sane et Ecclesiae et reipublicae, ut in tanta ordinis perversione iudices saltem sint viri honesti. Quocirca non aegre ea facultas, dummodo ius divinum aut naturale non obstet, concedetur et si identidem peti nequeat, poterit praesumi. Et haec quoad ea loca, ubi vel legitima consuetudo vel concordata iam istud non statuerint.

538. Iudex quoque ecclesiasticus peccat peccatum usurpati iudicii, si causas mere temporales iudicare velit; quia et ipse in his iurisdictione caret. C. *Cum quidam* §. 1. *de Exceptionibus* in 6.

Causae autem mere temporales non sunt causae omnes rerum temporalium sed causae rerum, quae per se temporales sunt neque ad spiritualia ordinantur, cuiusmodi sunt e. gr. decimae.

Exsistente enim eo ordine, iam res sunt ecclesiasticae et de competentia ecclesiastici fori.

Praeterea cum in qualibet causa quaestio occurrere possit, an id in

conscientia liceat necne, an sit necne peccatum, huius rei iudicium ad ecclesiasticos iudices spectat, ut bene Innocentius III. declaravit c. *Novit, de Iudiciis.* « Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (regem) spectat iudicium... sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus... Nullus, qui sit sanae mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocumque mortali peccato corripere quemlibet christianum et si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere ».

A. secutus Laymann l. 3. tr. 6. c. 1. n. 2. inter causas temporales, quas iudex ecclesiasticus iudicare potest, memorat causas miserabilium personarum ; eo quod specialis eorum tutela sit a Domino commendata Ecclesiae ideoque, munere suo non fungentibus iudicibus laicis, debet Episcopus causas earum personarum suscipere, si tamen possit.

Igitur potest iudex ecclesiasticus compellere personas seculares ad solvendas decimas, ad solvendas contributiones secularibus impositas pro reparatione ecclesiarum, ad restituenda aliena, ne in peccato exsistant etc. Cf. Lugo *de Iust. et Iure* d. 37. n. 19.

Causae proinde, quas vindicare sibi per se nequit iudex ecclesiasticus, sunt eae, in quibus contentio est de re non ecclesiastica, sed seculari atque inter laicos vel saltem ubi reus laicus sit. Cf. dicta cp. praeced. l. cit.

Diximus *per se;* quia ut iam s. Thomas perpenderat art. cit. ad 3^m^, olim plures causae seculares a seculari potestate relinquebantur ecclesiae quoque iudicandae: quem morem iam tetigimus in tr. VIII. P. 3. n. 41. in nota. Et conferri potest quod in hanc rem refert Innocentius III. c. *Novit, de Iudiciis* constitutum ab Imperatore Theodosio (quod refert Gratianus c. 35. *Quicumque* caus. 11. q. 1.) atque innovatum a Carolo M.

539. Cum dicit A. nullam esse sententiam latam ab eo, qui caret iurisdictione, s. Alph. limitationem intra parenthesim addit: *nisi adsit titulus coloratus et error communis, ut communiter Salmant.* Quibus verbis non vult dicere: in hac hypothesi sententiam valere, etsi iurisdictio desit, sed in hac hypothesi iurisdictionem haberi ; eo quod ipsa a potiore auctoritate suppleatur. Queritur ergo, ait Lugo n. 20., de iudice existimato, cum tamen vere non sit iudex (idem dic, si, etsi legitimus iudex, non tamen sit competens in hac vel illa causa), an eius sententia sit valida et licita. Conferendus Sanchez *de Matrim.* l. 3. disp. 22. Quod de iudice quaeritur, valet et de quolibet iurisdictionem exercente in republica vel Ecclesia, ut idcirco Doctores generatim de iudice simul et de parocho loquantur.

Communis est doctrina, sententiam hanc esse validam; quia, ait Lugo n. 20., respublica tam in iure canonico quam in civili, propter communem utilitatem supplet defectum verae iurisdictionis et dat auctoritatem et valorem illis omnibus, ad vitanda incommoda et perturbationes, quae ex illo communi errore orirentur, ut constat ex l. *Barbatius* Dig. *de Officio Praetoris* et c. 1. caus. 3. q. 7. Suppletur autem defectus auctoritatis non hoc pacto, ut illi iudici habitualis conferatur auctoritas, quae in ipso praeexsistat antecedenter ad singulos actus; hoc enim proprium est eorum, qui vere potiuntur iurisdictione neque id opus est, ut incommoda evitentur. Sed hoc pacto iurisdictio suppletur, quatenus singulis vicibus, quoties actus iurisdictionis ponitur, consequenter auctoritas ei praestatur ut valeat. Est proinde suppeditatio iurisdictionis non permanens, sed transiens, non antecedens ad actum, sed consequens, facta nimirum hypothesi quod actus exerceatur.

Digesti lex haec continet: « Si servus, quandiu latuit, dignitate praetoria functus sit, quid dicemus? An quae dixit, quae decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt? Et verum puto, nihil horum reprobari; hoc enim humanius est, cum populus romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem ». Haec lex ab Ecclesia quoque acceptata merito censetur atque ita censuit Gratianus.

Sane quod citatur ex c. 1. caus. 3. q. 7. verba sunt Gratiani: « Veruntamen si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sentsntiam dixit, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei iudicatae firmitatem tenet ».

Patet, requiri, ut talis sententia valeat, errorem communem, quo iudex vulgo habeatur pro legitimo iudice ideoque defectus eius sit occultus.

Porro ut error censeatur communis, satis est quod occultus sit defectus eo in loco, ubi iudex exercet munus iudicis, etsi alibi defectus eius sit publicus: imo etsi in eodem loco olim fuerit publice notus, dummodo nunc in oblivionem abierit. Ratio est, quia his conditionibus existentibus iam extat ratio cur respublica, propter commune bonum, suppleat iurisdictionem.

540. Quaestio est, an requiratur titulus *coloratus:* praeter enim titulum verum, duplex distinguitur titulus fictus seu apparens: *coloratus* scilicet et *existimatus*. Titulus heic in iudice est ipsa auctoritas iudicandi seu quod sit iudex: porro titulus *coloratus* est, cum quis utique accepit potestatem iudicis ab eo, qui poterat eam dare, ipse tamen propter occultum defectum vel non erat capax accipiendi vel postea amisit. Talis est (Lugo l. c. n. 21.) Parochus excommunicatus

vel per simoniam accipiens beneficium, occulto exsistente crimine: huius electio nulla est nec est reapse parochus: habet tamen titulum coloratum; quia a vero superiore accepit beneficium.

Si vero desit collatio seu institutio per eum, qui possit auctoritatem et ius conferre, sed solum quis per fraudem aut vim in officium subrepsit vel ab eo est institutus, qui non poterat instituere, puta parochus a civili gubernio; putatur tamen communi errore verus parochus, titulus habetur non coloratus sed simpliciter *existimatus*, situs nempe in sola populi existimatione, nulla legitimi superioris intercedente institutione.

Iam vero satis esse, si cum communi errore concurrat titulus coloratus, convenit inter Doctores nec aliquid amplius postulari potest, ubi titulus verus non postulatur. Sed quaeritur, an satis sit quoque titulus solum existimatus, vel requiratur titulus coloratus, h. e. collatus a superiore, quamvis invalidus sit ob aliquod vitium occultum.

541. Requiri titulum coloratum affirmat disserte Sanchez disp. cit. n. 49. atque hanc esse communem sententiam testatur Lugo n. 23., a qua ait non esse recedendum; licet oppositam videri posse non improbabilem concedat: perperam autem in contrarium ipse citatur *de Poenitentia* Disp. 19. n. 30. Ita sentit etiam Laymann *de Legibus humanis* c. 22. n. 9. Suarez *de Censuris* Disp. 2. sect. 4. n. 3.: ita quoque Lessius l. 2. c. 29. n. 65. seqq. cf. n. 66. perperam et ipse pro contraria sententia citatus. Communiorem hanc sententiam dicit s. Alph. l. 6. n. 572.

Difficultas contra hanc sententiam sive argumentum affirmantium sufficere titulum existimatum (cf. Gury vol. 2. §. 548.) in eo est, quod eadem ratio, quae valet ut suppleatur auctoritas, exsistente titulo colorato, valet quoque exsistente solum titulo existimato sive existente tantum errore communi, qui putat titulum adesse.

Nam 1° eadem inconvenientia et incommoda, non suppleta auctoritate orirentur, etiam cum titulus est tantum existimatus et 2° cum titulus est coloratus, ratio cur suppleatur auctoritas, est tandem ipse error communis, cuius ut damna evitentur, suppletur ab Ecclesia vel societate auctoritas iudicis: atqui error communis idem est in utraque hypothesi. Hanc sententiam probabilem habet s. Alph. l. 2. n. 572., probabiliorem Gury l. c.; quamvis aliqui Doctores, quos pro ea citat, aliter prorsus sentiant.

542. Nihilominus qui titulum coloratum exigi putant, advertunt 1° textus iuris, qui afferuntur, supponere *collationem* factam (etsi invalide) auctoritatis; aiunt enim: « cum populus romanus etiam servo *potuisset decernere hanc potestatem* »; ponitur scilicet ille servus de-

cretus praetor et affirmatur, potuisse rempublicam id decernere: atque ita sane in initio legis narratur, Barbatium nempe, servum fugitivum, Romae petiisse praeturam ac fuisse praetorem designatum. Item aiunt: « *ex delegatione* sententiam dixit ».

Advertunt 2. cum collatio adest, tunc ipsa respublica aut Ecclesia est quae illum iudicem populo proponit atque eo ipso hortatur imo iubet a populo suscipi: hinc fit, ut ne videatur superior cooperari deceptioni et detrimento populi, suppleat ille, quantum potest, defectus occultos. At deficiente collatione legitimi superioris, ille intrusus est causa adaequata illius deceptionis ideoque non mirum, quod tunc superior nolit supplere defectus. Hinc apparet 2^m^ argumentum prioris sententiae haud satis firmum esse.

Advertunt 3° si, exsistente solum titulo existimato sive solo errore communi absque collatione, utut invalida, tituli, suppleretur a republica vel Ecclesia auctoritas iudicis, graviora forte incommoda orirentur contra commune bonum, quam si non suppleretur. Hoc enim posito, « sequitur, ait Lugo n. 23., quod si aliquis malitiose se legatum Papae fingat et ostendat bullas falsas in testimonium suae potestatis, eo ipso istius acta futura sint valida in utroque foro, sicut si esset verus legatus Papae ». Idem dic de ficto et intruso Episcopo. Exempla his similia plura afferri possunt. Haec vero foret maxima perturbatio societatis: affirmare autem quod Ecclesia vel societas debeat huiusmodi intrusis connivere, subministrata sua auctoritate, durum profecto est. Cf. Lugo l. c. Ergo et prius argumentum contrarium nutare videtur.

Concludimus verbis cl. Lehmkuhl Vol. 2. n. 389. 2.: « Si sine titulo colorato solum error communis adest, multi quidem putant, Ecclesiam propter commune bonum, cui potissimum publica auctoritas provideat, etiam tum supplere: at quum nullam legem ecclesiasticam habeamus, quae id fieri statuat, neque consensus doctorum adsit (imo communius negetur), totum dubium manet » (a).

543. Ex dictis sequitur, 1° si error sit paucorum, iis suam ignorantiam non suffragari, ut in eorum favorem auctoritatis defectus suppleatur.

2° Si autem error sit communis, etsi aliqui occultum vitium noscant eos pariter non secus ac ceteros, huius ignorantiae privilegio frui.

3° Doctrinam hanc valere tam in iudice delegato, quam ordinario, e. g. tam in simplici sacerdote approbato, quam in parocho.

4° Etsi ipse iudex conscius sibi sit occulti vitii ac defectus iuris-

(a) Baller. tamen, ut videbimus in Tr. *de Poenit.* sentit cum Gury.

dictionis, id non obesse, quominus actus eius valeant, manifestum est; cum propter communem errorem auctoritas eis suppeditetur: sed quaestio est, an licite ipse actus iurisdictionis exerceat: quae est alia pars quaestionis ab initio (n. 539.) propositae.

544. Ut honestus sit actus exercentis iurisdictionem, oportet ut iurisdictio antecedat (natura saltem), quae sit ratio valoris actus: secus actus ponitur absque ratione et habetur usurpatio iurisdictionis et quamvis, exsistente errore communi, suppleatur ab aliquo superiore iurisdictio, id tamen ad utilitatem solum communitatis conducit, non ad honestandum actum usurpationis, qui in sua malitia relinquitur.

Tenetur proinde huiusmodi iudex officium dimittere vel curare, ut vitium occultum sanetur: interim tamen non raro continget ut id statim fieri nequeat; qua in hypothesi, dummodo poenitens facti paratus sit, quod oportet facere, non ei ad peccatum amplius imputabitur exercitium iurisdictionis.

Quia vero exsistente errore communi et titulo colorato (aut saltem existimato), actus eius valent, ideo nullum damnum aliis intulit propter hoc exercitium iurisdictionis ideoque ad nullam restitutionem tenetur.

Quaerunt heic Theologi de Tyranno, qui absque titulo rempublicam invasit, utrum peccet quoties iurisdictionis actus exercet et utrum nihilominus teneatur eam exercere, si nolit regnum dimittere. Sed de hac re iam alibi dictum Vol. II. n. 241.

545. A. secundo loco postulat *rectum processum:* de quo non est theologi disputare. Perpendimus tamen, quod ait A. de potestate supremi Iudicis h. e. Principis, puniendi identidem aliquem subditum absque omni processu: qua in re placet doctrina tradita a Lugo nn. 50. 51. Et primo advertit cum aliis, quod si agatur non de puniendo reo sed de impediendo malo imminenti Reipublicae, tunc posse Principem uti iure defensionis sibi a Republica commisso et hominem privato occidere. At si agatur non de exercitio iuris defensionis, sed potestatis punitivae; etsi quidam Iuristae affirment, posse Principem ex privata scientia punire delinquentem; communis tamen sententia negat, id licere *saltem regulariter*. « Ratio est, quia etiamsi Respublica haberet talem potestatem (de quo mox), non tamen est credibile, quod eam in Principem transtulerit, esset enim contra omne bonum regimen, dare uni homini potestatem super vitam omnium, sine alio testimonio, quam suo ».

Subdit: « dixi tamen *saltem regulariter:* quia dubium est, an in aliquo casu raro, ubi ex ordine iuridico maxima inconvenientia sequerentur, habeat Princeps talem potestatem ».

Exemplum sit, si quis violentiam intulerit Reginae solusque Rex id

sciat: censent quidam posse Principem, ex concessione tacita Reipublicae, occidere adulterum sine ullo strepitu iudiciali. In huiusmodi maxime casibus sententiam contrariam non esse improbabilem putat Lessius c. 29. n. 96. Nihilominus prosequitur Lugo: « contrarium tamen etiam in hoc casu verius est, ut fatentur fere omnes. Ratio autem universalis ea videtur esse, quod Respublica non habet ius contra vitam vel membra civium, nisi quando certo ipsi constat delictum; non potest autem certo constare per dictum unius, non ergo potuit maius ius in Principem transferre, quam ipsa habeat ». Addit Lessius l. c. n. 94.: « Ut sententia feratur ex publicis probationibus, non est mere iuris positivi, in quo Princeps possit dispensare; sed est iuris gentium, quod apud omnes est receptum et sub cuius onere et obligatione Respublica censetur suam potestatem in Principem transtulisse ».

Facile vides prius argumentum valere, etiamsi non admittas iurisdictionem a Republica in Principem dimanare: quae tamen est ratio rem concipiendi communis omnibus veteribus Scolasticis.

546. Aliud vero foret, si servato iuris ordine essentiali saltem, secreto ageretur iudicium et poena inferretur: id enim ob causas gravissimas identidem Principi licere, facile conceditur. Oporteret tamen, ad compescendas legitimas querelas futuras, monumentum authenticum interea servari huius processus, producendum, cum opus foret.

Item si in flagranti reus deprehendatur et factum sit publicum ac notorium, ita ut reapse nulla possit tergiversatione celari, pariterque (ut supponi puto) constet reum compotem sui fuisse et nonnisi iniuste facinus perpetrasse, aiunt notorietatem facti valere pro accusatione et testimoniis Lessius n. 100. et sic licere statim infligere poenam. Verum quae praeterea postulavimus et postulanda certe sunt, difficile et raro extemplo constabunt ideoque per iniuriam, absque aliquo processu, poena statim infligeretur.

Advertit Lessius l. c. n. 102. hactenus dicta potissimum valere, cum agitur de poena mortis vel mutilationis: videri tamen habere locum et in ceteris gravibus poenis; nam eaedem fere rationes accomodari possunt. Nihilominus si causa civilis solum agitur vel ablatio officii, maiorem fortasse Princeps habet potestatem, ut ex scientia etiam privata valeat condemnare subditum, etsi is ex ordine iuris convictus non fuerit; quia Respublica in his maius dominium habet et expedire potest, ut propter reverentiam debitam Principi, eius unius testimonio is valor deferatur, ut eo solo exsistente, liceat dominium rerum ab aliquo subdito in alium transferre Lugo n. 54.

DUB. II.

De Potestate et Officio Iudicis

ARTICULUS I.

Quid requiratur in iudice.

547. Iudex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta, ut secundum leges ius dicat inter partes et in delinquentes debitas poenas decernat.

Differt proinde ab arbitro, qui non est persona publica nec legitima auctoritate constituta, sed spontanea partium contendentium electione assumitur, ut, vel ad legum amussim vel etiam secundum bonum et aequum tantummodo, iudicium ferat. De Arbitris loquitur ius Romanum Dig. l. 4. tit. 8. c. 1. 2. tit. 56. ius Canonicum l. 1. tit. 43. ius modernum, e. g. italicum C. Process. Civilis tit. praelim. c. 2. et de his in fine aliquid erit dicendum.

Iudex alius est supremus, princeps nempe sive ipse legislator in societate, alius inferior, qui a suprema auctoritate constituitur; sed haec distinctio adhuc quidem in societate ecclesiastica valet, ubi Romanus Pontifex et supremus est legislator et supremus iudex inappellabilis; potest enim quidquid solvere vel ligare: at in modernis societatibus, in quibus distinctio potestatum recepta est, ut penes alios potestas legislativa, penes alios potestas iudicialis, penes alios exsecutiva sit, supradicta distinctio non habet locum; omnes enim iudices a suprema auctoritate vel lege constituuntur nec Reges iudicia exercent aut appellationes recipiunt: etsi ius gratiae faciendae, intra certos limites, adhuc servent.

Iudex inferior alius est *ordinarius,* alius *delegatus;* ille ex officio universitati causarum, in certa saltem specie, praeest eiusque potestas permanens est, non secus ac officium; hic est, cui vices suas ordinarius committit sive ad universitatem causarum sive ad specialem causam terminandam l. *Praeter* Dig. *de Iurisd. omnium Iudic.* Iudex delegatus nequit alteri subdelegare causam, nisi sit delegatus a Principe l. *A iudice* c. *de Iudiciis,* et c. *Pastoralis, de Offic. et potest. Iudicis, deleg.*

548. Iudex a publica auctoritate suscipiens munus iudicandi, iam hoc ipso ex quasi contractu obligationem suscipit iuste iudicandi: quae obligatio, addito stipendio, augetur. Utique si gratis suscipit, potest obligationem suam temperare, ut non teneatur, quicumque eius officium

petunt, audire et ut stipendium quoddam a singulis possit exigere: sed aliquas causas audire debet, si publicum munus iudicis suscipit et iuste iudicare; eo ipso quod istud munus suscepit.

Iudex secundum vigentes leges ideoque et consuetudinem interpretantem leges, sententiam ferre debet; ius enim dicit, non condit. Ita et Iustinianus *Novella* 82. in fine: « Omnis autem iudex, sive cingulum habens (ex iudicibus maioribus) sive aliter iudicans, *custodiat leges et secundum eas proferat sententias* ». Cf. l. *Rem non novam* c. *de Iudiciis*. Et c. 1. *de Sententia et re iudic.* « Sententia contra leges canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso iure ». Oportet praeterea, ut et iuris ordinem iudex servet, ut iam dixit A. dub. praeced. n. 2.

Non negamus, identidem licere iudici temperamento uti in decernendis poenis, habita ratione aetatis, conditionis personae et quorundam facti adiunctorum: verum id iam in ipsis legibus cautum est.

Ne vero exinde inferas sententiam iudicialem esse quandam declarationem solummodo aut applicationem legis ad casum particularem, cuiusmodi et a iurisperito fieri potest. Nam sententia iudicialis id efficit quod citra ipsam non foret, obligationem nempe alteri imponens, vel ius alteri asserens; ut nemini in societate liceat ea contemnere aut insuper habere. Haec vero sive obligatio sive ius non sunt simpliciter a lege, quae iubet quidem hoc vel illo pacto decernendum esse, sed actu non decernit, relinquens iudici huiusmodi decretum: quod idcirco ius in particulari statuit, ut non immerito sententia iudicialis vocetur lex particularis. « Sententia iudicis est quasi quaedam particularis lex in aliquo particulari facto. Et ideo sicut lex generalis debet habere vim coactivam... ita et sententia iudicis ». S. Thomae 2. 2. q. 67. a. 1. Et quia circa nomina litigandum non est, si vis sententiam iudicis appellare declarationem legis, dic esse *declarationem authenticam*, quae ius facit et obligationem parendi gignit. Utique haec plenissime valent, cum sententia transiit in rem iudicatam: sed aliud est, efficaciam sententiae non parem esse in quolibet stadio iudicii, aliud ipsam efficacia propria carere.

A. in hoc Articulo de duabus loquitur obligationibus iudicis, quae quidem inter se non admodum sunt connexae, nimirum ut scientia instructus sit et ut celeriter causas expediat. Fere nulla est in his difficultas.

II. Resp. 4. Praeter tria dicta superiore dubio, requiritur scientia, qua sciat suo munere recte fungi. Ita commun. Doct. et Bonac. d. 10. q. 2. p. 3. Ratio est, quia quilibet tenetur scire ea, quae pertinent ad proprium officium et sine quorum cognitione munus suum et officium exercere non potest.

Unde resolvuntur sequentes casus.

III. 1. Petens, aut suscipiens officium Iudicis, *idem est de Medico et Chirurgo,* ut v. infra d. 7. quo indignus est, ut probabile sit, inde notabile damnum proximi secuturum, peccat mortaliter. Nav. c. 25. s. Anton. C. de Lugo d. 37. n. 1.

IV. 2. Iudex carens necessaria scientia non debet absolvi, nisi facta renunciatione officii vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi. Ita s. Thom. 2. 2. qu. 66. a 2. Caiet. Clavis reg. l. 12. c. 13. n. 2. Regin. d. 25. num. 675. Nav. c. 25. Farin. 3. p. q. 3. a. 16. Ratio est, quia nullus potest officium, cuius munia obire non potest, retinere, praesertim cum damno vel periculo proximi.

V. 3. Si Iudex ex magna imperitia male iudicet, tenetur ad interesse parti laesae et ad expensas litis, uti etiam, quotiescumque notabile damnum, sive in substantia litis sive in superfluis expensis, propter eius culpabilem ignorantiam, partibus litigantibus accidit. Bonac. Card. Lugo ll. cc.

VI. 4 Si Iudex agnoscat, errorem a se (etsi sine gravi culpa) commissum, in praeiudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem, v. gr. monendo occulte partem laesam, ut sibi appellatione vel aliter consulat. Quia id pertinet ad debitam muneris exsecutionem. Card. de Lugo l. c. n. 3.

549. Dubium in hac re redit ad quaestionem; qualis culpa requiratur in iudice, ut teneatur ad reparationem damnorum. Lugo ait, se hanc solvisse quaestionem disp. 8. sect. 7.; cum ergo nos doctrinam eiusmodi iam dederimus Vol. III. 348., illuc et nos reiicimus lectorem.

Quod spectat ad 4^{m} resol., advertunt DD. quod si iudex, qui male iudicavit, sit supremus, ipse causam rursus assumere potest et debet aliamque sententiam ferre, consentiente utroque iure civili et canonico: cf. c. *Tum ex litteris, De in integrum restit.* Si vero iudex sit inferior, tum distinguendum est: nam vel sententia est ipso iure nulla, quippe contineat intollerabilem errorem aut notorie lata sit contra acta, et tunc ipse iudex potest aliam ferre sententiam. Cf. Donelli ad l. 42. *De re iudicata;* quia perinde est ac si nullam tulisset sententiam. Si secus, quaecumque sit sententia lata, iudex inferior nequit eam rescindere, quia sive bene sive male, *iam functus est suo officio,* ut dicit l. 65. D. *De re iudicata*: nimirum, ut ibidem dicitur, *iudex, postquam semel dixit sententiam, iudex esse desinit.* Cf. Sanchez *Cons. Mor.* l. 6. c. 1. d. 24.

Quod de iudice inferiore laico dicimus, valet et in Iure Canonico de iudice delegato, qui sententiam latam mutare nequit, nisi nulla sit eo quod delegatus formam non observaverit mandati. Ordinarius vero iudex sententiam mutare potest, quia eius iurisdictio perseverat, cui aequiparatur delegatus ad universitatem causarum. Schmalzgr. l. 1. t. 29. nn. 40. seqq.

VII. Resp. 2. Iudex tenetur causas iudicare et celeriter expedire; quia ex officio tenetur cuique tribuere suum. Quod non facit, si sententiam sine iusta causa differt.

Unde resolves.

VIII. 1. Iudex mortaliter peccat contra officium suum, differendo valde notabiliter causarum expeditionem, sine iusta causa, Sylv. v. *Iudex*, q. 12. Clavis Reg. c. 12. n. 8. Nav. c. 25. n. 14. etc. cum Bon. d. 10. q. 2. p. 3.

IX. 2. In casu dicto, idem Iudex tenetur parti laesae damna et expensas, quae ex iniqua dilatione secutae sunt, restituere; quia est earum iniusta causa. Ibid. Auth. ll. cc.

550. Iam Gregorius M. relatus c. 2. *de Sententia et re iudicata*, edixerat: « Iurgantium controversias celeri sententia terminare, et aequitati convenit et rigori ».

Quaerit heic s. Alph., an possit iudex accipere pecuniam pro expedienda citius causa alicuius prae causa alterius et refert doctrinam Laymann ex l. 3. sect. 5. tr. 4. c. 4. n. 10. Cuius doctrina haec est. 1° Iudex, etsi sufficiens salarium habeat, nihilominus, cessante scandalo et prohibitione legis positivae, potest accipere aliquid tanquam pretium laboris et diligentiae extraordinariae, ad quam adhibendam alioquin non obligatur, veluti si iudex, augendo laborem, alicuius causam, sine aliorum damno, velocius expediat. Quae doctrina satis certa est.

2° Ponamus, ait, plures adesse, qui aequali iure gaudeant, ut in iudicis arbitrio positum sit, quem cui praeponat: peccabitne iudex, si unius causam ante alios expediat, ex pacto oblati muneris? Porro respondet: « res illa periculo non vacat, spectato tamen naturali iure, non audeo hominem damnare; quia ea in re aliis iniuriam non infert, in gratiam vero Titii remuneratoris suscipit novam obligationem, quae pretio aestimabilis videtur.

Hoc alterum minus placet s. Alphonso, qui ait, verius contradicere Salmanticenses; quia iudex ex iustitia tenetur cito expedire causas eorum, qui aequale ius habent ad expeditionem. Sed quid, si simul expediri nequeant et nemo prae altero ius habeat, ut praeferatur? Utique cum iudex teneatur ex iustitia, propter quasi contractum cum societate, causas expedire; non videtur ab ipso suscipi onus aliquod pretio aestimabile, eo quod inter pares causas, hanc prius quam aliam expediat: cf. Lugo n. 119. cuius doctrinam dabimus inferius heic quoque, ut videtur, applicandam.

X. 3. Si Iudex in exsequenda causa et proferenda sententia negligens aut iniquus sit, non tantum parti laesae, sed interdum etiam fisco tenetur; v. g. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine vel lege communi debebat imponere reo, sine causa remisit. S. Th. 2. 2. q. 67. a. 4. ad 3. Silv. v. *poena* q. 18. Sal. Laym. l. 3. t. 2. p. 5. n. 7. contra Azor.

551. Sententiam A. docuit Suarez *de Legibus* l. 5. 11. n. 6. distinguens inter poenam, quae applicanda est fisco vel parti laesae aut

aliis personis, atque poenam, quae solum sumitur in vindictam et exemplum. De prima specie poenae affirmat, quo ea, cum debet infligi, nequit a iudice remitti sine iniuria illius, cui esset applicanda; quia hic iam habet ad eam aliquod ius, quod iudex violare nequit. Ex quo infertur, iudicem remittentem, contra legem, poenam, obnoxium esse restitutioni.

Pro hac sententia citatur s. Thomas 2. 2. q. 67. a. 4. ubi quaerit, an iudex possit poenam relaxare; ad 3ª enim ait: « Iudex, si inordinate poenam remitteret, nocumentum inferret et communitati, cui expedit, ut maleficia puniantur, ad hoc, quod peccata vitentur... nocet etiam personae, cui est illata iniuria, quae recompensationem accipit per quandam restitutionem honoris in poena iniuriantis ». Loquitur s. Doctor in artic. de criminali iudicio, ubi est accusator et reus et heic loquitur directe de poena corporali infligenda reo, qua aliquo pacto satisfit honori accusatoris iniuriam passi.

Agit ergo de poena, ad quam ius habet pars ipsa litigans, non quae aliis debeatur. Non est ergo eadem quaestio s. Doctoris ac ea, quam agit Suarez et A., quibus consentit Laymann l. 3. tr. 2. c. 5. n. 7. qui ait, videri s. Thomam ita sentire l. c.

Alii aliter sentiunt, ut Lessius l. 2. c. 13. n. 73. aliique, quos heic citat s. Alphonsus, quorum sententiam satis probabilem dicit Lugo n. 97. Ratio a Lessio et Lugo allata haec est; quia licet iudex teneatur ex iustitia erga rempublicam impedire damna ipsius reipublicae et ad hunc finem debeat observare leges poenales: non tamen oritur haec obligatio ex debito locupletandi illos, quibus poena (seu mulcta) deberet applicari. Quare licet teneantur restituere reipublicae pro damnis secutis ex illa indulgentia et nimia relaxatione poenarum: non tamen iis, quibus poenae non sunt applicatae; ii enim non habent ius nisi valde remotum, quatenus iudex debet consulere reipublicae. Ita Lugo, qui addit, id usu et praxi communi confirmatum videri. Haec sententia s. Alphonso quoque est probabilis.

Atque haec cohaerent cum doctrina, quam A. tradidit superius, de cooperatoribus agens. Cf. tr. praeced. P. 2. n. XLIV.

Articolus II.

Quid iudici servandum circa inquisitionem.

XI. Tribus modis procedi potest contra criminosos. 1. Via accusationis, cum est aliquis actor, qui spondet se obiecta probaturum. 2. Via denunciationis, cum deferens crimen non vult suscipere onus probandi. 3. Via inquisitionis, quae est triplex 1. Generalis, quando in genere quaeritur, an leges serventur. 2. Specialis, quando de certa persona et certo crimine quaeritur. 3. Mixta, quando vel sola persona, vel crimen solum et speciale, ut si quaeratur, quis Caium occiderit.

552. Distinguit A., iuxta Romanum ius triplicem viam, qua processus initur a iudice adversus criminosos; triplex nempe factum, quod ei rationem exhibet instituendi iudicium contra criminosos. Agitur ergo de iudicio, non civili, sed criminali. Nam quod spectat ad iudicium in causa civili, unus est et satis apertus procedendi modus; nempe ad petitionem *Actoris*.

Monet tamen Lessius ex Claro, commodius poni duos tantum modos procedendi contra criminosos, nempe *ad instantiam partis*, exsistente accusatore, et *ex officio*, per inquisitionem; quia *denuntiatio* non est per se alia via ab *inquisitione*, sed est quiddam praevium ut iudex inquirat et ex officio procedat. l. 2. c. 29. n. 105.

Iam vero ex tribus modis enumeratis, primus nimirum accusatio, prout a privata persona fiat aut secundum integram formam romani iuris, in iure nostro obsolevit: qua de re profecto non est cur doleamus.

In eo accusatio differebat a denuntiatione, 1° quod accusator peteret punitionem ac vindictam delinquentis et iudex compelleretur ab ipso accusatore ad eam praestandam: 2° quod accusator susciperet sibi onus probandi criminis et sollemni inscriptione se obligaret ad eam quam reo intentabat, poenam subeundam, tanquam calumniator, si in probatione deficiebat. 1. *Qui crimen* C. *de iis, qui accusare non possunt* et l. ult. C. *de Accusat. et inscript.* Nihilominus, ut monet Laymann *de Iudiciis* c. 3. n. 4. haec poena talionis ab usu iam fere excesserat et iniustus accusator arbitraria poena a iudice puniri solebat. Verum hoc pacto minuebatur onus impositum accusatori probandi criminis et sic accusatio ad denuntiationem accedebat.

In denuntiatione iudiciali (nam alia est caritativa, de qua non loquimur) denuntiator nihil petit aut exigit a iudice; sed eius arbitrio et officio relinquit, ut faciat quod debet et viderit expedire neque proinde incumbit denuntiatori onus probandi criminis, sed solum aperiendi indicia quibus iudex moveatur ad ulteriorum inquisitionem. Sanchez

Consil. l. 6. c. 2. prooem. Uterque, accusator et denuntiator, aguntur motivo boni publici, ut criminum vindicta sumatur et pax reipublicae sit in tuto.

Quocirca denuntiatio iudicialis seu iuridica distinguenda est a denuntiatione caritativa seu fraterna: haec est, qua quis recurrit ad Praelatum seu superiorem, ut tanquam Pater provideat bono delinquentis: illa fit ad superiorem, ut tanquam iudex provideat pro sua potestate bono communitatis, puniendo aut alio modo suum munus exercendo in foro externo.

Cum ergo in accusatione agatur de bono publico, decuit profecto ut hoc munus deferendi crimina ad iudices et exigendi vindictam, committeretur publico ministro, solutis privatis personis ab odioso onere simulque periculoso accusandi. Qui publicus quidem minister et olim exsistebat, *promotor* nempe *fiscalis,* qui deficiente accusatore, huius officium et partes gerebat. Imo iam in regno Franciae prohibitam fuisse omnem privati accusationem tendentem ad vindictam publicam et solum permissam fuisse pro interesse civili, ex Iulio Claro referunt Lessius l. c. n. 106. et Lugo disp. 27. n. 75. et in regno Neapolitano pro sua tantum vel suorum iniuria repellenda permissam fuisse refert rursus Lessius ibid.

553. Quaerebant veteres, an sine accusatore posset iudex aliquem condemnare.

Et responsio quidem negativa erat: ita s. Thomas 2. 2. q. 67. a. 3. Et ratio, quam affert, haec est, quia iudex est interpres iustitiae: iustitia autem non est ad se ipsum, sed ad alterum, et ideo oportet quod iudex inter aliquos duos diiudicet, quod quidem fit, cum unus est actor et alter est reus. Haec porro ratio quod iustitia est inter duos, non demonstrat necessitatem proprie dictae accusationis; quid enim, si ipsa fama clamet et societas postulet se liberari a criminoso? Idcirco Doctores, retento principio de necessitate accusationis, distinguebant accusatorem in formalem et virtualem et hunc vocabant quidquid supplebat vicem accusatoris, cuiusmodi erat ex. gr. simplex denuntiatio in criminibus publicis, notorietas facti in privatis, item testes etc. cf. Lessium l. c. n. 104. Scilicet, quod advertit Lugo n. 72., disp. cit., ut DD. suum principium tuerentur, cogebantur recurrere ad sensum metaphoricum: quae non est ratio satis idonea disputandi in his materiis.

554. Quia vero denuntiatio adhuc viget, quaedam circa ipsam statuenda sunt, e sententia DD.

Et primo quaeritur, an sit unquam obligatio denuntiandi iudicialiter. Nullam quidem, saltem regulariter, esse obligationem *accusandi* et

Theologi concedebant: quia sola denuntiatio iudicialis, quae Superiori fit, ut puniat vel saltem ut pro prudentia sua munere suo fungatur, satis est ad finem intentum. Haec vero non raro sub gravem cadit obligationem. Et 1° si agitur de delicto, pendente in futurum, quod sit in perniciem reipublicae et legitime probari possit, si aliter damnum nequeat impediri, tenetur, absque suo gravi incommodo, conscius criminis denuntiare ex caritate et iustitia legali. 2° Si delictum eiusmodi pariter vergat in magnum proximi nocumentum nec aliter impediri possit neque denuntiatio magnum afferat incommodum, denuntiandum est, cum probari potest. 3° Etsi utrumque crimen nequeat legitime probari, si tamen excitata attentione iudicis vel superioris, merito speratur, ipsum impeditum iri nec alia via potest impediri, obligatio est denuntiandi ex iis motivis, quae nos obligant ad impediendum malum alienum, cum sine gravi incommodo et probabiliter fieri potest. Nec ullum est ius criminosi, ut eius delictum maneat occultum, instante periculo Reipublicae aut innocentium.

Neque ab obligatione denuntiandi eximuntur, qui iure positivo non admittuntur ad testimonium ferendum; quia privilegia aut exceptiones iuris positivi nequeunt tollere obligationem ex iure naturae.

Item clericus quoque, si aliter commune malum aut aliorum nequeat impediri, denuntiare debet delictum, etiamsi morte dignum; at protestari simul, se hanc poenam non intendere. Lugo disp. 38. nn. 3. 4. 15. Lessius l. 2. c. 29. n. 112.

Praeterea 4° obligatio denuntiandi determinari potest positiva lege seu edicto, quatenus his exsistentibus, tenetur quis denuntiare, quod, iis sepositis, iure naturae nondum teneretur. Etsi enim crimen sit occultum nec probari possit, fieri tamen potest, ut societatis intersit maxime, illud nosse et contra eius auctorem sibi cavere sibique soli de hac re servare iudicium: exemplum habes in crimine sollicitationis. Tunc profecto denuntiatio talis criminis praecipi potest et parendum est ei, quamvis, qui crimen novit, sciat nihil amplius esse timendum, ut idcirco iure naturae non obligaretur ad denuntiationem.

Porro ex lege ecclesiastica denuntiandi sunt haeretici (Const. Alexandri VII. *Licet alias*); iis tamen in locis, ubi haereses impune grassantur, ut ibi nequeant cohiberi et puniri haeretici, non urget haec obligatio, nisi pernicies aliorum timeretur, ut a dogmatizantibus, atque ea posset per denuntiationem impediri. Haec apud nos hac nostra aetate puto valere. Duorum criminum Ecclesia adhuc exigit denuntiationem: denuntiandi scilicet sunt *sollicitantes* et occulti coryphaei sectarum damnatarum. Cf. *de Sacr. Poenit.* et *de Censuris.*

Denuntiatio facienda est Episcopo vel Tribunali s. Inquisitionis.

Const. Pauli V. *Romanus Pontifex* 1. Sept. 1606. et Alexandri VII. *Licet alias* 3. Iul. 1660. Tempus, intra quod est denuntiatio facienda, est mensis a die cognitae obligationis. Cf. de his s. Alphonsus l. 4. nn. 249. 252.

555. Haec de obligatione. Quaeritur deinde an liceat denuntiare peccatum occultum, quod possit probari. Etsi non pauci negent eo argumento ducti quod non liceat alteri denunciare quod non licet iudici inquirere; hic autem nequit de occultis inquirere, h. e. specialem inquisitionem de persona facere nisi praeverterit fama eius criminis (n. 559.), saltem ex iure canonico: verior tamen videtur sententia affirmans, quam cum Suarez, Molina, Filliuccio sequitur Lugo n. 78. Nam bono reipublicae conducit haec facultas: non leve enim detrimentum pateretur respublica, si scelesti scirent, posse se impune peccare, quoties eorum crimen non divulgetur. Nec valet paritas cum iudice; nam quoad hunc, magnum e contrario respublica damnum subiret, si is posset inquirere de occultis et sic praecipere ut occulta manifestentur. Hoc pacto enim fere nullum crimen maneret occultum; quod quidem maximam pareret humano convictui perturbationem. Id autem non habet locum, si solum fit potestas denuntiandi crimina occulta; nam sic semper plurima occulta manebunt, nolentibus frequenter denuntiare iis, qui crimen noverunt: sed potestas omnibus facta conducit ad deterrendos facinorosos.

Ceterum adverte quod ad tribunal ecclesiasticum quaelibet aliena delicta, quae probari possunt, per se licet denuntiatione deferre; de quolibet enim peccato Ecclesia iudicat: ad tribunal autem laicum licet utique deferre aliena delicta, quorum est publica actio, quorum nempe notitiam habere et quae punire interest reipublicae: delicta vero, quae privatam habent actionem, ii solum deferre possunt, quorum interest.

556. Quaeritur etiam an denuntiator debeat praemittere correptionem fraternam, antequam iudicialiter denuntiet. S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. a. 3. ql. 1. duas refert sententias, affirmantem et negantem; quin explicite aliquid determinet.

Re per se spectata, hae duo, correptio fraterna et denuntiatio iudicialis, non habent inter se subordinationem, sed sunt prorsus disparatae; nam prior intendit bonum delinquentis, altera bonum communitatis: nullus est ergo ordo inter ipsas ideoque nulla ratio, cur correptio praemittatur et si haec profutura praevidetur, poterit adhiberi etiam postea. Nec si praemittatur, obligatio erit omittendae denuntiationis iudicialis, qua bono societatis consulitur.

Verba vero Domini apud Matth. XVIII. 15.-17. perperam obiiciuntur; quia ibi agitur de bono delinquentis *(lucratus eris fratrem tuum)*

atque huc spectat ipsa caritativa denuntiatio facienda Ecclesiae, ut is nempe emendetur; qua in hypothesi merito iubemur praemittere correptionem fraternam. Ita Lugo n. 80. et ut puto, recte.

In iure quidem canonico statuitur, ut « debeat praecedere denuntiationem caritativa monitio » c. *Qualiter, de Accusationibus:* sed hoc idcirco statuitur, quia sermo est de denuntiatione fraterna, quae non raro intelligitur cum denuntiatio ab accusatione distinguitur: « ad correctionem enim est denuntiatio facienda », dicitur c. *Super his,* tit. eod.

Quandoquidem de fraterna etiam denuntiatione, obiter quidem, verba fecimus, quaeritur, an Praelatus, accepta fraterna denuntiatione et adhibita paterna correptione, si haec non proficit, possit assumere personam iudicis et punire contumacem. Atqui agere tanquam iudex et publice punire nequit; quia tanquam iudex nihil scit, cum denuntiatio non fuerit iudicialis neque occultum crimen revelare ei licet, quod fieret publica poena: poenam tamen medicinalem, si spes sit, futuram ex ea emendationem, infligere potest, etiam excommunicationem h. e. sub poena excommunicationis secreto ipsi imponere satisfactionem pro culpa. Haec enim non excedunt officium patris, cuius est corripere et castigare filium. At si nulla sit spes emendationis, nequit Praelatus punire, nisi praemittatur denuntiatio iudicialis, ad quam ipse identidem denuntiatorem obligare potest, si crimen possit probari in iudicio. Cf. Lugo nn. 82.-86.

XII. Resp. 1. Iudex sine ulla data occasione, ex solo officio suo, potest instituere inquisitionem generalem: in qua tamen eius potestas non extendit se ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio prioris est, quia id necessarium est Reip. nec cuiquam fit iniuria. Ac, licet quorundam scelera detegantur, id fit per accidens praeter intentionem: cui incommodo bonum commune praevalet. Ratio posterioris est, quia inde maxima sequerentur incommoda. Farinac. Less. l. 2. t. 28. d. 13.

557. Nunc de via inquisitionis, quae multiplex est. Eius duplicem speciem facit Sanchez *Consil.* l. 6. c. 3. d. 16. nempe inquisitionem *generalem* aut *specialem.* Sane inquisitio est investigatio criminis vel criminosi occulti facta a Praelato vel iudice.

Iam vero vel superiores in locis sibi subiectis inquirunt simpliciter, an aliquod delictum admissum fuerit, an aliquis sit qui deliquerit, quin de hoc vel illo determinato crimine aut determinata persona quaerant et inquisitio dicitur generalis, qualem iubentur e. gr Praelati facere tempore visitationis. Vel superiores in particulari quaerunt quis certum crimen admiserit, aut an aliquod crimen certus peccator commiserit, an hoc determinatum crimen admissum sit, et inquisitio est specialis; quia ad speciem descendit h. e. ad particularem notitiam peccatoris aut peccati. Aliis communiter inquisitio *specialis* est, cum de *certa* persona

certum crimen quaeritur: *mixta,* cum inquiritur de determinata persona, non tamen determinato delicto, h. e. an aliquid nempe fecerit: vel e contrario cum inquiritur circa delictum determinatum, non tamen determinatam personam: quis nempe illud fecerit.

558. Porro nonnullae traduntur regulae, quas ipsa aequitas naturalis suggerit, quibus Praelatus aut iudex se conformare debet in qualibet peragenda inquisitione, quas et tangit A. triplici Responsione et nos heic una colligemus.

Sane 1° convenit inter omnes, licitam esse inquisitionem generalem, etsi nullius criminis notitia, nullius delinquentis infamia nota iudici praecesserit. Heic infamia est *communis seu publica opinio criminis ex suspicione propagata.* Ratio cur liceat, est, quia hoc pacto nulli iniuria fit: ea autem inquisitio frequenter necessaria aut utilis est pro coercendis criminosis et ut bono publico consulatur.

Monent DD. non eo spectare talem inquisitionem, ut detegantur crimina occulta vel occulti delinquentes. Occultum quidem multipliciter dicitur; 1° quod opponitur probabili et est id, quod idoneis testibus nequit probari: 2° quod famoso opponitur et est id, quod non est in opinione et voce plurium vel saltem maioris partis communitatis: 3° quod notorio opponitur et est id, quod nondum est per actum iuridicum aut facti evidentiam notum. Sanchez *Consil.* l. 6. c. 3. d. 3. n. 15.

Itaque occulta primo modo Praelatus vel iudex, inquisitionem generalem faciens, non postulat sibi manifestari ab iis, qui forte ea norint. Esset enim intollerabile in societate, quod omnia occulta, quae unus aut alter novit, essent manifestanda iudici, ut sic tandem notoria evaderent: idcirco superior ius non habet ad huiusmodi criminum revelationem.

Excipitur nihilominus, si crimina occulta forent in grave detrimentum communitatis vel in privatum innocentium et pendentia adhuc in futurum. Tum superior ius habet exigendi revelationem horum criminum etiam occultorum, cuiusmodi esset politica coniuratio. Ratio est, quia id postulat commune bonum et privati singuli, cum ea norint, iam generatim tenetur manifestare (554. 1.) Ita Ecclesia praecipit prodi haereticos et sollicitantes in Confessione.

Quaeres, quo spectet inquisitio generalis, si crimina occulta non sunt manifestanda? Primo eo spectat, ut si ea sint crimina, quae excepimus, manifestentur: secundo, ut prodantur delinquentes, qui in loco laborant infamia, a superiore tamen non cognoscuntur et sic publica scandala e medio auferantur.

2° Si delictum, puta homicidium, publice constet, at ignoretur

auctor, locus est inquisitioni, quae dicitur mixta. Quaerere nempe iudex vel praelatus potest et debet, quis sit auctor delicti, interrogando testes, conferendo circumstantias etc.: id sane postulat communis pax, atque indignaretur populus videns iudicem nihil sollicitum de detegendo criminoso. Non licet ei vero, nulla praevertente infamia, inquirere circa personam determinatam, an Caius ex. gr. illud delictum patraverit. Iniuria enim, absque causa, ei fieret; nam quandiu quis bona fama gaudet, nequit ea, absque causa, spoliari: id porro fieret tali speciali inquisitione; suspicio enim saltem criminis contra eum gigneretur et is male in publico audiret: idcirco iure naturae haec inquisitio prohibetur.

559. Quidam, ut Sanchez l. c. n. 5. praeterea contendunt, etiam post eam inquisitionem mixtam, delationibus quoque productis, inquisitionem de determinata persona tunc solum fieri posse, cum praevertat infamia, non cum tantum indicia criminis praesto sint superiori, quae denuntiatio ex. gr. suppeditaverit. Id certe iuris canonici dispositioni congruit. Sane c. *Inquisitionis* §. 1° *de Accusat.* statuitur: « nullum esse pro crimine, super quo non laborat infamia seu clamorosa insinuatio non praecesserit, puniendum; quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere; cum inquisitio fieri debeat solummodo super his, de quibus clamores aliqui praecesserunt. Nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam ». Et c. *Cum oporteat* eod. tit.: « Nisi super praedictis (criminibus) famam ipsius laesam esse noveritis, ad inquisitionem illorum (criminum) non subito procedatis ».

Rationem affert A. e sententia veterum in resp. 3. §. XVII.; quia nempe iudex, cum ad iudicium procedit, procedere debet *ex scientia publica*, quam vel *accusatio* suppeditat vel *fama*.

Nihilominus praxis erat tribunalium laicorum (quam Navarrus quidem aliique improbabant), ut facta denuntiatione vel a publico ministro vel etiam a privata persona certisque indiciis suppeditatis, etsi non publicis, quae ad quandam infamiam redirent, procederet iudex ad capiendas informationes circa personam: an ex. gr. Petrus, qui denuntiatus est, hoc crimen admiserit. Haec praxis, si ius naturae spectes, nequit damnari et si consuetudo aut lex eam induxit, prorsus legitima est. Nam tandem quod debeat praecedere infamia, id non ius exigit naturae, cuius rei argumentum est, quod sola ratio talem exigentiam non demonstrat, etsi eam valeat pro certis conditionibus societatis suadere: id ergo pendet ex iure positivo et quidem, ut videtur, ex iure canonico, quod solum in hac re citatur.

Et re quidem vera si ius est denuntiandi personam criminosam, quamvis ea non laboret infamia (555.), cur non licebit iudici ex denuntiatione ad ulteriora procedere? Ratio enim, quae valet pro legitimanda denuntiatione, nempe publicum bonum, valet etiam pro inquisitione iudicis: secus, quo spectaret denuntiatio? Atque ita consuetudinem secularium iudicum in gravioribus saltem causis, furti ex. gr., homicidi etc. (quas nos dicimus publicam habere actionem, quia publicae sunt utilitatis) probat Lessius n. 132. et consentit Lugo, qui pro hac speciali inquisitione hoc solum postulat, ut iudex habeat aliquid contra inquirendum atque ita a necessitate praevertentis infamiae excipit casum, quo praecedant indicia sufficientia contra illum disp. 37. nn. 56. 58. 6. Ita et Pichler l. 5. tit. 1. n. 50.

Atque haec est ratio agendi moderni iuris ex. gr. Italici: cf. Codicem Processus poenalis l. 1. tit. 1. c. 2. tit. 2. cc. 1.-4.

Itaque licet ius canonicum aliter statuerit, id statuit tamen pro foro ecclesiastico; quia vero praxis nunc obtinens non est intrinsece mala imo bona esse potest, potuit haec profecto induci ideoque non est, cur modo contra eam ad ius canonicum provocetur.

560. 3° Infamatus, imo convictus de aliquo delicto, nequit interrogari de aliis occultis, nisi haec cum priore aliquam habeant connexionem. Ratio prioris est; quia quoad alia perinde est ac si nulla praecessisset infamia, nullum indicium: ratio alterius est; quia sic iam sufficiens infamia vel sufficientia indicia praecesserunt.

4° Convictus de crimine, quod sine socio non committitur vel etiam quod probabile valde est sine socio non esse commissum, potest interrogari de socio vel sociis, at in generali: quis nempe eius socius in crimine fuerit, non in particulari, an nempe hic aut ille fuerit, nisi pro certa persona praecesserint indicia vel infamia. Huius alterius ratio iam manifesta est: prioris ratio est; quia id pertinet ad complementum iudicii et interest societatis, ut socii in crimine socientur in poena.

5° Si agatur solum de impediendo malo, ex. gr. illegitimo matrimonio vel electione indigni ad publicum munus, inquisitio fieri potest specialis de delictis etiam secretis personae, nulla praevertente infamia nulloque indicio; quia ad bonum publicum pertinet, ut eligantur digni, ut nuptiae iustae fiant, nec est, cur ille, cuius impedimentum aut indignitas detegitur, conqueratur: se enim ipse sponte huic suo, qualecumque sit, damno exponit.

Unde resolves.

XIII. 1. In hac Inquisitione, subditus etiam rogatus sub iuramento, non tenetur, imo nec potest prodere criminosum occultum. Laym. l. 3. t. 6. c. 4. Less. l. c.

XIV. 2. Si talem revelet, peccat contra iustitiam (nisi forte cederet non tam in poenam, quam certam eius, qui deliquit, emendationem, vel ad grave malum ab aliis avertendum); cum enim crimen, ut ponitur, probari non possit ac proinde ex eius revelatione non possit aliud sequi, quam infamia, nullum habet ius revelandi. Laym. ibid. et t. 3. p. 2. c. 4.

561. Postquam A. locutus est de iure inquirendi, loquitur heic de obligatione, qua singuli subditi tenentur, respondendi inquisitioni. Resol. 1ª et 2ª negat in inquisitione generali posse licite prodi crimen occultum, quod scilicet probari in iudicio non possit; quia, ait, manifestatio facta iudici eo spectat, ut criminis vindicta sumatur punitione criminosi: si ergo hic finis nequit obtineri, non restat nisi infamia, quae per revelationem gignitur absque motivo. Creare autem alicui infamiam absque causa, peccatum est contra iustitiam. Neque, attento iure canonico, tenetur quis deferre iudicialiter crimen alicuius, cuius nondum infamia aliqua praecessit, etsi probari possit crimen; quia iudex nequit procedere (559.).

Excipit A. 1º si manifestatio non fiat superiori ut iudici, qui puniat, sed ut patri, qui corrigat. 2º Si delictum sit in gravem perniciem aliorum: nam tunc et iudex ius habet praecipiendi revelationem (558.). et subditus manifestare tenetur, etsi illud forte probari satis non possit (554.).

Cum hac secunda exceptione, certo admittenda, puto congruere sententiam eorum Doctorum, quos affert Lugo n. 59. ab iis non dissentiens: nimirum, quando delictum est publicum et inquiritur generaliter de auctore, testis interrogatus, qui illum novit, tenetur eum manifestare, etsi ille nondum infamatus sit vel, quod fere perinde est, nondum indicia praecesserint. Loquuntur scilicet in hypothesi delictorum, quorum auctores nosse et punire interest reipublicae; quia in publicum detrimentum vergunt. Et quia de his delictis tantum a laicis iudicibus solet ex officio inquisitio fieri; restat, ut generatim obligatio sit revelandi delinquentes occultos iudici inquirenti.

562. Codex italicus citatus statuit, *posse* quemlibet, qui delicti, cuius est publica actio, notitiam habet ex visu aut auditu, illud deferre procuratori regio vel alteri ministro publico: *debere* illud deferre omnes, qui sint in auctoritate constituti omnesque publicos ministros, qui illud deprehenderint, cum suas exercerent functiones aa. 98. 101.: testes autem legitime citatos debere manifestare omnem veritatem, quam

norunt, circa facta, de quibus interrogantur aa. 172. 179.: eum vero, qui instructionem processus adoritur, omnia conquirere et scrutari debere, quae conducant ad manifestationem veritatis, reatus nempe et auctoris reatus a. 84.: prohibentur autem omnes interrogationes suggestivae a. 85. Si ergo, nullo praevertente indicio, de particulari persona interrogatio fieret, nulla obligatio foret manifestandi quod de ipsa scitur. Ex alio capite vero si testes interrogentur generatim, an noscant delicti auctorem, lege iubentur illud prodere et si constet eos reticuisse quod norant, poena afficiuntur. Codice poenali art. 214.

563. Quaeritur, an iudex in inquisitione generali interrogans, teneatur monere interrogatum, quod non quaeruntur occulta nec ea sunt prodenda, nisi sint in damnum aliorum aut reipublicae.

Per se tenetur quidem non ita illum subdole circumvenire, ut occulta ab invito eliciat: sed obligatio admonendi eum ius suum et debitum erga alios nulla per se est; quia iure supponitur in subdito notitia legis, ut sciat quid possit et debeat: quam notitiam, sicut supponunt iura, ita et persona publica supponere potest, quae agit ex iure. Et satis est, ut iudex ita interroget, ut ad solam manifestationem eorum, quae scire ipse potest ac debet, interrogatio tendat. Lugo n. 59.

XV. 3. Si in hac inquisitione ex revelatione duorum vel trium deprehendatur alicuius criminis auctor, potest per tales testes contra illum procedi, ut habet praxis communis.

564. In resolut. 3. ponitur id, quod communiter tradi et usurpari solet saltem ex iure civili: si iudex iuste interroget in generali inquisitione et testes male detegant crimen personae vel personam auctorem criminis, potest iudex ex tali manifestatione procedere adversus reum. Ratio est, quia ex una parte iudex nullam iniuriam intulit reo, ex alia parte crimen in iudicio manifestatum induit rationem notorii. Sanchez l. c. d. 39. n. 8.

XVI. Resp. 2. Quando crimen est manifestum et ignoratur auctor, licet Iudici quaerere in genere, quis fecerit, non tamen in particulari: verbi gratia, an Petrus fecerit, nisi infamia aliqua aut indicia praecesserint. Pars prior patet, tum ex praxi Iudicum, tum ex incommodis contrarii. Ratio posterioris patebit ex sequentibus. Vid. Bonac. d. 10. in 8. *Praec.* q. 3. p. 5.

XVII. Resp. 3. Ut Iudex faciat inquisitionem specialem, debet saltem regulariter praecedere infamia vel quid aequipollens, quod iustam det causam. Ratio est, tum quia alioqui diffamaret sine causa, tum quia Iudex procedere debet ex scientia publica, quam non habet, nisi per accusationem vel confessionem Rei vel evidentiam facti vel per infamiam; ad quam non sufficiunt duo testes, qui iurent se vidisse crimen admitti, quia adhuc est occultum: sed requiritur, ut rumor sit sparsus per maiorem partem communitatis, id est civitatis, viciniae, vel monasterii, neque a maledicis sit exortus, etsi hac in re tutum sit, sequi praxim communem bonorum virorum et Rerumpub. ut habet Laym. l. c. et Less. d. 15. n. 19. ex aliis. Bon. l. c.

De his iam dictum est n. 558.

Unde resolves Casus.

XVIII. 1. Antequam Iudex procedat ad inquisitionem specialem vi infamiae, ipsa infamia prius examinari debet et probari per testes, saltem per duos, qui nominent personas, a quibus id publice audiverint. Navar. Rub. *de Iud.* Trull. l. 8. c. 1. d. 17.

565. Id veteres passim monebant. 1° Cum ex infamia iudex procedit, oportere prius per duos saltem testes exsistentiam infamiae demonstrari nec infamiam sufficere ad sententiam ferendam, sed solum ad instituendam inquisitionem nec infamiam habendam esse loco testis, sed accusatoris ideoque adhuc opus esse testibus ad probandum delictum. Laymann l. c. c. 2. n. 4. C. *Qualiter et quando, de Accus.* Et si reus appellet eo quod infamia non laboret, iudex coram iudice appellationis probare debebit infamiam. Fagnanus in c. 24. *de Accus.* n. 64.

Cum vero 2° ex indiciis procedit, ea maiora requiruntur vel minora sufficiunt, ratione habita tum gravitatis delicti tum dignitatis personae, contra quam inquisitio instituitur. Laym. l. c. n. 6.

Ex iure italico publicus clamor sufficit, ut quis comprehendatur et ad iudicem traducatur. Cod. Processus poen. art. 60.

566. Haec quoque ex iisdem DD. advertere iuvat. 1° Quando iudex extorsit ab imputato vel teste per metum gravem iniuste confessionem criminis, haec notitia iuridice nulla est nec praebere potest causam procedendi contra reum et, si fiat, processus nullus est. Ratio est; quia cum causa fuerit iniusta, quidquid ex ea sequitur, caret valore. Et probatur ex l. *Non dubium* c. *de Legibus* et 1. fin. Dig. *de Const. pecun.* Cf. Sanchez l. c. d. 39. n. 2.

Idem, probabilius saltem, dicendum, cum iudex per iniustas interrogationes confessionem extorsit a reo, qui iniustitiam interrogationis ignorabat. Ratio est; quia et heic iniuria fit reo et nequit ab iniustitia processus inchoari. Idem Sanchez l. c. n. 5. Esset proinde ratio irritos declarandi huiusmodi processus, priori scilicet vel altero modo institutos.

2° Si vero reus, cognita iniustitia interrogationis, nihilominus respondit, poterit ex eius confessione iudex procedere; quia videtur reus iuri suo cessisse et sponte esse confessus: nisi tamen obstet positiva dispositio legis.

Non vero, si testes, cognita iniustitia interrogationis, responderint, licebit iudici ex eorum testimonio procedere contra reum; quia hoc pacto iniuria illata est ipsi reo nec testes potuerunt cedere iuri alieno. Sanchez ibid. nn. 6. 7.

3° Quoniam iudex ex officio procedens, ex scientia publica procedit, etsi ipse oculis suis delinquentem cernat, nequit hoc ipso contra

eum procedere: nequit sane simul esse iudex et accusator vel testis. Laymann l. c. c. 2. n. 3. « Ex eo, quod ipse iudex videt, non potest procedere ad sententiam ferendam, nisi secundum ordinem publici iudicii, quod tenet locum accusatoris ». S. Thom. q. 67. a. 3. ad 2.

XIX. 2. Iudex infamatum de uno crimine verbi gratia adulterio, non potest interrogare de alio, de quo non est infamatus v. gr. furto: quia esset inquisitio specialis sine praevia infamia. Salon. Caiet. Trull. l. 8. c. 1. d. 18.: nisi tamen crimina sint connexa vel unum sit circumstantia alterius. ibid. et Sanch. 2. p. *Consil.* l. 6. c. 3. d. 21.

Iam dictum est n. 560.

XX. Dixi in resp. *Regulariter;* quia ad specialem inquisitionem non requiritur infamia praevia in casibus certis, quos v. apud Less. l. 2, c. 29. d. 15. Bon. t. 2. d. 10. p. 5. Sanch. 2. p. *Cons.* l. 6. c. 3. d. 19. Trull. l. c.

567. Sanchez l. c. refert casus, qui enumerari solent, quibus, absque infamia praecedente, institui potest inquisitio specialis; quos tamen casus ipse omnes non probat.

Primus est, cum non intenditur condemnatio vel poena inquisiti, sed evitatio erroris vel damni, ut cum inquiruntur merita personae, ne indignus assumatur ad ordines vel munera publica aut beneficium, vel inquiruntur impedimenta matrimonii, ne inhabiles copulentur, de quo casu iam dictum est nn. 560. 5. et hunc casum certum esse, ait idem Sanchez.

Alter casus est, cum quis proprium crimen est fassus. Sed heic Sanchez distinguit. Vel enim confessio fuit extraiudicialis vel iudicialis seu in iudicio facta. Si primum, ut procedi possit, requiritur, eam factam esse coram multis, ut exinde infamia orta sit et sic ratione infamiae potius quam confessionis licebit procedere et citatur Navarrus. Et ratio est ex iure canonico, quod infamiam requirit. Si iudicialis fuit confessio, ipsa sufficit, etsi coram paucis facta; quia talis confessio notorium facit et notorietas, cum plus sit quam infamia, satis est ad inquirendum.

Tertius enumerabatur communiter casus, cum iudex, non ad instigationem partis, sed ex officio procedit. Sed hic casus, ut ait Sanchez, est falsus; quia tunc iudex potest solum inquirere generaliter, nisi infamia aut gravia indicia praevertant. Licet tamen hinc videre, quam parum in his rebus constarent sibi Doctores; nam ratio Sanchez satis est clara, quando quaestio non sit de criminibus vergentibus in publicum damnum vel aliorum etiam innocentium et nihilominus opinio contraria, ut ait Sanchez, erat communis. Forte Doctores prae oculis habebant talia crimina, cum illud assererent.

568. Quartus casus est, cum iudex vel Praelatus in inquisitione generali comperit aliquos esse delinquentes: potest tunc ad specialem

inquisitionem descendere, quin praecedat infamia. Ratio est, quia alias frustra fieret inquisitio generalis. Censet tamen Sanchez probabilius esse oppositum ex iure canonico c. *Qualiter et quando, de Accus.*, quod ius infamiam semper requirit pro inquisitione speciali neque hunc casum excipit. Itaque cum inquisitio generalis in foro ecclesiastico fiet, haec norma, tanquam probabilior saltem, servanda erit.

Quintus casus est ex incidenti cognitione, cum nempe iudex inquirens de uno crimine, detegit aliud: de hoc quoque inquirere potest. Huic potestati iudicis ius naturae certe non adversatur; nam ut iam monuimus, exigentia praecedentis infamiae tandem est ex iure positivo atque huic praxi censeo moderna iura favere. At spectato iure vetere, concedit id quidem Sanchez, si crimina sint connexa, non vero si sint disparata, propter eandem rationem, quia nempe in his deest infamia.

Sextus casus est, cum iudex procedit ad denuntiationem publici officialis seu fiscalis. Id limitat Sanchez, si deferat crimina notoria vel famosa. Apud nos, Procurator regius defert omnia crimina, quae ad ipsum relata sunt et iudex contra illa procedit.

Septimus casus est, quando crimina sint in praeiudicium tertiae personae etiam privatae, multo magis si contra commune bonum. Sed ut aliqua persona determinata inquiratur, indicia saltem praecedere debent. Ita quoad crimen haeresis.

Octavus casus est atrocitas delicti, ut crimen laesae maiestatis, ad quod inquirendum rationabilis suspicio sufficit. Idque propter commune bonum.

Nonus casus censebatur, si delictum commissum fuisset in iudicio vel in iudicis conspectu, sedentis utique pro tribunali. Verum textus iuris qui afferuntur, loquuntur quidem de certis delictis in iudicio admissis, sed quae simul sunt in damnum tertii, calumniatore nempe, falso teste et huiusmodi. Quocirca censet probabilius Sanchez cum Soto, causam cur absque infamia procedi possit, esse in eo, quod delicta sint in damnum tertii, non quod facta sint in iudicio. Ceterum iure naturae spectato, non est, cur improbetur iudex, qui contra tales delinquentes procedat, dummodo testes idonei adfuerint.

569. Decimus casus spectat tum servos domus, in qua dominus invenitur occisus, quos inquirere licet, quamvis nulla praecesserit infamia, tum nautas navis, quae submersa fuit; quia hos omnes lex habet ut suspectos, ait Sanchez: potius, quia ipsi ex officio debebant dominum vel navem custodire, ait Lugo n. 63.

Ceterum quoad servos, lex, quae citatur h. e. l. 1. Dig. *De Senatuscons. Sillaniano*, agit de servis proprie dictis, qui sunt in dominio alterius; ratio vero legis, ut ibid. dicitur §. *occisorum*, est, quia non

tulerunt dominio auxilium, cum possent: praesumuntur scilicet saltem negative cooperati. Ideo oportebat, ut occisio appareret ab extrinseco illata. Si veneno interiisset dominus, quod per se ipsum sumere poterat, immunes erant servi a quaestione. Lex erat strictae interpretationis, ut idcirco nomine *domini* domus ille non veniret nec eius privilegio frueretur, qui usumfructum domus, non proprietatem haberet. Ergo nec modernos famulos, qui servi haud sunt, comprehendere licebit.

Dictum est de tribus ordinariis viis, quibus instituuntur processus contra reos. Speciale quid est, si agatur de reo in flagranti comprehenso et de reo criminis notorii: contra quos quae ratio esset procedendi ex iure communi, cf. Pichler l. 5. tit. I. n. 39.

Articulus III.

Quid liceat iudici circa quaestionem sive torturam. Unde resolves.

XXI. Resp. 1. Ad torquendum reum (si tamen torqueri potest) requiruntur alicuius gravis criminis ea saltem indicia, quae faciant semiplenam probationem, id est reddant rem plus quam probabilem; qualia habentur v. gr. testis unus omni exceptione maior. Rei confessio extra iudicium, item probabiliter etiam assertio duorum vel trium criminis sociorum in criminibus exceptis, praeterquam veneficii (in quo, an ex sola denuntiatione complicum et quo modo procedere liceat, v. Tann. t. 3. d. 4. de *Iust.* d. 2. et 3. Laym. l. 3. t. 6. c. 5.) item fama publica a viris honestis orta ac per testes probata, cum alterius indicii adminiculo (nam fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris) Laym. l. 3. t. 6. c. 5. n. 9. ex variis. Ratio responsi est, quia tortura instituta est ad subsidium probationis, quando argumenta et indicia sunt valde efficacia, ut sic plena probatio eliciatur: nam confessio Rei (si eam ratificet extra torturam maneatque in ea usque ad sequentem diem) ex semiplena probatione facit plenam. Less. l. 2. c. 20. d. 18. Delr. l. 5. s. 3. Laym. l. c.

Dixi in responsione, *si tamen torqueri potest*, quia quaedam personae prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis. Tales sunt viri in magna dignitate constituti, Officiales Principum, Urbium Gubernatores, Nobiles Equestris Ordinis, Milites, Doctores eorumque liberi, item impuberes, senes, memoria vacillantes, praegnantes et nondum confirmatae a partu. Delr. s. 6. Binsf. c. 6. C. de Lugo d. 37. s. 14.

Unde resolves.

XXII. 1. Peccat Iudex graviter, si non prius omnia alia media mitiora detegendae veritatis tentet, quam ad torturam descendat.

XXIII. 2. Tortura simpliciter abstinendum est, quando adest plena probatio criminis; quia ad hanc ordinatur tortura. Nav. Less. l. c.

XXIV. 3. Insufficientia ad torturam indicia sunt: si cadaver occisi sanguinet ad praesentiam alicuius, si sagae non possint lacrymari. Item illicita est probatio per aquas etc. de quibus v. Delrio l. 5. Less. n. 176. Trull. l. 8. c. 1. d. 21.

XXV. 4. Peccant Iudices, qui in causis criminalibus aut notabilis infamiae, reum comprehensum, antequam habeant probationem contra ipsum, iuramento adstringunt

ad dicendam veritatem de omnibus pertinentibus ad casum, ob quem comprehensus est. Navar. c. 18. n. 41. et c. 25. n. 36. Additque idem esse, si (etsi sine iuramento) minis, terroribus, tormentorum ostensione hominem turbent et implicent, ut sibi contradicens circumstantiam aliquam revelet, qua convincatur et puniatur. V. Card. de Lugo a. 40. n. 1.

XXVI. 5. Si iudex extorserit confessionem per iniuriam, verbi gratia si extorserit exemptos, si sine sufficientibus indiciis, si dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promissione induxerit ad fatendum, vel aliter (sive quoad substantiam, sive quoad modum) notabiliter excesserit in tortura, confessio nulla est nec potest ex ea procedi: imo tenetur iudex ad compensationem damnorum, ut docet Card. de Lugo d. 37. s. 14. 157. Vide Less. c. 19. d. 18. Laym. l. 3. t. 6. c. 5., ubi etiam dolos bonos, quos Delr. suggerit Iudici, plane reiicit. Vide Tan. t. 3. d. 2.

XXVII. 6. Licet reus confessionem iniuste extortam postridie ratificet, nihilominus iudex non potest procedere ad punitionem rei vel complicis occulti: quia cum confessio fuerit irrita, consequenter etiam ratificatio ex ea orta, ex *l. penult. ff. de quaest.* atque adeo etiam cognitio per illud medium parta est iniusta. Navar. Salon. Less. Sayr, Trull. l. c. d. 10.

XXVIII. Resp. 2. Gravius torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita, ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. Unde si hîc excedatur, confessio extorta erit involuntaria et habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram iudice ratificet, metu novae torturae. Laym. c. 5. n. 11.

XXIX. Resp. 3. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant; quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram iudice, repeti tortura potest, tum quia indicia manent in suo vigore, tum ob inconstantiam. Si vero tertio tortus ac confessus tertio retractet, absolvendus est: quia praesumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. Less. c. 29. d. 7. Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quae violentam praesumptionem pariant, crimen malitiose a reo negari. Laym. loc. cit. V. C. de Lugo d. 37. n. 156. Dian. t. 3. tr. 6. r. 16. et 23. Trull. l. c. Vide infra hic dub. 6. et 7. An, quando et quomodo Iudex possit interrogare reum de complicibus, vid. Trull. l. 18. c. 1. d. 22.

570. Cum haec praxis a moribus tribunalium iamdudum excesserit, opus haud est ea declarare, quae habet A. Adverte, quae notabat Lugo n. 133. in hac re. Notandum, ait, « torturam debitis circumstantiis concurrentibus licitam reputari: quia licet delictum nondum probatum sit, sine illa tamen audaciores homines essent ad delinquendum; cum plerumque non possint crimina probari sine propria confessione et haec non habeatur communiter sine tortura. Quare licet periculum sit, nè innocentes torqueantur et ne dolore coacti fateantur id, quod non peccarunt; minus tamen reputatur hoc malum, quam quod ex impunitate scelerum respublica humana pateretur: ex duobus autem malis minus est eligendum, quando utrumque vitari non potest. Quia tamen hoc medium violentum et periculosum est, non est tentandum, nisi cum magno fundamento praecedente contra delinquentem, nempe semiplena probatione (qua delictum nempe valde probabiliter suadetur, secus ac in plena, qua certum efficitur), quae aliquando habetur ex

testimonio unius testis omni exceptione maioris, qui testatur de visu, nempe se vidisse ex. gr. tali hora et loco occidi Petrum a Ioanne: imo aliquando unus testis non sufficeret contra personam alioquin bonae famae... Sufficiunt etiam indicia, non quaelibet, sed quae faciant semiplenam probationem ».

Huiusmodi erant, iuxta Lessium l. 2. d. 29. n. 156., primo fama publica de auctore criminis, praesertim si aliis adminiculis iuncta esset, ut si accessisset aliquis testis minus idoneus, vel apparuisset vestigium facinoris in veste, armis etc. Sola enim fama per duos testes probata non sufficiebat; quia fama in criminalibus non probabat, sed se habebat instar accusatoris. Alterum indicium erat confessio rei extraiudicialis apud duos saltem libere facta, vel confessio facta coram iudice incompetente, tertium indicium erat assertio duorum vel trium sociorum, dummodo iuramento assertionem confirmassent; quia agebant ut testes. Quartum indicium erat fuga, statim ac patratum esset delictum, coniuncta cum fama vel communi suspicione criminis. Quintum indicium erat gravis inimicitia antea exercita, iuncta tamen cum aliis indiciis, ut si antea minatus fuerat et soleret minas exsequi, si paraverat arma, si visus esset circa eum locum, quando admissum est homicidium. Sextum indicium erat inconstantia et titubatio rei in examine circa principalia causae, iuncta tamen aliis indiciis, quae suaderent, eam ex conscientia criminis oriri. Septimum: si quis visus esset exire stricto ense e loco, ubi reperiretur aliquis occisus. Octavum, si res sublata reperta esset apud reum, nisi docere potuisset, unde eam haberet. Nonum, si commisso aliquo magno furto, cuius auctor ignoraretur, aliqua vilis persona, quae ibi crebro versari solebat, apparuisset extemplo dives.

Haec, ait Lessius, sunt praecipua indicia a Doctoribus explicata.

Et Delrius apud Laymann *de Iudiciis* c. 5. n. 34. « Ad torturam, ait, mea sententia, sufficiunt indicia plusquam gravia... sane, ut docet Farinaccius q. 36. n. 3., ea deberent esse indicia tam urgentia et certa et luce meridiana clariora, ut iudex sit quasi certior delinquente et ut nihil aliud ipsi desit, quam rei confessio ».

Ita et Pichler l. 5. tit. 1. n. 33. « Requiritur... 5. ut adsint indicia valde urgentia contra reum et tanta, ut fere nihil desit, nisi ipsius confessio ».

« Tortura, aiebat Laymann l. c. n. 50., non debet esse tam gravis ut, considerata hominis constitutione, veluti impossibile sit, eam preferre adeoque, moraliter loquendo, cogat ad confitendum, sive nocens sit homo sive innocens ».

Haec praxis fundamenti loco ponebat, reum legitime interrogatum

obligatione teneri fatendi crimen, quod admiserit, vel gravissimum; secus nulla ratio fuisset adhibendae torturae. Hanc obligationem iura moderna non agnoscunt.

Commodum rei in hoc erat, quod si in tormentis nihil confessus esset, elidebat vim praecedentium indiciorum et se innocentem probabat.

Articulus IV.

Quid servandum iudici circa sententiam et poenam.

XXX. Resp. 1. Iudex debet iudicare secundum leges. Unde inferior Iudex ordinarie non potest poenam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat; nisi aliquando ad bonum Reipub. aliud necessarium esse dictaret epikeia, vel nisi de privata tantum iniuria actoris ageretur. S. Thom. 2. 2. q. 65. a. 6. Reg. l. 25. n. 634. Bon. etc. Trull. l. 8. c. 1. d. 12.

Dixi, *inferior;* quia supremus ob iustam causam id potest: sine causa tamen graviter peccaret, secundum Caiet. v. *Iudex;* quia animaret delinquentes et concurreret ad peccatum. An autem liceat intercedere apud Iudicem pro liberatione rei, vid. Bon. l. c. Trull. l. c.

571. Iam n. 548. de hoc debito Iudicis locuti sumus. Atque haec regula, quod secundum leges iudicandum sit, valet et pro suprema auctoritate in societate, quatenus ipsa nequeat ea, quae nondum sunt lege prohibita, iudicialiter punire. Quod ex statuto principio consequenter colligit A., de iudice inferiore, evidens est; relaxans enim iudex poenam a lege statutam, iam non sententiam ferret secundum legem.

A. distinguit iudicem supremum ab inferiori, de qua distinctione iam diximus n. 547.: qui supremus dicebatur, est princeps seu suprema auctoritas exsecutiva in societate, cui modo non competit ius iudicia agendi; sed pro opportunitate gratiam faciendi in criminalibus. Etsi tamen nullus sit iudex non subditus legi; est tamen supremum quoddam tribunal seu consilium quod ius habet dubia explanandi in lege.

Quod nunc lege statuitur, iudicem non posse augere, minuere, commutare poenam, nisi in casibus expresse determinatis a lege (cf. cod. poenal. ital. a. 30.), valebat etiam antea generatim pro quolibet iudice inferiore seu subdito legi. Quamvis enim Doctores affirmarent, certis in casibus posse iudicem per epikeiam temperare poenam (cf. Lessium c. 29. n. 47.): notabant tamen, id in praxi vix posse contingere, nisi quando iudex teneretur id agere vel ei a lege concederetur. Cf. Lugo disp. 37. n. 52.

At si actio sit non publica, sed privata et poena sit in favorem actoris, ad huius instantiam posse a iudice temperari poenam imo et remitti, aequitas naturalis satis docet.

Quod A. negat, posse pro lubito Iudicem supremum temperare vel

remittere poenam, valet nunc pro suprema auctoritate, quoad exercitium iuris *gratiae*.

Porro ad quaestionem: an liceat intercedere apud iudicem pro liberatione rei, respondet heic s. Alph. generatim, licere ea deprecari a iudice, quae iudex licite facere potest. Hinc liberationem rei etiam convicti licebit petere a iudice supremo seu principe; qui ius habet gratiae faciendae, nisi in certis casibus constet, iniquum fore exercitium huius iuris.

XXXI. Resp. 2. Si in aliqua causa fuit Advocatus, in eadem Iudex esse et sententiam ferre non potest, *l. praetor ff. de iurisd.* ed l. *Apertissimi c. de Iudiciis;* quia iudicium eius habetur suspectum, propter affectum ad unam partem, ut ex communi Doctorum docet Sanch. l. 3. *Consil.* c. nn. d. 26. (additque n. 2. sententiam non fore validam, quod tamen alii negant, si sit Iudex ordinarius) Card. de Lugo *de Iust.* d. 41. n. 4. Vid. etiam Dian. p. 3. tr. 5. misc. r. 56. ubi ex Corduba sentit, talem iudicem in conscientia non peccare, si sine affectu secundum leges, altera parte inscia, iudicet.

572. Haec sumpta sunt ex Lugo l. c., qui Advocato addit et eum, qui (utique ex officio) consilium dederit pro alterutra parte; scilicet, quia et hoc officium est advocati, si quis in aliqua causa tantummodo etiam consilium dederit, personam agens advocati, nequit in eadem causa esse iudex.

Et quidem si lex positiva irritet actus et sententiam talis iudicis, ei non licet in conscientia iudicem agere, ne partes contendentes decipiat. Secus, probabile est, quod ait Lugo, licite in conscientia huiusmodi hominem iudicem agere, si vere ex patrocinio olim praestito non moveatur et ab alia parte non recusetur. Quia lex prohibens fundatur in praesumptione, quae heic cedit veritati.

XXXII. Resp. 3. Quod iudex privata sententia scit esse nocentem si iuridice sit probatus innocens, non potest condemnare; quia iudicat ut persona publica, ideoque sequi debet scientiam publicam ac procedere secundum allegata, praesertim in favorem rei. S. Thom. 2. 2. q. 67. Nav. c. 25. Caiet. Fill. Less. Bon. d. 10. q. 2. p. 2.

Doctrina est clara.

XXXIII. Resp. 4. Quem Iudex privatim scit esse innocentem, si iuridice probatus sit nocens, tenetur omni modo liberare, si potest, verbi gratia, impediendo accusationem, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem (si sine maiore malo potest), remittendo causam ad superiorem et si sic nihil efficiat, probabiliter quidem plurimi Doctores tenent, cum s. Thom. l. c., ob rationem paulo ante datam, quod possit condemnare; verius tamen videtur contrarium, quod cum aliis docent Less. l. 2. c. 29. d. 10. Sà, v. Iudex. Petr. Navar. Fill. Bon. d. 10. q. 2. v. 2. n. 2. Tol. etc. Vide Card. de Lugo d. 17. s. 14. quia directe occidere innocentem, est intrinsece malum; ergo quomodocumque sciatur esse innocens, erit peccatum. Less. l. c. In causis tamen civilibus et criminalibus minoribus, ubi tantum agitur de poenis pecuniariis, potest etiam Iudex, secundum hos auctores, simpliciter procedere secundum allegata et probata; tum quia innocens

per appellationem potest restitui in integrum; tum quia Resp. habet potestatem in bona suorum civium, quando bonum publicum id requirit; ut in hoc casu ne forma publicorum iudiciorum cum populi scandalo evertatur. Vid. Laym. c. 2. n. 8. Less. d. 10. Bon. l. 5. n. 4.

573. « Tres sunt, ait Lugo disp. 37. n. 42., potissimae in hoc puncto sententiae. Prima negat, unquam licere iudici proferre sententiam contra eum, quem certo scit esse innocentem. Secunda extreme contraria affirmat, posse iudicem semper proferre sententiam in qualibet causa, iuxta allegata et probata. Hanc tenet s. Thomas (2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. et q. 67. a. 2.), et plures Theologi ac Iuristae sine dubio in hanc partem communiter inclinant. Tertia sententia media distinguit de causis criminalibus, in quibus agitur de poena vitae vel mutilationis et in iis negat, licere iudici condemnare innocentem: in causis vero civilibus vel ubi agitur de poena pecuniaria vel exilii aut privationis officiorum, concedit licere ».

Ratio secundae sententiae est, quia iudex est persona publica, agens ex scientia publica, quam nempe gignunt allegata et probata in publico seu legitimo iudicio; nihil enim ex suo arbitrio facit iudex, sed secundum leges et iura pronuntiat: id autem praestat, sententiam ferens secundum ea, quae in iudicio proponuntur et probantur. Ex quo sequitur, quod his in adiunctis, iudex non solum possit, sed, nisi cessare a iudicio velit, debeat innocentem damnare.

Sententia tertia, quae est media, non laborat in hac quaestione eo vitio, quo mediae sententiae solent non raro laborare, ut nempe utriusque extremae sententiae difficultatibus premantur et nihil novi, quod ad rem faciat, proferant. Sane ratio distinctionis est satis idonea.

Nam innocentem morte vel mutilatione plectere ita est intrinsece malum, ut ipsa societas ad hoc ius non habeat nec possit proinde hoc ius conferre iudici: privare vero pecunia ceterisve bonis potest societas et innocentem, ratione habita communis boni, propter quod de bonis subditorum disponere potest: cum ergo servare ordinem iudicialem spectet ad commune bonum; potest societas conferre iudici potestatem his poenis seu malis et innocentem afficiendi, si ordo iudicialis id exigat.

574. Iudicium de utraque sententia hoc profert Lugo: « Inter has sententias secunda est valde probabilis propter auctoritatem s. Thomae et communem (aetate scilicet Lugo adhuc communis erat, h. e. communior; nam quidam iam dissentiebant): tertia tamen habet rationes fortasse magis efficaces; nam licet non omnia eius argumenta probent... aliqua tamen habent magnam vim ».

Praecipuum est quod petitur ex morali principio, confirmato a iure

quoque canonico c. *Inquisitioni suae, de Sententia excomm.:* nimirum qui scit, rem praeceptam esse intrinsece malam nec eius malitiam per praeceptum aut auctoritatem superioris auferri, ex errore eam praecipientis, debet potius quaelibet pati, quam illam exsequi. Ita c. cit. edicitur, quod si alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugii, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. Porro heic eadem occurrit ratio: occisio innocentis est intrinsece mala ipsi quoque societati, quae solum ex errore praecipit eam iudici: hic ergo, qui errorem novit, nequit obedire. Cf. Lugo ibid. ita Lessius c. 29. n. 78. Laymann *de Iudiciis* c. 2. n. 8.

Excipitur utique casus, si notitia privata habita fuerit per sacramentalem confessionem: haec enim speciali iure regitur et extra confessionem perinde est ac si notitia non esset. Idcirco sicut, ea exsistente notitia, quis posset imo deberet se ipsum interimere, sumendo ex. gr. venenum, quod ex confessione novit sibi infusum in calicem, si nequeat ea sumptio omitti absque revelatione confessionis: ita potest certe et debet damnare alium, quem scit ex eadem privata scientia innocentem, sed quem in iudicio allegata delinquentem probant. Cum vero constet non esse obligationem sumendi veneni, si notitia hausta non esset ex confessione; patet haud licere arguere ab hac notitia ad alias. Lugo n. 47.

Et adverte discrimen inter doctrinam modo statutam et doctrinam Resp. praecedentis. Debet iudex, quem privata scientia nocentem novit, absolvere, si publice probetur innocens; quia servandus est ordo iudicialis, dum ius naturae non violatur et heic nullum reapse ius naturae violatur: at in hypothesi nostra ius naturae obstat, ne innocens damnetur.

Ceterum ubi *Iurati* vigent, nullus fere est amplius locus huic quaestioni, ut paulo post expendemus sub tit. *de Iuratis.*

575. Quae autem sunt omnibus Theologis in hac quaestione certa et extra controversiam, proponit rursus Lugo n. 41. « Certum est, inquit, in primis, eum iudicem teneri omnia media tentare et omnem diligentiam adhibere, ad liberandum reum. Primo excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem: secundo maxima dexteritate examinando testes, exemplo Danielis etc.; tertio poterit, si fieri possit sine scandalo, dissimulare in carceris custodia, ita ut innocens fugere possit: quarto remittere causam ad iudicem superiorem et coram illo testificari innocentiam rei, quam ipse scit: quinto, si iudex sit supremus Princeps, poterit facilius reum absolvere de potestate absoluta». Horum

summa ex s. Thoma 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. et q. 67. a. 2. deprompta est. His vero positis patet verissimum esse quod idem Lugo ait: « rarissime posse contingere, quod iudex non possit liberare eum, quem certo novit innocentem ». Quae est alia ratio, cur non oporteat admodum in hac quaestione cum adversariis contendere.

576. Quod spectat ad ministros exsecutores sententiae, illud, iuxta secundam sententiam, certe possunt quod potest iudex, nempe etsi sciant certo reum esse innocentem, si ex allegatis appareat nocens, sicut iudex potest eum damnare, ita et ministri occidere possunt. In ceteris en doctrina s. Thomae 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. « Minister iudicis condemnantis innocentem, si sententia intollerabilem errorem continet, non debet obedire; alias excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si vero non continet manifestam iniustitiam, non debet discutere superioris sententiam nec ipse occidit innocentem, sed iudex, cui ministerium exhibet ». Intollerabilis porro error dicitur, si ordo iudicialis prorsus pessumdatus fuit, si allegata probaverint rei innocentiam et huiusmodi.

Obiter nota cum Lugo n. 45. c. *Pastoralis* §. *Quia vero, de Offic. et potest iud. deleg.* affirmari quidem, quod ordinarius (cui exsecutio committitur) debet exsequi sententiam delegati (a Papa), etiamsi ipse sciat eam esse iniustam: at ibi sermonem non esse de sententia ferente poenam mortis vel mutilationis.

XXXIV. Quaeres. 1. Quid faciendum Iudici, cum utrinque sunt sententiae probabiles in quaestione iuris; v. gr. an ex testamento minus sollemni debeatur hereditas.

Respond. Debet ferre sententiam secundum opinionem de iure probabiliorem, saltem si sit Iudex supremus. Neque tunc videtur tenendum, quod quidam docent, eum satisfacere conscientiae, si causam adiudicet defendenti se probabiliter, licet altera probabilius. Ratio est, quia Iudex est constitutus ut secundum merita causae et sententiam, quae ei maxime videtur rationi consona, causam decidat; quia alioqnin esset acceptor personarum. * Porro Iudicem posse iudicare secundum minus probabilem opinionem, proposit. est damnata ab Innoc. XI. Proposit. 2.

Dixi, *si supremus sit:* quia, si sententia aliqua communiter sit accepta in tribunali superiore, Iudex inferior videtur secundum eam posse iudicare, licet minus probabilem; quia videt probabiliorem cum honoris sui praeiudicio revocandam in superiore tribunali. Laym. l. 1. t. 1. c. 5. §. 3. n. 16. ex Sylv. Vasq. etc. Vide tamen C. de Lugo d. 37. s. 10.

Resp. 2. Si opiniones oppositae aeque probabiles videntur, non licebit uni eorum adiudicare totum pro suo arbitrio, cum uterque aequale ius habeat, sed suadebit compositionem, imo etiam imperabit in casu nimis intricato (alias enim non licet), vel uni dimidium et alteri alterum dimidium iuris aut rei, de qua lis est, adiudicabit, memor interim axiomatis: quod, si partium iura sint obscura, potius favendum sit reo, quam actori. ibid. Bonac. *de Peccatis,* d. 2. q. 4. p. 9.

577. Distinguitur dubium *facti* et dubium *iuris*. Illud est, cum e. gr. spectatis testibus et instrumentis nondum constat, an reus crimen

admiserit: cum dubitatur, an quis compos sui fuerit etc. Dubium *iuris* seu circa ius, est, quando lex, secundum quam lis decidenda est, aliter et aliter a Doctoribus, etiam Tribunalibus, intelligitur atque utramque opinionem iudex putat esse vere probabilem. Ita Salmant. tr. 29. c. 1. n. 36.

Iam vero illud generatim tenetur: *in dubio facti favendum esse reo, potius quam actori:* factum enim non praesumitur, sed probandum est (nisi quod semel malus semper praesumitur esse malus Reg. 8. iuris in 6. non quidem in omnibus, sed in crimine iam admisso et nisi contraria indicia adsint elidentia praesumptionem): idemque valet in dubio negativo. Lugo disp. 41. n. 7.

Si dubium sit iuris, non omnes eodem pacto loquuntur. Itaque in criminalibus, sive dubium sit facti, an reus vere deliquerit, sive iuris quam poenam mereatur, favendum est reo; quia damnari nequit nisi constet culpa et debitum poenae. Nihilominus, si urgentia sint indicia et merito respublica a reo sibi timeat, si dimittatur; posset is mitiore aliqua poena extraordinaria plecti. Lugo disp. 37. nn. 142. 143.

In civilibus, si quaestio sit de sola proprietate, altero possidente, standum esse dicitur pro possessore, iuxta regulam iuris: *in pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.* « Verum (ait Ballerini) ut par causa dicatur, rationes utriusque partis debent esse aeque probabiles. At si rationes *actoris* sunt probabiliores, regula ista iuris, fatente s. Alph., non est amplius certa nec limites probabilitatis excedit opinio, licet communior, obligans iudicem ad ferendam pro possessore sententiam ». S. Alph. n. 210. q. 2.

578. In causis, ubi agitur de proprietate vel de proprietate simul et possessione, cum quaestio iuris habet locum, si inaequalis sit probabilitas iuris inter partes (Lugo n. 116., si *magna* sit inaequalitas inter probabilitates), tunc, ait A., iudex sententiam ferre debet pro ea parte, cui favet ea opinio, quam iudex censet esse probabiliorem. Et sane si opinio sit *multo* probabilior, ut supponit Lugo, adeo ut spectari possit tanquam paene moraliter certa, vix dubitare licebit de hac responsione Auctoris. At si tantum opinio sit probabilior, res non est adeo evidens. Ratio est, aiunt, quia iudex a republica est constitutus, ut sedulo perpendat iura litigantium et pro merito causae rem definiat: secus acceptor esset personae.

Verum ex hac ratione illud forte potius sequeretur, debere iudicem, pro rata probabilitatis, rem inter ligantes dividere: nam tandem maior probabilitas non est certitudo et qui probabile ius habet, habet quid simile alteri et idcirco petere potest aliquid respondens eidem iuri.

Alia ratio est ex prop. 2. inter damnatas ab Innoc. XI. 2. Mart. 1679.

« Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem ». Est tamen qui advertat, exinde sequi, non posse a iudice causam adiudicari ei parti, pro qua minor est probabilitas: non vero sequi, adiudicandam esse parti habenti ius probabilius; nam est aliquod medium, ut dividatur nempe res inter partes pro rata probabilitatis. Profecto non semper res dividi poterit, sed loco divisionis, relicta re integra vel integro iure uni, compensatio aliqua alteri poterit decerni.

In praxi, puto, utrumque licite fiet, ut nempe iudex vel sequatur opinionem probabiliorem, vel rem pro rata probabilitatis dividat: praestabit tamen semper consuetudinem sequi tribunalium.

Quod spectat ad cit. propos. monet cum aliis s. Alph. n. 210. propositionem loqui praecise de sententia: idcirco vi illius proscriptionis non prohiberi iudicem opinionem sequi minus probabilem, dummodo sit vere probabilis, in aliis actibus iudicialibus.

579. A. suae doctrinae unam exceptionem apponit. Si nempe sit iudex inferior sciatque in supremo tribunali (puta appellationis) dominari aliam opinionem; tunc, etsi haec opinio ei sit minus probabilis, potest iudex eam sequi, tum quia ipsa haberi potest tanquam extrinsece probabilior, tum quia tandem haec erit sententia, quae, interposita appellatione, in causa praevalebit.

Lugo n. 117. addit aliam exceptionem: nimirum, quando ex electione opinionis probabilioris sequatur scandalum in republica vel talia oriantur inconvenientia, ut censeatur respublica maius detrimentum pati ex hoc capite, quam ex eo, quod eligatur sententia minus probabilis. Ratio exceptionis est, quia in utraque parte est vera probabilitas, quae per se satis est ad operandum: bonum autem publicum, quod prae oculis habere debet iudex, praevalet bono privato: si ergo cum opinionis minus probabilis electione nexum sit bonum publicum, ea sequenda est prae probabiliore. Huic sententiae non obstat, puto, damnatio propositionis citatae, quae indefinite loquitur.

In Resp. 2. doctrina A. videtur cum sua praecedente cohaerere: quemadmodum scilicet iudex iudicare debet iuxta probabiliorem opinionem, ne sit personae acceptor: ita si utrinque ius litigantium sit aeque probabile, videtur non posse iudex causam uni adiudicare cum praeiudicio alterius; sic enim rursus acceptor videretur personae: debet ergo, pro iuris probabilitate, rem inter litigantes dividere, memor interea reg. 11. iuris in 6. quod, *cum partium iura sunt obscura, reo favendum est potius quam actori.*

580. Nihilominus « non debet (verba sunt Ballerini) silentio praeteriri alia sententia, quam amplexi sunt plures (vid. Lugo disp. 37.

nn. 114. 115.) iique, ut inquiunt Salmanticenses tr. 29. c. 1. n. 41., gravissimi Doctores et quam sic effert Lugo l. c. Quando utraque sententia est aeque probabilis, iudex melius quidem facit procurando partes ad concordiam reducere: absolute tamen potest alteram ex illis eligere. Et Sanchez *Decal.* l. 1. c. 2. n. 45.: « Verius est, integrum esse iudici, quam maluerit, opinionem eligere et secundum eam iudicare: imo, cessante scandalo, modo secundum unam, modo secundum aliam. Non fuit certe haec sententia silentio praetereunda; quippe oppositam, cuius A. solum meminit, vel ipsi Salmanticenses mere habent ceu sibi probabiliorem l. c. n. 42. ».

« Illud etiam non omittendum, pro ista Salmanticensium et Auctoris sententia s. Alphonsum allegasse etiam Villalobos, Prado, Payrum etc., quos citatos a Salmanticensibus reperit. Verum hos Auctores aliosque, quos tacite s. Alph. subindicat, Salmanticenses l. c. afferebant, non ubi quaestio est *de aequali probabilitate ex parte iuris, sed ubi aequalis probabilitas est ex parte facti* ».

Porro haec est ratio, quam pro sua sententia affert Lugo. Quia iudex ex debito sui officii solum tenetur investigare diligenter veritatem, ut secundum eam iudicet: sed in casu nostro probabilissime (?) iudicat illam esse veritatem et hunc hominem habere ius; ergo potest pro illo iudicare. Tum respondet difficultati; nam idem videtur dici posse quando aequalis probabilitas versatur circa factum utriusque partis. Tunc enim etiam probabile est, hunc hominem esse ex. gr. verum heredem et per consequens habere ius. At discrimen Lugo statuit inter dubium facti et dubium iuris. Scilicet, etsi probabile sit ex. gr. hunc hominem fuisse institutum heredem, certum tamen est, non habere ius in iudicio; quia ad hoc requiritur, quod probetur institutio ipsius; cum autem haec maneat dubia, non videtur probabile, ipsum habere ius in iudicio. At in nostro casu, ubi iam certum supponitur factum, circa quod de sensu legis disputatur, probabile est, ipsum habere verum et proximum ius in iudicio et debere pro ipso iudicari.

Dices, in hac sententia iudex se exponit periculo iniuriam faciendi ei qui ius habeat. Respondet Lugo; esto, sed in sententia opposita aliquid amplius contingit; nimirum tributo dimidio rei cuique parti, ea pars quae ius habeat, *semper* privatur *certe* dimidio eius, quod ei debetur. Quae animadversio ostendit, sententiam hanc non multum conducere ad aequalitatem servandam et in utraque sententia aliquod incommodum subeundum esse illi, qui a parte rei vere ius habeat, minus sed certum in sententia Auctoris, maius sed non certum in sententia Lugo.

581. « Ceterum (pergit Ball.) quamcumque demum in hac quaestione opinionem praeferas, bene monent VV. pag. 926., *excipiendum*

ut habet s. Alphonsus lib. 4. n. 410., *si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli et aliis causis piis; nam tunc pro iis iudicandum, cum iura sunt aequalia, etiamsi sint auctores ex c. final. De sentent. et re iudicata* (a). Fateri tamen oportet, hinc difficultatem oriri contra opinionem A., quam alioquin s. Alphonsus l. c. omnino tenendam dicit, nempe generatim inter partes rem esse dividendam. Pro hac sententia s. Alphonsus post Roncaglia et Reiffenstuel rationem affert, *quia iudex non est dominus rerum, sed distributor et* (ut ait Reiffenstuel) *iustitiae administer iuxta iura partium et ideo si iura sunt aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet.* At enim dum Ius Canonicum a s. Alphonso allegatum, praecipit, ut, si agitur *de viduis et pupillis*, pro his in casu iudicari debeat, numquid praecipit, ut iura iustitiae violentur? Et si fas non est id affirmare et alioquin alterius partis ius nequaquam deperire per se dicendum est, quia aequale ius est pupilli aut viduae; quomodo, servatis iustitiae legibus, iudex non dercernet rem dividendam sed alteri parti rem integram potest adiudicare? Non ergo gratis *gravissimi*, aiunt Salmanticenses, et *quamplures* et *non exigui nominis theologi*, ut eos vocat Roncaglia tr. 15. q. 2. c. 1. q. 9. parum aut nihil detulerunt argumento quod et Roncaglia et Reiffenstuel et post eos s. Alphonsus firmissimum putaverunt ».

Atque haec, cum utrinque sunt opiniones probabiles seu quaelibet pars habet probabile ius positivum. Si dubium sit negativum, favendum est possessori et si nemo sit possidens, res est dividenda, vel, si id fieri nequit, sorte alterutri applicanda. Lugo n. 122.

Monet s. Alph. n. 210. cum Salmanticensibus, non licere iudici illud suggerere alteri parti, quod ipsa posset pro se allegare; quia hoc esset agere partes advocati, quod iudici non licet.

XXXV. Quaeres 2. Ad quid teneatur Iudex, qui sententiam iniustam tulit?

Resp. 1. Si dolo vel (ut dixi d. 1. a. 1.) magna imperitia id fecit, litem fecit suam idest damnum partis laesae in se transtulit, cui tenetur restituere. Bon. d. 10. q. 2. p. 4. ex s. Th. etc. Vide supra d. hoc art. 1.

Resp. 2. Si alioqui dignus suo munere (tametsi id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem, ex humana fragilitate, erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum iniuriam formalem non intulerit neque

---

(a) Sententia huius canonis non est disserte haec. Non decernit Pontifex, pro quo in his causis sit iudicandum nec agit de eadem probabilitate pro utraque parte; sed casum spectat, quo duo iudices diversas super eadem re sententias tulerint (sive pares exstiterint rationes pro utraque parte sive secus, nihil refert): tunc valere ait sententiam pro reo, non pro actore latam, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, testamento et quidem si iudices sint ordinarii; nam si delegati sint, ad delegantem spectat rei definitio. Agitur puto de iudiciis ecclesiasticis, in quibus ea aetate huiusmodi causae agitari solebant. Quocirca non improbamus, qui censeat, opus non esse haec nunc servare in laicis tribunalibus. E.

aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potius (secundum alios) cum culpam theologicam non commiserit: debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo. Laym. l. 3. t. 6. c. 2. n. 11.

582. Doctrina utriusque responsionis clara est. Heic locus esset quaestioni, an iudex sine causa relaxans vel minuens poenam pecuniariam, quae fisco vel alteri debeatur, teneatur restituere iis, quibus ea poena debebatur: sed hanc quaestionem, iam expedivimus n. 551. ubi et A. eam tangit.

Addenda quaedam sunt ex Lessio. Nimirum primo ad damni reparationem tenetur iudex ille, qui condemnat non subditum, sive in crimine ab eius iurisdictione exemptum. Nam facit ei manifestam iniuriam et sententia iniusta est. Si tamen proprius iudex subditi vel princeps ratum habeat factum huius iudicis, hic liber est ab obligatione restituendi; sic enim poena infertur consensu legitimae auctoritatis.

Secundo: Iudex legitimus, qui condemnet subditum ex privata scientia vel ex notitia iniuste extorta, tenetur ad damni reparationem; quia iudicans ex privata scientia pervertit ordinem iuris et iniuriam facit reo, non secus ac si esset iudex non competens; nam non est ei facultas data iudicandi in hoc casu. Pariter si notitia iniuste extorta fuit, etsi vera sit, iudex per eam iniustam extorsionem ponit causam damni iniuste: ideoque ad reparationem tenetur. Cf. n. 559.

Et adverte, quod quamvis habita ea notitia, quae per iniuriam extorta fuit, supremus iudex vel princeps, qui iniuriam non tulit, possit procedere vel iubere ut processus fiat et quidem ab eodem iudice contra delinquentem et instituto legitimo iudicio hic puniatur; non liberatur tamen qui iniuste notitiam extorsit, ab obligatione damni reparandi. Quia ipse causam iniuste dedit huic damno rei, non secus ac si ipse solus crimen sciens, illud evulgasset, infamando sine causa occultum delinquentem: ex quo tamen deinceps posset iudex ex officio procedere ad inquisitionem contra reum.

Et multis quidem modis fieri potest, ut iniuste notitia criminis extorqueatur, quos enumerat Lessius ibid., inter quos et ille occurrit; quod dolo inducat iudex reum ad confitendum, promittens impunitatem; cum reo non apparet ratio dubitandi de veracitate promissionis.

Restitutio autem seu reparatio damni facienda est reo, si fieri potest, vel heredibus.

Pariter iudex, qui omisso iure probabiliori, causam integram adiudicat habenti ius minus probabile, iniuste agit et reparare debet damnum iniuste illatum.

583. Quaeritur an iudex possit ferre sententiam secundum legem iniustam. Si lex iniusta sit, ratione incompetentiae eo quod feratur in

non subditum, ut lex civilis subiiciens clericos foro laico: petat iudex facultatem ab ecclesiastica auctoritate, quae, ut iam diximus, viro honesto non aegre dabitur et sic se gerat, quemadmodum oporteret erga subditum. Si lex iniusta sit ratione rei praeceptae, quae sit contra ius naturale aut divinum, nequit ullo pacto iudex sententiam ferre, quae obliget ad faciendum, quod lex inique praecipit: sic nequit cogere mulierem cohabitare cum eo, qui, peracto matrimonio civili, detrectat celebrare matrimonium in facie Ecclesiae; esset enim turpis concubinatus.

At si solum ageretur de poena infligenda transgressoribus huiusmodi legum, liceretne aliquando iudici poenas decernere, ne cogeretur dimittere officium cum gravi suo damno? Si poena esset gravissima, ut mortis, mutilationis, ergastuli aut huiusmodi, profecto non; ius enim innocentis certe praevalet. Si minus gravis sit poena, videri potest debere reus innocens consentire suo damno, vel praesumi posse eius consensum, ut iudex servetur indemnis. Verum difficultas semper est, quod iudex poenam decernens, obligationem sua sententia imponit iniustam; neque enim iudicando dicit tantum, hanc poenam esse scriptam in codice, sed ipse, auctoritate sua, eam imponit (n. 548.). Adde scandalum, quod sic agens iudex omnibus bonis daret, operam suam praestans pro amplificanda et roboranda observatione iniquae legis. Censemus proinde saltem probabilius, nunquam id iudici licere.

XXXVI. Quaeres 3. An sententia iudicis iniusta obliget in foro conscientiae?

Resp. Sententia iniusta ex natura rei aut ex omissione ordinis iuris simpliciter necessarii, sive feratur per falsa allegata et probata sive ex iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae manetque parti laesae, tametsi non appellet, ius suum licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona. S. Th. Sayr. Bon. d. 10. q. 2. p. 4. Trull. l. 3. c. 1. d. 7. Ratio est, quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem iudicii, hoc est, ut est determinatio iuris et definitio iusti.

Dixi, *in foro conscientiae:* quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio iuridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis. Trull. l. 8. c. 4. d. 7. ex Sayr. etc.

584. Supponimus, quod iam praestituimus ab initio n. 548., sententiam iudicis se habere ad instar particularis legis et idcirco, si iusta sit, in conscientia obligare.

Si autem iniusta sit, doctrina ab Auctore tradita clarissima est. Etsi enim iniusta sit tantum ex rei natura, sed iusta, ratione habita ordinis iudicialis servati, haec iustitia non est nisi praesumpta ex praesumpta veritate probationum; praesumptio autem veritati cedit.

At etsi appellare liceat, ea sententia formaliter iusta, in foro externo

servanda est, ad evitanda scandala aliaque publica incommoda; quia bonum publicum praevalet privato.

Si autem manifesta sit publica iniustitia sententiae, quia ex. gr. manifesta est perversio ordinis iuridici substantialis vel manifestum est, sententiam esse contra allegata et probata, vel manifestum est, sententiam esse contra ius naturae aut Ecclesiae: neque in foro externo ullam vim habere potest, etsi prudentiae identidem sit ei non resistere, quemadmodum et manifestae tyrannidi.

Unde resolves.

XXXVII. 1. Is, cuius bona per sententiam manifeste iniustam adiudicata sunt alteri potest (nisi alter iuste praescripserit) per occultam compensationem ea recipere: quia recuperat ius suum. ibid.

XXXVIII. 2. Qui sciens per iniustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere nec unquam praescribere potest; quia sunt aliena et possessor malae fidei nunquam praescribit: imo tenetur expensas restituere et compensare damna, etiamsi pars laesa non appellaverit, cum non renuntiet ideo iuri suo.

XXXIX. 3. Qui bona fide rem postulavit a ludice et bona fide accepit intelligitque ante tempus praescriptionis finitum, fuisse sententiam iniustam, tenetur eam, non tamen expensas, restituere. Si vero possedit rem bona fide, tempore ad praescribendum necessario, non tenetur restituere; quia legitime praescripsit. Salon. Sayr. Trull. l. c.

Constant haec ex alibi dictis de compensatione et praescriptione.

XL. Quaeres 4. Quid liceat ludici circa munera.

Resp. 1. Etsi a partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet, vel ob scandalum vel ob periculum pervertendi iustitiam, acceptorum tamen dominium comparat, spectato iure naturae.

585. Praemittenda, quae Lugo praemittit. Nimirum 1° quaestio esse potest vel spectato iure naturae vel iure positivo. 2° Munera huiusmodi dari iudicibus possunt vel tanquam pretium seu stipendium actionum suarum, vel liberaliter tanquam gratuitum donum.

Iam vero, si agatur de muneribus tanquam pretio seu stipendio recipiendis, distinguendum est. Nam vel iudex habet sibi constitutum a republica iustum stipendium pro officio, vel non habet aut non habet sufficiens.

Si habet, nequit aliquid amplius in pretium accipere et ratio evidens est. Quia iudex ex iustitia agere tenetur erga rempublicam, a qua stipendium accipit: quo quidem non iustitia sed actio et labor iudicis compensantur: quod autem ex iustitia alicui debetur, nequit eidem vendi. Item cum pretium a lege vel consuetudine taxatum est et iustum reperitur, nequit aliquid amplius sine iniustitia exigi. (Vol. III. 763. seqq.).

Id tam non impedit, quominus accipere liceat iudici pretium pro alia actione, ad quam non teneatur; ut si rogetur iter longum agere etc.

Si vero pretium constitutum non est: tunc profecto exigi a iudice potest, quoties agit; at in bene constituta societate id non contingit, ut iudices stipendium sibi colligant, vexatis singillatim iis, qui ad eorum accedunt tribunal.

Contingere vero potest, stipendium esse minus iusto; quia e. gr. decrevit pecuniae valor; qua in hypothesi quemadmodum iudex ius habet ad iustum stipendium, ita eo deficiente, ad compensationem, ut scilicet accipiat usque ad terminos iusti pretii. Si autem stipendium lege vel consuetudine definitum attingat limites infimi pretii, iudex illud acceptans nequit ullum incrementum exigere.

Porro, quemadmodum iusto exsistente stipendio, nequit iudex aliud pretium accipere ab eo, cui sua actio debetur, ita nequit a tertio accipere pretium, ut sententiam, quam debet, pro altero proferat: quae quidem est doctrina communis, ait Lugo heic, pro demonstratione reiiciens lectorum ad ea, quae dedit disp. 18. nn. 64.-65.; ubi tamen rem cum tanta certitudine non proponit. *Ratio esse potest*, inquit et ratio huc redit, quia qui pretium iudici dat, vere dat pro re quam iudex vendere illi nequit; quia sicut vendi sententia ei cui debetur, ita nequit vendi illi, qui huius negotium gerit; sic enim tandem illi venderetur.

Si vero pretium detur iudici pro sententia iniusta ferenda, illud dicendum quod in Vol. III. 581. seqq. dictum est circa contractus in re turpi.

586. His expeditis de muneribus, quae iudici tanquam pretium dentur, restat quaestio de muneribus, quae eidem ut dona dentur, utique tanquam iudici, non propter alios titulos extraneos iudicio et quaestio est, an sint illicita ac quo iure, naturaline an tantum positivo.

Distinguunt DD. (cf. s. Alph. l. 4. n. 211.) inter munera magna seu magni pretii sive absolute sive etiam relative atque parva, cuiusmodi esse solent esculenta et proculenta. Distinctio haec non est heic per quaedam accidentalia. Nam quod in muneribus spectatur est vis allectiva ad aliquid faciendum in gratiam donantis: parva autem munera non censentur moraliter habere vim alliciendi ad iniustam sententiam ferendam. Si ergo munera magna sunt (quas *sportulas* dici ait s. Alph.) et ratione habita circumstantiarum talia sunt, ut generatim loquendo, flectant iudicem ab ea aequalitate animi, quam habere debet erga partes et sic viam sternant perversioni iudicii, ipsum naturae ius prohibet iudici talium munerum acceptionem, quemadmodum ipsi prohibet, ne se in periculum coniiciat iniuste agendi. Idcirco iure naturae gravis vel levis

erit haec prohibitio, quatenus, spectata etiam dispositione subiecti, proximum erit vel minus proximum huiusmodi periculum.

Si vero munera sint exigua nedum absolute sed et relative, ut periculum absit corruptionis, iure naturae prohibita non est eorum acceptio.

Quamvis aliqua acceptio munerum iure naturae sit mala, non tamen ius naturae praecipit eorum restitutionem, saltem causa finita. Nam qui munera dedit, cum dominus esset rei suae, poterat eius dominium in eum transferre, quem vellet nec iudex iure naturae incapax fit dominii eius acquirendi saltem causa finita; cum tunc etiam cesset ratio naturalis prohibitionis accipiendi.

Diximus: *saltem causa finita;* quia ante quam sententia proferatur, idem ius, quod prohibet acceptionem, prohibet etiam retentionem; nam eadem occurrit ratio. Quia vero non perinde est prohibere retentionem atque incapacem efficere dominii; obligatio restitutionis non erit ex iustitia erga dantem, cuius res adhuc sit; sed ex caritate erga se ipsum ut se eximat a periculo iniuste agendi; haec enim est tota ratio naturalis prohibitionis.

XLI. Resp. 2. Etsi lex positiva munerum acceptionem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam Iudicis, nisi lex exprimat, quod non illicita tantum, sed etiam invalida sit acceptio. Vide Bon. in 8. *Praeceptum*, q. 2. p. 8. Laym. l. 3. tr. 4. c. 4. nn. 9. et 10.

587. Lege positiva tum civili tum canonica prohibita est iudici munerum acceptio. l. 18. Dig. *de Officio Praesidis* « Plebiscito continetur nequis Praesidum munus donumve caperet, nisi esculentum poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur ». Cf. et leg. *Solet* Dig. *de Officio Proconsulis* §. 3. Et Authentica *Novo iure* C. *de Poena iudicis.* « Qui accepit vel promissionem suscepit, si causa pecuniaria sit, dati triplum, promissi duplum a Comite privatarum rerum exigatur, dignitate seu cingulo amisso. Si vero criminalis causa fuerit, confiscatis omnibus bonis, in exilium mittatur ». Et Authentica *de Iudicibus* §. *Nullo quoque.* « Nullo quoque praesumente transcendere quae in sportulis aut in litis expensis a nobis disposita sunt, sed omnibus his contentis et formidantibus poenam quam in talibus constitutio nostra terminavit ».

C. *Statutum, de Rescriptis* in 6. §. 4.: « Ut gratis et cum omni puritate iudicium coram ipso (sermo est de delegato Papae) procedat nullum munus vel quidquam aliud (nisi forsan esculentum vel proculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi, cum ipsum, propter causam sibi commissam, contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab iisdem partibus qualitercumque praesumat ». Et §. 7.: « Si quis autem contra

constitutionem praesentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem ».

Haec de iudice delegato a Papa dicuntur, sed in quolibet certe valent: « nescimus enim (ut cum s. Alph. loquamur n. 211.) agnoscere, in quo differant iudices delegati ab aliis » utique hac in re. Et cum iudices ordinarii, quales sunt Episcopi, beneficio fruantur, multo magis eos oportet alienos esse a muneribus.

588. Ex his legibus constat restitutionem faciendam certe post sententiam iudicis infligentem poenam hanc iudici qui deliquerit. Sed quaeritur, an iudex teneatur restituere ante sententiam iudicis.

Utraque sententia affirmans et negans s. Alphonso est satis probabilis. Affirmantem quoad iudices ecclesiasticos suadent verba citata Bonifacii VIII. §. 7.

Negans probatur, tum quia lex naturae hanc restitutionem non praecipit seu iure dominii non privat, tum quia leges praefatae aliaeque vel intelliguntur tantum pro foro externo, vel de restitutione ob poenam criminis, pro qua semper requiritur sententia, etsi non inflictiva poenae, saltem declaratoria criminis. s. Alph. l. c.

Exceptionem a lege vetante acceptionem munerum, indicavit Bonifacius l. cit. si nempe agatur de muneribus in cibo et potu, dummodo libere afferantur et exigua sint, ut paucos intra dies possint consumi.

Alias exceptiones ex iure memorat Lugo n. 132., nempe, cum Episcopi accedunt ad consecrandas ecclesias. C. *Cum sit, de Simonia*, cum iidem visitationem praescriptam agunt. C. *Romane* §. *procuratores*, *de Censibus* in 6. Adde id, quod consuetudo legitima praescripsit: hoc enim licitum est.

In Codice poenali italico iudex, accipiens retributionem indebitam, punitur poena carceris et multae atque res in retributionem data addicitur fisco aa. 171. 174.: sententia ergo iudicis poenam decernentis est exspectanda.

XLII. Respond. 3. Si iudex iniuste extorqueat munera, nolens facere, quod iustum est et debet, nisi ea dentur, tenetur restituere: ut etiam, si quid datum sit ad redimendam vexationem, ver. gr. ne iniuste faveat parti adversae, ne causam nimis differat. Quanquam hoc casu interdum praesumi possit datorem remittere obligationem restituendi. Laym. l. c. ex Gob. et Reb. etc.

589. Quaerit heic s. Alph., an iudex qui in pari probabilitate, pro alterutro potest sententiam ferre (iuxta aliquorum, ait, opinionem, non meam) debeat restituere quod a parte accepit, ut pro ea ferret sententiam. Certe accipere nequit, iuxta propos. 29. damnatam ab Alexandro VII. « Quando partes pro se habent opiniones aeque probabiles,

potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia, in favorem unius prae alia ». Et ratio satis probat nec accipi nec retineri posse. Etenim nullus est titulus; quia actus ex iustitia debetur. Debet enim iudex ferre sententiam pro alterutro: determinatio vero ad hanc partem potius quam ad aliam, nullum laborem addit vel aliquid ex parte iudicis dignum pretio. Sicut si aliquis deberet ex iustitia dotem dare alteri ex virginibus, non posset aliquid ab ea petere, pro ea eligenda. Et sane repugnat te debere alicui dare ex iustitia rem integram (quod debet iudex) et posse pro ea danda aliquid exigere; sic enim non dares rem integram. Ita Lugo n. 119.

In iure mentio occurrit non raro *iurisdictionis prorogatae*, quae est extensio iurisdictionis iudicis, de consensu partium facta, ultra limites, intra quos ceteroquin est constricta (Reiffenst. l. 2. t. 2. n. 122.). Ea praecipue fit quatuor modis, de persona ad personam (de iudice competente ad iudicem per se non competentem), de re ad rem (affinem), de tempore ad tempus, de loco ad locum. Illud certum est, ut prorogationis sit locus, exstare debere in eo, cui prorogatur iam aliquam iurisdictionem, atque oportere, iurisdictionem esse ordinariam. *Delegata iurisdictio ad personas non expressas in rescripto, etiam de earum consensu prorogari non potest* c. 40. *de Offic. Deleg.* Idem de re ad rem c. 32. ibid.

Certum pariter est, clericos non posse in se prorogare iurisdictionem iudicis non sui ex. gr. alterius Episcopi c. *Significasti de Modo extraord. sort. for.* nec poenitentes sacerdotis, qui non sit proprius sive ex officio sive ex delegatione Trid. Syn. sess. 14. a. 7. Cf. Canonistas.

APPENDIX I.

DE IURATIS.

590. Institutio Iuratorum vetustissima est in Anglia et antiquis Germanis in acceptis referenda est. Ea pluribus doctoribus non probatur; pluribus tamen in locis obtinet.

Iurati (sic dicti, quia cum ad munus suum exercendum accedunt, iurant se rite officio suo functuros) sumuntur ex numero notabilium civium et adhibentur in causis, saltem maioribus, criminalibus ad eosque pertinet functio quaedam propria iudicum. Scilicet eorum est sententiam ferre circa factum h. e. culpabilitatem accusati: ipsis enim haec unica quaestio proponitur; an credant necne, reum admisisse crimen, quod ei imputatur et admisisse cum his vel illis circumstantiis.

Plures iurati simul suffragium ferunt, duodecim in iure Gallico et Italico. Praxis ferendi suffragii non eadem est apud omnes gentes quae

hac fruuntur institutione fierique potest, ut aliqua praxis ad absurda ducat. Verum quaestio est de ipsa institutione per se spectata: quod nempe homines, ex qualibet honesta classe populi, haud scientia exculti nec in moralibus aut iuridicis causis exercitati, sententiam dicant: culpane fuerit an non, unde vel poena accusati et quidem haud levis sequatur vel eius libertas. Aiunt quidem non agi nisi quaestionem facti, cuius veritas menti quoque non excultae facile apparet.

Verum quaestio facti, quam iurati solvunt, non est simplex quaestio facti; nam implicat simul necessario quaestionem iuris. Etenim culpabilitas, de qua debent iurati decernere, non est sola culpabilitas materialis, sed formalis: atqui ad hanc discernendam requiritur notitia quaedam abstracta iuris et moralitatis atque haec notitia applicanda est, cum solvitur quaestio: an culpa fuerit necne. Quocirca simul solvitur semper quaestio iuris, quid nempe principia iuris et moralitatis in hoc speciali casu affirmari postulent.

Utique si causae sint ex frequentioribus et levioribus, cum iurati assistant examini testium, responsis et defensioni rei; sensus quidam practicus eos haud aegre adducet ad notitiam veritatis; sed in causis paululum impeditis vel rarioribus id aegre obtinebunt. Homines rudes haud facile possunt assequi cum morali certitudine rationes, quae vel culpam vel innocentiam probent atque, collatis hinc inde probationibus, videre, quaenam praevaleant.

Et tamen omnia ab eorum sententia pendent. Profecto si pluralitas suffragiorum excessu unius tantum contineatur, iudices autem unanimiter censeant, iuratos in re principali, etsi bona fide, errasse, suspenditur sententia et in alia sessione aliorum iuratorum iudicio causa subiicitur: verum haec iudicii instauratio nequit ab ullo postulari, sola auctoritas iudicialis eam ex officio decernit et si altera iuratorum declaratio sit conformis priori, quidquid iudices sentiant, debent secundum illam ferre sententiam. Cod. It. Processus crimin. a. 509.

Nihilominus ubi ea institutio viget, id unum theologo morali et confessario curandum est, ut qui iurati esse coguntur, in suo munere exercendo non peccent.

591. Quaeritur itaque 1° an cuivis, qui lege exsistente iubetur, liceat legi parere et iurati suffragium dare. Resp. affirmative, dummodo paratus sit, non nisi culpam, quae certo et evidenter sibi constet, affirmare. Etsi enim contingat identidem, absolvi delinquentem, id non adversatur iuri naturae, quod non postulat, omnes delinquentes puniri neque iuri positivo quod imo, stante hac lege, consentit in huiusmodi absolutionem.

Sed nonne iuratus se exponit periculo condemnandi innocentem;

cum fieri possit, ut ei videatur in culpa esse, qui est innoxius? Fieri utique potest, *ut videatur,* sed fieri generatim nequit, ut *certum* ei sit et *evidens* delictum, quod probatum non est, dummodo, cum actu decernit, vacuus sit a passionibus. Si ergo statuat, solum quod certum est et evidens affirmare quantum in se est, recte aget.

Ceterum hi tandem affirmant quod noverunt et actum ponunt per se indifferentem: si autem iudices deinde iuxta illorum dictum sententiam ferant, ad id non coguntur a iuratis, qui nullam exercent iurisdictionem, sed a lege, quae, stante etiam voto iuratorum, aliter potuisset rem componere.

Quid vero, si de persona ecclesiastica iudicium a laicis agatur? Si haud difficile possunt se ab eo subducere iurati, certe id debent. Si autem, nisi cum magno incommodo, nequeant abstinere, tum dummodo parati sunt Ecclesiae favere (nam saltem affirmare eis semper licet delictum non constare; quia non constat iuridice h. e. servato ordine iuris nec tenentur ipsi rationem reddere suae affirmationis) et facultatem, si fieri potest, petant ab ecclesiastica potestate, quae non se difficilem, puto, exhibebit, quando id ad utilitatem rei conducat: exercitium eorum muneris nulla inhonesta labe adspersum videtur. Hi enim tandem, nullam iurisdictionem exercent: sed tantum authentice affirmant, factum constare aut non constare. Quod si adiri ecclesiastica auctoritas nequit, praesumi poterit eius consensus, cum iuratorum interventus utilis sit reo futurus.

592. Quaeritur 2° quam normam sequi debeant iurati in suo ferendo suffragio. Si legem eos instituentem consulas, ipsa ita loquitur. « Lex non postulat a iuratis, ut manifestent, quo pacto persuasionem suam sunt assecuti. Ipsa non praescribit eis ullam regulam, ad quam exigere debeant vim plenae et sufficientis probationis. Ipsa iubet eos se interius colligere et se ipsos, remotis arbitris, interrogare ac perpendere in sinceritate conscientiae suae, quam vim in eorum animos exercuerint probationes allatae contra accusatum et allatae pro ipso. Ipsa proponit eis hanc solam quaestionem, quae continet mensuram omnem eorum obligationum: Persuasine intime estis de culpa aut innocentia accusati? » Cod. it. Processus criminalis a. 498.

Ex quibus habes, debere utique iuratos rationem habere probationum, quae allatae sunt in iudicio: nihilominus, ex ipsa lege, integrum eis esse privatis aliis notitiis uti, quibuscum probationes iudiciales componant et ex omnium synthesi quid sibi colligendum videatur, statuere.

Habes praeterea, vi ipsius legis iuratum affirmare non debere nisi id, de quo sit persuasus.

Hinc, etsi allegata et probata ostendant culpam accusati, si iuratus

novit ex privato scientia eius innocentiam, non solum potest, sed debet eius innocentiam affirmare. Cf. n. 572. seq.

Item, si ei constet, processum iuridice esse nullum, affirmare rursus debet, delictum non constare, nempe iudicialiter.

Pariter, ratione habita legis solius, licebit ei illum, quem privata scientia certe nocentem novit, delinquentem affirmare, etsi probationes allatae sufficientes non fuerint. Verum obstabit lex caritatis, quae hoc damnum proximi prohibebit, imo lex iustitiae; nam reus, quandiu culpa eius non probetur, ius habet, ut absolvatur: iuratus vero nequit simul gerere personam testis et iudicis; idcirco delicto non probato, nequit iuratus causam ponere illius damnationis. Illud scilicet in hoc casu de iurato dicendum est, quod de iudice diximus n. 565. 3. Quod si salus reipublicae postularet, ut ille reus damnaretur, iuratus, deposita persona iurati, accedat ut testis et probet crimen.

593. Diximus n. 573. quaestionem: an iudex damnare possit reum iudicialiter convictum, quem privata scientia novit innocentem, non amplius fere habere locum, ubi intersunt iurati; quia horum est sententiam dicere: an reus vere necne deliquerit. Nihilominus difficultas superest. Fac a iuratis affirmari delictum eius, quem iudex novit innocentem: iudex morem gerit sententiae iuratorum et applicat poenam a lege praescriptam. Porro in hac applicatione sententia iudicis est quaedam lex particularis, imponens obligationem reo subeundae poenae: licetne autem iudici imponere hanc obligationem innocenti?

Profecto, si sententia s. Thomae aliqua in hypothesi est probabilior, id in nostra hypothesi locum habet, cum iam per iuratorum vota necessitas quaedam vi iuris inducta est iudici applicandi legem; nam huius applicatio determinata est iam iuridice a iuratis neque reus a iudice rationabiliter postulat, ut actum inutilem, neque ex plena certitudine debitum, ponat cum gravi suo damno, ut nempe abnuat ferre sententiam condemnationis, quae illico ferenda est post votum iuratorum.

APPENDIX II.

DE ARBITRIS.

594. Arbitri illi sunt, qui a duobus contendentibus sive sponte sive ex legis praescripto eliguntur, ut litem inter eos dirimant, veluti iudices. Unde duplex arbitrorum genus: arbitri *iuris* seu *necessarii*, cum certis in causis oportet ex lege rem committere arbitris: arbitri *voluntarii*, qui et *compromissarii*, qui ex sola libera conventione partium eliguntur. Si amicabilis facienda est compositio, verus arbitratus non

est; arbitri enim se gerunt ut iudices l. 1. Dig. *de Receptis Arbitris* et l. 14. §. 1. eod. tit. electi autem non arbitri, sed *arbitratores* dicuntur. Pactum, quo ligantes se obligant stare sententiae arbitri, *compromissum* vocatur l. 1. cit.

Qui arbitri esse possint, consulendae sunt leges cuiusque gentis. In iure Italico quilibet civis aut extraneus potest esse arbiter: nequeunt feminae, minores, interdicti. Cod. *Process. civilis* aa. 10. 11. Sententia ab arbitris ferenda est in regno a. 22.

In iure communi arbitri poterant esse numero pares, cum facultate eligendi tertiam aliam personam determinatam, si dissentirent. L. 19. §. 3. Dig. tit. cit.

Iure Ital. arbitri aut impares numero esse debent aut unus a. 8. Ita et ius canonicum c. *Sane, de Arbitris.*

Non quaelibet causa potest compromitti; excipiuntur sane iure italico quaestiones dictae Status et cae, in quibus non est locus transactioni a. 8. §. 1. Ex iure canonico c. *Contigit, de Arbitris* laici prohibentur esse arbitri in rebus spiritualibus.

Electio arbitrorum et compromissum faciendum est actu publico vel scriptura privata, ibique scribendum nomen, cognomen partium et arbitrorum ac definienda controversia: secus nullum est compromissum: c. 8. c. a. 11.

595. In iure communi arbitri *necessarii* gaudent iurisdictione et quadam coercitione: atque ab eorum sententia appellari potest c. *Suspicionis de Offic. deleg.* c. *Ab arbitris de Offic. deleg.* in 6°: arbitri voluntarii habent tantum notionem l. *Ait praetor, De Re iudic.* seu cognitionem; quia omnem potestatem suam accipiunt a partibus, quae nequeunt iurisdictionem dare; idcirco partes non iurisdictione arbitrorum ligantur, sed potius metu poenae Schmalzgr. t. *de Arbitris* n. 3. Item arbitri iuris compelli possunt ad suscipiendum munus c. *Cum speciali, de Appell.* cf. Pirhing ibid. compromissarii nequaquam; quamvis, suscepto munere cogi possint ad eius exsecutionem: tandem arbiter etiam voluntarius procedere debet iuris ordine servato. Reiff. l. c. T. 43. n. 8.

Ex iure italico (Cod. Proc. civ.) arbitri in instructione causae non tenentur servare formam et modum processus iudiciarii: et si partes contendentes speciale quid maluerint, debent arbitri eam formam et modum sequi, qui in compromisso fuerit specifice indicatus. Et licet ipsis, nisi in compromisso sit vetitum, delegare unum ex ipsis ad instruendam causam et processus verbales conficiendos aa. 17. 18. Arbitri, qui suscepto munere, cessant absque iusta causa aut sententiam non dicunt intra tempus statutum, tenentur erga partes ad compensationem damnorum a. 34. 3°.

Arbitri in sententia ferenda sequuntur regulas iuris, nisi in compromisso facultas eis facta fuerit, ut decidant tanquam benevoli compositores: a. 20. Decidunt tamen et sententia eorum obligationem gignit: secus non arbitri sed amicabiles compositores erunt, qui olim arbitratores dicebantur.

Ut arbitrorum sententia vim habeat, necesse est, scripturam eius originalem ad cancellariam praeturae deferri: accedente autem decreto praetoris, exsecutioni mandatur. Ibid. a. 24.

A sententia arbitrorum licet appellare, exceptis quibusdam casibus. Ibid. a. 28.

Discrimen arbitrorum in arbitros iuris et voluntarios quoad iurisdictionem in Cod. Italico non comparet.

Quamvis iuxta Canonistas laici esse possint arbitri compromissarii in re temporali inter clericos, ratione habita iuris communis; non puto id licere, attento iure moderno italico, iuxta quod sententia arbitri, accedente decreto praetoris, obligationem gignit, et a qua sententia ad iudicem laicum potest appellari.

Cum arbitri in munere suo tanquam iudices se gerant, horum quoque obligationibus teneri, quas rei natura requirit, manifestum est.

Dub. III.

De Advocato.

XLIII. Suppono secundum omnes, in Advocato quatuor requiri, scilicet scientiam convenientem, iustitiam causae, fidelitatem et pretium iustum: quod si taxatum est, non licet ultra hoc accipere: ubi non est taxatum, sufficit iustum naturale, ut vide apud Bonac.

596. Advocatus ille est, qui alicuius partis in iudicio patrocinium suscipit.

Non cuilibet permittitur Advocati munus in iudicio exercere et quidam ab eo arcentur propter impotentiam, ad quam reducitur defectus scientiae legitime probatae, quidam ob indecentiam duplici ex capite, sive propter excellentiam status, quem non decet advocare, sive propter ignobilitatem conditionis, quae non honeste componitur cum officio advocati. Cf. s. Thom. 2. 2. q. 71. a. 2.

Speciatim vero, Presbyteris licet advocare coram iudice ecclesiastico vel seculari in causis civilibus, vel criminalibus civiliter actis solum in quatuor casibus, nempe cum agitur causa propria vel propriae ecclesiae vel miserabilium personarum vel consanguineorum intra 4^{m} gradum, si alius aeque bonus causidicus non inveniatur: c. 3. *de Postulando.* At si actio sit criminalis, non licet Presbyteris in his casibus patrocinari,

et quidem pro reo, nisi coram iudice ecclesiastico; ne in periculum incidat irregularitatis. Episcopo vero, sive in causa civili sive criminali, haec non licent nisi in iudicio ecclesiastico.

Alii clerici vel in sacris vel beneficium habentes, illud possunt in iudicio seculari, quod Presbyteri: c. 1. eod. tit. in ecclesiastico vero pro qualibet causa patrocinari possunt. Imo si negotium sit ecclesiasticum, licet eis advocare coram seculari iudice in quovis casu. Praeterea hi clerici patrocinari possunt, ut victum sibi quaerant: quocirca praecedens limitata conclusio de iis intelligenda est, qui sufficientem habent sustentationem.

Clerici non in sacris nec beneficium habentes possunt advocare in causa civili tum coram ecclesiastico tum coram laico iudice: in causa autem criminali, solum coram ecclesiastico, dummodo se gerant adhuc tanquam clericos, h. e. non redierint ad vitam secularem. Cf. c. 3. *Cum sacerdotis* et c. 1. *Clerici, de Postulando* et Sanchez *Consil.* l. 6. c. 7. d. 3.

Monachi vero de licentia Praelati advocare possunt pro causa sui Monasterii, in civilibus coram laico iudice quoque, c. 2. eod. t. in criminalibus, coram solo ecclesiastico. Sanchez *Decal.* l. 6. c. 13.

XLIV. Respond. 1. Non potest sub gravi peccato suscipere causam, quam scit esse iniustam: ex causis autem civilibus in utramque partem probabilibus et dubiis potest utramvis, etiam minus probabilem tueri; dummodo cliens de minore probabilitate moneatur. Vasq. Salas, C. de Lugo, Dian. t. 4. p. 2. r. 4. Quia utraque pars habet ius proferendi suas rationes in iudicio: ergo etiam Advocatus patrocinandi, neque semper est verius, quod videtur probabilius et forte aliud erit iudicium Iudicis. Bon. *de Pec.* d. 2. q. 4. p. 9. *et in Praecepta* d. 10. q. 2. p. 4.

Dixi *Civilibus:* quia in causa criminali dubia non licet tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra reum; ergo etiam Advocatus. Fill. l. 10. c. 1. Neque, quando actor contra possessorem agens scit, se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam; quia tunc iniuste vexatur possessor, pro quo tandem iudex debebit iudicare, ut vide C. de Lugo *de Iust.* d. 41. n. 7. Sal. in t. 2. d. 1. s. ult. n. 108.

597. Dicitur primo loco defendere non posse advocatus causam, quam novit certe esse iniustam. Id valet profecto in causa civili atque etiam in causa criminali, si agatur de tuendo actore seu accusatore: nam quid pro reo liceat, etiam cum certa est eius culpa, dicitur in seq. Resp. Itaque haec prima pars evidens est. Iniusta enim causa digna non est defensione et iniuria fit alteri parti, contra quam causa defenditur, imo identidem et parti defensae, si haec ignorat iniustitiam suae causae; quippe inutilibus expensis aliisque incommodis frustra obiicitur.

Debet ergo advocatus, antequam causam suscipiat, diligenter considerare an iniusta sit.

Si autem causa sit dubia, ut pro utraque parte probabilitates adsint,

distinquenda est causa criminalis a civili. Si agatur causa civilis, licere ait A. advocato alterutram etiam minus probabilem tueri et ratio allata est satis efficax. Quod postremo loco dicit: *et forte aliud erit iudicium iudicis* ex eo pendet, quod in obscuris iudex, iuxta sententiam A. iudicare debet secundum eam opinionem, quae ipsi est probabilior atque sententia sic lata vim obtinet.

Et quamvis iudex debeat secundum probabiliorem sententiam iudicare, non sequitur, advocatum quoque defendere non debere nisi causas probabiliores. Nam alia est iudicis et advocati ratio. Iudex sententia sua ius uni prae altero tribuit, rem extra controversiam ponit ac determinat exsecutionem: advocatus nihil definit, nulli ius asserit, nihil exsequendum decernit; sed solum iudici rationes proponit, quibus videat, an pro suo cliente sententia sit ferenda.

Quod dicimus de iudice, dicendum de principe indicente bellum: qui nequit bello niti contra eum, cuius ius est probabilius; quia bellum est veluti exsecutio sententiae, quam princeps condemnans fert.

598. Doctrinam tamen hanc, posse advocatum in causa dubia patrocinari, acceptam universaliter absque ulla distinctione non probat Lugo, etiamsi agatur solum de causa civili. Nam, ut ipse ait disp. 41. n. 8., si quidem dubium sit, spectatis meritis causae, pro qua parte debeat sententia proferri, utique licet unicuique sua merita proponere. Si vero perpensis omnibus allegatis vel quae allegari possunt, certum est advocato, sententiam pro reo esse proferendam, quod in dubio facti vel negativo valet; tunc is, causam actoris suscipiens, non iam causam dubiam, sed certe iniustam defenderet et iniuste vexaret reum. Oportet ergo tale esse dubium, ut aliqua probabilitas sit victoriae pro parte quae defenditur idque ab Auctore puto supponi: imo id disserte dicitur paulo post.

Recte A. monet quid debeat advocatus, cum defendere vult partem fretam minus probabili iure. Debet scilicet advocatus eidem aperire hoc vitium suae causae, si probabile sit, quod ipse illud noscens non esset litigaturus. Dico, *si probabile id sit;* nam si videat hominem prorsus, quaecumque sit dignitas eius causae, paratum ad litigandum, ad actum inutilem advocatus non tenetur et alioquin cum causa sit probabilis, potest ab eo suscipi.

599. Potestne advocatus in iudicio possessorio eum defendere, cuius ius proprietatis probabile non est? Per se, si possessionem iudex est iure daturus; cum advocatus id solum postulet quod cliens exigere potest et iudex dare debet; non video, cur id non liceat advocato. Dices frustra vexari proprietarium, qui rem evincet in iudicio petitorio. Verum non proprie dicitur alium vexare qui iuri sibi a lege concesso

instat, quemadmodum id facit qui postulat se immitti in possessionem. Incommodum autem proprietarii oritur ex ipso ordine iuris, quod et in his casibus permittit causam agi pessessionis.

Ceterum si nullus esset clienti honestus finis huius causae agitandae et solum vexatio adversarii intenderetur, non certe liceret advocato huic malo cooperari formaliter: an vero identidem materialiter cooperari possit ponens per se actum indifferentem, pendet ex dictis de cooperatione materiali. Vol. II. 282. seqq.

At in causa criminalis dubia non licet tueri partes actoris seu accusatoris: quia hic iniuste agit petens damnationem rei ideoque et iniuste ageret eius advocatus idem postulans et suadens. Id sibi dictum modo putent procuratores regii vel generales, qui vice accusatorum agunt.

XLV. Respond. 2. In causa criminali potest reum etiam sontem defendere, ut mortem aliamve poenam evadat; quia reus non tenetur ad poenam, nisi convictus: ergo potest per se vel alium eam avertere, donec convincatur. Bon. d. 10. q. 3. p. 4. n. 7.

600. Reus non tenetur poenam subire nisi post sententiam latam: haec non fertur nisi in confessum vel convictum.

Porro quamvis quis crimen vere admiserit, impediri tamen potest eius certa demonstratio: id autem reus licite nititur assequi, mediis adhibitis non malis.

Quod autem reo licet, licet eius advocato in eius favorem. Dummodo ergo is mendaciis aut evidenter falsis principiis (cuiusmodi esset, hominem ex passione agentem non agere libere et instantanea fatuitate laborare) sive malis artibus non utatur, eniti poterit, ut non appareat evidenter culpa seu ut reus nequeat convinci, infirmando argumenta vel facti vel iuris, quibus reatus ostensus est.

Exciperem tamen, si homo ob sua delicta animumque in iis obfirmatum foret perniciosus reipublicae, ut huius interesset eum poena debita plecti: id enim sciens advocatus publico bono potius, abstinendo a defensione, consulere debet, quam privato.

XLVI. Resp. 3. Advocatus tenetur pauperibus in extrema vel gravi necessitate gratis patrocinari, sine notabili tamen suo incommodo. Ratio est lex caritatis. Nav. Caiet. Less. Fill. Bon. l. c.

601. Haec pendent ex generali doctrina alibi tradita de obligatione ex caritate. Cf. Vol. II. 193. seqq. S. Thomas 2. 2. q. 71. a. 1. enumerat conditiones, quibus aliquis tenetur opus misericordiae praestare. Nempe 1° si agens sit praesens loco, si et necessitas sit praesens tempore: 2° si agens « tantam necessitatem patiatur, quod non in promptu appareat, quomodo ei possit subveniri et in tali casu tenetur ei opus misericordiae impendere. Si autem in promptu appareat, quomodo

aliter ei subveniri possit, vel per se ipsum vel per aliam personam magis coniunctam aut maiorem facultatem habentem, non tenetur ex necessitate, indigenti subvenire, ita quod non faciendo peccet: quamvis si subvenerit absque tali necessitate, laudabiliter faciat ». Inde concludit s. Doctor: « Unde advocatus non tenetur semper causae pauperum patrocinium praestare, sed solum concurrentibus conditionibus praedictis; alioquin oporteret, eum omnia alia negotia praetermittere et solis causis pauperum iuvandis instare. Et idem dicendum est de medico, quantum ad curationem pauperum ».

Unde resolves.

XLVII. 1. Advocatus, qui sciens patrocinatur causae iniustae, tenetur ad compensationem omnium damnorum inde consequentium. Unde parti contrariae restituere debet ex peccato commissionis; quia fuit illi causa positiva damni (similiterque si causam dubiam tueatur eamque obtineat fraude; quia intercedit iniustitia ratione partis adversae). Clienti vero suo tenetur restituere ex peccato omissionis; quia ex officio tenebatur monere ignorantem causae iniustitiam. Quod addo, quia, si clienti constabat causae iniustitia, non tenetur illi restituere. Bonc. d. 10. q. 3. p. 4. Less. l. 2. c. 31. d. 8. Fill. Laym. Tann. q. 4. dub. 6. n. 127.

602. Doctrina 1ae partis clara est ex dictis. Item in 2a parte nulla est difficultas. Officium advocati est simul officium consultoris, cuius scientiae et prudentiae cliens se committit: idcirco ex quasi contractu tenetur advocatus vitium causae aperire clienti, quamvis hic explicite non sciscitetur. At si cliens sciat causam esse iniustam et litigare velit, nihil ei debet advocatus: quia scienti et volenti non fit iniuria.

XLVIII. 2 Similiter peccare et ad restitutionem teneri, quando defendit articulum iustum causae iniustae, ut sic adversarium vexet, impediat, differat aut pervertat, docet Trull. l. 8. c. 5. d. 3. ex Cajet. Sayr. etc. Quia censetur defendere causam iniustam.

603. Sicut ordinarie nulla est doctrina erronea, quae aliquid veri non contineat, ita nulla est causa iniusta, quae aliquem articulum iustum nequeat habere. Iam vero si de hoc articulo seorsim fiat quaestio et ipse defendatur ab advocato, non video quid peccet. Puta minor contractum iniit absque consensu curatoris, sed obtinuerat a Principe beneficium aetatis: profecto si petat restitui in integrum, nihil iuvat, eum dicere, quod, cum contraxit, fuerit minor; sed si hoc ipsum in controversiam veniat, cur defendi non poterit?

Si vero defensio articuli iusti non assumatur, nisi ut elementum defensionis integrae causae, ut idcirco non habeatur nisi una defensio: tunc verum est, quod ait A., quod advocatus, etiam cum articulum illud defendit, censetur defendere, imo reipsa defendit causam iniustam; illa enim particularis defensio non est nisi quoddam medium pro hoc fine.

Si tamen secundum ordinem iuris defensio illius articuli seorsim facta liceat, ad finem vero controversiae sit inutilis et eo spectet tantum, ut adversarium vexet atque in hunc finem ea specialis defensio ab advocato assumatur: tunc si reapse damnum adversarius patiatur, obligatio restitutionis vera erit secundum sententiam, quam dedimus ex Lugo Vol. III. 340. seqq.; at secundum eos, qui non solam intentionem sed et externam actionem per se graviter iniustam postulant, talis obligatio non satis constat.

XLIX. 3. Quando causa nihil fere habet probabilitatis, ita ut vix moraliter sit spes obtinendi, eo quod apud Iudices semper reiiciatur, regulariter non licet suscipere; tum quia facit, ut cliens sine fructu tempus et pecuniam perdat, tum quia talis communiter non habetur probabilis. Card. Lugo *de Iust.* d. 41. Quando autem cliens habet bonum ius in causa possessionis, non tamen in proprietate, an liceat advocato eum defendere in causa possessoria (dum de proprietate non agitur) quidam affirmant, negant alii. Vide Fagund. in p. 8. c. 47. n. 13. Mol. t. 1. tr. 2. d. 81. Card. de Lugo l. c. n. 10.

604. Nihil addendum. De eo, quod dicitur secundo loco iam disputavimus n. 599. Addimus, quod, si quando advocatus in hac defensione ex mala intentione peccet, tunc quaestio, an ad restitutionem teneatur solvenda erit non secus ac praecedens.

L. 4. Advocatus, antequam patrocinium causae suscipiat, tenetur examinare eius aequitatem et probabilitatem eamque clienti indicare sincere; si enim falsa promissione vel inani spe victoriae, sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem. Bonac. *de Pec.* d. 2. q. 4. p. 9., uti et si qualitatem ac statum causae seu periculum eius perdendae indicare neglexerit et cliens eo cognito litigaturus non fuisset. Quod si dubium sit, an eo casu litem prosecuturus fuisset neque id ulla diligentia cognosci possit, non teneri advocatum ad damna resarcienda, docet Bard. d. 1. c. 29.; quod melior sit conditio possidentis, dum de damno illato non constat.

Clara omnia.

LI. 5. Si clientis causam minus probabilem dicat esse omnino iustam, tenetur de damno, si cliens, cognito causae dubio, non fuisset litigaturus. Bon. l. c.

Clara est.

LII. 6. Si in progressu causae iniquitatem videat, tenetur mox monere clientem et suadere, ut desistat, alias ad restitutionem damnorum obligabitur; quia, cum stipendio sit conductus, tenetur ex iustitia monere. Tan. l. c. Neque potest vel ipse, vel Iudex suadere compositionem, cum damno partis; quia compositio non habet locum, nisi quando res est dubia. Si vero inducat ad transactionem, sine damno, deceptione, vi et metu, non tenetur; quia nulli facit iniuriam. Valent. Azor, Less. Lay. Bon. l. c.

605. Quemadmodum monere tenetur, si ab initio videt iniustitiam causae, ita si in progressu: eadem enim ratio est, quia non licet iniustitiam tueri et niti ut damnum alteri iniuste inferatur. De transactione diximus tr. VIII. P. 3. nn. 953. seqq. et ipsa est de re dubia et differt ab amicabili compositione: quod secus ac ista, illa non est gratuita.

LIII. 7. Non potest absolvi, qui paratus est quasvis causas defendendas suscipere. Sayr. l. 12. c. 23. n. 18.

606. Ratio clara est, quia habet animum actu paratum ad malum.

LIV. 8. Non licet cum cliente convenire de pretio, post inchoatam litem, sed vel ante coeptam vel post finitam, ex cap. *Infames* 3. q. 7.; quia, postquam sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare, ne prodatur. Nec licet pacisci de parte aliquota, v. gr. dimidia, tertia, vel quarta litis, pro pretio, si victoria obtigerit, quia id graviter prohibetur l. *Sumptus* ff. *de Pactis*, l. *litem* C. *de Procur.* l. *Si qui Cod. de Post.* Ratio est, ne praebeatur occasio, per fas et nefas procurandi victoriam. Hoc tamen casu non obligatur ad restitutionem, si iustum pretium non excedat et dolus ac fraus absit, Vid. Sylv. v. *Advocatus.* Nav. c. 15. Fill. Laym. Bon. Sanch. l. 5. *Consil.* c. 7. d. 9. et C. de Lugo l. c.

607. Distingue quae iure positivo vetantur ab iis, quae vetantur iure naturali. Quod nequeat conveniri de pretio post inchoatam litem, est ex iure positivo, quod refert Gratianus c. *Infames* §. 10. l. c. Ratio A. ea est, quae communiter redditur. Item lege positiva prohibetur advocatus pacisci de parte aliquota emolumenti: cf. leges citatas ab A. l. *Sumptus* Dig. *de Pactis,* l. *litem* C. *de Procurat.* l. *Si qui* C. *de Postulando* et c. *Infames* §. 8. *Arcentur* caus. 3. q. 7. Ratio legis redditur ab A.

Nihilominus, si in his absit dolus vel vis, si pretium sit iustum, nulla erit obligatio restitutionis, ait Lugo disp. 41. n. 12. Praeterea hae leges Romani iuris, ubi amplius hoc non viget, vim amiserunt. Idcirco, nisi aliud leges statuant, sufficit abesse vim et dolum.

Iure sane naturali et exigere pretium advocatus potest, ut docent omnes cum s. Thoma 2. 2. q. 71. c. 4. et eodem iure requiritur, ut pretium sit proportionatum tum labori tum beneficio, quod praestat advocatus. Cum vero in causis difficilioribus tum labor saepe, tum beneficium semper sit maius, nil mirum si in iisdem pretium quoque maius postuletur. Per se iustitiam pretii, sicut et in aliis rebus, statuit vel lex humana, taxans pretium debitum, vel communis existimatio. Si vero quid speciale, praeter id, quod debet, impendit advocatus, si eius patrocinium praestantioris sit virtutis prae aliis, ita ut communiter quoque plus valere putetur, licebit advocato plus exigere.

LV. 9. Peccat Advocatus 1. si, cum non sit idoneus, officium Advocati exerceat et patrocinetur l. *Nemini,* ff. *de Advoc.* s. Thom. 2. 2. qu. 71. estque peccatum ex genere suo mortale. 2. Si defendat causam iniustam secundum dicta resp. 1. 3. Si ob nimias dilationes, illicitas subornationes testium etc. notabiliter officiat parti adversae, habenti alias iustam causam etc. Vide Navar. c. 25. Fill. q. 3. 4. Si utrique parti patrocinetur; quia repugnat, ut utramque partem aeque defendat. Sylv. Sanch. *Consil.* p. 2. l. 2. c. 7. d. 7. In diversis tamen causis, secluso scandalo, non repugnat. 5. Si in eadem causa, in qua est Iudex vel Assessor, agat Advocatum; quia duo officia contraria in eadem causa exercere non licet. Sylv. verb. *Advoc.* q. 2. 6. Si tametsi defendat cau-

sam iustam, producat scripturas vel testes falsos aut instrumenta: non tamen peccat si in causa manifeste iusta adversarius decipiat, dummodo nulla utatur falsitate, verbi gratia allegando falsa etc. s. Thom. 2. 2 q. 71. art. 3. Sylv. Sanch. Cons. p. 2. l. 6. c. 7. d. 7. Trull. l. c. 7. Si adducat leges falsas vel abrogatas vel doctrinam reprobatam vel leges bonas in falsos sensus sciens prudens detorqueat. 8. Si in gravamen alterius partis quaerat dilationes ad rem non facientes. Vid. Filliucc. Trull. l. c. 9. Si accipiat mercedem iniustam. Quando autem a lege pretium nullum taxatum est, censetur illud iustum, quod habetur tale iudicio prudentum, attenta qualitate negotii, dignitate, scientia et peritia Advocati et labore, quem impendit ac demum consuetudine approbata. V. Trull. l. c. d. 5. 10. Si contractum usurarium vel aliter iniquum suadeat aut probet. 11. Si leges, statuta et consuetudines patriae ignoret (unde si grave damnum clienti obveniat, tenetur compensare) vel intelligere non studeat.

608. Epilogus fere est dictorum. Quaedam tamen advertenda. Quod quarto loco dicitur, ipse hominum communis sensus docet, qui detestatur eum, qui utrique parti vel immediate vel mediate etiam, puta per filium, patrocinatur. Istud sane certe illicitum, tum propter scandalum, tum quia eum oporteret allegare contraria et allegans contraria non auditur. Inutiliter ergo ageret. Ita Sanchez ab A. citatus.

Quod spectat ad sextum, exemplo sit ille qui chirographum novum simile substituit veteri amisso. Aiunt hunc peccare; quia iniusto medio utitur et falsum quid profert. At estne peccatum grave? « Supponitur heic (ait Ballerini), tum clienti tum advocato constare, sibi ius prorsus favere. Durissimum autem non potest non videri, quod causa cadere debeat quis mere ob amissi chirographi infortunium. Alioquin vero adhibitum remedium utique a legibus repellitur, utpote fraudibus obnoxium; sed quoad causae substantiam, nulla apparet iniustitia. Per se igitur erit mendacium officiosum ».

Aliud profecto foret, si chirographum vel documentum supponeretur, quod nunquam exstitit. Nihilominus et hoc in casu, si certum est ius et solum ob defectum probationum defendi nequit, tali suppositione non peccatur contra iustitiam commutativam et remoto scandalo, erit et ipsum mendacium officiosum.

Fiet tamen non raro, ut cliens vel advocatus peccent contra caritatem, quam sibi debent, cum temere se exponunt periculo gravissimae poenae, falsitate detecta.

Nec aliud s. Thomas q. 71. a. 3. ad 3^{m} dicit, quam non licere advocato aliqua falsitate uti: quod et nos concedimus, dicentes esse mendacium officiosum.

Quoad septimum, ut advocatus, defendens causam aliquam, adducat leges falsas vel abrogatas et huiusmodi, oportet eum causam dicere ante ineptos homines et ignorantissimos iuris, quod profecto nunc non occurrit; cum praesertim modo integrum cuique sit, legem citatam statim invenire nec formulae legum sint obscurae. Est ergo casus metaphysicus.

Illud autem tenendum cum Sanchez *Consil.* l. c. dub. 8. licere advocato, iustam causam tuenti, decipere adversarium, citra mendacium tamen. Ius enim habet defendendi clientem et repellendi iniustas cavillationes.

LVI. 10. Peccat Advocatus contra iustitiam, si rationes et fundamenta clientis, quem iuste defendit, vel secreta causae detegat adversario, ut ex aliis probat Fag. in p. 8. c. 47. n. 15. Vide etiam Card. De Lugo l. c. n. 6. tenetarque ad restitutionem, si eam ob causam cliens causam perdidit, victurus alias; quia fecit contra officium nec adhibuit diligentiam ad causam obtinendam in favorem clientis. Azor, Filliuc. etc. ll. cc. Limitant tamen aliqui, nisi periculum sit, ne pars adversa grave damnum inique patiatur; quia aiunt, quilibet potest sine suo damno grave damnum alterius prohibere. Vid. Less. p. 2. c. 31. Azor, Regin. Fill. Laym. l. 1. t. 1. c. 5. n. 18. Verum hanc limitationem cum s. Th. alii non admittunt, nisi forte reus capite plectendus esset et accusator iniuste procederet; tunc enim, aiunt, Advocatus accusatoris deberet falsitatem prodere, si tamen spes esset profuturum, accusatore prius monito, ut desistat. V. C. de Lugo l. c.

609. Haec habet Lugo Disp. 41. n. 6. « Negatur communiter cum s. Thoma q. 71. a. 3. ad 2., posse advocatum, qui iniustitiam causae cognoscit, quam susceperat defendendam, secreta eius alteri parti revelare: tenetur sane lege secreti commissi. At subdit Lugo: « Hanc doctrinam merito limitat Soto, ut procedat, communiter loquendo. Cum hoc tamen stat, quod si accusator iniuste procederet et reus capite damnandus esset propter iniustam accusationem, Advocatus accusatoris, id sciens, teneretur falsitatem accusatoris prodere et id in iudicio testificari, si opus esset, ut defenderet innocentem ». Quaestio ergo erat de advocato accusatoris: sed hic a nostris tribunalibus exulavit.

LVII. 11. Advocatus, si causarum expeditiones cum praeiudicio clientum differat, postponat vel plures acceptet, quam expedire possit, peccat ac tenetur ad restitutionem, uti et omnium damnorum, quae per eius imperitiam, malitiam vel negligentiam cliens aut actor incurrit; non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eandem diligentiam, sed maiorem vel minorem pro causae qualitate. Vide Bon. *in Praec.* 8. d. 10. q. 3. Less. l. 2. c. 39. d. 9. Laym. t. 1. c. 5.

Clara res est.

Dub. IV.

Quae sit obligatio Referentis, Secretarii, Notarii et Procuratoris.

LVIII. Resp. Tenentur ii omnes iuste fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum sive etiam ex iuramento. Item tenentur scire ea, quae ad suum officium spectant debitamque diligentiam adhibere, praestando omnia necessaria, terminos iustos petendo et appellando, cum fuerit necessarium. Bon. Escob. et commun.

610. *Referens* seu *Relator* ille dicebatur cuius officium esset, causas litigantium et processus coram Praesidente aut iudicibus clare et summatim referre, ut sic melius causae merita perciperent et valerent

iustam proferre sententiam. Salmantic. tr. 29. c. 7. n. ult. Etiam in hodiernis iudiciis criminalibus est, qui ex officio referre debet factum criminosum eiusque circumstantias naturamque reatus, qui alicui imputatur.

Secretarius seu *scriba* in iudicio ille est, qui actus iudiciales et quaecumque ad iudicium spectant, scripto excipit authentico.

Notarius seu *Tabellio* ille est, qui auctoritate legitima constituitur ad scribenda acta et instrumenta publica, quae fidem faciunt in iudicio et extra iudicium.

Procurator est, qui alterius nomine in iudicio comparet, eius causam acturus.

Horum obligationes, quarum A. meminit, respective quidem accipiendae per se ipsas patent.

Unde resolves sequentes Casus.

LIX. 1. Peccant, si odio vel amore, spe vel timore, abutantur officiis suis: si secreta servanda non servent: si partibus vel earum sollicitatoribus aliisve tradant processus vel scripturas originales, quas non debent, accipiant stipendium maius iusto vel ultra pretium taxatum, si lites iniquas suadeant etc.

LX. 2. Referens peccat 1. si defectu studii vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale praetermittat: 2. si sit partialis coneturque unius partis iustitiam, quam alterius explicare: 3. si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. gr. Iudex recusari etc. V. Escob.

LXI 3. Secretarius peccat 1. si iuramentum violet: 2. si arcanum prodat: 3. si sententiam nondum publicatam manifestet: 4. si processus aut sententias non custodiat, vel partibus, sine praescripto Iudicis, ostendat: 5. si testimonia non fideliter transscribat, sive exaggerando vel imminuendo, sive immutando aut invertendo. Escob.

LXII. 4. Tabellio sive Notarius publicus peccat 1. si sine sufficienti peritia (v. gr. clausulas communes etc. ignorans) suscipiat officium: 2. si iuramentum violet: 3. si in depositione testium aliquid addat vel detrahat non levis momenti: 4. si ministro transscriptori (erroris periculo) examen committat: 5. si protocolla et acta negligenter custodiat cum damno partium: 6. si differat causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueat: 7. si testamentum scribat hominis rationis usu destituti: 8. si testes falsos admittat: 9. si sollemnitates necessarias ex ignorantia culpabili vel malitia praetermittat: 10. si testimonium aliquod necessarium, unius rogatu et alterius damno, non exhibeat: si conficiat instrumentum usurarium, vel falsum, praesertim in damnum tertii: si faciat ut processus et causa veniat ad alios Iudices vel Referentes etc. quam ordo illius tribunalis postulat; quia multum interest habere hunc vel illum Iudicem. Escob. Vid. Laym. l. 3. t. 6. c. 2. Bon. *in Praec.* disp. ult. p. ult. 11. Si secretum violet v. gr. aperiendo parti adversae dicta testium ante eorum publicationem; quod esse mortale contra iustitiam docet Trull. l. 8. c. 7. n. 3. ex Navar. c. 25. n. 52. 12. Si parti petenti instrumenta occultet, praesertim quae continent legata. Navar. l. c. n. 35. Sylv. verb. Tabellio. Trull. l. c. 13. Si acta occultet, vel parti petenti transsumptum processus neget. 14. Peccat graviter, si amisso instrumento antiquo publico vel testamento, aliud simile confingat.

611. Haec non egent amplificatione. De eo tamen, quod resp. 4

dicitur 14° loco, idem puto iudicium ferendum ac diximus in re simili de advocato n. 608.

Quaeritur, an notarius teneatur ad restitutionem erga fiscum, si conficiens instrumentum venditionis vel inventarii, ad postulationem partium, pretium minus inscribat, ut imminuatur tributum: quid si ipse id suggerat?

Resp. 1. In tanta praeter ius exagerata tributorum exactione, aegre probabis, peccare contra iustitiam partes dissimulantes verum pretium: si autem hae non peccant, nec iis cooperans peccabit notarius. Etsi vero officialis sit publicus, non est tamen ex officio ad hoc institutus, ut consulat utilitati fisci; idcirco ratione officii sui erga illum ex iustitia non tenetur: cf. dicta sub §. X. 3.

Hinc 2. patet responsio ad 2^m^ nempe absque iniustitia id consulere notarium. Si autem supponatur tributum impositum certe iustum, si Princeps idcirco merito illud exigit (cf. dicta Vol. I. 322. seqq.); iniuste eo per fraudem privatur.

Ceterum notarius ita se gerens, etiam in priore casu, poterit graviter peccare contra caritatem sibi debitam, exponens se gravibus poenis, quas leges decernunt publicis officialibus, fraude utentibus.

LXIII. 5. Procurator peccat, si litem procuret iniustam: 2. si plures causas suscipiat, quam possit expedire: 3. si plus mercedis accipiat, quam iustum: 4. si suadeat reo vel parti, ut iniuste veritatem neget: 5. si sua incuria, negligentia aliave culpa, causa sit, ut lis perdatur: 6. si nomine partis iuret, sine particulari eius informatione, cum periculo peierandi: 7. si culpabiliter tribunali non adsit, futuri incommodi metu etc. Vide Escob. Laym. l. c. Bonac. q. 3. p. 4.: 8. si partes adducat ad concordiam iniquam: 9. si differat causam, vel pervertat Iudicem, vel petat terminos impertinentes aut dilationes superfluas: 10. si falsos testes inducat. Vide Sayr. l. 12. c. 14. Fill. t. 40. c. 10. n. 294. Trull. l. 8. c. 6. dub. 1.

Haec satis esse queunt.

Dub. V.

Quod sit officium Accusatoris.

LXIV. Resp. ut in accusatione servetur iustitia, cavenda sunt tria. Primum est calumnia id est impositio falsi criminis vel eius, quod sufficienter probari nequit. Et haec inducit obligationem restituendi et subeundi vel poenam talionis vel aliam, arbitrio Iudicis. Secundum est prevaricatio id est collusio cum Reo et simulata tantum accusatio. Quae in criminalibus, si Reip. damnum sequatur, obligationem restitutionis inducit. Tertia est tergiversatio accusationis inchoatae, absque iusta causa. Quod addo, quia cum causa, v. gr. ob imperium Principis vel Iudicis, quod intersit Reipubl. talem personam non puniri vel infamari, vel quod in accusatione defectus substantialis sit commissus, potest desistere, imo tenetur, si in progressu causae cognoscat se errasse, si incipiat dubitare de crimine, si videat, se non posse probare Filliuc. t. 10. c. 7. n. 705.

612. Haec modo ad eos spectant, qui in nostris tribunalibus funguntur vice accusatoris.

LXV. Quaeres, An et quis teneatur alterum accusare?

Resp. 1. Privatum raro ad id teneri: tum ex praxi timoratorum: tum quia alias tribunalia essent plena accusationibus, cum perturbatione Reipub.

Dixi 1. *Privatum;* quia si quis a Republica stipendium ob hoc accipiat, v. gr. fiscalis, etc. tenetur ex iustitia et consequenter ad damna omissione accusationis secuta Fill. Bon. in 8. *Praec.* a. 10. q. 3. p. 1.

Dixi 2. *Raro;* quia si ita exigat bonum publicum, v. gr. si proditio imminens vel grave damnum vitae innocentis aliter averti non possit et crimen facile probari possit, tenetur etiam privatus accusare vel saltem denunciare; id tamen ex caritate tantum quae restitutionem non importat. Fill. Bon. l. c.

Iam de hac re superius dictum est.

LXVI. Resp. 2. Accusare prohibentur 1. excommunicati, proditores, infames idque in poenam criminis: 2. filii, servi suos parentes, vel dominos, ob reverentiam: 3. clerici in causa sanguinis, ob indecentiam. Less. l. 2. c. 3. d. 5.

613. Haec partim ad ius canonicum spectant, quod adhuc viget, partim ad ius romanum, cui alia successerunt et cum modo privata accusatio, de qua veteres leges loquebantur, non amplius sit in usu, opus non est in his immorari.

LXVII. Resp. 3. Non teneris, imo nec debes, etiam posito superioris praecepto, denuntiare crimen, 1. si delinquens emendatus est, sine periculo recidendi et parti laesae satisfactum nec periculum imminet aliis nec crimen est notorium; quia sine causa proximi infamia sequetur. V. supra l. 2. t. 3. c. 2. d: 4. 2. Si crimen nosti sub secreto naturali, tanquam consultor, advocatus etc. Nisi tamen is, qui secretum commisit, innocentem, vel Rempub. iniuste vexaret nec vellet desistere. Card. de Lugo *de Iust.* d. 41. n. 142. 3. Si inde immineat grave periculum honoris, vitae et rerum tuarum. 4. Si etiam probare cogereris nec posses. V. Card. de Lugo d. 38. s. 2.*. Hac tamen in re animadverte Propos. 5. proscriptam ab Alex. VII.*.

De hac quoque re iam locuti sumus.

Dub. VI.

De testibus.

LXVIII. Suppono, ad legitimam et plenam in iudicio probationem requiri duos testes eosque debere, 1. externo sensu percipisse id, de quo testantur: 2. de eodem facto et crimine, cum iisdem circumstantiis, deponere; alioqui erunt testes tantum singulares, ut vocant, qui non faciunt plenam probationem: 3. esse omni exceptione maiores, in quibus scilicet nulla desideretur conditio, quominus testari possint, iuxta versum vulgarem:

Conditio, sexus, aetas, discretio, fama
Et fortuna, fides, in testibus illa requires.

Hinc a testando reiiciuntur 1. servi, 2. mulieres, 3. minores 20. annis in criminalibus; in civilibus autem impuberes: 4. inimici, 5. sanguine iuncti et domestici, exceptis quibusdam casibus apud Less. l. 24. c. 3. n. 38.: 6. infames, 7. periuri, 8. socii criminis: 9. personae inopes et viles: 10. deliri et semifatui, ex quibus tamen ii, qui solo iure positivo ad testandum sunt inhabiles possunt admitti in criminibus exceptis. Quo supposito.

614. Consideranda sunt quoad haec iura singulorum locorum.

LXIX. Quaeritur. 1. An et quando teneatur quis testari. 2. Ad quid teneatur, qui non vult testari, aut qui falsa est testatus?

Resp. 1. Non tenetur quis testari, nisi vel ex caritate, cum ita necessarium est ad avertendum grande malum proximi aut Reip., vel ex praecepto, cum Iudex seu superior habens potestatem ita legitime praecipit. In quo ultimo casu, si fugias aut occultes te, antequam ad testandum citeris, non peccabis contra iustitiam ideoque nec teneberis restituere, ut contra multos docent Valent. et Less. Ratio est, quia tibi necdum est praeceptum; si quod autem ius nascatur parti ex tuo testimonio, id ex praecepto oritur. Imo, etsi sit communis sententia, ad restitutionem teneri eum, qui a iudice citatus fugit, vel testimonium fraude declinavit, cum sit efficax et moralis causa, ut Iudex sententiam ferat in alterius damnum: non tamen est improbabile, quod docent Mol. et Less. non teneri. Ratio est, quia citatio intimata non inducit obligationem iustitiae, sed tantum obedientiae proindeque non comparens contumax tantum est et inobediens, non autem iniustus. Less. l. 2. c. 17. et 30. Vid. Bon. Lay. ll. cc.

615. Quaestio est de obligatione testandi et qualis sit haec obligatio. Itaque quaeritur 1° an teneatur quis sponte se offerre ad testandum: 2° an teneatur testari a iudice citatus: 3° an interrogatus a iudice teneatur dicere quod novit: 4° ad quid teneatur, si falsum testetur.

Ad 1^m^ respondetur 1° cum communi, graviter teneri aliquem sponte se offerre ad testimonium ferendum, quando eius testimonium necessarium est ad impediendum grave damnum reipublicae vel alicuius privati, quod aliter vitari nequit et ille sine gravi incommodo testari potest. Ratio ducitur ex communi doctrina de debito ex caritate.

Haec enim obligatio testandi non ex iustitia commutativa est, cum nullum sit fundamentum talis obligationis, sed ex caritate et si de vitando publico damno agatur, etiam ex iustitia legali.

Et quia identidem caritas, propter communem reipublicae perniciem vitandam, potest te obligare ad periculum quoque vitae tuae subeundum (Lessius l. 2. c. 9. ann. 38. seqq. cf. Lehmkuhl v. 1. n. 602.), ita fieri potest, ut etiam cum periculo vitae teneatur quis testari, si de gravi reipublicae damno avertendo agatur. Ad id profecto non tenetur, si solum particularium damnum sit vitandum.

2° Pro sola delinquentis iusta punitione nemo tenetur se offerre ad testandum atque haec est communis doctrina, satis evidens.

616. Ad 2^m^ et 3^m^ citatus legitime a iudice non comparens et interrogatus celans verum quod novit, peccat contra obedientiam debitam superiori et contra iustitiam legalem, etiam contra religionem iuramenti, postquam iuraverit se omnia dicturum quae sciat: at utrum peccet contra iustitiam commutativam, detractans testimonium utile alterutri parti praesertim reo in causa criminali, disputant DD. et quidem, teste Lugo Disp. 39. n. 4. communior erat, eius aetate, sententia affirmans; quam idcirco ipse probabilem, propter extrinsecam

auctoritatem, vocat: at veriorem censet sententiam negantem n. 5. Et sane si qua excogitari posset in teste vel valente testari obligatio iustitiae erga reum aut auctorem, ea esset repetenda a lege vel ab auctoritate iudicis applicantis legem: quapropter qui affirmant obligationem, hanc repetunt ab officio testandi imposito a lege: atqui hanc obligationem ex iustitia lex nequit imponere.

Nam agitur de actione personali: obligatio autem ad actiones personales ex iustitia erga alium, est servitus: atqui lex nequit civibus (nisi forte in poenam propter gravissimum crimen) servitutem imponere, qui politice non despotice regendi sunt: ergo. Lugo n. 6.

Quod de teste citato et non comparente dicitur, dicatur multo magis de eo, qui data opera se abscondit, ne citari (personaliter) et interrogari possit.

Peccatum istud contra debitam obedientiam et iustitiam legalem in re iudiciali, quae per se est res magni momenti, est peccatum ex genere suo mortale: nisi per accidens, vel quia res, quae agitur, parvi refert vel quia iam testes sufficientes habentur, a culpa gravi excusetur.

Itaque cum testes contra iustitiam in hac re non peccent, non tenentur ad restitutionem, si quod sequitur damnum, quod ipsi ex caritate potuissent aut etiam debuissent impedire.

617. Nihilominus temperanda est haec generalis assertio, si, post iudicis interrogationem, negatio testis se aliquid scire, spectatis in concreto omnibus adiunctis, merito a iudice censeatur aequivalere affirmationi in praeiudicium alterutrius partis. Si id testis advertit, nequit celare quod novit et si taceat, tenebitur ad damni compensationem; est enim reipsa causa damni iniusta.

Idem dicendum cum Molina citato a Lugo ibid., si testis causa sit, celando veritatem, ut is, in cuius favorem verum erat dicendum, non adhibeat alios testes et sic ius suum vel se non defendat.

His sepositis, verum haud est, silentium testis esse causam efficacem damni, quod ex sententia iudicis sequitur. Non enim est causa efficax sententiae, quam iudex fert ex aliis positivis argumentis, puta aliorum falsa testificatione.

618. Ad 4^{m} nulla dubitatio. Si testis, sive sponte accedens sive citatus falsum prudens proferat, peccat contra iustitiam et si damnum proximo sequatur, ad eius reparationem tenetur.

Quid vero si ex falsa testificatione in favorem rei, fiscus privatus est pecuniaria poena sibi debita; an falsus testis tenetur ad eius damni compensationem?

Quod sub §. X. 3. probabile esse, auctore Lugo, diximus de iudice, multo magis in teste valere potest.

LXX. Resp. 2. Etiam legitime, et iuridice interrogatus non teneris testari sequentibus casibus. 1. Si scias rem ex confessione. 2. Si accepisti sub secreto naturali, ut Consiliarius, Advocatus, Medicus etc.: modo tamen non sit necessarium ad magnum Reipublicae vel proximi malum avertendum; tunc enim licet tale secretum detegere, etiamsi iurasses, te nulli dicturum: quia tale iuramentum non obligat, cum iure naturae tenearis ad contrarium. Vid. Laym. c. 4. n. 9. 3. Si ex testimonio tibi vel tuis immineat notabile damnum; nisi tamen damnum publicum, vel privatum alienum praevaleat, ut notat Card. de Lugo *de Iustit.* disp. 39. n. 10. Unde communiter non teneris testari contra consanguineum. 4. Si a viris non sat fide dignis accepisti: tunc enim potest te habere, ac si nihil scires. 5. Si factum intellexisti per iniuriam, v. gr. aperiendo litteras cogendo alium ad revelationem etc. Laym. l. 3. t. 6. c. 1. n. 5. Mol. d. 5. n. 5. 6. Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam vel quia rem aliquam accepit in occultam compensationem debiti, ex quo, tanquam de fure, inquiratur. Ratio est, quia mens iudicis est inquirere de delicto. Vide Azor, 3. p. t. ult. c. 27. Fill. Bon. d. 10. q. 3. p. 3. Laym. l. c.

619. Clara sunt et quod spectat ad 2^{m} et 5^{m} cf. dicta de notitia acquisita iniuste et de obligatione secreti servandi Vol. II. n. 1084. deinceps.

A. loquitur de teste legitime et secundum ordinem iuris interrogato. Certa est sane sententia Theologis, non secundum ordinem iuris interrogari testem circa aliquam personam, nisi praecedat infamia aut quid ei aequivalens, vel accusatio aut denuntiatio iudicialis indicia exhibens sufficientia. Secus enim praeter ordinem iuris interrogaretur. Quisque suae gentis legem consulat, quid in hac re speciali statuat: cf. dicta sub §. XIV.

Quia vero nunc quaedam leges statuunt vel unius testimonium satis esse ad damnationem rei, sunt qui censeant, teneri testem a iudice interrogatum revelare crimen alterius, quod ipse solus novit. Posse id facere concedimus, nam, ut vidimus sub §. XI. 2° denuntiare quoque licet crimen occultum, quod probari possit et in nostra hypothesi posset probari. An vero teneatur, quidam negant. Verum si conditiones adsint requisitae a lege, quae exigit hoc testimonium, cum res in vulgus sparsa est et rumor exsistit et agitur crimen perniciosum publico bono et pendet quoque in futurum, tunc, si iudex interrogat, videtur legitime secundum ordinem iuris interrogare, ideoque videtur testis debere revelare. « Si requiritur testimonium alicuius subditi auctoritate superioris, non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus secundum ordinem iuris testimonium ab eo accipitur, puta (exemplum affertur iuxta ius commune) in manifestis et in his, de quibus infamia praecessit ». Ita s. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. Principium est ergo, debere testem revelare quod scit, quando a iudice secundum ordinem iuris interrogatur. Si ergo nunc in certis locis ordo iuris legitime sit alius a vetere et secundum istum testis interrogetur, respon-

dere debebit, auctore ipso s. Thoma. Et cf. dicta l. c., quae huc faciunt.

Quod habet heic A. 3° loco, ratio eius est, quia vel obligaris testari ex caritate et haec generatim non obligat cum gravi incommodo, vel ex obedientia et praeceptum iudicis in causis ordinariis non obligat cum tanto detrimento. Ita Lugo l. c. Idcirco quod tunc licet non testari, licet negare se scire, scire nempe ad testandum.

Quaeritur, an si testi ab adversario obiiciatur defectus et de hoc testis a iudice interrogetur, teneatur testis verum respondere. Si in defectu nulla sit turpitudo aut ignominia, censent doctores, debere testem eam fateri; quia confessio ipsi nihil nocet, iuvat adversarium et interrogatio est legitima. Si vero in defectu sit turpitudo, cuius merito testem pudeat, negant iidem, oportere eum veritatem fateri; quia neque reus eam tenetur confiteri, saltem nisi praevertat semiplena probatio, ut veteres volebant.

LXXI. Resp. 3. Qui sciens falsum testatus est, per quod alteri fuit efficax causa damni, tenetur ad impeditionem vel reparationem omnium damnorum, quae causantur. Item tenetur revocare cum pari suo damno et periculo etiam vitae, si reus de ea periclitetur et putetur revocando aliquid effecturus. Ita communiter. Ratio est, quia in damno aequali potius habenda est ratio innocentis. Vid. dub. seq. a. 1.

Dixi 1. *Sciens:* quia, si ex ignorantia, inadvertentia aut oblivione inculpabili falsum est testatus, etsi teneatur impedire, si possit, non tamen ad restitutionem, etiam si reus damnetur. Ratio est, quia neque tenetur ex re accepta neque ex delicto.

Dixi 2. *Causa efficax:* quia, si a parte rei falsum illud testimonium nihil effecisset, v. gr. quia per falsa testimonia aliorum iam tota causa damni erat data, ita ut iudex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur. Less. l. 2. c. 30. et Laym. l. 3. t. 5. c. 8. et alii.

620. Collatis iis, quae superius Vol. III. 332. seqq. dicta de obligatione restitutionis, nulla fere heic est difficultas. Disputatur tamen de obligatione revocandi falsum testimonium ex ignorantia emissum bona fide, quanta sit haec obligatio. Responsio A. obscura est; si enim testis, cum possit, tenetur impedire damna, ut dicitur ab initio, cur non tenebitur ad restitutionem, eo quod non impedivit cum posset, si obligatio impediendi est ex iustitia?

Scilicet communis est doctrina: debere testem testimonium retractare, cum ex eo sequatur damnum alteri et speret fore utilem retractationem eamque possit facere sine gravi suo damno,

Verum alii censent obligationem esse ex caritate, alii ex iustitia et ex his quidam obligationem iustitiae agnoscunt in teste solum cum adhuc fungitur suo officio, quidam semper. Inter hos ultimos sunt Lessius et Molina a Lugo citati disp. 39. n. 24., quibus ipse accedit. Ratio, quam probat Lugo, haec est; quia unusquisque tenetur ex iu-

stitia, non solum ad non inferendum scienter damnum alteri, sed ad procurandum, quantum commode poterit, ne ex sua actione sequatur damnum alterius. Sicut si inscius applicuisti ignem domui alterius, teneris, si commode potes, illud exstinguere. Cf. Vol. III. 349.

LXXII. Testis peccat, 1. si affirmet, quod ignorat, 2. si veritatem, quam debebat celare, aperiat, 3. si se occultet, ne rogetur, casu quo tenetur testari, 4. si iudici iuste interroganti non obediat, 5. si pretium pro dicenda veritate accipiat.

621. Quod spectat ad 5. adverte, licite mercedem accipi pro extrinseco labore puta itineris, pro expensis, pro lucro cessante damnoque emergente.

Praeterea pro falso testimonio, ferendo quidem nihil accipi potest, et nequit acceptum retineri, pro lato autem accipi et retineri potest, iuxta doctrinam traditam de acceptis ob turpem causam.

At communis est doctrina, non posse aliquid recipi pro testimonio vero, tanquam mercedem debitam: Lugo disp. 29. n. 23. Cuius rei ratio non est facilis. Nam quod quidam dicunt, quia verum testimonium debetur ex iustitia commutativa, vidimus verum non esse. Quod alii dicunt, ut Lugo ibid., quia, sepositis labore, lucro cessante etc., ipsa manifestatio veritatis non est laboriosa nec digna pretio, videtur valere et in testimonio falso, quod non est magis laboriosum. Quod si dicas, hoc esse utile alteri et non esse ei debitum, id valet quoque in testimonio vero. Utique falsum testificans obiicit se periculo infamiae et poenae si detegatur, dignus est proinde ut ab eo, in cuius favorem huic damno subeundo se exponit, merces ipsi rependatur.

At nihilominus verum est, testificationem veram esse utilem ei, pro quo fertur et non esse ipsi ex iustitia debitam. Cur ergo nequit merces accipi? Scilicet pro huiusmodi actu ferendi veri testimonii sensus communis hominum seu quoddam ius gentium vetat, mercedem accipi, tum ad avertendum periculum perversionis, tum ne iustitiae exercitium venale videatur; quae sola apparentia maximum est in societate inconveniens. Quae est ratio quoque, cur homines detestentur in iudice acceptionem munerum pro mercede, similique pacto reprobatur acceptio mercedis in teste. Sed acceptum debentne restituere? Idem puto dicendum ac in iudice n. 588.

Dub. VII.

De Reo.

Articulus I.

An et quomodo teneatur fateri veritatem.

LXXIII. Resp. 1. Si non interrogetur legitime, non tenetur fateri suum crimen, sed potest iudicem eludere vel ambiguis verbis vel etiam negando, cum aliqua restrictione et in bono sensu, ut mendacium absit. * Perpende tamen serio Proposs. 26. 27. et 28. inter damn. ab Innoc. * Ratio est, quia tunc Iudex non habet ius interrogandi aut obligationem imponendi reo. Ita Less. et Laym. t. 6. l. 3. c. 5. Bon. d. 10. q. 3. p. 2.

Unde resolves.

LXXIV. 1. Reus non tenetur fateri crimen suum, 1. si Iudex non sit legitimus, 2. si a seipso litis processum inchoet, sine praevia accusatione, saltem virtuali, 3. si non praecessit semiplena probatio, nec infamia nec manifesta criminis indicia exstant. Ratio est, quia in his Iudex non interrogat legitime. Azor Less. Fill. Lay. Bon. ll. cc. Card. de Lugo d. 40. n. 1.

LXXV. 2. Nec tenetur, si dubitet, an Iudex legitime interroget; quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet, Superiorem posse praecipere. Ita Less. Fill. Laym. l. c. Sanch. l. 6. *Cons.* c. 3. d. 31. Salas, Card. de Lugo, etc. contra Sylv. Bon. et alios.

LXXVI. 3. Iudex tenetur Reo manifestare statum causae et quae sint indicia, quomodo probetur delictum etc., ut Reo constet, an legitime interrogetur; quia non tenebitur respondere alioqui et seipsum honore aliisve bonis, quae bona fide possidet, spoliare. Caiet. Nav. c. 25. n. 43. C. de Lugo d. 40. n. 1.

LXXVII. 4. Si reum iuridice quidem interroget Iudex, sed nonnisi ex falsa praesumptione delicti, v. gr. an exierit ex tali domo, stricto ense, potest Reus (idem est de teste) licet sciat semiplene probatum esse, id negare, si exiit quidem, non tamen facto delicto, sed ob aliam causam: quia, si Iudex veritatem sciret, non posset interrogare. Ita cum s. Thom. q. 69. n. 1. Sot. Fag. p. 8. c. 34. Dian. p. 3. t. 5. misc. r. 66. C. de Lugo disp. 40. n. 4.

LXXVIII. Resp. 2. Etsi communior et verior sententia sit s. Th. 2. 2. q. 69., si Reus legitime interrogetur a Iudice, teneri in conscientia aperte veritatem dicere; probabile tamen est etiam, quod ex Sylv. docent Sà et Less., non teneri saltem sub mortali, in causis capitalibus et gravioribus, si sit spes evadendi et nullum grave damnum Reip. timeatur. Tann. q. 4. d. 5. Card. de Lugo d. 40. n. 15, ubi dicit esse sententiam valde probabilem et in praxi tutam. Ratio est, quia lex humana communiter non obligat cum tanto periculo ver. gr. mortis; tum quia inhumanum videtur, ut qui convinci non potest, teneatur praebere arma contra se, quibus occidatur aut gravem poenam, v. g. perpetui carceris, subeat: tum quia non videtur tam heroicus actus praecipi posse. Bon. in 8. *Praec.* d. 10. q. 3. p. 2. n. 17.

Dixi 1. *in capitalibus;* quia aliud est de causis in quibus agitur de poena Ecclesiastica, quae est medicinalis.

Dixi 2. *si sit spes evadendi;* quia, absque ea, cessat ratio celandi veritatem.

Unde resolves.

LXXIX. Non semper opus est, iuxta dicta Resp. 2., ut Confessarius reum urgeat ad crimen fatendum. C. de Lugo d. 40. n. 20.

LXXX. 2. Post sententiam latam Reus non tenetur confiteri crimen, quod ante iniuste negavit, quia, finito iudicio, finitur obligatio Rei. Laym. l. c. Imo probabile est nec ante sententiam ad id teneri, etiamsi adhuc sit in potestate Iudicis, donec iterum interrogetur. C. de Lugo d. 40. n. 17.

622. Quaestiones sequuntur, quae nostra aetate vel non habent locum vel facile solvuntur.

Certum erat veteribus, legitimae auctoritati parendum esse: iudicem, servato ordine iuris, interrogantem et exposcentem confessionem veritatis legitime praecipere; ideoque obligatum esse reum ad crimen, si admiserat, confitendum. Excipiebant vero plures, quando ageretur de poena mortis vel mutilationis, confiscationis bonorum, damnationis ad triremes similive gravi poena; quia lex humana non potest obligare cum tanto incommodo: contraria tamen sententia communior erat. Ut rei obligatio firmior esset, iuramento ei imposito adigebatur, vera respondere legitimis iudicis interrogationibus. Ordo autem iuris is erat, ut exsistente semiplena probatione, liceret iudici interrogare reum de crimine et confessionem veritatis exposcere: nondum illa semiplena interrogatione exsistente, ius non erat iudici interrogare nec obligatio reo respondendi verum contra se, etsi is iurasset: nam iuramentum erat de responsione legitimae interrogationi.

623. Doctrina communior obligans reum legitime interrogatum fateri crimen, iis argumentis impugnabatur, quae evidenter colligebantur ex principiis communiter admissis, ut idcirco assertores illius sententiae manifeste sibi contradicere viderentur.

Ea argumenta proponit Lugo disp. 40. n. 15. Sane 1° reus absens convictus et damnatus, adhuc non tenetur comparere citatus a iudice: item reus inclusus carcere, etsi vetet ei iudex fugam, potest fugere et se eripere poenae iusta sententia eidem decretae. Quomodo vero haec cohaerent cum doctrina, legitimae auctoritati interroganti parendum esse? Aiunt reum damnari quidem ut mortem passive subeat non ut eam ipse sibi inferat, quod aequivalenter saltem faceret, si potens fugere a carcere non fugeret, vel in loco tuto delitescens se ipsum proderet. Verum (omisso quod id non est sibi mortem inferre: secus non solum reus posset, oblata occasione, sed deberet fugere et in occulto loco delitescens non posset se prodere) nonne multo magis ad necem sui concurrit, qui facta confessione criminis, complet probationem, propter quam damnatur ad mortem? Quo ergo iure cogitur

ille, qui, post iustam sententiam, obligantem eum ad mortem, potest fugere, cogitur, inquam, causam determinantem ponere suae damnationis ?

2° Testis non obligatur deponere contra personas sibi coniunctas: id humanae leges statuunt et ab omnibus probatur. An est aliquis alicui magis coniunctus quam sibi ? Cur ergo obligabitur deponere contra se ?

3° Nemo tenetur testificari contra alium, quando ex testificatione timet sibi grave damnum: haec est communis doctrina. Ergo a fortiori non tenebitur cum gravissimo damno testificari contra se. Mirabile est enim, ait Lugo, quod quis videns delictum patratum excusetur ab eo testando, si ex testimonio suo timeat sibi grave damnum: si autem non sit testis, sed reus, non amplius excusetur, etsi gravissimum damnum certe immineat.

Tandem 4° lex humana debet esse de re humano modo possibili et accomodata humanae conditioni: secus inutilis est, solum conducens ad illaqueandas conscientias ideoque iniusta. Atqui est humano modo impossibile, quod delinquens, alioquin non damnandus, si taceat, velit dicere contra se testimonium: ergo nequit imponi hoc praeceptum.

Et sic infringitur vis argumenti oppositae sententiae, quod totum in eo est, legitimae auctoritati esse parendum. Nam probandum prius esset, hanc legem vel hoc praeceptum iudicis esse iustum.

624. Iura nostra sensisse videntur vim sententiae mitioris. Manet principium immotum, legitimae auctoritati esse parendum: sed legitima auctoritas nunquam exigit a reo confessionem criminis, ut per eam probatio reatus compleatur et possit ille damnari; nolunt iura cooperari reum in necem suam eademque vetant deferri reo iuramentum. Munus est non rei sed iudicum, demonstrationem criminis conficere et munus iuratorum, in gravioribus causis, illud fateri, si probatum sit.

Quod a reo postulatur, hoc unum est, quod ius naturale praecipit scilicet ne mentiatur; non mentitur autem, si licita utitur restrictione mentali. Cf. Vol. II. n. 566. 6. Nam nec tenetur crimen fateri, nec ea, quae crimini detegendo conducerent: mendacium tamen nunquam licet.

Atque haec satis sint, dummodo advertas, argumenta a Lugo allata valere etiam nunc in iudicio ecclesiastico, quod iuxta veteres normas procedat.

LXXXI. Resp. 3. Si quis ad evitanda tormenta gravia mentitus, falsum sibi crimen imposuit, per quod sit morte plectendus, non videtur mortale. Id contra Navarr. et alios docet Angel. Syl. Less. l. 2. c. 11. d. 7. Tann. *de Iust.* d. 4. q. 4. dub. Ratio est, quia non est mentitus perniciose; cum non teneatur tantis tormentis vitam conservare. Vid. Card. de Lugo l. c.

625. Haec supponunt usum torturae: nunc ergo huic hypothesi non est locus, nisi si quis praeter ordinem iuris iniquissime per tyrannidem cogeretur quid fateri. Tunc doctrinae Auctoris locus foret. Ratio allata idonea videtur: sicut enim non teneor tantis tormentis emere conservationem vitae, ita non teneor revocare falsum crimen a me mihi impositum, si prudenter timeam rursus eadem tormenta.

Mendacium quidem fuit, de quo dolendum est, sed non graviter perniciosum; quia, facta collatione inter duo mala, illud quod sequitur ex mendacio, non est mihi grave nec teneor illud vitare. Ita Lessius l. 2. c. 11. d. 7. nn. 41. 47. Hanc sententiam Lugo probabilem dicit disp. 14. n. 174. Nihilominus ipse aliter censet eiusque sententiam probabilem dicit s. Alph. heic n. 275. Ratio est, quia hoc pacto reus cooperatur suae morti vel mutilationi iniustae, quod nunquam licet. Idcirco revocanda est confessio, cum utiliter fieri potest. Hinc ipsum mendacium, prius prolatum, ut a poena cessaret, fuisset grave peccatum; si tamen plena libertate tortus gaudebat.

Porro idem Lessius addit n. 50. Si Religioni vel familiae ex confessione falsi criminis sequeretur gravis infamia, prudenter expendendum esset, utrum tormenta ipsi infamiae praeponderent, an contra.

Nam fieri potest, tantam esse illam infamiam, ut potius tenearis quaevis tormenta perpeti, quam illam tibi cum tanto damno irrogare, verbi gratia si inde bonum publicum notabiliter laederetur etc.

Ceterum advertit Lugo l. c. n. 187., probante s. Alph. l. c., quod etsi a principio peccasset reus confitendo crimen falsum cum infamia alterius, non tenetur postea revocare pro reparatione alienae famae, si denuo sustinenda sunt ei illa gravia tormenta; quia nemo tenetur famam restituere cum tam longe graviore suo damno.

Quid vero, si ex imposito sibi falso crimine, damnum solum infamiae proprie sequeretur? Haud peccatum esse grave id damnum subire ad vitanda gravia tormenta, certum videtur, ait Lugo l. c. n. 163.; cum enim se infamare etiam sine causa non sit grave peccatum, multo minus erit, cum adest gravis causa.

« Unde bene inferunt, ait Lugo ibid., aliqui, eum, qui in Tribunali s. Inquisitionis convictus plane est de apostasia aut haeresi, quam non commisit atque ita convictus, ut si neget, tradendus sit Curiae seculari ac confiscatione bonorum extremoque supplicio afficiendus, si vero fateatur crimen, leviori poena puniendus sit, posse ipsum

absque mortali culpa imponere sibi culpam, quam non commisit; quia tunc nec sibi nec aliis nocet, imo prodest; maiorem enim infamiam et ipse et posteri patientur, si negans comburatur, patientur etiam bonorum confiscationem, quae omnia effugiet, si fateatur ».

626. Tenendum est quoque non licere ad vitandam mortem aut gravia tormenta, imponere sibi falsum crimen, quod redundet necessario in gravem infamiam alterius.

Nam bona quidem fortunae, cum ea, iure primitivo naturae, communia sint, licet in extrema necessitate ab aliis surripere et sic de bonis alienis disponere tanquam nostris. At bonum famae non huiusmodi est; illud nunquam usurpare licet, invito domino: non tenetur autem hic cum detrimento gravi suae famae consulere vitae tuae. Ergo tu, pro salvanda tua vita, nequis causam ponere infamiae gravis alterius, nisi prudenter praesumere possis consensum illius. Lugo ibid. n. 172.

627. Quaeritur, an mendacium in iudicio sit semper grave peccatum, ut circumstantia haec, quod nempe in iudicio mendacium proferatur, quantumvis in se sit leve, faciat illud esse mortale. Id censuit Caietanus in 2. 2, q. 69. ad 1. ad 3^m^ alioquin vir minime rigidus: sed communius distinguitur. Nam si cum periurio sit, semper erit grave: 2° si huiusmodi sit ut perversionem ordinis iudicialis inducat substantialem, efficiens scilicet ut iudex aliter iudicet, quam necesse foret, cum alterius gravi iniuria aut damno societatis (cf. Luc. 1. c. n. 174.), erit peccatum rursus grave. 3° Si nulli iniuria fiat nullumque sit damnum communitatis: si quis ex. gr. sibi falsum crimen imponeret cum solo periculo poenae pecuniariae (quam ceteroquin libere subire potest) a se subeundae: esset quidem perversio iudicii, quia daretur iudici occasio condemnandi innocentem: sed peccatum grave non foret; quia innocens dominus est suae pecuniae et iudici gravis iniuria non fit, data occasione illius condemnationis; cum iudex in hoc casu proferat sententiam formaliter iustam, quam secundum allegata et probata ferre debet. Ita Lugo l. c. cuius haec est sententia: non esse peccatum mortale, dare occasionem perversioni materiali iudicii, quando id sit absque ullius iniuria aut damno: sed peccatum erit veniale. Idcirco 4° si non laedatur graviter ordo iudicialis, ut non multum referat ad sententiam ferendam, sive hoc sive illud quis testetur aut fateatur, materia erit levis et mendacium veniale.

Itaque solum defectus reverentiae et obedientiae debitae auctoritati legitime interroganti, si absit periurium et damnum grave alterius, non est peccatum grave; nam graviter obligat auctoritas vel ratione additi iuramenti vel ratione finis, propter quam est instituta, ut ius suum cuique tribuatur.

Unde resolves.

LXXXII. 1. Talis non tenetur postea crimen revocare, quamvis antea periurio confirmasset, si prudenter metuit, ne ad tormenta revocetur; quia etsi peieratione graviter peccarit, hoc iam transiit et non retractando nemini facit iniuriam: ideoque sufficit coram Deo poenitere. V. Less. Tann. l. c. et q. 5. d. 4.

LXXXIII. 2. Si ex illa falsi criminis confessione grave damnum aliis sequeretur v. gr. bonum Reip. aut fama Religionis vel familiae notabiliter laederetur, aut aliqui ideo in heresim lapsuri essent, quaevis potius tormenta perferenda essent. Tann. l. c. et q. 5. d. 4.

LXXXIV. 3. Si reus tormentis coactus denuntiavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem et si tum non facit, etiam post sententiam damnationis revocare, ad quod etiam a Confessario est obligandus. Ita ex communi Tol. lib. 5. cap. 6. n. 7. Less. c. ult. d. 15. Tann. d. 4. q. 5. dub. 4. n. 103. Ubi subiungit: si quis tamen sequatur ipsaque praxi servari advertat eam sententiam, quae negat, per revocationem in extremo vitae factam tolli vel infirmari denunciationem ante factam, ut docent Delrio l. 5. sect. 5. Valent. d. 6. q. 13. p. 4., is consequenter existimare poterit, denunciantem in eo mortis articulo, saltem cum suo incommodo et sub peccato mortali, obligatum non esse ad revocationem, quia inutilis. Ita Tann. l. c. Licet ipse recte censeat, fundamentum istius sententiae minus esse probabile.

LXXXV. 4. Monet idem Tann. n. 105. cavendum esse Confessario, ne vel importune saepius reo damnato inculcet retractationem denunciationis inique factae, vel retractactionem factam imprudenter et cum scandalo evulget.

628. Non opus est declaratione; sed cf. n. 625. Cum nihil amplius ab humana iustitia timendum sit morituro, eius revocatio dictorum nullius ponderis censetur in humano iudicio.

LXXXVI. Quaeres: An reus teneatur revelare complices.

Resp. 1. Si omnino occulti sint nec aliis indiciis aut testimoniis convinci possint, non potest nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit. Less. l. c. et Laym. l. 3. t. 5. c. 5.

Resp. 2. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus; ideoque, si nolit, secundum Nav., non erit absolvendus.

629. Si crimen complicis pendeat in futurum, sive si nova crimina sint merito timenda, ut si sit coniurator, latro viarum etc., potest reus legitime interrogatus, imo debet complices revelare, quemadmodum superius diximus de teste; sic enim agit ut testis atque id et DD. facile concedunt. In ceteris quod de testibus diximus n. 616. huc referri potest.

Quoad 2° Resp. docet A., valere saltem potest in iudiciis ecclesiasticis.

630. Heic alias licet subnectere quaestiones, magis practicas, quas Theologi pertractant. Et quaeritur 1° an cum reus potest verum crimen negare, possit simul accusatori inferre crimen mendacii vel calumniae,

dicens eum calumniose accusare innocentem? Nunc loco accusatoris est procurator regius vel publicum ministerium. Responsio est affirmativa, nam tandem perinde est, negare crimen et affirmare, quod accusator sit mendax aut calumniator, saltem materialiter. Et sane, nisi crimen probetur, accusator praesumitur a iure calumniator.

Quaeritur 2° in hypothesi, quod testis verum dicat, an, ad invalidandum eius testimonium, liceat reo eiusque advocato, occulta crimina testis revelare. Distinguunt DD.: si haec manifestatio utilis sit ad defensionem rei vel necessaria, licita ipsa est; quia licita est reo defensio sui et talis manifestatio veritatis non excedit terminos iustae defensionis; cum per illam minuatur vis testimonii contra reum.

Idque verum est, etsi testis iuris ordinem servet, imo coactus testetur; id enim nequit ius impedire defensionis, quod reus habet, qui non damnum testis proprie intendit, sed se defendere.

Si vero revelatio utilis non sit, puta quia crimina detecta nihil conferunt in iudicio ad minuendam fidem testis, detectio criminis occulti est illicita et saltem contra caritatem. Imo, etsi quidam negent, ut Lessius c. 31. nn. 3. 4., videtur esse quoque contra iustitiam, quia nulla existente utilitate rei, integrum ius testis viget, sicut et alterius hominis, ne crimina eius occulta, absque causa, detegantur. Et sane non est amplius defensio cum moderamine, sed offensio potius in vindictam.

Idem proinde dicendum videtur Lugo disp. 40. n. 24., si delictum iam sit sufficienter probatum: verum apud nos, quamdiu iurati sententiam non tulerint, sperare semper potest reus, habituram vim in animos iuratorum revelationem suam.

Quaeritur 3° an liceat reo inferre crimina falsa testi testanti falsum vel contra ordinem iuris.

Satis evidens est, haud licere; tum quia mendacium illicitum est, tum quia vel confert ad defensionem causae vel secus: si non confert, est infamatio proximi sine causa: si confert, oportebit per testes illud probari ideoque hortari aliquos ut falsum asserant peierando; nam iuramentum praemittitur testificationi. Atque id prorsus illicitum.

Sed quaestio est, an si id fiat, peccetur contra iustitiam, ut sit obligatio restitutionis. Satis probabilis est Lugo sententia negans; quia non peccat contra iustitiam, qui dolo et mendaciis recuperat rem suam ab iniusto possessore et quia non est contra iustitiam, si ego auferam victum illius, qui iniuste me laedit, ut sic abstineat a mea laesione. Ergo a pari non peccat contra iustitiam, qui dolo et mendaciis ab iniusto aggressore suam famam defendit idque obtinere eius famae deturpatione nititur, ne ipsi ille noceat. Lugo n. 26.

Articulus II.

Quid liceat reo circa fugam poenae.

LXXXVII. Resp. Quando sententia est materialiter iniusta, lata tamen secundum allegata et probata, etsi in conscientia non obliget, non potest reus Iudici positive resistere, tum ob scandalum, tum quia tali casu Iudex habet ius sententiam exsequendi et ad id tenetur. Ita communiter Less Sanch. contra Vict. Bon. C. de Lugo d. 4. n. 38.

Dixi, *positive:* quia reo, etiamsi vere reus sit, licet ante et post sententiam (quoad mortem, vel poenam morti aequivalentem v. gr. perpetuum carcerem) fugere. Ratio est, quia quilibet tam magnum ius habet ad vitae suae conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda ostendatur; nisi tamen bonum publicum aliud postulet. Less. l. 2. c. 31. d. 5.

Unde resolves.

LXXXVIII. 1. Regulariter reo licere fugere, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit (saltem nisi iuraverit se mansurum); quia utitur suo iure et nulli facit iniuriam. Fill. t. 40. c. 4. n. 274. Azor, Less. d. 5. n. 31.: nisi tamen caritas aliud suadeat, ob damnum custodis praeponderans. V. Bon. d. 10. q. 3. p. 2. n. 13.

LXXXIX, 2. Multo magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam a ministro apprehendente se excutere; non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo etc. ibid. et Regin. l. 24. n. 4.

XC. 3. Licet etiam, saltem in foro conscientiae, custodes (praecisa vi et iniuria) decipere, tradendo v. g. cibum et potum, ut sopiantur, vel procurando, ut absint, item vincula et carceres effringere; quia, cum finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licet alii captivi per effractum parietem simul delabantur, non tenebitur de damno, quia tantum est eius causa per accidens, cum iure suo utatur. Nec refert, quod leges et magistratus quidam tales effractores graviter puniant; id enim fit, quod vel contrariam sententiam sequantur, vel ex praesumptione, quod vim intulerint custodibus, vel quod propter bonum Reip. ea poena statuta sit. Fill. l. c. Tan. d. 4. q. 4. dub. 5. ex aliis multi. V. C. de Lugo d. 40. s. 4.

XCI. 4. Illis, qui non sunt ministri iustitiae, licet non solum consilio iuvare reum, ut fugiat, sed etiam suppeditatis instrumentis, ver. grat lunibus, lima etc.; quia finem alteri licitum illi suadere et ad eundem media proponere licet. Less. l. c. l. 6. n. 40. Tann. l. c. Sylv. Turr. Vasq.

XCII. 5. Non tamen licet iuvare in effractione carceris, ut habet communis; tum quia exsecutio ipsa effractionis soli reo licita est, propter ius vitae conservandae, tum ne alioqui omnis securitas carceris pereat. Less. l. c. Bonac. d. 10. q. 3. p. 1.

631. Sententia est communis, non licere reo active resistere iudici aut exsecutoribus iustitiae, cum sententia iusta est et lata est secundum ordinem iuris. Ratio est, quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* Rom. XIII. 2. Sane ius publicum assistit iudici, qui potest imo debet exsecutioni mandare sententiam: nequit autem bellum esse iustum ex utraque parte.

Item sententia communis est, licere reo, quo potest modo, resistere cum sententia iniusta est et lata contra ordinem iuris, puta contra

allegata et probata. Quia in hac hypothesi nulla fit potestas iudici aut exsecutoribus a societate et se habent ut personae privatae, quae iniuste aggrediuntur. Neque est, cur in hac hypothesi scandalum timeatur, nisi pharisaicum; quia iniustitia sententiae facillime ostendi potest.

Si vero sententia materialiter quidem iniusta sit, sed lata secundum ordinem iuris ideoque iudicialiter iusta; dissentiunt DD. Alii dicunt non posse reum active resistere; quia nequit esse bellum iustum ex utraque parte, iudex autem et exsecutores ius habent exsequendi sententiam: ius porro sociale praevalet privato. Affertur pro hac sententia s. Thomas, q. 69. a. 4.: sed reapse ipse non loquitur nisi in casu sententiae iustae. Utique forte sententiam iustam eam quoque intelligit, quae est talis tantum secundum ordinem iuris; sed res certa non est.

Alii e contrario censent, posse active resistere seque in libertatem per vim asserere, dummodo absit scandalum. Ratio est, quia iudex reapse ius non habet in innocentem; sed id ei licet, quia praesumitur reus: atqui praesumptio cedit veritati; ergo qui veritatem novit, nempe ipse innocens, potest se tueri. Et casus similis esset, si iudex errans in persona vellet loco Pauli occidere Petrum: hic posset se contra omnes ministros defendere, sicut se potest quis defendere contra furiosum aggredientem, etsi hic non peccet.

Nec mirum est, bellum esse ex utraque parte iustum; quod alioquin saepe contingit inter Reges, cum alter inculpabili ignorantia laborat. Haec sententia probabilis videtur Lugo.

632. Quoad fugam, an liceat necne, variae fuerunt sententiae DD., quas videsis apud Lugo disp. 40. n. 41. seqq.

Quod spectat ad fugam e carcere, duplex hypothesis fieri potest. Vel enim carcer est pro custodia rei, qui in aliam gravem poenam servatur, puta mortis: vel carcer est ipsa poena. Porro si hic est perpetuus vel gravissimus, eodem pacto de eo plurimi loquuntur ac de alia gravi poena: secus si sit suavior. Sed ratio licitae fugae, quae affertur, pro quolibet, puto, casu valet.

Doctrina A. clara est et tuta. Ratio, cui innititur, est tum ius a natura insitum procurandae, quantum in nobis est, conservationis vitae nostraeque libertatis, tum quia ius publicum inferendae poenae exigit quidem, ut debeat delinquens se subiicere auctoritati publicae eum comprehendenti et nequeat vi resistere; at non exigit, ut debeat ille active concurrere ad impositionem poenae. Reus pati obligatur poenam, non aliud. Igitur si reus non adeo caute custodiatur, ita ut fuga sit ei possibilis, ea ipsi licet. S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2[a].

Cur ergo leges puniunt fugam? Respondemus, quod eodem iure puniunt fugaces, quo prius carcere eos incluserunt; si enim iure retinent iure etiam puniunt eos, qui se, absque auctoritatis consensu, subducunt: sed non opus est, has censeri vere leges poenales; quia, ut ait Lugo n. 45., hae poenae non sunt in vindictam criminis ideoque non supponunt crimen nec proprie sunt poenae (etsi abusive a legibus haec nomina usurpentur): sed solum imponuntur, ut deterreantur homines ab ea re perpetranda, quam publica auctoritas ius quidem habet physice impediendi, sed non semper hoc pacto impedire potest: id ergo eo terrore incusso nititur obtinere et ut hic sit efficax, oportet minas non sola lege scripta contineri.

Dices: ergo est veluti bellum ex utraque parte iustum. Negamus; nam reus ius habet fugiendi, si non detineatur efficaciter; secus enim active resistere nequit: item publica auctoritas ius habet non quidem ne reus, si potest, fugiat, sed reum comprehendendi ubicumque eum reperit et ex parte sua illud faciendi, quod eius evasionem impediat.

633. Si licet fugere, licet etiam impedimenta fugae removere, puta effringendo muros carceris. Nam hoc pacto nondum reus resistit formaliter auctoritati punienti, quae cessat potius ab eius efficaci custodia.

Porro si fugit reus effracto carcere, teneturne damnum effractionis muri reparare? Communior sententia, teste Lugo n. 47., affirmat teneri; quia est damnum directe intentum, quod etsi ius habeas inferendi non habes tamen ius inferendi gratis; cum id nullo pacto sit necessarium fini tuo. Sicut cum publica auctoritas opus habet, ut domum civis diruat, potest quidem diruere, sed pretio soluto. Manet ergo obligatio effractori, reparandi damnum, si poterit (cf. vol. III. 287. 290.): si tamen constat publicam auctoritatem eam non exigere nec de ea sollicitam esse, non erit urgenda haec obligatio.

Si autem simul cum effractore alii captivi fugiant, pro hac fuga ad nihil effractor tenetur; quia erga eam permissive solum se habuit, utens alioquin iure suo. Haec responsio supponit, non licere aliis iuvare detentos in effractione carceris: si enim id liceret, non sola permissio, sed directa intentio dicenda esset illi licere.

634. Sane haec est doctrina 5^{ae} resolutionis: cuius ratio ea est, quae secundo loco ponitur; nam quae primo, est ipsum consequens demonstrandum.

Ratio est sita in evidenti incommodo, quod sequeretur, facta aliis hac potestate. Sic enim quilibet civis omnesque simul auxilium suum ferre possent et hoc pacto quinam carcer esset tutus? tunc contentio perpetua foret inter cives et exsecutores iustitiae publicae. Oportet ergo, ut in hac re si quod ius est captivo consulendi vitae suae aut

suae libertati, hoc ius, quoad eius exsecutionem, sit personale, ceteris nihil audentibus contra legitimam auctoritatem, quae carceres custodit. Et sane est quidem praeter humanam conditionem praeceptum obligans reum ad non fugiendum, cum possit, non vero praeceptum prohibens, ne alii adiuvent eum ad fugiendum; unde nil mirum, quod his non liceat quod illi licet. Quamvis enim in aliquo casu extraordinario teneatur civis propriam vitam exponere pro salute communi reipublicae, non tamen regulariter et in quolibet casu. Ita Lugo n. 42.

635. Haec, quae dicta sunt de potestate facta reo fugiendi, temperanda sunt secundum generalem doctrinam de obligationibus ex caritate sive cum ea doctrina sunt componenda. Nam, ut ait Lugo n. 44., « aliquando potest damnum, quod sequitur reipublicae vel custodi ex carceris effractione, esse adeo magnum, ut debeat praeferri damno privato ipsius rei, cuius fortasse non tanti interest fuga, ut possit eam cum tanto aliorum detrimento procurare ».

Quod profecto locum facile habere potest, si poena non sit magna. Nam A. cum DD., fugam licitam dicit, si agatur de poena mortis, mutilationis, (adde flagellationis), triremium aut perpetuae vel longae amissionis libertatis, ita ut poena sit valde gravis.

Quid vero si poena sit levis? Per se, eadem ratio permittens fugam valere videtur in poena gravi et levi atque si poena est levior, etiam crimen fuit levius ideoque minus interest reipublicae delinquentem cohibere. Sed tunc facilius occurret quod ante advertimus ex Lugo.

Ceterum si quis propter debita in carcerem sit coniectus, quaecumque sit poena, satis probabile est, ait Lugo n. 43. cum Sanchez, quod possit fugere: oportet tamen ut voluntatem habeat solvendi.

Facultas facta reo fugiendi valet tum ante sententiam iudicis, tum post eam; nam ratio eadem occurrit atque id communiter admittitur.

636. Quaestio est de eo, qui iuramento promiserit se in carcere mansurum vel, si ad tempus dimissus sit, se rediturum. Iuramentum supponitur factum iudici vel custodi.

Si poena, quam praestolatur, debita est et iusta fuit sententia ac carceris ipsius inclusio iusta sit, concedunt omnes, obligare iuramentum manendi aut redeundi; quia est de re honesta nec ius ullum iurantis laeditur. Quidam tamen censent, peti posse relaxationem iuramenti, quod Sanchez *Decal.* l. 3. c. 11. n. 36. negat; quia iuramentum praestitum fuit in favorem tertii absque ulla iniuria aut turpitudine ex parte postulantis. Hoc quidem ostendit non posse relaxari promissionem, sed iuramenti obligatio, quae est ad Deum, illa manente, cur tolli non poterit? cf. tr. Vol. II. n. 706.

At si poena, quam reus subire debet, iniusta sit, si vel solus carcer

sit iniustus, variae sunt DD. opiniones, an obliget necne promissio et iuramentum manendi aut redeundi. Cf. Lugo disp. 40. n. 48.

Si promissio et iuramentum sint extorta metu, affirmare licet, ipsum iuramentum non obligare: cf. tr. cit. *de Iuramento* n. 78.

Si sponte iuratum sit, nequit quaestioni responderi: posse iurantem servare iuramentum, sed non teneri; nam si, praecisa dispensatione, non tenetur, iuramentum ergo fuit invalidum h. e. nullum: at si nullum fuit, non habes quid serves: scilicet servabis quidem promissionem, si valeat, sed non iuramentum. Est sententia, quam Lugo n. 49. censet probabiliorem: iuramentum nempe istud validum esse h. e. obligare et obligare sub gravi, dum sola promissio obligaret ad summum sub levi. Sed haec quaestio iam tractata est Vol. II. n. 593.

637. Quaeritur an reus damnatus ad mortem, dum carcere detinetur, si possit certe se subtrahere, teneatur fugere. Quidam affirmant propter obligationem, quam quis habet suam vitam tuendi. Sed communius negatur; quia acquiescere iustae sententiae est actio honesta et expiatio proprii criminis intendi potest. Obligatio vero tuendi propriam vitam non semper urget et aliud est se occidere, aliud ex iusta causa permittere se ab aliis occidi.

Supponitur in hac sententia quod reus iuste sit damnatus. Si vero damnatio fuerit iniusta, si ipse est innocens: videtur per se teneri ad defensionem suae vitae, nisi rationes occurrant quae contrarium suadeant. Sic martyres, etsi possent, non tenebantur fugere, ne dedecus fidei et scandalum pluribus crearetur.

Ab iis, quae circa fugam licitam reis generatim dicuntur, excipi solent religiosi, ob crimina in carcerem iuste coniecti; quia iuri libertatis suae fruendae iam renuntiarunt per professionem. Secus autem, si punitio sit iniusta.

Ab ea tamen lege rursus exceptio fit: sive si sententia iusta iniusto modo exsecutioni mandatur sive si causa est, cur religiosus timeat poenam capitis aut mutilationis.

Concedunt eidem fugam quoque a triremibus, ad quas damnatus fuerit; dummodo non vagetur, sed superiorem vel Pontificem adeat, pro obtinenda venia. Cf. Lugo, nn. 53. 54.

XCIII. Quaeres, An reo liceat appellare?

Resp. Si sciat sententiam esse iustam et iuste processum esse, non licet (licet tamen supplicare); quia id esset ludici calumniam imponere. Imo iniuste appellans tenetur de damno. Si vero putet, sententiam iniquam esse aut iniuste processum esse, aut si diversae sint opiniones, potest appellare. V. Trull. l. c. n. 100.

638. Per se oportet, ut parti victae in iudicio liceat id, quod ipsum ius concedit. Solent tamen excipere DD. si reo vel actori (nam et huic

appellare licet) certum sit (quod ex allegatis et probatis constare potest), sententiam esse iustam. Nam actum sibi inutilem ponit, pars vero adversa absque causa non parum vexatur. Sed in praxi locus dubitationi seu probabilitati causae victae esse solet et idcirco non est ei neganda facultas experiundi sui iuris in alia instantia. Neque agenti bona fide a confessario scrupulus est iniicendus. Illud multo magis valet in causa criminali; etiamsi demonstrata appareat iustitia sententiae damnationis: nam licere debet unicuique, pro tuenda sua vita et libertate, omnes vias legitimas tentare. Nec ullam reus iniuriam facit iudicibus, cum iure utitur sibi a lege permisso.

Verum ubi systema iuratorum pro causis criminalibus gravioribus viget, non permittitur cod. it. cit. aa. 509. 514. reo appellatio, sed solum recursus, ut dicitur, in cassationem seu irritationem sententiae, propter vitia quae obrepserint inter acta iudicialia.

Dub. VIII.

Quomodo confessario agendum cum reo.

XCIV. Respond. Observanda sequentia 1. Instruat eum, quod quae secum in foro conscientiae agit, cum Iudicibus non communicantur ideoque, sive sit nocens sive innocens, id ei nec prodesse nec obesse potest. Ratio est; quia alias multi conantur se falso probare innocentes, ut a Confessario iuventur: alii contra falso se innocentes dicunt, quod timeant, ne Confessarius conferat cum Iudicibus ipsique revocentur ad torturam. Unde expedit 1. ut non temere evulget Confessarius accepta extra Confessionem: 2. ut ad confessionem sacramentalem reum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidae; vix enim adigi poterit, ut omnia fateatur ob timorem, ne vel deferatur vel cogatur eadem fateri Iudici: ante tamen de contritione agendum est. Delrio l. 6. c. 1. s. 3. Tann. d. 6. q. 5. dub. 4.

XCV. 2. Ne cogat importunis modis reos, ut se tales fateantur: tum quia vere quidam rei non sunt et victi illa importunitate, ne moriantur incommunicati vel a Confessario in extremis deserantur, confitentur sacrilege: tum quia frustra est confessio, nisi fiat ex contritione et vera ad Deum conversione; de hac ergo laboret et sequetur bona confessio, non autem contra. Tann. l. c.

XCVI. 3. Caveat, ne coram reo censuret modum procedendi iudicialem proindeque communiter non admittat querelas de iniuria facta, cum non sit Confessarii ea iudicare, sed ad poenitentiam disponere.

XCVII. 4. Etsi quidam auctores permittant Iudici uti dolis bonis ad crimen eliciendum, non tamen id licet Confessario, ne ministerium eius infametur.

XCVIII. 5. Non licet secundum Concilium Antiochenum, cap. 33. et 35. *Non licet*, palam interesse tormentis aut suggerere modum torquendi, nisi mitiorem. Vid. Tann. d. 4. q. ult. d. 5. n. 128.

XCIX. 6. Expedit habere cognita iudicia et probationes deprehensas in iudicio ipsumque modum processus, ut et prudentius possit in suo foro agere et iudicem, sicubi opus, prudenter admonere.

C. 7. In confessione examinet, 1. an consortes criminis prodiderit (si secundum supradicta tenebatur) et quidem si falso alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam

cum periculo torturae. V. Tann. d. 4. q. 5. d. 4. n. 104. et dicta dubio superiore. 2. Si saga sit, quo tempore, qua occasione in magiam sit lapsa; ut, si postea neget, convinci possit in eodem foro. 3. In qualitatem superstitionis, an ex animo Christianae fidei renuntiaverit, daemonem adoraverit, falsa de Deo et aeternitate senserit, rebus sacris abusa sit, hominibus nocuerit, praesertim coniunctis, ut marito, liberis et an alios seduxerit. Item de peccatis carnalibus. Denique confessae aperiat fraudes daemonis instruatque, quomodo iis deinceps occurrendum atque inter cetera suadeat fidei professionem et frequentem Symboli repetitionem.

Cl. 8. Saepe non expedit post supplicium Iudici significare, reum in extremis denunciationes revocasse, tum quia Iudices id parvi faciunt (quam recte, v. apud Laym. et Tann. l. c.) tum quia frangit sigillum Sacramentale, si non petita licentia, innocentiam denuntiati evulget, cum eo ipso revelet peccatum denunciantis. Quare si aliquando Iudicem monere expediat, rogandus est reus, ut id extra confessionem et coram testibus dicat, eo fine, ut Iudex moneatur.

CII. 9. Si alicuius innocentiam ex confessione colligeret (quod etsi difficile, non tamen impossibile esse docet Tanner. dist. 4. q. 5. dub. 4. n. 85.), id Iudici aperire ac pro reo intercedere, periculosum est; tum quia post publicatam Rei confessionem, ei non credetur, tum quia, si plures audiat, hoc ipso aliorum nocentiam de illis tacendo videtur confirmare, cum fractione sigilli; tum quia, si rei cognoscant eum pro innocentibus intercedere, occasionem arripient, eum callide sua facinora celandi. Vid. Laym. l. 3. t. 6. c. 5, Tann. d. 4. q. 5. p. 4. n. 95.

CIII. 10. Etsi pro reis, etiam iuste damnatis, intercedere aliquando possit, maxime apud Magistratum supremum, iuxta Scripturam Prov. XXIV. 11. *Erue eos* etc., valde tamen prudenter et moderate id faciendum; quia relaxatio potest esse illicita iudexque (non tamen Confessarius, nisi ea praeviderit) fieri reus malorum omnium, quae ex liberatione sequuntur; imo et ipsi imputabuntur, cum ex officio debuerit impedire. Vide Bon. in 8. *Praec.* d. 10. q. 2. et 3. Tann. *de Iust.* d. 4. q. 5. d. 4.

Satis haec sunt et quaedam ex his modo non amplius utilia.

Dub. IX.

Quae obligatio Medicorum, Pharmacopolarum et Chirurgorum.

CIV. Resp. Tenentur ii in primis, quando tale officium petunt vel suscipiunt, sub gravi obligatione, sufficientem habere scientiam sive peritiam. Nav. c. 25. n. 60. Anton. Card. de Lugo d. 26. n. 1. Deinde in curandis infirmis servare sequentes regulas. 1. Ordinarie debent sequi opiniones medicorum securas et tutas. Ratio est periculum et damnum proximi. Ita Bon. Laym. Sanch. 1. *Mor.* c. 9. 2. Quando certum aliquod est pharmacum, quod nimirum certo infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de quo dubitatur; quia alias imprudenter proximum in periculo relinquerent. 3. Si non sint certa pharmaca, debent habere probabiliora; tum quia alioqui salutem proximi in discrimen adducerent: tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo et damno. 4. Quando nulla est spes de salute infirmi nec adest remedium, nisi dubium, de quo scilicet dubitatur, num profuturum an nociturum sit: possunt imo debent illud adhibere. Ratio est, quia sic infirmi negotium utiliter geritur et si mors sequatur, ipsis non imputabitur; cum alias spem vitae non habeat. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. Filliuc. n. 152. Bon. *de Pec.* d. 2. q. 4. p. 9.

Cf. dicta Vol. III. 348. Cetera clara sunt ex dictis in Vol. I. nn. 205. 208.

Unde resolves.

CV. 1. Medicus peccat 1. si absque sufficienti peritia gravem morbum curare tentet. 2. Si occurrente gravi et insolito morbo, speciali studio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nociturum, quam profuturum. 4. Si medicamenta inexplorata explorandi gratia adhibeat, praesertim quando de iis non est opinio probabilis et habet medicamenta probabiliter utilia. 5. Si non bene perspecta morbi natura, temere adhibeat remedia obvia vel periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. 6. Si, agnito aegroti periculo, opportune non adsit aut necessariam curationem negligat aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadeat Dei honori vel praecepto contrarium, v. g. incantationem, pollutionem, superstitionem etc. 8. Si facile et sine necessitate a ieiunio absolvat, carnium esum permittat. 9. Si aegrotantem pauperem in periculo constitutum contemnat. V. Bon. l. c. Nav. c. 25. Azor 1. p. 1. 2. c. 17. q. 11. Escob. l. 2. E. 3. c. 9.

CVI. 2. Pharmacopola peccat 1. si rudis et ignarus munus exerceat. 2. Si sine arte vel diligentia medicamenta conficiat. 3. Si melle in potionibus pro saccharo utatur. 4. Si unum medicamentum pro alio (nisi tamen esset aeque bonum et non maioris pretii) contra medici praescriptum, cum gravis damni periculo porrigat. Vide Salas d. 34. 5. Si medicamenta ad non pariendum, vel ad fetum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia etc. V. Escob. l. c.

CVII. 3. Peccat Chirurgus. 1. Si sine scientia et peritia sufficienti vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si medicum, quando gravitas vulneris exigit, non consulat. 3. Si lucri amore curationem protrahat. 4. Si mercedem iusto maiorem exigat. 5. Si abortus causa venam aperiat aliudve remedium adhibeat. V. Escob. l. c.

Clara sunt.

Dub. X.

Quae obligationes Mercatorum, opificum et ceterorum secularium.

CVIII. Resp. Eae patent ex dictis de septimo praecepto.

Cf. dicta *de Contractibus* generatim et praesertim *de Emptione Venditione* in Vol. III. an. 747. deinceps.

Ex quibus resolves.

CIX. 1. Mercator peccat 1. si venenum vel alia prohibita vendat, cum suspicione pravi usus. 2. Si paratus sit quodcumque pretium, etiam iniustum, ab emptore accipere. 3. Si rem carius, quam supremo pretio, vendat, ob dilatam solutionem. 4. Si mercium defectum gravem occultum non aperiat, pondus et mensuram imminuat. 5. Si in emptorum iniuriam, monopolium iniustum instituat, merces omnes unius generis sibi comparet, immoderato quaestu pro libito vendendas. 6. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vendat ignoranti. 7. Si merces veteres et inutiles novis admisceat et vendat eodem pretio utrasque. 8. Si iusta tributa defraudet 9. Si tempore debito, cum possit, non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 10. Si mercibus solvat, quod pecunia debet contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus festis publice emat vel vendat contra consuetudinem permissam. 12. Si iuret falso, se tanto pretio

merces comparasse. 13. Si contractum ineat quemcumque, dubitans de eius iustitia. 14. Si emat res furtivas etc. V. Escob, t. 2. E. 2. c. 12.

CX. 2. Bibliopola peccat, 1. si vendat libros prohibitos vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro etc. V. Esc. c. 13.

CXI. 3. Argentarius sive Aurifaber peccat, 1. si aes pro auro vel argento vendat. 2. Si auro vel argento plus aeris misceat, quam ars requirit et emptoribus mixtionem non significet neque minuat pretium. 3. Si ex rebus furtivis aliquid emat mala fide. 4. Si communem lapillum pro pretioso vendat, vel pretiosum pro vili emat etc.

CXII. 4. Sartor, Sutor et ceteri opifices peccant: 1. si iurent se tali die opus perfecturos, quod sciunt vel dubitant non futurum. 2. Si plus materiae exigant, quam ad opus sit necessarium aut partes alicuius momenti, quae supersunt, retineant, sine voluntate domini. 3. Si diem festum sine gravi causa violent per se vel per suos famulos. V. Escob. l. 1. c. 13.

Clara ex iam alibi dictis.

APPENDIX.

DE OFFICIIS CIVIUM IN LIBERA REPUBLICA.

639. Liberam rempublicam dicimus, quae voluntate omnium civium administratur, sive immediate sive mediate per eorum delegatos et in qua omnibus civibus patet aditus ad publica munia regiminis.

Quaecumque sit forma societatis, cives singuli tenentur servare leges, subesse legitimis potestatibus, damnum commune cavere atque commune bonum suo privato generatim praeponere. Cum societas auctoritate unius regitur, nihil amplius a privatis civibus postulatur: sed cum ipsi cives in partem regiminis vocantur, profecto sicut nova iura (vel expeditam facultatem suis utendi iuribus) acquirunt, ita novis obligationibus evadunt obnoxii. Obligationes hae sunt ex iustitia legali (vol. III. 12. seqq.).

Summa harum obligationum est, ut cives pro virili sua parte, recto regimini consulant societatis. Haec est proprie dicta obligatio, quam lex naturae imponit omnibus, qui iuribus socialibus instructi sunt. Nam societas administranda est ab aliquibus, ab iis scilicet, qui ad id habent ius et ad id sunt ex legibus vocati: nequit proinde tale ius ab opere vacare, administranda est autem recte; ergo qui iuribus huiusmodi potiuntur, verum bonum societatis curare debent.

Haec obligatio orta ex iure, ab eodem circumscribitur, ut nempe quis obligatum se sentiat ad usum sui iuris rectumque usum; cetera, quae caritas suggerere poterit, ea obligatione non continentur.

Cum non omnibus eadem competant iura, neque iisdem omnes obligationibus tenentur; est tamen quoddam ius cunctis fere commune, ius scilicet suffragii ferendi in electione eorum, qui vel res municipales curent, vel in consilium legibus decernendis pro universa societate adsciscantur.

640. Quaeritur, quanta sit in hac re obligatio eorum, qui iure suffragii gaudent et vocantur electores. Sermo est de obligatione in conscientia exercendi illius iuris et de obligatione afficiente singulos.

Mensura obligationis ex necessitate finis desumenda est, quae non semper eadem occurrit: plures proinde hypotheses fieri possunt.

1° Si, sive electores iure suffragii utantur sive secus, nullum vel non grave certe detrimentum passura est societas, gravis obligatio non est in singulis exercendi huius iuris.

2° Si quamvis privatus aliquis abstineat, *certus* tamen *sit*, electionem bonam futuram; non is graviter peccat, etsi, absque ratione legitime excusante, abstineat.

3° Si quamvis quis concurrat, *certus sit*, suffragium suum nihil profuturum et multo magis si simul merito sibi timeat damna, non tenetur iure suo uti.

4° Si res in ancipiti sit et ex concursu omnium bonorum pendeat bona electio iisque deficientibus pronum sit eos electum iri, qui bona societatis pessumdabunt, leges iniquas ferent, malos fovebunt mores, Religioni adversabuntur, tenentur singuli opem suam ferre et quantum in ipsis est, electionem bonorum procurare. Obligatio profecto adest: atqui nisi singulos afficiat, nulla reapse erit; ergo singuli tenentur.

5° Quamvis fructus electionis is tantum sperari possit (spe quidem non inani) ut quaedam graviora mala, quae ad ordinem moralem ac religiosum pertinent, evitentur, electis iis, qui sint minus indigni, id primo facere licet, si aliter consuli bono communi nequit, ratione habita in electione non indignitatis electi, sed *minoris* indignitatis et cum liceat, fieri debet ut bonum publicum procuretur, malis gravioribus evitatis.

Horum omnium una est ratio, obligatio procurandi boni publici, qua cives in tali societate tenentur: quae obligatio gravis est, cum de gravi damno cavendo agitur.

6° Nihilominus si ex usu huius iuris grave damnum sibi civis merito timeret, ut periculum fortunarum, vulnerum, mortis et huiusmodi, certe obligatio gravis desineret; quia nemo tenetur cum tanto suo damno aliorum bonum, praesertim incertum, procurare.

7° In praxi frequens ratio difficultatis est, quod digni non inveniantur, quibus suffragium detur. At recolendum est, officium exstare ex utraque parte atque adeo, si electores tenentur ad electionem concurrere et eligere idoneum, qui idoneus est et communibus votis expetitur, nisi probabilem habeat rationem cessandi, tenetur electioni acquiescere, dum aliter nequeat consuli publico bono. Quisque enim civis in libera republica tenetur iuxta suum modum, bono publico

adlaborare. Secus frustra esset obligatio ferendi suffragii, si in gravioribus reipublicae necessitatibus, ii, qui solum digni sunt et idonei, possent pro arbitrio, absque rationabili causa, munus detrectare.

Hactenus dicta valere censemus, cum forma liberae reipublicae legitima est et idcirco ab omnibus civibus acceptata vel acceptanda.

641. At si forma haec socialis per vim et iniuriam imposita sit, quandiu hic status rerum durat et nondum novum regimen legitimum evaserit; non eodem modo omnia quae diximus, locum habent, si praesertim legitimus Princeps exturbatus sua iura sancte servari velit.

In hac enim hypothesi nemo cogi potest, ut invito legitimo Principe, munus legislatoris in ea societate suscipiat; quamvis, si id necessitas postularet, consensus Principis legitime praesumeretur, dummodo nihil inhonesti in re esset practice spectata.

Neque cives, per vim coacti alteri subesse regimini, tenentur illud fovere suisque iuribus uti in eius favorem. Unica tantum lex h. e. reipublicae salus ratio esse poterit, cur cives obligentur suis iuribus uti pro publica utilitate.

Huius tamen legis tanta est vis, ut in iis adiunctis quoque obliget cives, quantum in ipsis est sive quantum ipsis legitime permittitur, bonum commune procurare, ne leges iniquae ferantur, corrumpantur mores et Religio subvertatur.

Ad hoc enim omnes, qui possunt, tenentur, non ratione huius vel illius regiminis, sed ratione publici boni debitique obsequii erga Ecclesiam et Deum; quae quidem ratio semper viget. Etsi ergo illud tantum restet, quod 5. loco diximus, illud opus est procurari ab honestis civibus.

TRACTATUS X.

DE SACRAMENTIS

SECTIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTORUM N. L.

Dub. I.

Quid sit sacramentum.

1. Respond. Est res sensibilis, quae, ex stabili institutione Christi, vim habet sanctitatis sive gratiae iustificantis efficiendae et per consequens significandae.

642. Haec est definitio sacramenti Novae Legis. A. collocat in definitione *stabilitatem* institutionis: perpetuitas scilicet ritus est certe proprietas (quidquid sit, an sit de ipsa essentia) sacramentorum. At ex professo de his in theologia dogmatica; nostrae enim partes sunt, ut hisce praesuppositis, ea persequamur, quae ad praxim pertinent et quidem praxim prout licita est vel illicita: quae est consideratio propria Theologiae Moralis.

Cum varii varias proferant definitiones, allata ab Auctore desumpta est ex Catechismo Romano part. 2. cap. 1. n. 11.: « Ut explicatius quid sacramentum sit, declaretur, docendum erit, *rem esse sensibus subiectam, quae ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet* ».

In eodem Catechismo ex mente Augustini definitur n. 4. « Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram iustificationem institutum ». In qua definitione cum desit expressior mentio efficaciae, facilius ad Sacramenta Veteris Legis extendi potest. Quanquam generatim theologi (vid. Suarez *de Sacram. in gen.* d. 1. sect. 1. n. 4. seq.) Sacramentum, prout et de Veteris Testamenti sacramentis dicitur, definiri velint ita, ut sit non modo signum sanctitatis internae praesentis vel futurae, sed etiam signum et causa alicuius sanctitatis praesentis *perfectae et imperfectae*.

* Certe aliqua praesens sanctificatio, quam signum sensibile conferat ei, cui applicatur, requiritur ad notionem sacramenti: eam autem sanctitatem sacramentum confert, quae est propria illius oeconomiae

religiosae, in qua ipsum adhibetur. Ita sacramenta veri nominis, generice cum nostris convenientia, in veteri lege habebantur, quae sanctitatem legalem suscipientibus conferebant: dedicabant scilicet et consecrabant quodammodo homines ad cultum divinum et immunditias seu irregularitates auferebant, quibus ab eo cultu homines impediebantur. « Sacramenta enim, ut ait s. Thomas 1. 2. q. 102. a. 5., proprie dicuntur illa, qua adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur ad cultum Dei ». Cf. in hac re Card. Franzelin *de Sacram. in gen.* th. 1., cui non admodum probatur sententia singularis Lugo *de Sacram. in gen.* d. 1. n. 8., Sacramenta nempe V. L. causas fuisse morales gratiae conferendae in N. L., eo quod illam promittebant. Caute ergo heic Lugo legendus. *

Unde resolves.

II. 1. Ad essentiam Sacramenti requiri tria, 1. ut sit signum stabile: 2. ut significet veram sanctitatem: 3. ut eandem efficiat ex opere operato, idest usu suo et applicatione, per propriam efficaciam et non ex opere operantis, sive per actum aut dispositionem ministrantis vel suscipientis: quae, etsi ad effectum Sacramenti requiratur, non tamen ut causa, sed ut conditio, sine qua non.

643. Heic diligenter attendatur tertium necesse est, non solum ut distinguatur sacramentum a reliquis, v. gr. sacramentalibus, quae gratiam conferunt ex opere operantis; sed ut in ipso sacramento distinguamus, quid ad essentiam sacramenti, prout est signum efficax gratiae, pertinet, quid vero pertinet ad conditiones aut praerequisita. Ad conditiones autem seu praerequisita pertinebit quidquid vim non habet efficiendi gratiam ex opere operato. Ergo v. gr. quod attritus sit ille, qui baptizatur, erit conditio, non vero essentia sacramenti: item panis substantia in Eucharistiae sacramento necessaria quidem est, sed quantum ad efficientiam nihil est. Adde, ad pleniorem notitiam *operis operati*, illud etiam requiri, ut effectus a sacramenti ritu infallibiliter semper sequatur, cum deest obex.

III. 2. A definitione talis Sacramenti excludi 1. Sacrificia tam novae, quam veteris legis; quia haec non sunt instituta ad gratiam ex opere operato conferendam, etsi nihilominus sacrificium novae legis sic eam impetret ei, pro quo offertur (non ut Sacramentum, usu suo et applicatione, sed per modum impetrationis), sed ad cultum Deo praestandum. Con. d. 60. art. 22. 2. Figuras et sacramenta veteris legis. v. gr. Circumcisionem, transitum maris rubri, agnum paschalem, varias item purificationes et consecrationes sacerdotum; tum quia a Christo non sunt instituta tum quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac, licet Circumcisio aliquando sustulerit peccatum originale per veram gratiam, id fecit vel ex opere operantis in adultis, vel non ex opere operato simpliciter et rigorose; tum quia non continuit gratiam, ut causa physica vel ut causa moralis, quia nondum erat exhibita passio Christi et meritum, ex quo gratia pendebat, sed tantum

ex speciali privilegio, tum quia non contulit gratiam formaliter, qua circumcisio et ex sua institutione, sed quatenus erat professio fidei neque vi applicationis et usus sui; alioquin enim omni non ponenti obicem et quidem praeter omne meritum contulisset, quod est falsum. Vid. Fill. t. 1. c. 3. q. 5. nn. 43. 44. et c. 6. q. 8. nn. 109.-113. 3. Ea, quae dicuntur sacramentalia, v. gr. benedictio Abbatis, consecratio virginis; quia praecise ex usu suo et opere operato gratiam non conferunt, uti nec actus virtutum, praeterquam quod hi sensibiles non sint. 4. Lotionem pedum Apostolorum, insufflationem Christi in Apostolos, per quam Spiritum Sanctum illis dedit. Item verba Christi ad Magdalenam et Paralyticum, *Remittuntur tibi peccata:* quia non fuerunt signa instituta stabiliter ad gratiam conferendam. 5. Martyrium, ob eandem causam: esto enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen est specialiter ad hoc institutum. Vid. Schol.

644. Bene consulendos dicit Scholasticos,cum haec ad theologiam speculativam pertineant. Pauca pro declaratione.

1° Primam observationem, quae est de sacrificiis, desumit ex Conink. quaest. 60. art. 2. n. 5. * Et prior ratio allata valet, si sacramenti ratio specifica accipiatur, quae est propria sacramentorum N. L.: at si notio generica sacramenti accipiatur, quae et V. L. sacramentis competebat, ratio, cur sacrificia non essent sacramenta, altera vera est, quam affert et Suarez *de Sacram. in gen.* disp. 1. sect. 1. n. 6., quia sacrificium est ritus, cuius activa exhibitione, homo directe cultum Deo reddit; quando sacramentum e contrario est ritus, cuius applicatione ipsi facta homo sanctificatur.

2° Non bene inter figuras heic memoratas collocat A. circumcisionem: cui certe sacramenti notio propria V. F. competebat; dedicabat enim consecratione quadam hominem ad Dei cultum, segregans illum a gentibus et transferens ad populum Dei. Alia autem est quaestio, an gratiam sanctificantem ex se conferret circumcisio, remittens peccatum originale ex opere operato eademque quaestio fieri potest et solet de sacramento, ut dicitur, naturae, quod pro gentibus valebat. Sententia negans ex certissimis principiis dimanat: sed non est heic locus huic disputationi et cf. Franzelin l. c. th. 3., qui et doctrinam Augustini explicare nititur.

3° Quae sub. n. 3. ponit A. primo loco, ratio potissima et sufficiens, cur sacramenta non sint, ea est, quia non conferunt sanctitatem propriam Novae oeconomiae, in qua adhibentur. *

4° Quod spectat ad 4^{m}, fuerunt quidem aliqui theologi, qui nollent absolute negare, lotionem pedum fuisse actionem sacramentalem, sed simul concederent illam solam a Christo adhibitam fuisse talem; quia non fuit ritus praescriptus in Ecclesia perpetuo adhibendus. Verum, ut A. ex DD. consensu in definitione posuit, sacramentum est ritus perpetuae institutionis, quo membra societatis invicem semper colligantur.

Non bene ergo actiones externae Christi, quae ex vi et dignitate personae efficaces fuerunt gratiae conferendae, locantur hoc ipso inter sacramenta: nisi eiusdem actionis instauratio praescripta fuerit in perpetuum, cuiusmodi fuit consecratio panis et vini.

Dub. II.

Quid circa materiam et formam sacramentorum servandum.

IV. Suppono, Sacramentum dupliciter sumi. 1. Per modum compositi physici, in quo res sensibilis et actio (v. gr. in Baptismo aqua et ablutio, in Unctione oleum et unctio) dicitur materia. Et quidem oleum et aqua materia remota, actio vero illa materia proxima: verba autem, aut quod eorum loco ponitur, ut in Matrimonio, signum consensus, dicuntur forma. 2. Per modum compositi artificialis et tunc dicta materia et forma, id est res et verba simul habent se instar materiae: significatio vero eorum instar formae. Hìc quaeritur de materia et forma, priore sensu.

645. Quae A. praemittit de duplici sacramenti acceptione, eo solum tendunt, ut explicet, de quanam materia et forma intelligi debeant ea, quae subiicit.

Ut paucis ea intelligantur, haec prae oculis habeantur. Omnia sacramenta, ut habet communis doctrina, constant materia et forma, seu rebus et verbis et utrumque concurrit ad constituendam sacramenti naturam, scilicet ad constituendum illud signum. Aqua quae infunditur vel qua mergitur infans, posset ordinari ad plura, puta ad refrigerandum: sed verba, quae accedunt, efficiunt, ut actio illa (exsistente utique debita intentione ministri) constituatur et habeatur lotio et lotio sacra. Hoc sensu materia et forma concurrunt ad efficiendum compositum, quod physicum dicitur.

Sed rursus quod haec lotio ordinetur ad significandam et efficiendam gratiam, qua anima abstergitur a peccatis, hoc non habet ex se, sed ex institutione. Quatenus ergo actio illa constituitur ultimo in ratione signi instituti ad infallibiliter significandam efficiendamque gratiam, censetur compositum quoddam artificiale 1° ex actione illa, constante ex materia et forma seu ex rebus et verbis, 2° ex superaddita vi significandi. Artificiale dicitur, quia non ex natura sua, sed ex libera instituentis voluntate haec illi signo adnectitur tum significatio tum efficientia. Sed et prior compositio est artificialis; non enim est a natura sed ab arte divina. Potius haec altera compositio dicitur metaphysica.

Porro sic re intellecta, res et verba seu compositum ex rebus et verbis est ad instar materiae; quae vero ex institutione divina accedit vis significativa et efficax, censetur forma. Vid. Lugo *de Sacram.* disp. 2. n. 39.

Dicit porro Auctor, se de forma ac materia agere non posteriori hoc sensu, sed priori, quatenus materia sunt res et forma sunt verba, quod utrumque ad compositum illud physicum ordinatur. Et sane de hac compositione loquuntur DD. et monumenta ecclesiastica, cum docent sacramenta constare materia et forma. Sed de hac re consule Theologos dogmaticos.

646. Advertendum autem diligenter, non uno sensu materiam accipi, ubi de Sacramentis quaestio est. Distinguenda est enim 1° materia, quae constituit simul cum forma signum illud gratiae efficax et 2° materia, circa quam vel ex qua efficitur Sacramentum, quae tamen per se non constituit signum gratiae efficax. Sic v. gr. peccata dicuntur materia sacramenti poenitentiae, neque tamen concurrunt ad gratiam efficiendam, nisi ut conditio necessaria, ut id sacramentum possit alicui administrari; sic et substantia vini seu panis necessaria est nec tamen vere habet efficientiam gratiae sacramentalem, quippe quae imo destruitur. Haec diligenter retinenda sunt, ut quaedam dein rite intelligantur, cum sermo erit de singulis Sacramentis. Neque enim quod de materia, prout est signum gratiae efficax dicitur, id omne transferri debet ad aliam materiam, v. gr. quod debeat esse sensibilis: sensibile esse debet id, quod est *efficax* instrumentum gratiae, non vero necesse est, ut sensibile sit illud, quod adest ut conditio etc. v. gr. dispositio.

V. Resp. 1. Ut Sacramentum sit validum, debet inter materiam et formam, v. gr. inter effusionem aquae et pronuntiationem verborum, tanta esse coniunctio, ut secundum moralem hominum aestimationem, spectata natura cuiuscumque Sacramenti, una alteram afficiat; hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem et cum ea unum totale signum constituere. V. Bon. d. 1. q. 2. p. 2. Suar. Con. etc.

647. Teneatur haec doctrina, quae est certum principium in administratione sacramentorum. Spectanda ergo est natura sacramenti et pro indole ipsius iudicandum est de coniunctione necessaria, ut secundum humanam aestimationem (intelligitur scil. sensus communis et prudentum hominum iudicium. Ita Bonac. l. c.) *vera sit forma.* Sic v. gr. falsa esset forma « *hoc est corpus meum* » « *hic est calix sanguinis mei* », si panis vel calix cum vino postea afferretur.

Unde resolves.

VI. 1. In Baptismo, Confirmatione, Unctione et Ordine requiritur talis coniunctio, ut dum minister verba pronuntiat, moraliter censeatur etiam lavare etc.

VII. 2. In poenitentia absolutio satis diu potest differri, sicut in iudiciis sententia post examen causae.

648. Heic solent DD. reiicere sententiam Caietani, qui contendit Opusc. tom. I. tr. 26. nec baptismum sine contactu (idest physica ac

contemporanea coniunctione) aquae cum verbis fieri nec pariter confirmationem sine contactu manuum vel chrismatis, nec extremam unctionem sine contactu olei (praesertim cum forma habeat « *per istam sanctam unctionem*) nec ordinem sine contactu traditionis instrumentorum cum verbis respectivis ; cum enim, inquit, dicit Episcopus accipe potestatem etc., si alter per contractum non accipiat, falsa esset forma nec traditio fieret. Censent ergo communiter DD. validum esse sacramentum, si moraliter uniantur: ad quod sufficit, si ablutio v. gr. fiat immediate post prolatam formam.

Lugo explicaturus *de Sacram.* disp. 2. n. 99. quomodo prima impositio manuum in ordinatione sacerdotis, quae fit nullam proferendo formam, haberi possit ceu materia, sic bene de hac re disserit: « Non ita distat manus impositio a formae prolatione, quae postea subsequitur, ut non censeantur habere propinquitatem moralem sufficientem; neque enim debet esse coexsistentia physica, ut constat in Diaconis, quibus dicitur forma omnibus simul et postea successive tangunt librum; quare si ordinaretur simul centum Diaconi, proculdubio esset magna distantia physica inter prolationem formae et contactum libri respectu ultimi: sed tamen est sufficiens praesentia moralis quia eadem actio moraliter continuatur absque interruptione morali. Sic etiam postquam imponuntur manus sacerdotibus, usque ad illa verba *Accipe potestatem* etc. eadem actio moralis continuatur, ungendo illos et praeparando, ut magis congrue recipiant gratiam Sancti Spiritus. Postea vero explicatur magis materia et apponitur alia pars eiusdem materiae simul cum forma: quare distantia illa, quaecumque illa sit, non tam est inter materiam et formam, quam inter partem et partem materiae, quas certe non oportet sibi coexsistere physice... Quare cum de creando Sacerdote agitur, tota illa actio, qua illi insignia, vestes, instrumenta et alia sollemniter dantur, censentur esse una et eadem actio, sicut coronatio Pontificis vel Regis longo tempore protrahitur et in plures actiones divisa variisque sollemnitatibus interrupta eadem tamen actio reputatur ». Ita Lugo.

649. S. Alphonsus, loquens de absolutione lib. 6. n. 9. dicit, non tantam debere esse distantiam, quanta est in iudiciis forensibus et allegat Croix dicendum lib. 6. n. 8. validam esse absolutionem, quae confertur post horam: quod quidem Croix sumpserit a Tamburinio *de Sacram.* cap. 1. n. 6.

Atqui neque Croix neque Tamburinius de hora loquuntur, quasi protrahi ulterius non possit; sed Tamburini mere narrat casum, de quo consultus fuerat.

Duplex casus fuit, de quo consultus est Tamburini. 1° A sacerdote

qui audita confessione et imposita poenitentia, ex urgenti necessitate, rem interrupit, ut colloquium haberet cum viro principe et post horam absolvit. 2° A sacerdote, qui cum infirmum ungeret sacro oleo, interrupit formam, quia putavit animam iam exhalasse ; sed cum post horam aperuisset oculos, ipse repetivit formam, non vero unctionem. Tamburini n. 6. se iudicasse, primum recte, alterum male se gessisse ob diversam naturam actionum, quarum aliae patiuntur eiusmodi interruptionem, non item aliae.

Ceterum non video, cur sententia in sacramento hoc non patiatur distantiam ab accusatione tantam, quam liceat in forensibus iudiciis, dummodo, prout fit et in iudicio forensi, ex adiunctis cognoscatur nexus inter accusationem et sententiam.

VIII. 3. In matrimonio unius consensus potest alterius consensum tandiu sequi, quandiu hic moraliter permanere censetur ; sicut in aliis contractibus. Vide Con. hic art. 6.

Clara res est.

IX. Resp. 2. Ut valeat Sacramentum, non debet fieri substantialis seu essentialis mutatio materiae vel formae ; accidentalis vero mutatio, etsi saepe illicita sit, non tamen invalidum facit Sacramentum. Porro substantialis mutatio materiae dicitur, quando secundum communem usum et aestimationem hominum, differt nomine et re ab ea, quam Christus praescripsit. Accidentalis dicitur, quando cum ea eundem retinet usum et nomen. Formae mutatio essentialis est, quando non manet idem sensus : accidentalis quando manet. Laym. l. 5. t. 1. c. 4. ex communi.

650. Differentia nominis (nisi sint synonyma) indicat in communi existimatione alias et alias res esse. Porro Christus materias accepit non secundum penitiores notiones philosophorum sed vulgares communis sensus et existimationis.

Unde resolves.

X. 1. Nullum est Sacramentum, si materia cruda consecretur, sive haec differat specie substantiali a pane sive non : quia communiter non censetur aut dicitur panis. Item si aquae artificiales adhibeantur in Baptismo ; quia non habent communem usum et nomen aquae elementaris : esto physice specie non discrepent. Vide infra de Baptismo.

XI. 2. Valet Sacramentum, etsi aqua Baptismi sit calida etc., si panis Eucharisticus sit ater, fermentatus etc.

XII. 3. Defectu formae Sacramentum est nullum. 1. Si litterae aliquae mutentur, variantes sensum, quod facile fit in initialibus, v. gr. in nomine matris, filii etc. 2. Si magna fiat interruptio verborum, ita ut moraliter non videantur cohaerere. 3. Si forma divisim pronuntietur, v. gr. unus dicat, *Ego te baptizo,* alter, *In nomine Patris* etc. quia erunt duae formae imperfectae et sensus falsus. Fill. l. 1. c. 4. q. 5. V. Bonac. q. 2. p. 1.* Ad hoc adverte Propos. 27. inter proscriptas ab Alex. VIII.*

Nihil addendum nunc: sed haec suis locis melius declarabuntur.

XIII. 4. Forma valet, etsi non liceat; 1. si omittas voces non essentiales, v. gr. *Ego*, et *Amen* in Baptismo: *Enim* in forma Eucharistiae. Bonac. d. 4. q. 3. p. 1. n. 9. et 10. ex Suarez etc. 2. Si quid addas, v. gr. In nomine Patris, *qui te creavit* etc. 3. Si substituas synonyma, v. gr. *abluo* pro baptizo. 4. Si tantum transponas, ut, *Hoc meum est corpus: Te ego baptizo.* 5. Si verba corrumpas ob praecipitantiam et balbutiem, v. gr. *Hoc est corpus meus,* vel *hic est enim calis meus.* 6. Si interruptio fiat parva; v. gr. *Ego te baptizo* (et interponat, *ista aqua est nimis frigida* vel *Custos, verte folium*) *in nomine Patris* etc. Fill. l. c. Vide Bon. l. c.

651. « Quanta autem et qualis debeat esse interruptio aut verborum interpositio ut tollat sensum, est res moralis et pendet ex arbitrio et iudicio prudentum ». Lugo *de Sacr.* disp. 2. n. 41. Vide casus apud Croix dub. 6. part. I. n. 33., ubi aut non interrumpi, aut interrumpi actu aliquo vel interlocutione vox aut phrasis recte dicitur.

Si vox interrumpatur v. gr. *Ego te bapt.* et tunc tussiat vel respiret, vel interloquatur et dein addat *tizo*, alii accidentalem, alii substantialem mutationem dicunt. Tamburini habet accidentalem, si tussi vel respiratione, substantialem, si interlocutione. Ita Croix l. c. At si dicat *Spi* et dicat alteri: *verte folium* et addat *ritus*, assentiemus Tamburinio? Tutius dicunt pro praxi repetere totum illud: at si id factum non sit, stabitur pro validitate?

Invalidum dicunt Sporer et Tambur. si quis dicto, *Hoc est corpus*, tussi concutiatur per medium quadrantem et dein addat *meum;* et merito.

Si baptizans interrumpat: Ego te baptizo (*heus pueri silete et tu aeditue abi et trahe campanas*) in nomine Patris etc. dicunt certe validum.

Si autem dicit: Ego te baptizo *(mulier, tene infantem melius)* et quia interrupit, repetat. *Ego te:* sed metuens ne repetendo peccet, addat continuo *in nomine Patris* etc., volens haec cum prioribus coniungere, dubium dicunt; quia intermedia illa rumpunt sensum et interiecta revocant seu expungunt priora, ut non faciant unum cum ultimis. Croix l. c.

Sed haec melius ubi de singulis sacramentis.

CAPUT II.

DE MINISTRO.

Dub. I.

Quod requiratur, ut minister det valide sacramentum.

XIV. Respond.* Ad valorem Sacramenti in Ministro, non fides, vel probitas, sed praeter potestatem (et iurisdictionem in quibusdam) requiritur intentio seu voluntas saltem virtualis et absoluta, vel huic aequivalens, faciendi non tantum externum illum actum, sed Sacramentum vel saltem id, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Est communis ex Trid. s. 7. can. 11. Ratio prioris partis est, quia Sacramenta operantur non ex dispositione Ministri, sed virtute divina, secundum institutionem et meritum Christi. Ratio posterioris, quia ad confectionem sacramenti requiritur talis intentio, quae actionem determinet ad esse Sacramentale tollatque indifferentiam verborum et actionum: talis autem non est intentio solius actionis externae, quae ad alios fines, v. gr. ad ludum potest referri.* Ad hoc nota Proposit. 28. inter damnatas ab Alexand. VIII.

Dixi 1. *saltem virtualis:* tum quia non sufficit interpretativa vel habitualis (qualis etiam potest esse in ebrio et dormiente); cum actus ab ea procedens non sit humanus et deliberatus, seu liber in se: tum quia actualis, qua scilicet actu intendis et vis hoc facere, etsi melior sit et consulta, non tamen requiritur; cum enim ea non sit in nostra potestate et homo facile distrahatur, nimis durum et plenum scrupulis fuisset, si hanc Christus requisivisset. Virtualis autem dicitur, quae ex actuali praecedente relicta durat in aliqua actione vi illius incoepta et continuata: ut si ex intentione baptizandi vel celebrandi vadas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare vel baptisterium accedas, etsi interim omnia alia cogites. Ratio est, quia hoc sufficit, ut actio illa sit humana et moralis. Laym. l. 5. t. 1. c. 5.

652. Nota. Minister requiritur, cum sacramenta in actione sint sita vel ab actione dependeant. Cf. verba Eugenii mox citanda. Exceptis primo et ultimo sacramento, minister pro valida confectione ceterorum est sacerdos primi vel secundi ordinis. Sed de his in singulis sacramentis.

Quod in ministro *fides* non requiratur aut *probitas*, certa est doctrina et quoad 2. partem definita can. 12. sess. 7. a Concilio Tridentino. Ergo valide baptizat infidelis: valide ordinat Episcopus haereticus: valide absolvit confessarius sceleratus.

Dicit Auctor requiri *iurisdictionem in quibusdam.* Porro si agamus de vero *ministro*, id verum est de solo sacramento Poenitentiae. Nam quod iurisdictio necessaria sit Parocho, ut valide assistat matrimonio, vix huc spectat: quia ipse non est minister, sed testis.

Quod spectat ad intentionem, ratio ab A. allata est argumentum intrinsecum eius necessitatis. Extrinsecum argumentum est Ecclesiae de hac re doctrina, proposita pluries. Ita Eugenius IV. in decreto pro

Armenis: « Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. » Tridentina quoque Synodus sess. 7. n. 2. « Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, a s. ». Item proscriptio propos. 28. ab Alexandro VIII. facta: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus tamen in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia. » Demonstratio accurata huius dogmatis eiusque plena explicatio supponenda est ex Theologia dogmatica: nos ut monuimus, in praxi versamur atque hac declaratione contenti erimus. Requiritur scilicet intentio, quia quis velit agere tanquam minister Christi; sacramentum enim non conficit nisi sub hac ratione: porro haec intentio est explicita, cum minister intendit facere quod Christus instituit, implicite ideoque sufficiens, cum intendit facere quod facit Ecclesia seu quod fit in Ecclesia. Hoc autem non est solum aliqua exterior actio tali modo exercita, sed est ritus sacer. Id ergo implicite saltem intendi debet.

653. Itaque triplex distinguenda est intentio, *actualis*, *virtualis*, *habitualis*, quibus addi potest *interpretativa*. Actualis est, quae dum agitur habetur et advertitur clare: virtualis est, quae habita perseverat influens in opus, quin tamen ipsa advertatur: habitualis, quae olim habita est et non fuit retractata. Interpretativa nec fuit nec est, sed esset, si eius obiectum menti proponeretur; est idcirco solum dispositio voluntatis ad eam habendam intentionem.

Ut ergo plenius indoles intentionis virtualis intelligatur, adverte non accurate eos loqui, qui dicunt virtualem esse praeteritam ac perseverare solum in effectu. Duo nempe sunt propria intentionis actualis, *voluntas* et *attentio* seu reflexa consideratio actionis: porro in virtuali non tam voluntas deest, quam attentio reflexa ad hanc ipsam voluntatem et actionem quatenus ab ipsa procedentem. Idcirco potius quam intentio agendi, dicenda est deesse attentio in intentione virtuali, quae proinde merito a Laymann l. 5. tr. 1. c. 5. n. 4. appellatur intentio formalis non secus ac intentio actualis; quia scilicet ibi intentio est secundum suam essentiam.

Rursus attentio, quae abesse dicitur, potius est reflexa quam directa: potest enim mens hominis ad plura ac disparata simul attendere: ut cum vestes induuntur, ad quod opus attenditur, non impeditur attentio ad orandum (Lugo *de Incarn.* disp. 8. n. 86.). Si autem id fieri potest, illud etiam fieri poterit, ut erga unum obiectum sit attentio reflexa, erga alterum solummodo directa vel tenuissime reflexa: porro si reflexa abest, iam intentio non dicitur actualis.

Ut pateat indoles *virtualis intentionis*, sume exemplum illius, qui vendit v. gr. caseos, poma, scopas. Certum est enim, ad validitatem contractus requiri internam intentionem seu voluntatem transferendi rei dominium in alterum, nec sufficeret habitualis seu interpretativa intentio aut voluntas; et tamen vides, inter quas distractiones res venduntur; nam confabulantur, litigant, aspiciunt spectacula, ludunt chartis vel taxillis etc. Hinc scrupulosi potius sunt, qui vel initio Missae vel ad consecrationem vel ante baptisma consistunt seseque recolligunt et dicunt: *facio intentionem*. Quis unquam ita agit, dum vendit pullum? Satis est nosse etiam solum *directe* id quod agis et quid velis facere: patet, quia facis nulla contraria voluntate actum corrumpente, v. gr. non negato consensu contractui, ut fit dum donas latroni pecuniam.

654. Non requiri, ut in conficiendis sacramentis, intentio actualis comitetur earum confectionem, A. satis demonstravit idque confirmatur, quia voluntas seu intentio virtualis est vere et formalis voluntas et intentio ideoque ipsa sufficit.

* Probavit quoque A. non satis esse intentionem habitualem, quod declarare licet doctrina, quam tradit Lugo disp. 8. n. 90.: « De intentione habituali, ait, an sufficiat in Sacramentorum administratione, negant omnes. Ratio esse videtur, quia illa non sufficit, ut actio dicatur fieri ex tali fine (ex eo nempe, qui intendendus est et proinde ut actio respectu eius finis sit actus humanus). Cum ergo minister debeat operari ut minister Christi seu nomine Christi, necessaria est talis intentio, quae possit denominare actionem factam esse a ministro, nomine Christi. Ad hoc autem oportet, quod intentio influat in opus; alioquin sicut non potest denominare illam actionem bonam vel malam, ita nec poterit ipsa denominari facta nomine huius vel illius ». Iam vero intentio habitualis non influit in opus; haec est enim indoles intentionis quae dicitur *habitualis*, quae nempe olim fuit et non est retractata, sed in ceteros subsequentes actus nihil influit. Tum idem solvit difficultatem ex eo petitam, quod non raro, puta pro applicando fructu sacrificii, sufficit voluntas seu intentio habitualis. Ratio discriminis est, quod applicatio alicui fructus sacrificii est quaedam donatio: porro donatio potest primum fieri conditionate, quae deinceps, exsistente conditione (quae heic foret oblatio sacrificii), transit eo ipso in absolutam nec ad valorem donationis requiritur, quod actus eius ponatur tum cum reapse ipsa completur; vi enim prioris illius actus iam donatarius iure sibi sumit rem donatam, etsi nulla sit nunc intentio donantis. At confectio sacramenti est actio ministerialis, quae, dum ponitur materia et forma, debet pendere ab intentione, saltem implicita, operandi nomine Christi

atque adeo ab intentione in actum influente. Nisi sane haec intentio ministri influat, cur illa actio censebitur actio Christi?

Ad cavendas autem aequivocationes, distinguenda est voluntas, quae heic dicitur habitualis, ab habitu, secundum quem homines non raro operantur; per se enim haec voluntas habitualis opus haud est, ut ullum habitum relinquat.

Sed neque operatio ex habitu est actio humana h. e. libera, nisi intercedat voluntas, quae applicat ad opus ideoque voluntas saltem virtualis: licet deinceps, propter habitum, opus recte fieri possit, absque reflexa attentione, ut e. gr. contingit in consueta recitatione Breviarii. Si desit haec voluntas applicans, etsi ex habitu Breviarium recitetur, quod et dormiens facere potest, talis actio non est humana idque habet sensus communis. Et sane actio ex solo habitu est actio elicita a potentiis inferioribus absque rationali impulsu voluntatis.

Ita somnambuli ex habitu operantur, sed non libere h. e. humano modo. Quod vero habitus sit libere acquisitus, nondum facit actionem, vi eius positam, esse actionem humanam; nam eodem pacto actio ponitur, ac si esset habitus naturalis. *

655. Ex dictis sequitur s. Alphonsum n. 9. bene improbabilem dixisse eorum sententiam, qui exigunt attentionem praeter intentionem ad valorem sacramenti. Attamen Croix, cui idem s. Doctor hanc sententiam tribuit, non id reapse dicit. Verba Croix l. 6. P. 1. n. 84. sunt: « Ad valorem sacramenti requiritur attentio ministri, sive advertentia et applicatio aliqua animi ad hoc quod facit; alioquin non esset actio humana ». Id porro omnes dicimus: non dicit autem Croix, iugem esse debere attentionem reflexam, imo ibi eos impugnat, qui hanc exigunt.

Quaestio est, an valeat administratio sacramenti, si sit coacta. S. Alph. n. 19. responsio est affirmativa; quia adest vera voluntas. Excipitur, ex speciali ratione, matrimonium.

656. * Quaeritur an sola intentio ministri efficere possit, ut mutatio sit substantialis in forma. Negant quidam (cf. Suarez *de Sacram.* disp. 2. sect. 5. n. 5.), aientes unicam hanc esse prae oculis habendam regulam: utrum sensus verborum formae, cum extrinsecus profertur, maneat necne: si manet, nihil refert quidquid minister verba proferens intendat; quemadmodum nihil refert sive credat sive non credat quae dicit. Contra est responsio Zaccariae Papae c. *Retulerunt, de Consecr.* d. 4. definientis, rebaptizandum non esse eum, qui a sacerdote nesciente latine baptizatus fuerat hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta*, si sacerdos, non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis, infringendo lin-

guam, ita dixerit. Ex quibus colligimus, quod, si hoc pacto loquens errorem aut haeresim introducere intenderit baptizans, fuisset iterandum baptisma, h. e. prius fuisset nullum. Scilicet eadem extrinsecus manente forma, ex intentione pendere potest, utrum mutatio maneat accidentalis, an sit substantialis.

Doctrina Suarez l. c. nn. 9. seq. haec est. 1° Quando per mutationem nullo modo variatur sensus formae, non potest mutatio esse substantialis propter solam intentionem ministri volentis novum ritum vel errorem introducere, dummodo intentio sit faciendi quod Christus instituit seu quod facit Ecclesia. Quia nullo modo variato sensu formae, manet vera significatio obiectiva signi: manet ergo integra materia et forma cum intentione ministri; atqui his tribus perficitur sacramentum: ergo.

657. 2° Quando per mutationem aliquam redditur ambigua significatio formae, ut si quis dicat: *hic est corpus meum* qua in locutione τό *hic* potest esse pronomen, ex errore quidem, masculinum pro neutro et potest esse adverbium locale, quo quis utatur ad excludendam transsubstantiationem, tum si minister intendat non verum sensum sed falsum per talem formam significare, mutatio est substantialis, sufficiens ad irritandum sacramentum, non solum ex defectu intentionis, sed etiam ex defectu verae formae. Atque ita idem Suarez accipit doctrinam Pontificis Zachariae. Forma illa sane propter voces *patria, filia* etc. ambigua per se erat; quid enim, si baptizans voluisset significare, Deum non filium sed filiam habere? « Ratio huius assertionis, ait Suarez, clara est, quia in hoc casu formaliter et proprie aliud est signum, quod minister exhibere intendit, quam quod Christus instituit. Nam quod materialis sonus sit idem vel diversus, non refert, sed significatio est attendenda; in hoc enim est humana locutio, ut significemus aliquid in mente exsistens, sine qua intentione non est locutio humana: porro in proferenda forma minister loquitur. Iam vero heic, licet verba quoad materialem sonum sint parum diversa, tamen significatio, quae intenditur, est longe alia et per intentionem proferentis determinantur verba ad talem significationem. Fit ergo tunc substantialis mutatio ». Idem subdit: si quis addat in forma baptismi: *et beatae Virginis,* intendens significare et profiteri quaternitatem personarum earumque aequalitatem, tunc revera est mutatio substantialis; etsi addantur, completa iam forma per se requisita; iis enim absolvitur forma ex intentione loquentis. Sensus enim propositionis tum proprie extrinsecus apparet, cum ipsa est absoluta. Aliud est sane dicere ex. gr.: *Ego furtum non feci*, aliud: *Ego furtum non feci nisi invitus.* Cf. Lugo *de Euch.* disp. 11. n. 125. seqq.

Si autem per eam dictionem intendit solum Virginem invocare, mutatio est solum accidentalis: s. Thom. q. 60. a. 8.

Necesse est scilicet, ut ait Lugo *de Sacram. in gen.* disp. 2. n. 118., ad valorem formae, ut ipsa significet id, quod Christus voluit, non solum ex parte verborum, h. e. quod sint apta ad id significandum, sed etiam ex parte proferentis, qui hoc ipsum intendit significare; sine hoc enim non est humana locutio; nam et psittacus profert verba, quae de se aliquid significant et tamen non loquitur, quia non intendit illud significare. Haec autem intentio adest, cum verba, ex communi significatione, eum tantum sensum habent, quem Christus exigit et adest intentio faciendi quod Christus instituit. Cf. Franzelin *de Sacram. in gen.* th. 5. in fine. *

Unde resolves.

XV. 1. Si Sacerdos habens forte ante se panem, recitat factum et verba Christi, non ideo consecrat.

658. Ratio est, quia intentio deest conficiendi Sacramenti.

XVI. 2. Impotens rationis, ebrius vel somnians, non conficit Sacramentum, etiamsi ante ebrietatem vel somnum id intenderit; quia non agit humano modo. Laym. l. c.

659. * Duplex casus fieri potest. Primo quod quis olim voluntatem habuerit conficiendi ex. gr. sacramentum Eucharistiae et postea inebriatus verba proferat consecrationis super panem: tunc nihil eum efficere, constat ex iam dictis; quippe qui vi solius voluntatis habitualis nihil faceret etiam sui plene compos. Secundo quod quis sciat se, cum inebriatus est, solere verba consecrationis super panem proferre et se libere inebriet, intendens in hac causa illum effectum. An haec voluntas est sufficiens ad conficiendum sacramentum? Respondet A. negative; quia cum verba pronunciat, non agit humano modo. Idcirco, ut ait Suarez disp. 13. sect. 3. n. 2., illa intentio fuit quidem voluntas indirecta proferendi verba, non vere conficiendi sacramentum: quia non intendit actionem humanam, quae ad sacramenti confectionem requiritur. Praeterea illa intentio praecedens non est principium huius actionis; perturbata enim ratione per ebrietatem, desinit efficacia moralis praecedentium deliberationum in actus, qui absque conscientia fiunt: at actio sacramentalis debet procedere ab intentione tanquam a causa.

Poterit quidem ei imputari ad culpam, si id praevidens se facturum, nihilominus inebriari voluit, non vero eo quod sacramentum vere confecerit in ebrietate, sed quia voluit profanationem sacramenti, proferendo formam super materiam absque effectu. *

XVII. 3. S. Athanasius in lusu puerili vere baptizavit; quia intendit facere, quod viderat in templo fieri ab Episcopo.

660. * Addendum, quod historia haec Athanasii, sicut et Genesii mimi, non satis idonea nititur auctoritate.

Constat, his historiis usos esse, qui defendebant sufficientiam *attentionis externae*. Hanc vero esse dicebant, cum minister serio vult et facit ritum externum illum qui solet fieri in Ecclesia. Patet, quod cum hac seria actione potest simul consistere animi intentio, non faciendi quod Christus instituit seu quod facit Ecclesia; quia totus ille ritus externus etiam serio factus, potest esse actio profana, potest esse sacra, potest ad hunc vel illum finem fieri. Nondum ergo actio est determinata, ut sit actio sacra seu sacramentum. *

XVIII. 4. Haereticus valide baptizat et contrahit matrimonium, etsi non credat hoc esse Sacramentum, rideat et contemnat: imo etsi nolit facere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, falso putans non Romanam, sed suam esse veram; etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio est, quia intentio generalis, qua vult, quod Christus instituit, praevalet intentioni provenienti ex errore privato. Bon. q. 3. p. 1. n. 9. Suar. Fill. etc.

661. Si tamen, ut s. Alphonsus advertit n. 21., nollet facere, quod facit Romana Ecclesia, quam veram Christi putaret, non faceret sacramentum; quia non intendit facere quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit. Esset nempe casus de quo Prop. 28. Alexandri VIII.

Non requiritur tamen explicita intentio conficiendi sacramentum et multo minus producendi effectum, aut impartiendi gratiam, sed sufficit intentio peragendi ritum, qui ab Ecclesia pro sacro habetur.

S. Thom. apud s. Alph. n. 22.: « Quamvis ille, qui non credit baptismum esse sacramentum aut habere aliquam specialem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quod facit Ecclesia, etsi reputet illud esse nihil. Et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite aliquid facere intendit, quamvis non explicite » in 4. Dist. 6. q. 1. a. 3. ql. 2. ad 1.

Hoc necessario admittendum est; ut stet illud, quod definitum est, valere baptismum collatum cum debita materia ac forma a Pagano vel Iudaeo. Sufficit intentio generalis faciendi, quod Iudaeus vel Paganus ille audierit fieri ab Ecclesia Christi, ritum scilicet qui ex christianorum persuasione sacer est, etsi non ex sua.

Ex doctrina huius resolutionis solvitur quaestio de validitate sacramenti eorum, qui celebrantes matrimonium, putant posse illud solvi ratione adulterii; hic enim error non impedit, quominus velint ritum institutum a Christo servare, seu facere id, quod in Ecclesia fit per eam actionem.

XIX. 5. Non debet repetere sub conditione consecrationem, qui in ipsa fuit distractus: vel qui minores hostias ad altare detulit, de quibus, maiorem consecrans, non explicite cogitavit nec detexit.

662. Attendantur regulae ex doctrina communi. Croix lib. 6. p. 2. n. 58. « Qui de more ponit actiones requisitas ad sacramentum, prudenter non potest dubitare de intentione requisita, nisi hanc positive excludat; ratio, quia vult facere quod alios facere et solent alii similes. Item *exercite* cognoscit actiones eas esse sacras et non poni frustra, sed ad certos fines; ergo eos *exercite* intendit ut tales. Hinc alii concludunt: Ministrum, nisi studiose omiserit intentionem faciendi sacramentum vel habuerit intentionem oppositam, inepte dubitare, an habuerit sufficientem intentionem. Addunt alii: hoc solum requiri, ut homo sit praesens animo et attente faciat, quod facit: ita enim est attentio in actu *exercito*. Reliquae enim reflexiones scrupulos gignunt ac potius rationem impediunt hominemque perturbant ».

XX. Dixi 2. *Absoluta;* quia conditionata suspendit effectum, quod, praeterquam in matrimonio, fieri non potest.

663. Ait A. formam debere esse absolutam aut absolutae aequivalentem, quae nempe, iam verificata conditione, transit in absolutam, cum dicitur, ut: si non es baptizatus, te baptizo. Imo ut bene dicit Bonacina *de Contract.* disp. 3. q. 1. punct. 4. n. 10. in fin., *conditio proprie dicitur, qua suspenditur dispositio ex appositione eventus futuri incerti* adeo ut disponens seu agens non velit habere locum dispositionem suam, nisi cum conditio evenerit: v. gr. tribuo dotem Margaritae, si induat habitum Cappuccinarum; non enim transfertur dominium nisi conditione purificata.

Quando autem dispositio fit sub conditione de praesenti vel de praeterito, valida est dispositio ipso facto; quia consensus est de praesenti, atque adeo non suspendit actum: sed effectum suum statim habet. Ita si dicas: dono tibi hoc horologium, si v. gr. promissio tua fuit sincera: profecto ex tunc alter habet ius ad horologium, si sincere promiseras, certo non habet, si non promisisti sincere. Bonac. l. c.

Si autem conditio sit de re futura incerta, suspenditur non tantum effectus sed ipsa exsistentia vel applicatio sacramenti, quae ex intentione ministri fit dependens ab eventu futuro. Convenit inter DD., sacramentum sub tali conditione collatum esse nullum, si matrimonium excipias, quod naturam sequitur contractuum.

Ratio est, ait Suarez *de Sacram. in gen.* d. 13. sect. 3. nn. 7. 8. quia sola intentio absoluta est efficax; nam sicut propositio conditionalis nihil ponit in esse, ita conditionalis voluntas, quandiu talis est, suspensa manet et nihil operatur: ergo absolute heic et nunc

nihil efficit; ergo nunc non fit sacramentum. Et si dicatur, quod postea impleta conditione, incipiet esse sacramentum: respondetur, id fieri non posse; quia illud, quod futurum erat materia et forma sacramenti, iam praeteriit et non est et eo tempore, quo fuit, non fuit sacramentum: ergo nec nunc potest incipere esse sacramentum; quia nunc nullum est signum sensibile, quod possit esse sacramentum.

Bonacina *de Sacram.* d. 1. q. 3. p. 2. §. 3. n. 18. sic idem probat: « Sacramentum aut validum est statim, aut validum est tempore adimpletae conditionis. Atqui neutro modo est validum. Non tempore impletae conditionis, quia tunc nec materia exsistit nec forma, quae sunt partes essentiales requisitae ad validitatem sacramenti. Non statim, quia sacramentum non est validum sine intentione ministri: atqui minister non intendit sacramentum statim conficere; quia voluntas conditionata, quandiu talis est, manet suspensa et nihil operatur, sed solum intendit conficere, impleta conditione de futuro ». Ergo. Excipitur matrimonium, de quo A. in Resol. 4.

Scilicet sacramenta sunt quidam ritus in actione transeunte siti vel a tali ritu dependent, qui ritus eatenus causant, quatenus actu sunt (licet effectus possit non statim sequi). Matrimonium est contractus pendens a consensu, qui efficax est tum cum absolute ponitur, tum cum sub conditione primum positus, deinde, ea exsistente, transit in absolutum. Haec est enim indoles consensus. Non valet ergo argumentatio a matrimonio ad alia sacramenta.

Unde resolves.

XXI. 1. Validum est Sacramentum collatum sub conditione praeterita aut praesenti necessaria vel contingente, si conditio vere sit impleta v. gr. absolvo te, si vis dimittere concubinam, si capax es; baptizo te, si non es baptizatus. Bon. l. c. n. 13.

Clara res est et plura sunt exempla, quae afferri possunt.

XXII. 2. Nullum est Sacramentum datum sub conditione futura, sive sit haec contingens, ut absolvo te, si restitues, si dimittes concubinam etc. sive necessaria at adiecta animo suspendendi Sacramentum, ut absolvo te, si cras sol orietur. Bonac. ibid. Suar. Con. etc.

664. Ratio iam allata est. Porro A. addit: *adiecta animo suspendendi sacramentum.* Quia; ut habet Bonacina *de Sacr.* disp. 3. q. 1. p. 4. n. 10., dispositio facta sub conditione, quae certo et necessario futura est, per se non suspenditur usque ad conditionis eventum; quia huiusmodi conditio censetur quodammodo praesens et habetur pro adimpleta, cum dependeat a causis certis et determinatis ad illum effectum. Hoc tamen intelligitur, modo qui agit ac disponit non

intendat reipsa suspendere effectum seu disponere nisi dependenter ab ipso *reali* eventu conditionis.

Alius posset rem alio modo concipere, nempe appositionem conditionis nihil esse aliud (nisi agatur de matrimonio, in quo *consensus* est materia essentialis sacramenti) quam protestationem, se ob solam necessitatem conferre sacramentum, seu ponere ritum sacrum, qui forte non esset tunc faciendus, non secus ac v. gr. scribis litteras Petro, incertus tamen, an eas sit recepturus.

Et in casu sacramentum non fiet non quidem ob defectum intentionis, sed ob incapacitatem subiecti. Ergo si v. gr. diceres: Ego te baptizo vel absolvo, si recitasti rosarium, vel si es ieiunus, disputari posset, num reipsa absit effectus, si desit conditio.

XXIII. 3. Dubium est Sacramentum collatum sub conditione occulta, humano modo incognoscibili: v. gr. te baptizo, si es praedestinatus, si Deus videt, te hoc anno moriturum.

665. * Si conditio sit de praesenti, intentio administrantis sacramentum evadit absoluta, sed si eventus conditionis ignoretur, ignorabitur quoque, an sacramentum exstiterit necne.

Ita si conditio apponatur: si es praedestinatus et huiusmodi, cum haec sint praeter humanam cognitionem, inepte his consensus alligatur, mansurus semper in suspenso et si serio id fiat, consequens unum erit, incertum seu dubium semper manere sacramentum hoc pacto collatum. Cfr. Suarez l. c. Idcirco non licet hoc modo sacramenta administrare cum actus inutilis ponatur et resol. seq. A. dicit esse mortale.

Ceterum id valet, cum conditio incognoscibilis est exstrinseca et impertinens sacramenta: nam si quis dicat: absolvo te, si verum dolorem animo geris, non ponit actum inutilem: prodest enim statim absolutio, si res ita se habet: idem scilicet contingit ac contigeret, si absolute dedisset absolutionem. *

XXIV. 4. Graviter peccat, qui administrat Sacramentum (excepto Matrimonio) sub conditione, non solum futura (quod semper est mortale), sed etiam praesenti aut praeterita, sive in se sit prorsus occulta, quod etiam est mortale, sive humano modo cognoscibilis, quod tamen nullum est, si fiat ex causa rationabili: raro veniale, saepius mortale, si absque ulla causa. Ratio est, quia aut nullum facit Sacramentum, aut dubium, aut validum quidem, sed non sine nugatione in re gravi. Vide Bon. l. c. Suar. Con. etc. Schol.

666. * Auctor loquitur de licita administratione sacramenti sub conditione. Quoniam, si sacramenta administrentur sub conditione de futuro, nihil fit (excepto matrimonio cf. n. 663.); grave peccatum est ita administrare, quia frustranea redditur ipsa administratio. Ratio

exceptionis pro matrimonio est; quia (ut diximus) ipsum sequitur naturam contractus, qui valide fit sub conditione, transiturus, eo ipso, quod impleatur conditio, in absolutum. Si autem valide matrimonium hoc pacto contrahi potest, identidem saltem licebit quoque ita contrahere, iusta exsistente causa; qua de re tamen suo loco.

Item cum dubium maneat sacramentum collatum sub conditione aliqua occulta (ut dictum est resol. praeced.), graviter peccat qui hoc pacto administrat; quia in re gravissima nugatur et suscipienti perinde est ac si nihil suscepisset.

Si autem conditio de praesenti vel praeterito sit cognoscibilis, aut, etsi ea non sit cognoscibilis, sacramentum tamen sub ea collatum non maneat dubium (ut si non es baptizatus, ego te baptizo): tunc nulla existente causa collationis conditionatae, illicita est graviter talis collatio propter irreverentiam sacramento et Christo principali ministro: si vero causa adsit, licita erit.

667. Quaestio scilicet esse potest tum de simplici collatione sacramenti conditionata, ut cum extrema unctio confertur, sub conditione si adhuc homo vivat: vel de conditionata iteratione sacramenti, ut cum sub conditione rursus baptizatur ille, de quo dubitatur, an fuerit iam baptizatus vel rite baptizatus.

Porro quod de licita iteratione conditionata dicitur, valet et de licita simplici collatione conditionata. Huc autem revocari possunt regulae pro licita iteratione sacramenti sub conditione. 1° Si dubium de valore sacramenti nulli nitatur rationabili fundamento, illicita est iteratio, propter irreverentiam et per se sub gravi. At frequenter scrupuli, quibus minister angitur, quique, etsi non persuadeant, repraesentant tamen vivide honestatem iterationis, excusabunt saltem a gravi peccato, si praesertim desit anxio ministro tempus idoneum ad deliberandum. Qui tamen huiusmodi consuetudinem contraxerit, curare debet, ut eam exuat.

2° Si rationalis causa adsit, licet iterare sub conditione sacramentum et generatim causa rationalis est, quando sacramentum est necessarium et dubitatur vel utrum subiectum fuerit capax, vel utrum iam alia vice acceperit, vel utrum materia fuerit apta: dubium est scilicet circa valorem sacramenti. Quo sacramentum est magis necessarium, eo et dubitatio minori innixa fundamento sufficit, ut ex. gr. pro baptismo sufficiat, dubium non esse aperte vanum. Gobat tr. 2. n. 381. Cf. dicenda *de Baptismo*.

3° Si licita sit iteratio et praeterea obligatio adsit succurrendi proximo, ut in non baptizato realiter, vel etiam damna alia impediendi, ut in ordinato invalide; licita iteratio evadit debita.

4° Identidem potest esse dubium tam parum probabile, ut, quoad ipsa sacramenta necessaria, affirmanda sit quidem facultas iterandi sub conditione, at neganda obligatio: Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 33. n. 3. Si enim nulla sit intrinseca ratio nullaque auctoritas vel absolute vel comparative idonea, qua valor sacramenti in dubium vocetur, nequit imponi obligatio iterandi: at nihilominus, si ratio quaedam sit apparens, si quorundam DD. auctoritas animum sollicitet, ut nequeat in tuto homo consistere, licebit ei vel iterare vel petere iterationem sacramenti. Idcirco, cum ratio aliqua vel tenuissima et per se quidem spernenda, talis tamen sit, quae valeat tenebras aliquas menti minus firmae obfundere et animum commovere, ut si quis dubio angeretur de valore ordinationis; quia non tetigit instrumenta simul ac verba ab Episcopo proferebantur; posset quidem Episcopus, propter tranquillitatem ordinati, iterare sub conditione ordinem, sed non teneretur. *

668. Casus haud infrequens est, ut minister sacramenti Poenitentiae absolvens poenitentem, de cuius idonea dispositione non est cur rationabiliter dubitet, addat conditionem: *si es dispositus*, ad sedandos scilicet scrupulos suos. Qui casus diversus est ab eo, quo confessarius, nihil sollicitus de cognoscenda dispositione poenitentis eiusque idoneitate ad absolutionem recipiendam, putaret se muneri suo satis facere, si sub ea conditione absolvat. Nam conditio apponi nequit, nisi cum rationabile dubium exsistit de valore sacramenti, utrum scilicet desit necne aliquod requisitum ad valorem sacramenti: ut autem de hac re dubium sit rationabile, diligens pro rei natura examen praecedere debet. Porro in eo priore casu peccari dicitur venialiter propter imperfectionem actus. Nihilominus ordinarie haec conditionis appositio vix aliud est, quam interna protestatio qua quis statuit, se nolle contra fas administrare sacramentum, seu facere ritum, si non esset faciendus. Facit tamen, quia necessarium id est: quod si frustratur effectu, haec frustratio ideo caret culpa, quia agens ritum vidit, ponendum esse ritum, licet forte frustrari debeat sua efficacia: haud secus ac si mater filio mittat vestem, si forte adhuc in loco quopiam moretur.

Ex quibus patet responsio ad quaestionem, quam Gury facit V. 2. §. 206. q. 7. an conditio verbis exprimi debeat.

Cui negative respondet cum s. Alphonso; quia ad reverentiam sacramenti satis est, si mente concipiatur. Excipe tamen, si ratio scandali vitandi id exigeret, ut cum publice sacramentum administratur et abstantes ex. gr. ignorant dari sub conditione sacramentum, quod nequit iterari.

Nota. A. nihil dicit de charactere, propter quem quorundam sacramentorum iteratio invalida est et illicita; quia haec spectant ad dogmaticam. Nostrum fuit dicere, quandonam liceat haec sacramenta rursus sub conditione administrare, quemadmodum fecimus.

Dub. II.

De licita administratione Sacramenti.

XXV. Resp. Praeter ea, quae ad valorem requiruntur, requiritur probitas, sive ut sit in gratia; tum quia Christo, cuius est Minister, debet se conformare, tum quia sancta sancte sunt tractanda, tum quia ad hoc quidem singulariter ordinatur et gratia peculiari donatur ac proinde hoc curare prae aliis est obligatus. Ita Laym. l. c. et commun.

669. In responsione deest, quod insuper debeat servare leges praescriptas ad rite administrandum, licet hae non versentur circa valorem sacramenti: sed haec subintelliguntur. Advertenda tertia ratio. « *Tum quia ad hoc quidem singulariter ordinatur etc.* » Bene Diana (Coord. tom. 1. tract. 1 res. 10. n. 10.) prius refutat eos, qui leviter peccari semper contendant. Tum subdit: « Haec obligatio (administrandi sacramenti in gratia) oritur multumque augetur ex eo, quod minister ad tale munus sit singulariter per *Sacramentum* aliquod consecratus. Quia hoc ipso, quod aliquis se per sacramenti susceptionem dedicat ab aliquod certum munus, suscipit particularem obligationem illud decenter obeundi: praesertim si ad hoc singularem gratiam, quasi quoddam congiarium aut honorarium munus recipiat, quae simul ad legitimam functionem excitet eamque facilitet. Sicut et in instanti periculo omnes quidem subditi tenentur Principis sui statum defendere; maxime tamen tenentur ad hoc eius feudatarii ac publici magistratus: quare negligentia, quae in aliis mediocris, in his valde gravis est ».

Unde resolves.

XXVI. 1. Peccat graviter, qui conficit sacramenta, non habens sufficientem iurisdictionem, vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui censura est prohibitus.

670. Resolutio haec prima est consectarium primae particulae responsionis, in qua dicitur, obligationem adesse gravem servandi ea, quae pertinent ad valorem. Quod dicitur de rationabiliter dubitante de sua potestate, habet exceptiones suas, quae suis locis tangentur, *de Poenitentia*, cum quaestio erit, an liceat absolvere cum probabili iurisdictione. Quod verò additur de censura, ideo illicita evadit ministratio, quia faceret contra gravem legem ecclesiae.

XXVII. 2. Non licet Sacerdoti administrare Sacramenta cum attritione cognita: quia adhuc est extra statum gratiae. Bonacin. quaest. 3. punct. 1. §. 1.

671. Dicitur *cum attritione cognita;* quia si quis putet se contritum et hoc persuasione sincera, non peccabit; quia non transgreditur legem, quae removet carentes gratia.

XXVIII. 3. Non tamen necessario praemittit confessionem (nisi velit celebrare), etsi sit consultius; quia de hoc nullum est praeceptum et ad delendum mortale sufficit contritio. Vasq. d. 136. c. 5. Card. de Lugo d. 8. s. 9.

672. Merbes, Genettus et Concina volunt semper obligationem confitendi (apud Ligor. n. 34.). Communis omnium est opposita: quo hi rigidi nosse poterant, se decipi.

Notetur, quod Suarez heic habet *de Sacram.* disp. 16. sect. 3. Ad quaesitum, an sit praeceptum praemittendi confessionem. « Respondetur (inquit), esse optimum hoc consilium, non tamen esse simpliciter necessarium praeceptum, *si sola ratio ministrandi sacramentum interveniat.* Hoc enim praeceptum non est divinum positivum; quia neque ex Scriptura habetur neque ex traditione: non est etiam Ecclesiasticum; quia nullum est de hac re scriptum decretum neque etiam ex consuetudine colligi potest: neque etiam est naturale, ita ut ex sola institutione sacramentorum et ministrorum possit sufficienti ratione colligi. Nam moralis diligentia, quam tenetur minister praemittere, ut se ad gratiam praeparet, sufficienter fit per contritionem et quamvis maior illa sit, quae fit per confessionem simul cum contritione, tamen non est cur obligemus illum ad summam diligentiam; cum illa prior sufficiat ad excludendum morale periculum, si homo bona fide procedat et quod in se est faciat. Et confirmatur; quia non est minor obligatio in recipiente sacramenta vivorum accedendi in gratia et tamen ex hac obligatione naturali non tenetur confessionem praemittere, sed haec obligatio est singularis in Eucharistia, propter proprium et speciale praeceptum in illo sacramento impositum... Et propter hanc causam addidi illam limitationem. « *Si sola ratio ministrandi sacramentum interveniat* »; quia sacerdos ad conficiendam Eucharistiam tenetur confessionem praemittere, non tam propter activum ministerium (ut sic dicam), quam quia communicaturus est. Unde si solum exerceat ministerium dispensandi Eucharistiam ex praeconsecratis, non erit necessarium praemittere confessionem, sed contritio sufficiet. Atque hanc sententiam docent omnes auctores statim referendi etc. ».

XXIX. 4. Minister Sacramenti ad id ordinatus, si conficiat et ministret sollemniter in mortali v. gr. si baptizet, vel celebret, peccat mortaliter toties quoties (quod etiam verum esse volunt Sayr. Ledes. et Bon. Gran. cont. 5. t. 5. de Diacono ex speciali commissione baptizante), nisi forte periculum sit in mora nec possit tam cito confiteri aut conteri; eo enim casu baptizare, vel etiam absolvere moribundum in statu peccati, non esse irreverentiam docet. C. de Lugo d. 8. sect. 9. n. 151.

Dixi 1. *ad id ordinatus;* etsi enim Laicus in necessitate baptizet cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter docent Con. l. c. Fill. t. 1. c. 5. q. 10. ex Suarez etc. 2. *Sollemniter;* nam si sine sollemnitate baptizet, excusant a mortali Suarez Con. Fill. l. c.

673. Haec quaestio non respicit nisi sacramentum baptismi et matrimonii et quoad Sacerdotem respicit solum baptismum; quia in solo baptismo fit, ut illud vel sollemniter et ut minister ad id deputatus, vel privatim, non secus ac laicus, sacerdos possit illum administrare.

Quoad laicos autem est alicuius momenti relate ad *obstetrices* et cum non possit certo affirmari, peccare letaliter eum, qui non est minister ad hoc deputatus, imprudentissime et inique ageret confessarius, qui scrupulum gravis peccati iniiceret obstetrici et sic gratis occasionem ipsi daret gravis peccati aut omittendi baptismi.

S. Alph. lib. 6. n. 32. concedit, probabilem esse sententiam A. de ministro non ad id ordinato aut non ministrante sollemniter; contendit tamen, SPECTATA RATIONE, probabiliorem esse sententiam, quae docet hos peccare mortaliter et ita etiam Lugo (*de Sacr.* disp. 8. n. 150.) cum Vasquez aliisque. Probabilem concedit et Gury vol. 2. §. 208. q. 2. sententiam Auctoris.

674. Ego vero aegre crediderim, adesse ipsam intrinsecam rationem tam evidentem, quam tamen nullo modo ita viderit s. Thomas, ut absolute oppositum doceat. Et sane 3. q. 64. art. 6., cum sibi obiecisset, si homo malus ministrando peccet, hunc cogi desperare; quia non posset vitare peccatum, siquidem peccaret ministrando et in necessitate peccaret non ministrando; respondit ad 3.: « Ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si *ex officio* ei incumbat sacramenta dispensare; quia potest poenitere de peccato et licite ministrare. Non est autem inconveniens quod sit perplexus, *supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato.* In articulo tamen necessitatis non peccaret, baptizando in casu, in quo posset etiam laicus baptizare; sic enim patet, quod NON EXHIBERET SE MINISTRUM ECCLESIAE, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis, sicut baptismus ». Ubi supponit s. Doctor, velle ipsum in peccato manere, ideoque ratio excusationis non est festinatio, quae adimit ei tempus poenitendi.

E quibus patet, s. Thomam rationem gravis culpae repetere ex conditione ministri, qui operatur tanquam ad id ordinatus, uti superius a Diana audivimus (sup. n. 669.).

Rursus s. Thom. 4. dist. 5. q. 2. art. 2. q.ª 4.: « Quicumque in mortali peccato exsistens exhibet se ministrum Ecclesiae in quocumque spirituali, peccat secundum quorundam opinionem satis probabilem...;

et ideo sacerdos *baptizans cum* SOLLEMNITATE, *ministrum Ecclesiae se exhibens* (ecce quomodo exhibet se ministrum, cum baptizat sollemniter), peccat mortaliter; si autem *simpliciter* baptizet in articulo necessitatis, non quasi MINISTER ECCLESIAE, sed sicut vetula baptizare posset, non peccat ».

Et hoc repetit 4. disp. 24. q. 1. art. 3. q.ª 5.ª ad 4.: « Dicendum, quod quandocumque exhibet se in aliquo actu *ut ministrum Ecclesiae*, mortaliter peccat... Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum exsequeretur, in eo casu, in quo etiam laicis liceret ».

Ubi nota, quod quidam, atque adeo s. Alph. gravitatis culpae rationem a s. Thoma accersunt, sc. quod sancta sancte tractanda sint etc.

Atqui advertendum fuerat, s. Thom. addere, hanc legem spectare ad eos, qui *ex officio* ministrant. Ideo in Corp. quaestiunculae mox citatae sic disserit: « Dicendum, quod lex praecipit, ut homo iuste ea, quae sunt iusta exsequatur *et ideo* (nota conclusionem) quicumque homo QUOD SIBI COMPETIT EX ORDINE facit indigne, quod iustum est, iniuste exsequitur et contra praeceptum legis facit ac per hoc peccat mortaliter ».

675. Porro hanc rationem ita explicat et Suarez in s. Thom. tom. 3. disp. 16. sect. 4.: « Nihilominus dicendum, eum, qui ob necessitatem privatim ministrat sacramentum, *non ut ministret ex officio*, sed eo modo quo laicus potest illud ministrare, non teneri se praeparare ad gratiam, ut illud ministret et consequenter nec peccare mortaliter illud ministrando in peccato mortali, sive statum suum advertat sive non... Fundamentum huius sententiae est, quia haec obligatio sub peccato mortali disponendi se ad gratiam propter sacramentum conficiendum non oritur ex sola sanctitate sacramenti per se considerata, neque quod Christus in eo opere est principalis operans: sed praeter haec, quae multum ad obligationem conferunt, oportet adiungere, quod is, qui dat sacramentum, in ipso modo ministrandi se gerat ut *persona specialiter ex officio deputata et consecrata ad illud munus*, atque adeo quod in eo opere se exhibeat publicum Christi et Ecclesiae ministrum. Ratio autem huius est, quia cum huiusmodi minister *per se et ex officio* sit ad hoc munus institutus et spiritualia subsidia recipiat accommodata ad hoc munus pro dignitate exercendum: ideo merito obligatur, ut cum debita dispositione et sanctitate id faciat et ideo quando aliter facit, gravem irreverentiam et inordinationem committit. At vero quando privatae personae permittitur sacramentum dare ob necessitatem, non tam illi commissa censetur administratio sacramenti, quam concessa, ut subveniat necessitatem patienti et ideo non debuit tantum onus illi imponi, sed satis est, quod sine contemptu

et cum debita fide et exteriori reverentia sacramentum administret. Tunc enim cessat illa specialis deformitas, quia huiusmodi ministro solum veluti per accidens permittitur tale ministerium. Confirmatur, quia haec obligatio disponendi se ad gratiam propter sacramentum ministrandum *non est tam clara et evidens,* ut extendi debeat sine magno fundamento et non potius restringi. Ergo satis est, si eam admittamus in his ministris, qui per se et ex officio ad hoc sunt consecrati, praesertim cum decreta Ecclesiastica, quae hanc obligationem declarant, de his solum ministris loquantur et naturalis ratio, in qua potissimum hoc praeceptum fundari debet, iudicio sapientum in his habeat specialiorem vim quam in aliis ». Post quae Suarez apte solvit argumenta pro opposita sententia (a).

Ac probe notanda sunt verba quod « *obligatio haec non est clara et evidens* ». Et re ipsa si cui proponerentur solvenda dubia, quae ea de re scil. quod *neque qui ministrat* EX OFFICIO, *peccat mortaliter*, movit Crousers (apud Diana tom. 1. tract. 1. res. 10.) in Commento ad Regulam s. Francisci (cap. 7. sect. 21. fol. 680.), nescio an facili negotio

---

(a) Lugo l. c. arguit ex gravitate et sanctitate actionis, qua sacramenta conficiuntur, quam minister operatur in persona ipsius Christi et qua mediante operatur sanctitatem et gratiam habitualem, qua sanctificat eos, quibus sacramenta conferuntur; quocirca negari non posse, ait, quod gravissimam contineat indecentiam ad huiusmodi actiones exercendas accedere, quibus minister, Dei vicem gerens, alios sanctificat, gratos reddit et filios Dei, in sordidissimo illo statu peccati et inimicitiae Dei.

Hinc infert doctrinam hanc locum habere in quovis sacramenti ministro, sive sit ad hoc consecratus sive non sit. Neque durum, ait, videri debet hoc pro iis, qui matrimonium celebrant; ii enim ex alio capite quoque debent esse in statu gratiae, quatenus simul sacramentum suscipiunt; unde parum gravantur ex eo, quod dicantur ex duplici titulo debere esse a peccato immunes.

Ab hac tamen communi regula excipit illum, qui urgente necessitate sacramentum confert nec potest in ea brevissima morula se disponere ad actum contritionis. Non enim irreverentia videtur, si in extrema necessitate, qua subveniendum est proximo, ministretur sacramentum a peccatore; cum sacramenta sint propter homines.

Infert deinde ex eodem principio, diaconum, subdiaconum ministrantes in statu peccati, episcopum consecrantem ecclesiam vel calices aut huiusmodi, in statu peccati, non peccare mortaliter; quia licet actiones sint sacrae et ideo sit aliqua irreverentia eas in mortali exercere, non est tamen irreverentia tam gravis, ut ad culpam letalem perveniat. Atque hanc esse multorum sententiam dicit.

Censet tamen episcopum in mortali consecrantem chrisma et benedicentem oleum infirmorum, peccare mortaliter; quia constituit materiam validam sacramenti, cuius effectus et ab hac consecratione aut benedictione pendebit.

Ratio, quam Suarez ex aliorum sententia affert disp. 16. sect. 4. nn. 2. 3. in idem redit; quia nempe necessitas status gratiae in ministro oritur ex necessitate sacramenti, eo quod sancta sancte sint tractanda: non oritur autem ex sollemnitate seu ceremoniis additis; quia haec sunt quid accidentale: obligatio vero administrandi sacramentum sancte est per se et intrinsece oritur ex substantiali ritu et sanctitate ipsius sacramenti. Praeterea in ordinaria administratione sacramenti Poenitentiae nihil est praeter id quod est essentiale et tamen necesse est ministrum in statu esse gratiae.

Neque defectus consecrationis seu deputationis excusare valet; quia obligatio sanctitatis in ministro per se non oritur ex consecratione ministri, sed ex sanctitate sacramenti et principalis agentis, qui est Christus et ex reverentia illis debita. Consecratio poterit esse ratio, cur magis peccetur: sed si ea est ratio, cur graviter peccet minister in peccato administrans, cur non magis erit ratio eiusdem rei sanctitas sacramenti? E.

quilibet ea dissolveret. A fortiori ergo, cum agatur de administratione *non sollemni.*

676. Ceterum huc plane revocanda ea, quae s. Alphonsus incessanter inculcat, ubi agit de illo principio. « *Lex dubia non obligat* ». Allatis enim plurimis testimoniis Doctorum, certissimam esse doctrinam evincit, quae tradit, *non damnandum de mortali, nisi evidens ratio aut certa auctoritas id suadeat.* Ergo caveamus, ne minus nobis cohaerere videamur.

Praeterea huc spectat principium, quod ipse paulo post adhibet (n. 35.) ubi praefert doctrinam de confessione non necessario praemittenda, excepta sumptione Eucharistiae (sup. n. 672.). Dicit ipse: « In licita administratione Sacramenti, cum agatur tantum de modo idest de honestate actionis, bene probabilitas efficit, ut actio sit honesta, quando prudenter honesta iudicatur, quamvis in se forte talis non sit ». Sinat ergo, ut eodem dictamine utantur illi, qui sacramentum non ex officio administrant, cuiusmodi sunt non modo sacerdos, sed laici, dum in necessitate baptizant, et maxime obstetrices. Praesertim vero, quod ipse s. Doctor alibi tam sollicite inculcat, curandum esse, ut benignior doctrina adoptetur, quoties agitur de *removendo peccato mortali* seu peccati formalis periculo.

Bonacina *de Sacr.* disp. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 12.: « Ratio principalis: ob quam aliquis peccat mortaliter in sacramentorum administratione, non est, quia sit minister Christi aut quia concurrat ad gratiam, sed quia est specialiter deputatus et consecratus ad tale officium, quod pro dignitate exercendum est: cum autem laicus non sit specialiter deputatus et consecratus ad baptizandum ex officio, sed solum illi permissa sit administratio baptismi ex accidenti, ut subveniatur necessitati indigentis, sequitur laicum non peccare mortaliter baptizando in peccato mortali. Neque obstat, quod omnes teneantur reverentiam exhibere sacramentis; quia non omnes tenentur eodem modo, ut patet ex allata ratione ».

Idem porro docent Coninck. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 37. Henriquez lib. 1. cap. 29. n. 4. Fillucc. tr. cap. 5. n. 85. et. n. 87. de coniugium celebrantibus, et pro prima parte allegat Richard. Sylv. Caiet. et Sotum. Vasquex in 3. part. disp. 136. nn. 40. 41. pro casu necessitatis. Reginaldus lib. 26. n. 58. Sà V. *Sacram.* n. 1. Salmantic. tr. 1. cap. 7. n. 87. Roncaglia tr. 16. c. 4. q. 6. Struggl. tr. 9. q. 1. art. 3. n. 31. et n. 35. de distributione communionis. Babenstueber tr. 8. p. 1. disp. 2. art. 4. n. 5. 6. n. 7. de coniugibus et allegat Mezger, Illsung, Pettschacher. Dicastillus pag. 207. nn. 200. 214. 220. 223. *de Euc.* n. 232. Reiffenstuel tr. 14. disp. 2. 3. 4. nn. 45. 46. et probabilius de distribuente Eucharistiam.

Giribaldi *de Sacram.* tr. 1. c. 5. dub. 4. n. 16. valde probabile et n. 19. item de coniugibus et n. 27. ita de Eucharistia. Laymann de laico aut clinico lib. 5. tr. 1. c. 5. n. 9. Becan. *de Sacram.* c. 4. q. 7. n. 2. (ubi et de coniugibus). Sporer *Theol. Sacram.* c. 3. sect. 3. n. 171. Escobar lib. 8. sect. 2. *de Sacram. in gen.* cap. 13. n. 223. Ferrari V. *Min. Sacram.* n. 12. et 25. *de Eucarist.* et Valentia, tom. 4. disp. 3. q. 1. punct. col. 656. et ait *communiter.* Palaus tr. 18. punct. 5. n. 10. concedit de laico, non de Sacerdote.

XXX. 5. Alii, qui conficiunt et ministrant, non peccant mortaliter, v. gr. cum laici in necessitate baptizant vel ministrant sibi invicem matrimonium in mortali. Ita contra Sylv. Vasq. et alios, docet Suarez, cum aliis, qui tamen vult eos peccare mortaliter, quatenus hoc in mortali suscipiunt. Ita etiam Fill. Fern. Sanchez, Con. q. 6. art. 6. d. 1.

677. Ex doctrina praecedenti fluit, quod dicitur de ministrantibus matrimonium. Ubi advertendum, quod illa *necessitas* semper adest.

De his Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 16. sect. 4. cum Soto: « Illi (contrahentes) non sunt ministri consecrati ad illud munus, sed solum illis concessum est necessitate quadam; quia oportuit, materiam et formam sacramenti in ipsomet contractu constitui: contractus autem fieri non potuit, nisi per consensus expressos ipsorum contrahentium. Si ergo in peccato mortali contrahant, peccant graviter, sacramentum indigne recipiendo et illius effectui obicem ponendo, non tamen proprie ministrando. Neque etiam peccat sacerdos, qui assistit ut Ecclesiae minister et contrahentes benedicit, etiam si hoc faciat in statu peccati; quia ille non ministrat sacramentum, sed solum adhibet ceremoniam ».

Ergo quod s. Alphonsus cum Antoine, Collet, Pontas dicit *probabilius* peccare graviter et laicos in administrando baptismum et coniuges in ministrando matrimonium dupliciter peccare, hoc Antoine et Colleto relinquamus.

678. Accipe quasdam resolutiones Suarez l. c. « Peccat graviter sacerdos, qui sacramentum poenitentiae ministrat in peccato mortali, etiamsi suscipiens sit in quacumque necessitate; quia semper ille actus est proprius ordinis sacerdotalis et necessitas suscipientis est impertinens ad excusandum, ut omnes Theologi uno ore fatentur. Atque id maiori ratione dicendum est de ministrante extremam unctionem, confirmationem aut Ordinem, quae sunt sacramenta minoris necessitatis et proprii actus Ordinis sacerdotalis aut episcopalis consecrationis... Non id tamen valuit in Baptismo. Quia revera iure non baptizat ut minister ex officio, sed subvenit necessitatem patienti, eo modo quo et laicus posset illud facere. Quod autem sacerdos sit praeferendus laico in illo ministerio, non est sufficiens signum, quod operatur ut

minister ex officio; quia etiam vir est praeferendus feminae et clericus in quovis ordine constitutus est praeferendus laico; quia ad reverentiam sacramenti hoc spectat et quia in universum rerum spiritualium administratio ad sacerdotes pertinet ».

Quid vero si absque necessitate sacerdos parvulum privatim baptizet? Hunc casum sic solvit disput. 16. sect. 5. in fin.: « Si extra casum necessitatis sacerdos baptizaret parvulum privatim eodem modo ac si esset in necessitate constitutus, dicendum est, tunc peccare quidem graviter vel usurpando ius ad baptizandum, quod non habet, vel baptizando modo indebito...: tamen supposito hoc peccato, non committeret speciale peccatum mortale ex eo, quod non se praeparat ad gratiam, ut sic ministret; quia de facto hic et nunc non se gerit ut minister ex officio et ideo de facto cessat alia obligatio, quamvis hoc ex culpa nascatur ».

Probabilior autem (Lugo *de Sacr.* disp. 8. n. 158. *veriorem* dicit hanc doctrinam) et communior sententia est, confessarium, excipientem confessionem in mortali, cum proposito tamen eliciendi contritionem antequam absolvat, non peccare graviter. Ratio, quia solum per absolutionem conficit sacramentum. Quod addunt quidam, nec graviter peccare, si in mortali inchoat formam sacramenti, modo conteratur antequam absolvat, merito reiicitur et sunt quaestiones otiosae et hominum intemperantium. Vid. Ligor. lib. 6. n. 36. Tamen eum, qui conatur sic elicere contritionem, ne Deum offendat, poterimus excusare etiam hac de causa, quod faciat quod sibi possibile est. Hoc Lugo concedit et statuit *de Sacram.* disp. 8. n. 15. de eo, qui non habet tempus conterendi, secus infans baptizandus est moriturus. Et addit, hoc valere etiam de absolutione sacramentali, quae differri non posset.

XXXI. 6. Qui ministrat, etsi non conficiat, Eucharistiam in mortali, peccat mortaliter, ut habet communis Suar. Fill. Laym. Bon. et aliorum contra Vasq. cuius sententiam Dian. recte notat esse probabilem, sive sit Sacerdos sive Diaconus, ut vid. p. 3. t. 4. r. 195. Idem docet Card. de Lugo d. 8. n. 155. Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi, quot communicantur: quod minus videtur probabile; cum moraliter non sit nisi una distributio et una indigna administratio: ita Tann. 2. 2. Henriq. Fill. n. 87. etc. contra Con. et Bonac.

679. Non solum Diana, qui alioquin non modo probabilem, sed probabilissimam appellat eiusmodi doctrinam tom. 2. tract, 2. resol. 26., sed gravissimi alii DD. in eam consentiunt, uti Lugo disp. 8. n. 155., Sporer, Vasquez etc. apud s. Alphons. lib. 6. n. 35. Adde Martinum de Ledesma, et Nugnum apud Catalani part. 3. q. 1. cap. 4. n. 11. « Pro negativa (inquit Diana) sententia plures Doctores adduxi...; sed cuidam Theologastro nimis laxa visa est haec opinio, immerito tamen;

nam est probabilissima, et ita praeter Vasquez... et alios etc., tenet novissime hanc sententiam amicus noster doctus Barbosa etc. »

Ratio est ex Lugo l. c.: « quia tunc Sacerdos non conficit sacramentum nec sanctificat nec dat gratiam, sed applicat localiter sacramentum, quod solum dat gatiam eodem prorsus modo, quo eam daret, si applicatum fuisset a laico *vel ab amente* aut si ipsemet laicus illud acciperet de altari. Et licet actio illa porrigendi sacramentum sit aliquo modo sancta et exigat aliquo modo sanctitatem ministri; non tamen ita graviter, ut actio qua conficitur sacramentum, per quam minister sanctificat et causat gratiam, ut dictum est ».

Advertantur illa verba *etiam ab amente;* quia videlicet non est actio sacramentalis, ut proprie dici debeat minister, qui porrigit atque adeo debeat habere *intentionem* etc. Huc spectant quae scribunt Salmanticenses tract. 1. cap. 7. n. 11.: « Potest aliquis dici minister sacramenti dupliciter. Uno modo, quia conficit sacramentum et iste cum omni proprietate vocatur minister. Alio modo, qui sacramentum iam confectum porrigit alteri et iste dicitur etiam minister, *large tamen et improprie*. Quando ergo dicimus, quod Minister instrumentaliter causat effectum gratiae, solum loquimur de ministro priori modo sumpto; nam ille, qui porrigit tantum sacramentum Eucharistiae, non concurrit physice instrumentaliter ad effectum gratiae, sed solum remote per modum cuiusdam conditionis applicantis sacramentum ». Unde corruit fundamentum, quo Suarez innititur ut contrarium teneat disp. 72. sect. 4.

680. S. Alphonsus dicit, se sequi aliorum sententiam, qui dicunt, esse grave peccatum. Et quatenus quisque potest pro se uti ista doctrina, utatur. At dum agimus cum aliis, veritas proponenda est, non vero propria opinio uti necessario tenenda: neque solum veritas proponenda est, sed neque est extenuanda. Et hoc ipse s. Alphonsus docet centies et inculcat. Neque desiderium, certe optimum, ne quis irreverenter sacra mysteria pertractet, prohibere debet, quominus sincere dicamus id, quod ipse s. Alphonsus dicit de confessione praemittenda administrationi sacramentorum, videlicet cum gravitas peccati ita sit incerta, ut probabiliter sit levis; quando autem agitur de honestate actionis, liceat per principium reflexum probabili opinione uti: nec possum nec debeo gravis peccati conscientiam alii iniicere, sed docere debeo grave peccatum vitari posse et rursus nec possum nec debeo agere cum alio, veluti si graviter peccaret et v. gr. absolutionem denegare, veluti indigno, si nolit in statu peccati ab administratione sacramenti illius abstinere, quando ille velit eam actionem uti leviter malam habere.

Idcirco nec doctrinam admittimus, quod celebrans indigne committat quatuor gravia peccata, sc. 1° conficiendo, 2° sumendo, 3° administrando sibi, 4° administrando aliis, cui quintum addi deberet, quod ministrat indigno: duo gravia admittantur, duo alia non debemus ceu gravia aliis certo proponere. Lugo disp. 8. n. 161.: « Infero 6. sacerdotem celebrantem in peccato mortali non satisfacere dicendo in confessione se accepisse sacramentum in statu peccati; habet enim illud peccatum non quidem tres malitias, ut volunt aliqui,... nec solum unam, sed *duas*, alteram suscipiendi, alteram conficiendi in statu peccati ».

Vid. eund. Lugo disp. 8. n. 198. et 202.. ubi ostendit, sacerdotem indigne sumentem Eucharistiam non eodem modo peccare ac eum, qui dat Eucharistiam alteri indigno; nam non cooperatur peccato alterius.

Falsum autem dicimus argumèntum a paritate, quod cum Mazzotta s. Alphonsus addit, quod scil. et contrahentes matrimonium, duplex committant sacrilegium, 1° suscipiendo indigne, 2° indigne ministrando. Nam posterius hoc incertum est et ubi lex est incerta aut incerta est gravitas obligationis, ad Theologum non spectat, gravem reatum adnectere; quia non est legislator. Et cf. notata ex s. Alphonso in tr. IV. *de Peccatis* n. 315.

681. Quoad doctrinam traditam ab A. in fine resol. ait Sporer tom. 3. p. 1. n. 172.: « Nimis autem durum est, quod Coninck et Bonacina et alii quidam docent, ab eiusmodi sacerdote tot committi peccata mortalia, quot distribuit hostias et homines communicat ».

Ipse s. Alphonsus n. 35. lib. 6.: « Sed probabilius dicunt Henno... Viva etc., pluralitatem communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem, sed non multiplicitatem peccatorum, cum verius sit una actio moralis et unum convivium ».

Hoc autem peccatum ex praedictis non debet certe damnari ut grave, sed ex sententia *aeque probabili*, ut ait Sporer n. 174., est leve.

S. Alphonsus n. 36. remittens ad lib. 5. n. 50. tenet ut *verius* et Gury §. 211. q. 9. absolute ut communem sententiam, docet tot peccata committi, quot absolvantur in mortali. Sed de hoc iam actum est in tr. *de Peccatis* Vol. I. 643.: collatis praecedentibus et rursus redibit sermo in tr. *de Poenitentia.*

XXXII. 7. Etsi probabile sit, quod docent Sylv. Caiet. Fill. t. 1. tr. 1. c. 6. n. 87. Nav. et Sà v. *Ordo*, Diaconum et Subdiaconum, si cum mortali in ordine suo ministrent, item Sacerdotem et Episcopum, si Sacramentalia exerceat, nuptias, aquam benedicat, altaria, templa, vasa consecret, concionetur, Eucharistiam de loco in locum transferat, peccare mortaliter: contrarium tamen videtur verius, ut docent Suarez, Vasq. Laym. Con. q. 64. art. 6. dub. 1. C. de Lugo l. c. Ratio est, quia hae actiones non tendent proxime ad sanctificationem animae ex opere operato, sicut actiones sacramentales.

XXXIII. 8. Non videtur vera esse sententia, quae docet, esse mortale tangere in mortali corporalia, calices, reliquias etc. Sayr. Suar. Bonac. d. 1. q. 3. p. 2. Quod si quis in mortali (etiam laicus in necessitate) elevet de terra Eucharistiam, non videtur aliud agere, quam si Christum in hac vita lapsum elevasset: secus tamen, si quis id extra necessitatem temere praesumat, exemplo Ozae, Bon. d. 1. q. 3. p. 2. n. 12.

682. Conferri potest s. Alph. a n. 37. ad 41., ubi refert sententias quorundam, qui modo huius modo illius actionis exercitium damnant de mortali. Quibus tamen modo communem, modo communiorem, modo communissimam aliorum doctrinam opponit, quae illi rationi innititur, quam A. affert resol. 7. Auctoris proinde doctrina tuta est (a). Inutile idcirco foret hisce insistere atque ideo ad alia gradum facimus. Quod dicitur autem de elevanda Eucharistia a terra, est s. Thomae in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. ql. 5. ad 4.

S. Thom. l. c.: « Secus esset (sc. non peccaret), si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingeret vel exsequeretur in illo casu, in quo etiam laicis liceret; sicut si baptizaret in necessitate, vel si corpus Christi in terra proiectum colligeret.

Quod autem addit l. c. n. 35. s. Alphonsus: « *Valde probabiliter* dici a Collet, graviter peccare Sacerdotem, qui in statu peccati ex officio tangit immediate vel mediate Eucharistiam, puta gestando in Processione, populum benedicendo » communiter reiicitur.

Ipse s. Alph. ibid. in fin. affert haec verba Suarez ex disp. 16. sect. 3. n. 10. *de Sacram.:* « Cum aliae actiones, praeter sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam ordinatae neque in eis se exhibeat sacerdos ut minister Dei sanctificantis animam, non est tam gravis causa et ratio exigendi internam animae sanctitatem ad eas exercendas. Ergo illas in peccato efficere ex parte materiae non videtur grave esse sacrilegium ».

XXXIV. Resp. 2. Requiritur praeterea, ut exhibeat ac curet non tantum quae ad substantiam Sacramenti sunt necessaria, sed etiam quae ad decorem, sive ex natura rei sive ex praecepto Ecclesiae, spectant. Ratio prioris est, quia alioqui Sacramenta dehonestat et tractat indigne. Ratio posterioris est, quia Sacramenta sancte sunt tractanda et praecepta Ecclesiae obligant in conscientia.

683. Manifestum est, peccatum esse quidquid fiat contra sacramenti decorem, sive transgrediaris id, quod natura rei sive quod Ecclesiae

---

(a) Forte heic aliquis cohaerentiam sententiarum desideraret. Si enim peccatur mortaliter, cum in peccato mortali actus ordinis ex officio exercetur, ad quem est aliquis consecratus; cur id non valebit etiam in diacono? ut sic integra doctrina s. Thomae teneatur in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. ql. 5. ad 4.: « quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin illud indigne faciat: unde patet, quod peccat mortaliter ». Sed aiunt, illud praeterea requiri, ut actus ordinis, qui exercetur ex officio, sit confectio sacramenti. E.

praeceptum in hunc finem exigit. Id tamen non perinde est, ac dicere: peccari hoc pacto semper mortaliter; nam levis irreverentia esse potest et leve proinde peccatum.

Unde resolves.

XXXV. 1. Peccat ministrans mortaliter, 1. si utatur materia vel forma falsa, vel (extra necessitatem) dubia. Bon. d. 1. qu. 2. p. 1. nn. 32. 2. Si omittat intentionem requisitam. Quod si vero dubium oriatur et non tantum inanis scrupulus (is enim reiici debet), an forma fuerit legitima, vel an legitime et integre prolata, tunc, etsi speculative probabile fit, formam esse legitimam, in praxi tamen iteranda erit sub conditione; quia tutius hîc eligendum est, * iuxta sensum communem Ecclesiae, ut videre licet in damnatione Propos. 1. facta ab Innoc. XI. *

684. Quod spectat ad materiam dubiam, habes propos. damnatam ab Innocentio XI. Ea est: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id lex vetet, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis ».

Certum sane est, oportere, cum praesto est, uti materia et forma certa graviterque peccare ministrum, qui utatur materia seu forma dubia vel incerta, omissa certa. Ratio est, quia sic se exponit periculo nihil faciendi et reapse nihil facit, si materia aut forma non sit idonea, quidquid ipsi vel probabilius speculative videatur. Qua de re iam dictum est in Tr. *de Conscientia* Vol. I. 205. seqq. Tutius scilicet in his est eligendum. Cf. Suarez disp. 16. sect. 2. n. 3.

Diximus, si certa materia aut forma praesto est; quia si solum dubia adsit et alioquin oporteat ministrare sacramentum, tunc ea, sub conditione, adhibenda est; quia homini, propter quem sunt instituta sacramenta, succurrendum est in necessitate, quoad eius fieri potest et nulla iniuria fit sacramento, cum in his adiunctis sub conditione administratur.

Porro quod A. dicit de *omissione intentionis requisitae,* est casus fere impossibilis, nisi significet, sacramentum neque illusorie neque per somnum aut ebrietatem esse administrandum. Nam intentio non est nisi voluntas rationalis faciendi sacrum ritum. Et quisquis sane non est ebrius, aut dormiens aut demens aut non agit iocose et facit ritum sacrum, iam patet, quod vult eum facere.

Rursus cum reiici debeat *inanis scrupulus,* patet, dubium, de quo heic agit A., debere esse rationabile.

XXXVI. 2. Peccat quoque (graviter vel leviter pro gravitate materiae), 1. qui verba formae corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat: 2. qui materiam vel formam vel ceremonias, contra Ecclesiae morem, quamvis accidentaliter, sine causa mutat vel omittit. Quod si fiat ex contemptu, est mortale : si ex negligentia, saepe est mortale, quando ea magna est et in re gravi. V. infra *de baptismo* d. 5.

685. Auctor miscet simul quae spectant ad materiam et formam et quae pertinent ad ceremonias. Verum, uti patet, gravis culpa facilius in primo, quam in secundo casu timeri potest.

XXVII. 3. Peccat graviter, qui ministrat Sacramentum publico peccatori vel aliter indigno, nisi indignitas sciatur ex confessione, vel sit occulta indignitas et ex negatione sequeretur infamia, ut patet ex praxi Ecclesiae et Christi, qui Iudae Eucharistiam dedit. Gravius peccaret, qui ne daret indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, etsi sic cum eo convenisset: aut qui non audens indigne celebrare, simularet Missam, elevans hostiam non consecratam; quia, quantum est ex se, dat occasionem idololatriae. V. Bon. d. 1. q. 6. p. 4. Suar. Con. et ceteros Schol.

686. Bene s. Alph. ex communi DD. sententia notat, praeceptum illud *nolite dare sanctum canibus* exigere, non modo ut non detur indigno, sed ut dans prudenter noscat dignitatem recipientis. Ratio cur ministri sacramentorum teneantur per se et regulariter non ministrare indignis sacramenta, haec communiter redditur: quia eo ipso, quod dispensatores sunt sacramentorum, procurare debent, ut fideliter haec dispensentur et iuxta eorum exigentiam: exigunt autem sacramenta, ut non frustra fiant suoque effectu careant. Dictum est *per se;* quia, exsistente aliqua necessitate, *per accidens* illud licebit: dictum est *regulariter;* quia aliquid speciale est in Matrim. Lugo *de Sacram.* d. 8. n. 164.

Ut ergo minister sacramenti non se exponat certo periculo ministrandi indigno, opus est, ut prudenter credere possit, recipientem esse dignum. Haec autem notitia de dignitate recipientis non eadem est pro omnibus sacramentis; pro quibusdam enim satis est rationalis praesumptio.

Ita in Sacramento poenitentiae debet nosse, poenitentem esse dispositum. In Sacramento baptismi (si de adulto agatur), inquiret de consensu et dispositione baptizandi.

In Sacramento Ordinis Episcopus nosse debet de scientia et probitate ordinandi. Sed haec non pertinent ad actualem statum gratiae, pro digna sacramenti susceptione.

In matrimonio necesse est inquiratur de impedimentis, etsi parochus non sit minister.

« Quoad reliqua sacramenta, inquit s. Alph. n. 43., quidquid dicat Antoine, ea non sunt deneganda eis, qui catholice vivunt, nisi constet de indignitate petentis. Ratio est, quia ad haec alia sacramenta omnes

fideles ius habent et Ministri non sunt iudices, sed dispensatores atque adeo non habent ius inquirendi, sed solum debitum dispensandi petentibus, modo ipsi non sint positive indigni. Et huc spectat illud, quod *quisque praesumitur bonus, nisi malus certo probetur* ».

In Rituali autem romano haec leguntur: « Arcendi sunt (a communione) publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alii eius generis peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat ».

Illud ergo tenendum est, ministrum sacramentorum, in dispensatione eorundem, non esse iudicem (si Poenitentiam excipias), sed pastorem, qui ovibus pascua dirhibet, prout ipsis congruit. Est quidem minister publicus, sed hoc sensu, quod auctoritate publica est constitutus, non eo sensu, quod ex scientia publica procedat sicut iudex, alioquin deberet semper inquirere de dignitate petentis et excludere eum, quem duo falsi testes dicerent esse indignum etc.: quae prorsus aliena sunt a sensu christiano. Lugo l. c. n. 190.

687. * Cur occulto peccatori negandum non sit sacramentum, si publice petat, nulla melior ratio, ait Lugo l. c. n. 176., afferri potest quam illa, quae desumitur ex obligatione non laedendi famam proximi, cuius delictum occultum est. Suarez *de Eucharistia* disp. 67. sect. 4. n. 6. hanc reddit rationem: Ad commune bonum et convenientem Ecclesiae vel cuiuscumque reipublicae gubernationem pertinet, ut communia bona, quae omnibus dispensanda sunt a publico ministro, ea cum publice dispensantur, dispensentur non secundum privatam scientiam ministri, sed publicam. Unde subdit, id non habere locum, cum sacramentum occulte petitur; quia tunc non fit per modum publicae dispensationis, sed occultae et privatae actionis. S. Thomas 3. p. q. 80. a. 6. hanc rationem affert; quia peccator occultus habet adhuc ius petendi publice Eucharistiam; eo enim nequit privari nisi de suo crimine sufficienter convincatur: non censetur autem convictus, nisi crimen sit notorium facto vel iure. Praxim ipsam firmant c. *Placuit* 6. q. 2. et c. *Si sacerdos, de Officio Ordinarii.*

Alii rationem huius praxis ex eo repetunt, quod secus, graves in populo perturbationes et scandala gignerentur, cum contemptu sacerdotis et ecclesiastici ministerii. Haec ratio universalior est, valens pro omnibus casibus, quibus licet peccatori occulto dare Eucharistiam.

688. Constat peccatori publico publice petenti denegandum esse sacramentum. Haec est doctrina communis, Patrum et Conciliorum

auctoritate firmata. Cf. Suarez l. c. sect. 2. Sane cessat prorsus ratio superius allata et reverentia debita sacramento id manifeste postulat.

Atque idem valet, si peccator publicus occulte petat; qui eadem ratio reapse locum habet.

Porro peccator publicus dicitur, auctore s. Thoma q. cit. a 6., cuius crimina notoria sint notorietate vel facti vel iuris, ut nulla proinde possint tergiversatione celari. Suarez l. c. sect. 5. atque ita accipit s. Alph. n. 44. peccatum publicum.

Quocirca quaerit n. seq., an negandum sit sacramentum peccatori, cuius peccatum non sit simpliciter publicum, sed notum sit plerisque ex praesentibus, non autem omnibus. Et tres sententias refert. « Prima cum Coninck affirmat, negandum esse; quia respective ad hos peccatum videtur esse publicum. Secunda cum Suarez disp. 27. sect. 5. et Bonac. probabilius negat; quia petens adhuc possidet famam respective ad omnes, qui eius crimen ignorant. Tertia cum Diana et Croix l. 6. p. 1. n. 139., dicit negandum sacramentum, si ex praesentibus tantum unus vel alter vir probus ignoret, qui putatur non evulgaturus et haec est satis probabilis ». In hac postrema sententia non habetur nisi limitatio quaedam secundae. Ratio, cur tertiam sententiam dixerit satis probabilem s. Doctor, est, quia est satis probabilis sententia, quod non sit mortale revelare crimen alterius uni vel alteri viro probo; quod docet l. 3. n. 973.

Si autem ubi peccator petit, in parochia nempe, vico, civitate, crimen eius ignoretur, etsi publicum sit alibi: probabilius est, non denegandum ei esse sacramentum, ut cum communiori censet s. Alph. n. 46. et Gury Vol. 2. §. 220. propter rationem ultimo loco allatam n. 687.; nam et in hoc casu perturbationes atque scandala orirentur. Puto tamen circumstantias omnes pensandas esse; nam si ex. gr. brevi huc notitia eius publici alibi criminis esset perventura: forte potius scandalizarentur, ea accepta, fideles de data eidem communione; locus est ergo considerationi sacerdotis, quid heic et nunc praestet agere.

Peccator publicus censetur emendatus, si satisfactionem dederit vel ad confessionem palam accesserit; nisi forte deinceps factum obsit, v. gr. si palam adhuc retineret concubinam. Cf. s. Alph. n. 47.

689. Quaerit s. Alph. n. 49., an metus mortis ratio esse possit conferendi sacramentum indigno. Certe negandum, si petatur in contemptum religionis: in alia hypothesi disputant Theologi. Ratio affirmandi licere est, quia mors vitanda a conferente sacramenta non videtur minoris esse pretii, quam infamia vitanda recipientis, quae frequenter licitam facit eam administrationem. Ratio negandi est, quia ratio, cur dari possit sacramentum peccatori occulto, non est sola infamia vitanda

petentis, sed evitatio publici scandali seu publicae perturbationis, vel est ipsum ius servandum petentis, qui, quandiu eius crimen ignotum est, ius retinet ne repellatur: haec autem ratio non militat pro ministro conferente sacramentum ob metum mortis; nullum enim publicum inconveniens ex eius negatione sequitur. Integra ergo manet obligatio non cooperandi sacrilegae susceptioni sacramenti. Sententiam negantem probat. l. c. s. Alphonsus; qui tamen prius in affirmantem concesserat. Verum, ut alii monent, quoniam tandem conferre sacramentum indigno non est intrinsece malum, ut ex dictis patet: videtur licere sacerdoti, in tanto discrimine, illud conferre.*

690. Diximus occulto peccatori occulte petenti denegandum esse sacramentum: quid ergo si, peracto iudicio poenitens, qui gravia peccata attulerat, non absolutus, petat a sacerdote abeunte, nemine autem audiente, ut ei velit communionem administrare? Suarez l. c. sect. 3., re speculative considerata, probabilius censet, posse et sic debere sacerdotem sacramentum negare: sed habita ratione sigilli sacramentalis, negandum est cum aliis (cf. Lugo *de Poenit.* disp. 23. a. 126.), id licere. Retinendum est scilicet non licere, ut Confessarius neget cuipiam sacramentum ob crimen ab ipso auditum in confessione. Id enim cederet in gravamen poenitentis et scitum est certumque, nunquam uti licere auditis in Confessione cum poenitentis gravamine. Accedunt decreta Rom. Pontificum. V. Ligor. n. 51.

Neque licet fingere praetextus, v. gr. quod non habeas tempus, quod desit clavis tabernaculi etc. Hoc enim est uti notitia per confessionem recepta et in gravamen poenitentis. Ligor. n. 51.

691. Nunc aliqua dicenda in hac ipsa re, quae spectant ad administrationem sacramenti matrimonii.

Quidam censuerunt, Parochum peccare, si assistat matrimonio, quando contrahentes publice sunt indigni. Sed haec sententia profluebat praesertim ex falsa doctrina, quod Parochus sit minister huius sacramenti.

Itaque quando absint impedimenta et obiicere non possit ignorantiam catechismi (nisi enim contrahentes sint instructi in catechismo, non debet parochus ad proclamationes procedere, ex decretis Clementis XI. et Benedicti XIV.), debet assistere, *quia est publicus minister:* licet conari debeat, ut sponsos ad digne contrahendum inducat. Rationes, quas contra affert s. Alphonsus n. 54., non concludunt (a).

(a) S. Poenit. hac in re consulta (agebatur de notorie excommunicatis) respondit, 10. dec. 1860. recurrendum ad Ordinarium, qui habita rei et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus, praesertim a s. Alph. traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino iudicaverit.

Paucis Lugo *de Sacr.* disp. 8. n. 216.: « Non debet parochus repellere publicum usurarium aut concubinarium a celebrando matrimonio; quia in hoc sacramento parochus non est minister nec ipse confert, tanquam pastor et distributor, illud sacramentum, sed assistit quasi testis vel Notarius publicus, ad quem non spectat examinare merita suscipientis, sed fidem facere et testari quae videt ».

Quocirca idem n. 218. praestituto, quod parochus est tantum testis vel quasi iudex praestans sua praesentia auctoritatem contractui, colligit, quod si consideretur matrimonium ut sacramentum est, non habet parochus debitum aut ius repellendi indignum: habet tamen ius repellendi petentem cum aliquo impedimento contra matrimonium ut contractus est; quia prout sic subditur superioribus ecclesiasticis ut iudicibus contractuum ».

Ratio s. Alph. est, quod 1° nemo potest cooperari peccato proximi, et 2° quod parochus tenetur curare bonum spirituale suarum ovium. Sed 1° haec non est *cooperatio formalis;* neque quis dicitur cooperari malo alterius, quando actio per se est bona et rite fit ac solum ex prava conscientia cuiuspiam est ipsi peccaminosa. 2° Nulla lex permittit parocho, ut praetextu impediendi peccata, impediat matrimonium; secus posset se negare contrahentibus, quorum rixas praevidet, cum socera vel socero vel cognatis et posset occidere equos illius, qui equis male utitur ad peccandum, aut librum auferre, in cuius lectione alter peccat.

692. Quaestionem movent etiam de sponsis, utrum, si alter indignus sit, alter possit contrahere, quia ministrare videtur sacramentum indigno.

Nisi sit excommunicatus vitandus, *communior sententia est,* posse contrahere, *si abstinere non possit sine gravi incommodo.* Lex enim illa ad Ecclesiae Ministros spectat, qui ex officio sunt dispensatores mysteriorum Dei, non ad alios. Adde sponsos *conficere* utique sacramentum, sed non proprie dici *ministrare*, seu conferre. Ergo una superest caritatis ratio circa impediendum alterius peccatum (v. s. Alph. n. 55.), quae ratio non obligat cum gravi incommodo.

Bene Lugo *de Sacr.* disp. 8. nn. 225.-226. etc.: « Neque ex eo, quod sacramentum ministretur indigno, dicendum est, peccare coniugem catholicum cum haeretico contrahentem. Quod multis argumentis probari potest et primo *ex praxi omnium fidelium.* Si enim peccaret coniux ministrans matrimonium haeretico propter obligationem non ministrandi indigno, peccaret etiam ministrans idem sacramentum catholico, quem sciret esse in statu peccati; cum hic etiam indignus et incapax gratiae sacramentalis. NULLUS AUTEM INIECIT ADHUC TALEM

SCRUPULUM PERSONIS CATHOLICIS, ut non possint licite contrahere matrimonium cum peccatoribus, NEC ULLUS THEOLOGUS OBLIGAT feminam ad repellendum sponsum et negandum consensum matrimonii, quandiu ille est in statu peccati, sed unusquisque tenetur se ipsum in gratia constituere; consortem vero relinquit suae conscientiae, ut constat ex usu omnium fidelium. Ergo non agnoscunt hanc obligationem non ministrandi sacramentum matrimonii coniugi indigno ». Ac dein n. 227. probat ex dispensationibus contrahendi cum haereticis etc.

693. Ceterum 1° negari sacramenta non possunt in articulo mortis, uti patet, nisi quis impoenitens vellet Eucharistiam. S. Alph. n. 44.

2° Negatio sacramenti nunquam intelligitur de poenitentia, aut certe quoad poenitentiam solum adest obligatio negandi absolutionem ei, qui non est dispositus.

3° Regula de negandis sacramentis illi, qui non reparat scandalum, non ita videtur intelligenda, ut constare iam debeat de peracta satisfactione illius obligationis, sed ut non constet de voluntate non satisfaciendi: v. gr. si sciatur, quempiam aliena retinere, non debet negari sacramentum, ideo quod nescias de restitutione (nam circa restitutionem faciendam potuit ille iam statuisse, licet tu modum ignores), sed solum si constat, nolle eum restituere.

4° Sufficit, ut diximus, *publica confessio*, ut ministrari possit Eucharistia, nisi constet de impoenitentia ex factis, v. gr. qui adhuc retinet concubinam, opprimit iniuste, retinet aliena etc.

Ceterum etsi publica non sit confessio, haec poterit, iuxta circumstantias, praesumi et potius constare deberet, eum non accessisse ad confessionem.

Quaestio, an negari possit sacramentum Ordinis occulto indigno publice petenti, est alterius generis. Quia ista negatio habet alias causas et non fit ad altare, sed in curia. Praeterea indignitas oritur non modo ex pravitate, sed ex aliis defectibus. Et nemo negat, Episcopum ex informata conscientia posse negare sive ordinationem sive litteras dimissoriales.

694. S. Alph. n. 59. quaestionem refert, an liceat simulare administrationem sacramenti. Qua de re habetur prop. 29. damnata ab Innoc. XI. « Urgens metus gravis est causa iusta sacramenti administrationem simulandi ».

* Simulatio est actus, quo per aliqua signa factorum vel rerum significatur aliquid contrarium ei, quod in animo habetur; eo quod signa adhibeantur, quae plura significare valent et ab aliis in eo sensu accipiuntur, qui non est sensus adhibentis signum. 2. 2. q. 111. a. 1. Distingui solet in formalem et materialem: formalis est, qua intenditur

deceptio alterius, materialis, quam deceptio sequitur, quae permittitur: s. Alph. l. c.

Cum de sacramentis agitur, duplex modus simulationis distinguendus est. Simulari enim a ministro sacramentum potest, 1° quatenus ficte h. e. absque intentione, forma materiae applicetur: 2° quatenus loco debitae materiae et formae aliud earum speciem referens substituatur. Prior est simulatio proprie dicta Sacramenti (Gury §. 221.) versans circa materiam et formam sacramenti, continens abusum sacramenti et sacrilega est: alia non versatur circa sacramentum, quod non est ullo pacto, absente forma et materia; at illicita est, quatenus illicita est deceptio aliorum in rebus religiosis. Haec distinctio, licet expressis verbis non enunciata, se prodit manifeste ex disputatione s. Alphonsi l. c. et aliorum quoque Theologorum: cf. Gury l. c.

De priore simulatione accipienda est prop. 29. damnata ab Innocentio XI. « Urgens metus gravis est causa iusta sacramenti administrationem simulandi ».*

695. Porro s. Alphonsus optime solvit quaestionem, quae propter apparentem DD. dissonantiam videri posset implicatissima, ostendens, quoad substantiam fere omnes convenire. Etenim, ut ipse inquit, omnes conveniunt, nunquam esse licitum 1° proferre sine intentione verba formae v. gr. consecrationis supra panem vel absolutionis supra indispositum (sc. cum intentione non consecrandi aut non absolvendi, sed cum animo id simulandi): 2° hostiam non consecratam pro consecrata praebere: 3° celebrare Missam non proferendo verba consecrationis. E converso omnes conveniunt, licitum esse Confessario aliquid orare et formare crucem, ne indispositio poenitentis prodatur, quamvis alii reputent, eum absolutionem recipere et aliunde tenetur, ne aut verbo aut signo, aut quovis alio modo aliquem prodat peccatorem, ut habetur in cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et remissionibus.* Ita qui ob metum gravem cogeretur sacramentum conferre indigno, puta absolutionem, posset alias preces seu voces adhibere et simulatio esset secundi generis, deficiente materia et forma: quae simulatio non decipit nisi volentem decipi.

696. Nec interest nunc referre varias rationes, quibus DD. volunt ostendere, non haberi mendacium aut simulationem. Paucis: istae actiones sunt aequivocae significationis et nemo tenetur, quando huiusmodi actiones ponit, alios monere, quid agat, ne falsum putent: sibi imputent; si falso iudicant ex aequivocis motivis. Hinc ridiculi vere sunt (apud Ligor. n. 60.), qui disputant de mendacio, quod faciat ille qui genuflectit ad Confessionale nec tamen confitetur, sed de alio ne-

gotio loquitur. Nam qui vident, nisi sint stupidi, nosse debent, subinde fieri, ut quis ibi de alia re loquatur.

Addunt saltem adesse mendacium, si ille velit alios credere, eum confiteri: qua in re quidam addunt haberi sacrilegium. Verissime et mitissime dicit s. Alph., se nescire, ubi sit hoc sacrilegium. Ceterum nec mendacium in hoc necessario habetur. Finge alumnum alicuius Collegii vel discipulum nolle, ut alii putent, se a confessione alienum esse seu non confiteri. Accedit ad Confessarium vel ingreditur eius cubiculum vel accedit ad crates et dicit ei, se non habere tunc animum confitendi. Profecto hic non falsam opinionem iniicit, sed ponit actionem per se aequivocam, quae impedit, ne certe alius iudicet de factis ipsius. Estne hoc mendacium? Sibi imputare alii debent, si credant confessum eum, qui aliis de causis potuit Confessarium adire.

Addit s. Alph. n. 59. 1° non improbandam sententiam dicentium, posse Confessarium supra indispositum dicere: Ego te *non* absolvo, vocem *non* submissius dicendo: nec est restrictio pure mentalis; quia exterius profertur et licite ita pronunciatur, ut non intelligatur; quia non tenetur minister ita loqui, ut intelligantur verba.

2° N. 61. ad vitandum scandalum posse iuxta aliquos parochum recitare super aliquo verba: *Corpus Domini nostri etc.* non porrigendo hostiam: non tamen posse dare hostiam non consecratam.

3° N. 62. Licere simulare ob gravem metum celebrationem matrimonii sine interno consensu; quia tunc nec materia nec forma adest. Hoc enim est proprium huius sacramenti ut materia eius sit aliquid interius expressum quidem exterius. Illud vero interius non est voluntas ponendi externam expressionem, sed id quod huic formaliter respondet, nempe consensus animi: qui si deest, nullus est contractus nullumque sacramentum. Cum matrimonium sequatur naturam contractuum et identidem ob iustas causas in his liceat simulare consensum, et in eo pariter licebit. Lugo l. c. n. 231. Addit s. Alph. abesse mendacium, si possit exterius animadverti eum nolle etc., vel dicens *volo* intelligat se velle quantum in *se est (!)* Certe communiter censent, non esse sacrilegium, si quis contrahat, sciens se habere impedimentum dirimens. Qua de re alibi.

697. * Addere nonnulla licet spectantia ad ritum administrationis et confectionis sacramentorum. Itaque 1° certum est, servandam esse formam praescriptam a Rituali Romano. « Illi soli libri adhibendi et illis tantum benedictionibus (utendum?), quae Rituali Romano sunt conformes ». Ita S. R. C. respondit 7. April. 1832. (apud Bouix *de Iure liturgico* pag. 345. edit. 3.). Et sciscitanti cuidam canonico ecclesiae Cenomanensis, an, tollerante aut permittente aut etiam aliter quidpiam

statuente Episcopo, possint illaesa conscientia infringi aut omitti, quae Rituale Romano praescribit, respondit eadem S. C. 10. Ian. 1852.: *negative et amplius.*

Ritus praescripti in Rituali Romano vel ad essentiam Sacramenti spectant vel ad sollemnitatem et decentem administrationem. Omnes hi quidem adamussim servandi sunt qui forma praeceptiva imponuntur sed cum non omnium eadem sit dignitas aut necessitas, non est putandum (exceptis essentialibus ritibus) ceteros omnes eodem pacto obligare multoque minus omnes sub gravi. Ex rei natura vel ex communi sensu DD. ut in tractatione singulorum sacramentorum patebit, res definienda est. Quaestio praesertim fit de Rubricis, de quibus suo loco.

2° In administratione sacramentorum vestis sacra propria est *stola* et *superpelliceum* (cotta). Quod spectat ad hoc alterum, exstat declaratio S. R. C. 10. Ian. 1852. « Rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione sacramentorum ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum ». Id saepius inculcatum est, ex. gr. 31 Aug. 1867. sed tunc temperamentum quoddam additum, nimirum « potest tamen cotta super imponi rochetto ».

Ad stolam quod attinet, illud constat, eam nonnisi in Sacramentorum ac Sacramentalium confectione atque in actu praedicationis, ubi viget usus, et quibusdam aliis functionibus, pro quibus a Rituali Romano praescribitur, adhibendam esse: ceterum abusum esse a S. R. C. pluries reprobatum 10. Sept. 1816. 11. Sept. 1847. 7. Sept. 1850., quod stola deferatur in signum iurisdictionis aut praeeminentiae.*

CAPUT III.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM

Dub. I.

De requisitis ad valorem Sacramenti.

XXXVIII. Resp. Ad valorem Sacramenti in adultis ratione utentibus, intentio percipiendi sacramentum interpretativa saltem requiritur et sufficit (excipe Poenitentiam de qua infra). Ita commun. Theologi omnes cum s. Thom. contra Caiet. qui putat, in suscipiente nullam intentionem requiri, modo contrariam non habeat. Ratio responsionis est, quia, sicut adultus non iustificatur sine proprio consensu, ita nec per Sacramentum initiatur et consecratur Deo, sine eodem consensu, si eius sit capax. Bon. d. 1. q. 6. p. 2.

Dixi, *adultis*, etc. quia cum tantum requiruntur conditiones, iuxta subiecti capacitatem, parvuli autem et perpetuo amentes non sit capaces propriae intentionis, sufficit illis intentio Christi et Ecclesiae. Fill. t. 1. c. 8.

698. Ad validam susceptionem aliorum sacramentorum praerequiritur baptismus. Ratio, quia sacramenta instituta sunt pro Ecclesia et solum

per baptismum homines fiunt Ecclesiae membra. Ideo baptismus dicitur ianua vitae spiritualis. Vid. De Lugo *de Euch.* disp. 13. n. 3. et Croix lib. 6. n. 195. Atque hinc matrimonium infidelium non est sacramentum non quia baptismo carent, qui illud ministrant, sed quia incapaces sunt recipiendi illi, qui carent baptismo: vid. Lugo *de Euch.* l. c. n. 6.

Quod dicit A. requiri intentionem saltem *interpretativam,* haec vox non presso sensu accipienda, sed latiori, quatenus significetur voluntas *habitualis* implicite contenta in *generaliori habituali,* ut infra videbimus in resol. 2.

Communis est doctrina, pro suscipiendo sacramento requiri in adulto consensum, cuius doctrinae rationem reddit A. Dices: cur ergo intentio suscipientis non collocatur simul cum intentione ministri? Resp. 1° quia illius necessitas non est universalis: 2° quia ea requiritur, ut sacramentum vim suam exerat, haec ut ipsum sacramentum sit.

Communis autem est doctrina, sufficere consensum seu voluntatem habitualem, quae olim nempe exstiterit et non fuerit retractata; quia, ad suscipientem quod spectat, agitur tantum de acceptando libere beneficio, et huiusmodi libera acceptatio vel in voluntate habituali reperitur. Sane regula est certa in Ecclesia, baptizandum esse aegrotum, qui pro se nequeat respondere, si alii voluntatem eius praeteritam testentur: Conc. Arausic. 1. cn. 12. Quod et in Rituali Romano praescriptum tum de baptismo tum de extrema Unctione.

Atque id generatim valet: quaedam tamen sacramenta, ob sui specialem naturam, aliquid amplius requirunt, qua de re in resoll.

Unde resolves.

XXXIX. 1. Parvuli, uti et perpetuo amentes, valide baptizantur, confirmantur, communicantur, ordinantur: quod ultimum nefas esset; priora autem olim permittebantur. Bon. l. c.

699. Quoad amentes s. Thomas sic paucis omnia complectitur 3. q. 68. art. 12.: « Circa amentes et furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Et de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium, quod de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiae ».

« Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanae mentis exsisterent. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furore et amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant. Alioqui si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanae mentis essent, non sunt baptizandi ».

« Quidam vero sunt, qui etsi a nativitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti et debet ex tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioqui melius est, ut tempus exspectetur, in quo sint sanae mentis, ad hoc quod devotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti ».

« Quidam vero sunt, qui etsi non omnino sanae mentis exsistant, intantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare et intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idem est iudicium, sicut de his, qui sanae mentis exsistunt, qui baptizantur volentes non autem inviti ».

700. Ad ordinum susceptionem quod attinet, in Constit. Benedicti XIV. *Eo quamvis* 4. Maii 1745. declaratur §. 20., validam esse ordinationem pueri aut amentis. Sed additur (§. 27.), eos vi illius non teneri ad divinum officium nec ad vitam caelibem. Praecipitur itaque §. 28. ut *decimo sexto aetatis anno* detur eis optio et si voluerint castitatem servare, admittantur ad exercitium Ordinis; secus, si noluerint. Et siquidem ratam habeant ordinationem, invalide deinceps contraherent matrimonium et ad Officium divinum tenentur Ligor. num. 80.

Merito proinde Auctor dicit, illicite ordinari pueros et amentes; frustra est enim character, nisi suscipiens ordinem in obligationem consentiat et potest puer deinceps obligationem detrectare.

XL. 2. Aegris ratione iam privatis recte datur Unctio, non tantum si ante petierint, sed etiam si fuerint Catholici neque constet esse in mortali; nam hoc ipso censentur interpretative voluisse et petiisse, quod alii Christiani, etiamsi de ea nunquam audierint. C. de Lugo *de Sacramentis in genere.* d. 9. n. 122. etc. commun.

701. Adverte primo dici ab A. *si non constet esse in mortali*, adde et explica: *si non constet, eos non esse dispositos.* Nam heic valet quod de absolutione danda moribundo dicimus: licet putari possit, esse peccatorem, praesumi poenitentiam internam: ad extremam unctionem autem requiritur contritio saltem existimata, licet forte sit solum attritus et sacerdos reputet eum solum attritum, quando ipse infirmus conari non potest ad contritionem, sive quia se contritum credit sive quia est sensibus destitutus. Palao *de Extr. Unct.* disp. unic. p. 5. n. 8. Tr. 26. tom. 4. p. 253.

Si antea petierint, nulla est difficultas, ut dictum est sub resp. Et eadem voluntas habitualis ex communissima sententia satis est, ut valide recipiantur sacramenta, si dentur dormientibus, ebriis, vel lapsis

in amentiam, quando hi prius habuerunt intentionem, ea sacramenta recipiendi. Ratio, quia non opus est, ut recipiens agat, cum suscipit, modo humano, sed sufficit, si sit capax, prout revera est quisquis prius habuit intentionem.

Heic lapsus Roncaglia tract. 16. cap. 5. q. I. resp. 2.: « Non adhaereo iis (inquit) qui credunt, valide conferri sacramenta dormientibus et ebriis, si antea habuerint intentionem ea recipiendi et non retractaverint. Ratio est, quia praesumi non potest, habuisse eos intentionem illa recipiendi eo tempore, sed solummodo more et vita christiani ».

Respondetur: Esto, coarctetur eorum intentio praecedens ad sacramenta more et vita christiani recipienda, licet gratis sic coarctetur intentio, si generalis fuit. Verum id probaret solum, deesse explicitam intentionem habitualem: porro ipse Roncaglia praemiserat, in adulto sufficere intentionem habitualem vel INTERPRETATIVAM: interpretativa autem in casu non deest (a). Dixi: gratis sic coarctari intentionem; nam intentio potest praescindere a certo modo et, dummodo ex eius culpa non sit, ad utrumque esse indifferens.

Veruntamen illicitum est, iis conferre sacramenta, nisi probabile urgeat mortis periculum, vel nisi impedimentum usus rationis censeatur perpetuum. Ita s. Thomas, 4. disp. 6. q. 1. art. 2. ql. 3. ad 7.: « Si autem necessitas non sit, debet in furiosis expectari lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia. Si tamen baptizetur in statu illo, sacramentum suscipit, quamvis peccet baptizans ». Ergo et dormiens, non constitutus in periculo mortis, valide baptizatur, si intentionem prius baptismi habuit suscipiendi: quod negat Roncaglia. Vid Ligor. n. 81.

702. Dicimus adesse, si agatur de extrema unctione, *interpretativam* voluntatem in iis, qui catholici fuerint; quae interpretativa voluntas est quaedam generalior voluntas habitualis. « Quia, ut bene inquit Lugo disp. 9. n. 122., qui christianus est et vult in Ecclesia catholica vivere et mori, vult etiam eius sacramentis debito tempore iuvari; quam voluntatem Ecclesia praesumit de omnibus, qui signa poenitentiae suo tempore exhibuerunt ». « Infirmis, ait Rit. Rom. qui

---

(a) « Quando dico, ait Lehmkuhl v. 2. n. 48. not., intentionem habitam nec retractatam, non intelligo (quod etiam de aliis Sacramentis valet), indubie valere sacramenta, quae utcumque post illam intentionem dormienti etc. conferantur. Valent utique in casu necessitatis, quando timendum est, ne alias homo sacramentum amplius non possit recipere; siquidem intentio recipiendi aliquando sacramenti, includit prorsus voluntatem illud recipiendi in periculo mortis, quando antea intentio non fuerit impleta. Sed num includat etiam voluntatem utcumque quolibet tempore, absque conscientia sui, sacramentum extra necessitatem recipiendi, non est plane certum. V. s. Alph. l. 6. n. 81. ». Verum quod Ball. heic subdit, a dubio nos expedit. E.

dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint seu *verisimiliter petiissent,* seu dederint signa contritionis, etiamsi deinceps loquelam amiserint, vel amentes facti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur ».

Qua de re idem Lugo subdit, n. 126.: « Sufficit illa voluntas generalis sicut ad extremam Unctionem, sic etiam ad Eucharistiam in mortis articulo cum fructu suscipiendam et ita de facto datur iis, qui vi morbi subito correpti rationis usum amiserunt, quando id absque irreverentiae periculo fieri potest atque etiam amentibus in eodem articulo, quando antea rationis usum aliquando habuerunt et non constat eos esse in statu peccati. Negamus tamen, quando casu aliquis comedat hostiam consecratam pro pane communi, accipere eum effectum sacramenti ». Quia nullam habuit voluntatem suscipiendi hoc sacramentum (n. 698.).

703. Sed quaeritur, an sicut generalis illa voluntas sufficit in christiano ad valorem extremae Unctionis, ita in eo, qui nihil cogitavit de baptismo in particulari, sufficiat quod habuerit animum procurandi salutem suam et bene operandi; adeo ut si subito destituatur sensibus, possit baptizari, etsi nihil unquam de christiana fide audiverit.

Et fuerunt, qui affirmarent, dummodo huic voluntati coniungatur attritio de peccatis, quae commiserit, saltem ob poenas inferni: quae cum includat virtuale propositum servandi omnia praecepta ad salutem necessaria, complectitur etiam praeceptum suscipiendi baptismum.

Croix lib. 6. part. 1. n. 288. *Probabile est* (inquit) *sufficere habitualem* (intentionem) *implicitam, secundum dicta n. 168. Unde probabile est..., sufficere intentionem, qua quis generatim desiderat, sibi adhiberi media ad salutem necessaria: quia Christus potuit sic instituere baptismum et concedit Suarez, sic institutam esse extremam Unctionem: baptismus autem est multo magis necessarius ad salutem.* Et rursus l. c. n. 168.: *Sufficit implicita* (intentio) *tantum, contenta in contritione vel attritione; hinc secundum illos* (Doctores nempe, quorum sententiam affert) *posset Iudaeus vel etiam Ethnicus in periculo mortis baptizari, si probabiliter iudicaretur habuisse saltem attritionem; quia in hac includitur votum servandi omnia praecepta itemque accipiendi omnia media necessaria ad salutem, ideoque etiam suscipiendi baptismum.* Pro qua sententia novem affert Doctores, dum pro opposita quatuor tantum enumerat.

Lugo disp. 9. n. 130. statuit, quod valeret talis baptismus, si aliquis religionem christianam corde amplexus esset, licet nihil de baptismo aut eius necessitate audierit; baptizaretur enim valide, quia absolute voluit hanc religionem amplecti atque eius ritibus, quicumque essent,

gubernari. Non autem si tantummodo ex generali illa voluntate voluisset utique salutem, ignorasset autem Ecclesiam Christi, aut noscens eam, in animo habuisset eam deinde examinare, adeo ut non censeri posset vero aliquo sensu catechumenus. Sane, ita arguit Lugo, ex opposita doctrina sequitur, Iudaeos omnes, qui legem Moysis servabant, antequam illis Evangelium praedicaretur, potuisse dormientes baptizari: quia habuerant propositum servandi omnia praecepta divina quorum unum erat de suscipiendo baptismo. Item eos infideles, qui habent ignorantiam invincibilem verae fidei, posse etiam dormientes vel certe si in phrenesim inciderint, baptizari (saltem sub conditione); habuerunt enim fortasse desiderium procurandae salutis suae et faciendi quod ad ipsam necesse esset.

Atqui haec, ait, constat esse absurda. Discrimen est ergo inter hunc casum et praecedentem n. 701. Facile intelligitur, christianum velle christiane mori secundum eos ritus, quos in sua religione cognoscit; at Iudaeum velle, eo ipso quod bonus est, christiane mori haud facile intelligitur neque id videtur ab Ecclesia praesumi.

Iam Clemens XI. 1703. 25. Ian. feria 5ª in Congr. S. O. iusserat ad missionarios rescribi: « non licere baptismum conferre, si missionarius sit moraliter certus, barbarum infirmum non sufficienter, iuxta proprii captus mensuram, intellexisse mysteria christianae religionis aut ea sufficienter non credere ». Scilicet in adulto fides necessario praevertere debet, ut eadem s. C. S. O. declaravit in Instr. data 1860. 6. Iun. « Explorata res est, ait, tres in adulto requiri dispositiones ad baptismum rite suscipiendum, fidem nempe, poenitentiam et intentionem illum percipiendi ». Anno 1898. S. C. S. O. interrogata « utrum missionarius conferre possit baptismum in articulo mortis mahumodano adulto, qui in suis erroribus supponitur in bona fide, 1° si habeat adhuc plenam advertentiam, tantum illum adhortando ad dolorem et confidentiam, minime loquendo de nostris mysteriis, ex timore ut ipsa crediturus non sit: 2. quamcumque habeat advertentiam, nihil ei dicendo, cum ex parte supponitur, illi non deesse contritionem, ex alia vero prudens non esse loqui cum eo de nostris mysteriis »: die 30 mart. respondit: *Ad* 1^{m} *et* 2^{m} *negative.*

XLI. 3. Invalidum est Sacramentum, 1. quod quis suscipit cum intentione neutrali habens se negative: 2. quod suscipit ficte idest simulate; non tamen quod ficte, idest indisposite: 3. quod per meram vim, animo omnino repugnante, suscipitur. Bon. l. c.

704. Fuit opinio Caietani, quod sufficeret intentio neutralis, se negative habens. Et Caietanus innitebatur verbis illis Innocentii II. in cap. *Maiores, de Baptismo:* « Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariae voluntatis non invenerit ».

Sed difficultas evanescit, integro textu allato, qui se ita habet: « Dormientes autem et amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. Secus autem si prius cathecumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non inveniat obsistentem ».

XLII. 4. Validum est Sacramentum, 1. quod qui accipit, vult quod Christiani accipiunt etsi non credat aut non velit Sacramentum. 2. Quod quis per metum coactus suscipit; cum metus non tollat voluntarium. Matrimonium tamen gravi metu, v. g. iniustae mortis initum, censetur irritum, ut docet Sanch. l. 4. *de Matr.* d. 12. v. 14. C. de Lugo d. 9. n. 133. Et qui ordines gravi metu coactus suscepit, etsi characterem habeat, non tamen tenetur ad continentiam potestque, secluso scandalo, nubere, ut suo loco dicam.

705. Sic haereticorum matrimonia sunt sacramentum; quia licet non credant esse sacramentum, volunt tamen quod Christus instituit et faciunt veri Christiani.

Reliqua plana sunt.

Dub. II.

De licita sacramenti susceptione.

XLIII. Resp. Ad effectum Baptismi et Poenitentiae, requiritur et sufficit, praeter voluntatem sumendi Sacramentum, dispositio fidei, spei et attritionis, non autem requiritur caritas, sive ut gratiam habeat: quia haec Sacramenta dicuntur mortuorum, quod ipsa primam gratiam seu vitam donent. Ad reliqua vero Sacramenta, quae dicuntur vivorum, requiritur, ut sit in gratia; * non autem purissimus amor Dei et omnis mixtionis expers, ut volebat Propos. 23. inter proscrip. ab Alex. VIII. *; quia illa non primam sed secundam tantum gratiam, id est augmentum tantum gratiae conferunt. Etsi subinde per accidens dent primam, cum quis putat bona fide se carere mortali. Laym. d. 6. Bon. d. 1. q. 6. p. 2.

706. Propositio 22. damn. ab Alex. VIII., ita est: « Sacrilegi sunt indicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint ». Et prop. 23., de qua in nota, damnata ab eodem Alex. VIII. est: « Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers ».

Ad recipiendam Eucharistiam praemitti debet confessio et absolutio ab omni mortali, idque ex speciali praecepto a Conc. Trid. asserto et ab Apostolo promulgato. Quoad alia sacramenta communissima et certa est doctrina, satis esse, si praemittatur contritio.

Duplex casus affertur, quo quis in peccato sumere posset Eucharistiam sine novo peccato.

1° Lugo disp. 9. n. 8. si quis in altari recordetur peccati a se commissi et ita arctetur angustiis temporis, ut non possit attendere ad habendam contritionem, nisi cessando a sacrificio inchoato, cum sui honoris dispendio. Tunc enim absque peccato novo posset sacrificium consummare et Eucharistiam sumere; quia Sacramenti reverentia non obligat cum tanto dispendio proprii honoris ». Idipsum autem DD. dicunt de laico accumbente ad mensam communicantium, qui recordaretur peccati mortalis. Ligor. lib. 8. n. 86.

2° Casus est (Lugo *de Euch.* disp. 14. n. 3.) « quando in subita haereticorum vel paganorum irruptione periculum esset gravissimae irreverentiae Eucharistiae inferendae et Catholicus in peccato exsistens non posset prae temporis angustiis disponere se ad contritionem aut occultare sacramentum; tunc enim propter eiusdem Sacramenti reverentiam, sicut posset ex omnium sententia non ieiunus, sic etiam videtur, quod possit in peccato exsistens Eucharistiam sumere, ad vitandam eius irreverentiam ». Perinde enim est, ut alii dicunt, ac si occultaret post parietem: vid. Ligor. n. 86.

707. * Addit A. sacramenta vivorum subinde per accidens conferre primam gratiam; cum nempe quis bona fide accedit sine conscientia peccati mortalis et est tamen attritus, ita ut affectus ad peccatum sit prorsus ablatus. Haec est doctrina s. Thomae 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. q. 79. a 3. Ratio est, ait Gury §. 192., quia Sacramenta semper gratiam conferunt non ponentibus obicem. Haec tamen ratio valde infirma a Suarez censetur, *de Euchar.* disp. 63. sect. 1. n. 10. et, ut videtur, merito; nam cur non dicetur obex ipse defectus vitae spiritualis, nisi iam supponas quod est in quaestione? Ita et Lugo disp. 12. sect. 1. *de Euch.* Quocirca Suarez censet, hoc doctrinae caput ex certis principiis revelationis demonstrari non posse, sed coniici verisimiliter, eos, qui bona fide accedunt putantes se dispositos, gratiam consequi idque consensu plurium DD. firmari (cf. citatos a Suarez) qui id credunt cum s. Thoma, qui ll. cc. id quidem asserit, quin tamen data opera demonstret, tanquam id scilicet ex communi secus accipiens. *

708. Quaestionem heic DD. addunt, an quando sacramenta *valide* sed *ficte* suscipiuntur, reviviscant remoto obice. Qua de re s. Alph. lib. 6. n. 87. Fictio intelligitur, non qua quis sine debita intentione accedit, sed qua sine debita dispositione. Et adverte supponi sacramentum valide suscipi, h. e. verum conferri et suscipi sacramentum: porro, excepta Poenitentia, sacramenta valide suscipiuntur et ab eo, qui non est rite dispositus suaeque indispositionis conscientiam habet.

Iam vero reviviscentia sacramenti in hoc est sita, quod gratia, quae, cum sacramentum conferretur, propter exsistentem obicem, non est data, remoto tandem obice, detur vi sacramenti iam collati.

Itaque 1° baptismi reviviscentiam omnes admittunt. Unde s. Thomas 3. q. 69. art. 10.: « Quando aliquis baptizatur, accipit characterem, quasi formam et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod remota ea per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum ». Removetur autem per poenitentiam peccati, quod erat obex, scil. per contritionem vel attritionem. Vid. Ligor. n. 87.

* Ratio doctrinae est, quia baptismus, propter characterem, est sacramentum manens, ut idcirco effectum suum semper exigere possit et alioquin repeti amplius nequit, semel ac valide collatum sit. Etsi ergo quis adultus, cum conscientia peccati, absque ulla attritione, volens tamen baptizari, ad sacramentum accedat, valide sacramentum suscipit et characterem obtinet; sed sacramentum, ut dicitur, informe est, quia caret effectu gratiae, quam obex impedit. Hoc ergo remoto, vim suam exerit sacramentum et gratia confertur. *

2° Id admittunt etiam de Poenitentia, quam validam esse posse sed informem multi DD. (vid. Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 68.) cum Suarez et Lugo tenent: vide s. Alph. n. 87.

Casus sic proponitur (Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 87.): « Si aliquis, qui commisit duplex peccatum mortale v. gr. alterum furti, alterum odii, confitetur peccatum furti de ipsoque dolet ob specialem turpitudinem et foeditatem furti: de peccato autem odii non dolet neque illud confitetur; quia invincibiliter eius est oblitus. Tunc cum homo apponat veram materiam, sc. confessionem formaliter integram et dolorem efficacem cum proposito absoluto, nihil videtur deesse ad hoc, ut adveniente absolutione fiat verum et validum sacramentum et tamen gratia non confertur; quia datur obex peccati odii non retractati per dolorem aliquem vel formaliter vel virtualiter... atque adeo in hoc casu sacramentum erit validum sed informe ».

Alius casus esse potest (Lugo l. c. n. 89.): « Si homo ex ignorantia invincibili crederet, non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen esset dolor de aliquo; tunc fieret sacramentum validum sed informe... ob ignorantiam etc... Itemque si quis per inadvertentiam inculpabilem doleat solum de uno peccato et non de alio etiam mortali, quod confitetur » (a).

(a) Fateor mihi superesse circa hanc doctrinam difficultatem, quam et in tr. *de Poenit.* sub Thesi 32. significavi. Nimirum validum esse nequit sacramentum, nisi contritio sive

In his casibus (Lugo ibid. n. 100.). confessio illa repetenda non est quoad ea peccata, de quibus dolor sufficiens praecessit et confessio. Et in priori casu satis esset dolere et fateri peccatum odii; in aliis dolere de iis, de quibus non doluit ac rursus ea fateri. Sic removetur obex ac propterea sacramentum praecedens operatur suum effectum quoad ea peccata, quorum dolor et confessio rite non praecesserat, nec opus est ea rursus fateri.

Ratio est, quia supponitur, quod Christus, qui voluit omnia peccata directe per absolutionem tolli, noluerit unquam, ut peccata rite confessa rursus confiteremur.

Affertur autem pro hac doctrina hic textus s. Thomae in 4. disp. 17. q. 3. art. 4. q. 1ª: « Et quamvis tunc non percipiet absolutionis fructum, tamen, recedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam et in aliis sacramentis: unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postea fictionem suam confiteri ».

Sed tum postrema verba, tum alia dubium iniiciunt, num eadem ac nostra, sit quaestio a s. Thoma resoluta.

709. Idem aiunt Lugo et alii DD. de sacramentis characterem imprimentibus, prout de Confirmatione et Ordine. Quia cum haec sacramenta nequeant iterari, videtur id consentaneum divinae bonitati, ne suscipientes relinquantur destituti gratia sacramentali, tam proficua (dixerim necessaria) tum confirmatis ad resistendum tentationibus, tum ordinatis ad obeunda munia clericalia.

Idem DD. dicunt de sacramento extremae Unctionis et de matrimonio: quia congruum videtur, quod, cum extrema unctio non possit iterari eodem mortis articulo, nec matrimonium vivente eodem coniuge, interim fideles non careant gratia sacramenti.

Communiter tamen id negatur de Eucharistia, quae ex sui institutione frequenter potest iterari. Censent quidam tamen non carere eos fructu Sacramenti, qui obicem removeant, antequam consumantur species sacramentales.

* Quoniam, ut sacramentum informe tandem operetur, removendus est obex; quaeritur quae dispositio requiratur, ut obex remotus dici possit. Respondetur, eam dispositionem requiri quae debuisset adesse, cum sacramentum suscipiebatur. Idcirco pro baptismo, sufficit attritio.

---

perfecta sive imperfecta contineat dolorem de peccato admisso et implicite saltem propositum non peccandi de cetero. Porro propositum non peccandi debet esse in eo, qui cum Deo in gratiam redire velit, virtualiter saltem universale: oriri ergo debet ex aliquo motivo universali, quod erit motivum doloris: hypothesis ergo doloris particularis excluderet verum propositum in confessione requisitum et idcirco sacramentum non foret validum: quamvis homo non peccaret, quemadmodum si ex ignorantia inculpabili accederet sine ullo dolore. E.

Si aliquid amplius postulas, effectus secutus non soli virtuti sacramenti, sed et novo adhibito medio esset in acceptis referendus, quod cum sacramenti efficacia non cohaeret. Ac si post susceptum sacramentum, antequam reviviscat, peccatur mortaliter: tunc sacramentum Poenitentiae aut contritio exigitur, ut desinat status peccati, quo desinente et vis sacramenti se exeret prius suscepti; iam enim obex est remotus. *

Unde resolves.

XLIV. Etsi aequaliter dispositi aequalem, magis tamen dispositi maiorem Sacramenti fructum praeter characterem consequuntur; tum quia congruum est, Sacramenta ita instituta esse, ut uberior gratia detur pro dispositione subiecti, tum quia non videtur is, qui vehementem attritionem ad Baptismum vel Poenitentiam affert, omni fructu carere.

Haec in Theologia dogmatica demonstrantur.

XLV. 2. Qui sumit hostiam, quam nescit esse consecratam, cum instar alterius animalis, sine intentione sumendi Sacramentum, sumat, accipit quidem moraliter rem, quae est Sacramentum, non tamen sacramentaliter et cum fructu. Idem docet Bonac. de eo, qui sumit Sacramentum ex causa famis; quod videtur intelligendum, si ex ea sola: neque enim videtur Sacerdos fructu Sacramenti privari, etsi sumpturus calicem simul etiam levare sitim intenderet. Vide Bonac. l. c. n. 30.

710. Ratio prioris est, quia deest omnis intentio sumendi Sacramentum, Cf. Lugo disp. 9. nn. 126. 127.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTALIBUS.

XLVI. Respond. 1. Ceremoniae Ecclesiasticae, quae vulgo dicuntur Sacramentalia, sunt actus externi religionis, ad colendum Deum accommodati. Tales autem communiter vocantur, oratio Dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, eleemosyna, benedictio ab Episcopo, vel Abbate consecrato data, quae ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia et continentur hoc versu:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus.

Ad quae etiam revocantur tunsio pectoris, unctio in Regem et similes: item multae aliae ceremoniae et res etiam ipsae sacrae, quae in Ecclesia partim ab Apostolis traditae, partim postea institutae sunt, ut exorcismi, insufflationes, prima tonsura, benedictiones variarum rerum et personarum, ut ecclesiae, calicum etc. ipsae etiam herbae, lumina, vinum s. Ioannis, cerei agni, signum s. Crucis. Quaeritur ergo, quam vim habeant, non ex opere operantis; cum certum sit, sicuti per alia pia opera, sic etiam iis nos mereri, sed ex opere operato.

711. * Sacramentalia a recentioribus Theologis definiri solent: actiones seu ritus ab Ecclesia instituti sive res ab ea sacratae et benedictae, in utilitatem spiritualem fidelium cf. H. Hurter *Theol. dogm.*

Compend. v. 3. n. 326. Lehmkuhl *Mor. Theol.* V. 2. n. 3. Haec definitio clara est remque definitam satis secernit ab omnibus aliis, tum sacramentis scilicet tum piis operibus actibusque virtutum. Verum ea posita, oportet a sacramentalium numero quaedam excludere, quae veteres recensebant et habet A., nempe orationem dominicam et eleemosynam; has enim Ecclesia non instituit. Non censemus tamen mutandam esse definitionem: nam haec duo per quandam solum analogiam, quam postea indicabimus, enumerata videntur inter sacramentalia.

Sacramentalia plura sunt. Principem inter ritus locum sibi vindicant, Ordines infra diaconatum (si non sunt sacramenta) et prima tonsura, signum crucis, ceremoniae ab Ecclesia institutae pro administratione sollemni sacramentorum, pro celebratione ss. Sacrificii et divini officii recitatione, tum consecratio Virginum, benedictio Abbatum, sacratio Regum, item exorcismi pluresque aliae benedictiones. Inter res eminent altaria, templa, vasa sacra, aqua lustralis, tum agnus Dei, scapularia, coronae, cerei, palmae benedictae etc.

Quaestio de eorum legitima institutione agitur a Theologis dogmaticis et conferri possunt Bellarminus *de Sacram. in gen.* l. 2. c. 29. Suarez *de Sacram. in gen.* disp. 15. sect. 2. et 3. Heic cum A. quaestio fit tantum de Sacramentalium efficacia, non quidem ea, quam habent ex opere operantis in eorundem usu; in hoc enim conveniunt cum ceteris operibus bonis, sed quam habeant ex opere operato. Scilicet quaeritur primo an reipsa aliquid efficiant ex opere operato: deinde quid efficiant.

XLVII. Resp. 2. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam aut remittendi peccata vi sua et per se, sed tantum quatenus in nobis pium motum excitant. Ratio prioris est, tum quia nusquam promissio gratiae aut remissionis peccatorum iis facta reperitur, tum quia peccatum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiae, quam conferendi ea nullam per se habent vim. Ratio posterioris est, quia id accommodatum est Sacramentalium institutioni et consecrationi, quae fit per preces Ecclesiae, quibus ipsa nobis tales motus precatur. Con. q. 71. a. 3.

712. Sententia A. est, sacramentalia vim habere aliquid efficiendi ex opere operato: hanc vero efficaciam in eo esse, ut bonos motus in nobis excitent. Priorem partem A. supponit in Theologia dogmatica demonstratam. Sed eius doctrina, quoad secundam partem, est incompleta.

Et sane ritus, qui in quadam consecratione consistunt, hanc vim habeant oportet efficiendi, ut res vel personae vere sint Deo cultuique divino dicatae, quod per alios privatos ritus non obtineretur. Ita per ceremonias ordinum minorum vere personae ad certum ministerium divinumque cultum, propter Ecclesiae institutionem, deputantur fiuntque perpetuo habiles atque ut tales a Deo acceptantur; quod, citra Eccle-

siae institutionem, sola privata voluntas aut devotio non efficeret. Itaque huiusmodi sacramentalia consecrativa illud efficiunt quod significant; vere enim res vel persona ad certum cultum ac ministerium deputatur.

Sunt alia sacramentalia deprecativa, quae adhibentur personae vel immediate, ut benedictio Episcopi, vel mediate, mediante nempe re in hunc ipsum finem benedicta, ut aqua lustralis: iam vero si eorum efficacia tota pendet ex opere operantis, frustra dicenda foret esse institutio Ecclesiae; cur enim e. gr. potius aqua lustrali quam communi, cum populus aspergitur, utendum est, si huius usus bonus effectus ex devotione solum et merito benedicentis aut eius, qui benedicitur, pendet?

Eo ipso scilicet quod Ecclesia, Christi sponsa, auctoritate ab eodem accepta, huiusmodi instituit ritus vel res sacras, intelligitur iis ex dignitate instituentis, quandam dignitatem et vim apud Deum inesse ad aliquid obtinendum aut efficiendum, quod ex merito operantis seu adhibentis ritum aut rem sacram non proficiscitur. Et sic efficit ad instar operis operati.

713. Quid vero operantur Sacramentalia? Generalis responsio traditur a Theologis (cf. Suarez l. c. sect. 4. n. 7. Hurter l. c.), quem effectum operentur sacramentalia, dignoscendum esse in singulis ex iis, quae Ecclesia dicit, cum e. g. ordines confert, vel ex orationibus quas Ecclesia fundit, quibus certum petit beneficium. Si enim simpliciter consecrat aut ordinat, effectus intentus consequitur ex Ecclesiae ipsius divina auctoritate: si Ecclesia orat, propter suam dignitatem impetrat iis, pro quibus orat, quod petit. Haec utique impetratio non est infallibilis; quia non exstat ulla promissio divina in hac re. Amor vero, quo scimus a Christo diligi sponsam suam et ipsa Ecclesiae institutio sperare nos iubent, impetraturos quod Ecclesia pro nobis petit, nisi obicem ponamus, aut nisi, secundum Dei consilium, aliud magis expediat aut nobis ipsis aut eius gloriae; quod non raro contingere potest, cum e. gr. bona temporalia petuntur, ut in benedictionibus agrorum, frugum, ipsisque exorcismis.

Inter haec beneficia, quae merito Ecclesiae impetrantur, sunt et boni motus sive gratiae actuales: sed non est cur putemus, hunc semper vel solum esse effectum Sacramentalium. Cf. Suarez l. c. sect. 4. n. 5.

Itaque quod spectat ad beneficia divina obtinenda, sacramentalia vi sua non conferunt gratiam sanctificantem, quod proprium est sacramentorum a Christo institutorum, nec conferunt gratias actuales, quae non minus sunt in dominio Dei quam gratia habitualis; sed merito Ecclesiae impetrant, quamvis non infallibiliter, tum bonos motus seu gratias actuales, ad sancte operandum, tum bona temporalia, tum ut vis daemonis compescatur ne noceat, sive in spiritualibus sive in temporalibus, quod adiurationibus et exorcismis fieri solet.

Quoniam vero oratio dominica et eleemosyna adiunctam habent specialem promissionem obtinendae remissionis peccatorum (quae per eas obtinetur, quatenus obtinentur gratiae actuales, quibus ad eam perveniatur) et oratio quidem dominica, propter quintam petitionem, habita ratione verborum Christi Matth. VI. 14.: eleemosyna vero, spectatis verbis Danielis IV. 24.; hinc factum putamus, ut et hac sacramentalibus accenserentur. Sed hoc pacto et quaelibet oratio sacramentalibus adnumerari poterat; habet enim promissionem Dei de obtinendo, quod petitur.

714. Quaeritur, an sacramentalia conferant ad obtinendam remissionem venialium.

Profecto si nullus sit bonus motus in anima, veniale nequit, eo ipso quod sacramentale aliquod adhibetur, remitti: sed sacramentale conferre potest ad pios motus excitandos, quibus peccati remissio obtineatur. *

De venialium remissione loquitur s. Thomas 3. p. q. 87. a. 3., explicans quomodo peccata venialia remittantur: « Ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio (hoc est contra A.); sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestatur peccatum veniale vel explicite vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum ».

« Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. *Uno modo*, in quantum in eis infunditur gratia: quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est; Et hoc modo per Eucharistiam et extremam Unctionem et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundo*, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in oratione dominica petitur: *Dimitte nobis debita nostra*. *Tertio modo*, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt eiusmodi, operantur ad remissionem peccatorum venialium ».

Unde resolves.

XLVIII. 1. Gratiae praevenientes et pii motus conferuntur per Sacramentalia, per modum impetrationis, quae non omnino infallibilem effectum habent.

Iam dictum est.

XLIX. 2. Peccat graviter, qui Sacramentalibus falsam materiam supponit, ut pro aqua lustrali facienda cerevisiam.

715. Sub poena excommunicationis non reservatae prohibitum est *Agnos Dei* pingere, miniare, aut venales habere Gregorii XIII. Bulla 2. *Omni certe.* Tamen, ut ait s. Alphonsus n. 94., licitum est eos vendere secundum materiam, non vero carius quia sunt benedicti; esset enim peccatum iniustitiae ac Simoniae. Illa autem excommunicatio non comparet in Const. *Apostolicae Sedis.*

Licitum est proiicere canibus ossa agni benedicti aut benedicta ova: sicut etiam licitum est uti aqua benedicta et candelis ad usum profanum Ligor. ibid. n. 94.

Missalia, biblia et sacrae imagines non debent adhiberi ad usum profanum: secus dicendum de aliis chartis, ubi incidenter et accessorie inscribuntur nomina sacra. Ligor. ibid.

L. 3. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, per modum impetrationis, ratione precum Ecclesiae. Imo quaedam etiam vim habere (v. g. fugandi daemonem) per modum operis operati, ex singulari privilegio, docent Henr. t. 1. c. 2. Sotus et alii. Quia, inquiunt, etiam Ethnici, in quibus nec intercesserunt preces Ecclesiae nec meritum operantium, quandoque signo Crucis, quod quidam etiam putant de nomine IESU, a daemone liberati fuisse dicuntur: quod tamen alii eorum virtuti obiectivae, quasi naturali, adscribunt: de quo plura apud Schol. Vid. Merat. d. 10. s. 1.

716. * Si virtus obiectiva ea intelligitur, quae sita est in merito passionis Domini, quae signo Crucis repraesentatur, ab omnibus admittitur: secus doctrina exhibetur difficilis intellectu. *

SECTIO II.

DE BAPTISMO.

I. Non agitur hic de Baptismo sanguinis id est martyrio, nec de flaminis seu spiritus id est contritione, cum voto Baptismi, vel desiderio; quia non sunt Sacramenta, sed de Baptismo fluminis, qui definitur: Ablutio corporis exterior, facta sub praescripta forma verborum.

717. Baptismus *flaminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem vel amorem Dei super omnia, cum voto explicito vel implicito veri baptismi fluminis, eiusque vices supplet quoad remissionem culpae, non tamen semper quoad totum reatum poenae, neque unquam quoad impressionem characteris. V. s. Thom. 3. q. 66. a. 11., qui dicit, vocari baptismum *poenitentiae.*

Baptismus sanguinis est sanguinis effusio seu mors tolerata pro fide vel pro virtute christiana, ut docet et probat s. Thomas 2. 2. q. 124. a. 5. Et probabiliter gratiam confert, cum martyr accipit letale vulnus aut cruciatum patitur, licet miraculose non moriatur, ut de s. Ioanne apostolo factum. Ratio, quia mors in causa admittitur. Ligor. lib. 6. nn. 97. et 99.

Hic baptismus aequiparatur baptismo aquae; quia ex quodam privilegio, ratione imitationis mortis Christi, remittit culpam et poenam ex opere operato. Hinc martyres fuere ss. Innocentes; sed in adultis requiritur *acceptatio martyrii saltem habitualiter ex motivo supernaturali.*

Cum ad remissionem culpae requiratur motus poenitentiae, hinc aliquis eiusmodi motus etiam in baptismo sanguinis ad delendas culpas necessarius est, ex omnium sententia.

Alii exigunt perfectam contritionem caritate formatam, alii putant sufficere attritionem. Quaestionem videsis apud Croix l. 6. nn. 238.-239. Utrum verum sit, quod ait s. Alphonsus, probabiliorem esse sententiam, quae exigit caritatem, alii viderint (a).

(a) Haec sententia profecto est difficilis, ne dicam, secum ipsa pugnans. Nam qui verum est, a martyrio remitti culpam, ut affirmat s. Alph., si exigit, ipsam iam esse remissam? nam contritione culpa debetur. Haec sententia placuerit iis, qui et in sacramento Poenitentiae contritionem postulabant et negabant, quavis vera contritione deleri peccata: sed si haec reiicimus, oportet esse cohaerentes et dicere, quod per martyrium attritus fit contritus, quatenus, attritione exsistente, recipit gratiam sanctificantem et habitum caritatis. Et sic habet id, quod postulat s. Thomas 3. p. q. 66. a. 12. ad 2^{m}, docens, sanguinis effusionem, non habere rationem baptismi, si sit sine caritate; caritas enim obtinetur; sed ad eam obtinendam sufficit dispositio sita in attritione, exsistente martyrio, quemadmodum exsistente sacramento. E.

Sine divino instinctu et ubi non exigitur ad avertendum scandalum aliorum, illicitum est se offerre martyrio, ut communiter omnes docent. Hinc concludunt DD., quod peccaret qui cum periculo vitae non edendo carnes se catholicum manifestaret, ubi periculum vitae idcirco intercederet. Ligor. ib. n. 101.

718. * Definitio baptismi, quam A. tradit, accepta est a Magistro Sententiarum: cf. s. Thom. 3. d. q. 66. a. 1. Cum perinde sit *baptismus* et *ablutio*, idem videtur per idem definiri quoad hoc caput: sed vox *baptismus* materialiter accipitur pro ritu seu sacramento, quod quid sit quaeritur. Ablutio intelligenda est ea, quae per aquam fiat et alteri adhibeatur atque praescripta verborum forma non est nisi invocatio Trinitatis. Clarius ergo definiretur hoc sacramentum: *Ablutio corporis alterius per aquam facta sub invocatione explicita Trinitatis.* Qua definitione definitur sacramentum, prout est ens compositum physicum: prout vero compositum est metaphysicum ex re significante atque significatione, definitur breviter *sacramentum regenerationis.* Cf. Suarez in art. cit. s. Thomae.

Dices priorem definitionem non esse bonam: quia haberi potest quidquid ea exprimitur et non haberi sacramentum baptismi; nam quis alium imo et seipsum abluere potest, invocata Trinitate, quin sacramentum sit, si ob alios fines se abluat et ex devotione invocet Trinitatem. Scilicet ut completa definitio exsistat, oportet in priore et alterius mentionem fieri: *ablutio* nempe *corporis per aquam ab alio facta, qua, sub invocatione explicita Trinitatis, homo regeneratur.* Sed haec dogmaticis relinquimus.

Dub. I.

De materia baptismi.

II. Respond. Materia remota licita est aqua consecrata, si haberi potest: valida est omnis et sola aqua elementaris, quae morali hominum aestimatione sit naturalis et usualis, qualis est putei, maris, paludis, pluviae etc. Item resoluta ex nive, grandine, glacie, licet accidentaliter quoad calorem, saporem et odorem, alterata sit, ut aqua sulphurea, lixivium, iusculum ita tenuiter carne decoctum, aut aqua alteri corpori ita modice admixta, ut usum communem et aestimationem aquae retineat. Ratio responsionis est ex Ioan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Quam s. Thom. confirmat triplici congruentia. 1. Est maxima commoditas aquae. 2. Eius facillimus usus. 3. Aptitudo ad significandum effectum, qui est emundatio a peccato.

719. Agit primo loco A. de materia remota. Recte A. distinguit materiam licitam a materia valida: quia, non in omni casu quae est valida, est etiam licita, et contra neque quae est licita, semper est *certo* valida.

Quod ergo ad liceitatem attinet, ubi nulla necessitas aliud exigat, materia licita est sola aqua pura, communis et usualis et generatim ea, quae communiter appellationem aquae simpliciter obtinet: insuper, dummodo haberi possit, debet esse aqua consecrata in hunc finem, ut per eam sacramentum conferatur, qua de re in dub. 5.

Quando vero necessitas urget, tunc licet adhibere non benedictam; imo si materia certe valida in promptu non sit, licet adhibere etiam materiam dubiam; neque solum id licet, sed est praeceptum. Oportet enim, meliori modo, quo fieri potest, succurrere indigenti et reverentia sacramento debita exhibebitur, si sub conditione administretur.

Unde resolves.

III. 1. Inepta materia Baptismi est saliva, lotium, lacrymae, sudor, cerevisia: item aqua sic permixta, ut non amplius sit apta ablutioni nec vocetur aqua, v. g. lutum, brodium, vinum lymphatum: item aquae artificiales ex rosis, herbis succisque expressae: denique nix, grando, glacies non resoluta. Ratio est, quia morali hominum aestimatione non censetur aqua naturalis et usualis. Laym. l. 5. t. 2. c. 3. Bon. d. 2. q. 2. p. 1.

720. Mirabitur quispiam forte, quod quaedam quaestiones moveantur de materia. Atqui id necesse est; quia nempe necesse est nosse, quae certe valida, quae dubia sit, quae certe invalida.

Necesse est nosse certe validam; 1° ut ea in casu adhibeatur prae alia: 2° nec rursus baptizetur qui valide baptizatus est.

Necesse est nosse dubiam et quidem etiam quae tenui probabilitate valida dubie sit; 1° ne amittatur usus illius materiae, aliis deficientibus, in casu necessitatis; 2° ut constet, quando sub conditione iterandus, si locus detur, sit baptismus.

Demum necesse est nosse certe invalidam; 1° ne unquam haec etiam in necessitate adhibeatur: 2° ut sciatur, an absolute baptismus sit iterandus.

721. * Quaestio est de nonnullis, quae heic tangit A. Et primo de *brodio,* quod est carnium elixarum ius (brodo). Materiam esse ineptam baptismo affirmat heic A.: etsi in resol. 2. dubiam dicere videatur: s. Thomas e contrario per decotionem carnium negat solvi h. e. tolli speciem aquae et sic per eam censet baptizari posse: nisi forte (addit) sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine perspici potest ». Subdit: « si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut in aqua, quae exprimitur ex luto » q. c. a. 4. ad 2.

Censet ergo s. Thomas, aquam, in qua per calorem caro elixatur, manere eamdem specie cum admixtione extranei corporis. Si ita est,

re physice spectata, videtur brodium, quandiu liquidum manet, esse materiam aptam.

Verum in hac re quaestio physica parum referre videtur. Christus enim instituens aquam materiam sacramenti, non ad opiniones philosophorum, quae variare possunt, sed ad communem sensum res exigi voluit; ut ea esset aqua, quae communiter aqua dicitur et quae proinde iis usibus adhibetur, quibus solet adhiberi aqua. Porro si sensum usumque communem attendas, nemo poscenti aquam affert ius seu brodium. Quia tamen, si nulla mutatio aquae ex decoctione carnium contingat, substantia aquae, quam Christus voluit materiam esse sacramenti, etsi non specie tenus, re tamen manet; hinc saltem istud ius materia erit dubia. Profecto, quod a viro peritissimo in re chimica accepi, aqua quidem per elixationem carnis substantialiter non mutatur, manente eodem composito ex hydrogene atque oxigene, at penitus modificatur non secus ac eadem, per commixtionem cum alcool, modificatur in vino. Itaque si in iure parva sit solutae carnis commixtio, manente adhuc, etiam secundum communem sensum, specie aquae, materia erit valida certe (etsi non licita, nisi urgente necessitate): si magna sit commixtio, materia erit dubia.

Idem de aqua ex rosis expressa dicendum; artificialis enim est aqua, non quatenus arte aliquid simile factum sit rei naturali, sed quatenus arte expressa est ex mixto aqua naturalis, retinens tamen moleculas aliquas alterius corporis, a quibus est odor. *

Item nix, glacies, grando, cum non resolvuntur (quod tamen ex contactu corporis facile, quantum satis est, fieri potest, praesertim in nive), non sunt materia apta, etsi sint ex se aqua in solidum statum concreta; quia, ut ait A., morali existimatione non censentur aqua neque his corpus abluitur. Ablutio enim, quae, ut dicemus, est materia proxima, postulat, ut aqua per corpus stillando decurrat.

Ex doctrina s. Thomae l. c. colligit s. Alph. materiam aptam esse aquam mixtam cum alia re, quae sit minoris quantitatis; quae doctrina principii loco haberi potest.

Salivam non esse materiam aptam docuit Innocentius III. c. 5. *de Baptismo*, ubi loquens de baptizatis conspersione salivae in caput ac pectus ac inter scapulas, ait: « dubitare non debes, illos verum non habere baptismum ».

IV. 2. Quia de quibusdam tum ex dictis tum aliis dubium est, v. gr. de iusculo et cerevisia valde tenui, lixivio (et secundum Gran. in 3. p. c. 4. tr. 1. d. 3. dub. 2. aqua rosacea); hinc in necessitate licet illis uti, etsi postea Baptismus sub conditione sit repetendus. V. Escob. Laym. Bon. ll. cc.

722. Iam explicata sunt in praeced. Adde ex s. Alph. l. c.; materiam dubiam esse liquorem fluentem ex vite aliisve arboribus; quia

forte aquam veram continet, item materiam dubiam esse glaciem et nivem; nam quibusdam saltem doctoribus certum haud est, esse ea materiam ineptam. Sed paululum aquae exinde resolvi facile potest vel ex glacie.

V. 3. Uti aqua impura, vel non consecrata, cum alia haberi potest, est grave peccatum, ob Sacramenti irreverentiam. Bonac. l. 1. c. 1. n. 7. Dian. p. 9. t. 6. r. 3. et alii quinque, licet Granat. et Quintanad. putent, non esse mortale uti non benedicta.

723. Quod grave peccatum sit non adhibere consecratam aquam, non satis efficaciter probari videtur.

AA. illi (unus post alium) recurrunt ad Cap. un. *de Baptismo* in Clementinis lib. 3. tit. 15. Sed inde hoc non eruitur. Ita enim habet: «Praesenti prohibemus edicto, ne quis de cetero in aulis vel in cameris aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi exstiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus praesumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii similia attentare non praesumant». Ex quibus patet vetari baptismata privata; sed non dicitur, quod tota ratio resideat in necessario usu aquae ad hoc consecratae.

Ceterum hic casus plane otiosus videtur: vix enim fingi potest, qui habens in promptu fontem baptismalem, velit alia aqua uti.

Ligorius ad h. l. refert sententiam communem, non requiri aquam benedictam in baptismo privato. Addit, Collet velle, ut etiam in hoc adhibeantur consecrata, aut saltem lustralis aqua. Et quod ad illam spectat, si id non de obligatione accipiatur, sed propter decentiam id suadeatur atque consuetudo et circumstantiae id permittant, nulla est difficultas. Fieri tamen potest, ut id non semper liceat. Nam ex. gr. in Synodo Ianuensi habita sub Card. Tadini c. 5. §. 1. *de Bapt.* interdictum est, ne in baptismis privatis collatis aqua consecrata quis utatur.

Quod vero dicitur de aqua lustrali, id quidem praeceptum esse non constat: suaderi tamen potest; nam et si C. P. F. in Tonkin. 1806. et s. C. Offic. 1839. 17. April., si aqua consecrata evaserit foeculenta, non eam esse adhibendam rescripserunt, sed potius aquam non consecratam, *praesertim si sit benedicta.* Ita in Conc. Westmon. 1° c. 16. n. 8. praecipitur, ut cum redeuntibus ab haeresi confertur sub conditione baptismus, « huiusmodi baptismus non fiat publice, sed omnino privatim, cum aqua lustrali et absque ceremoniis ». Verum hoc ultimum non est ex lege communi, sed privilegio.

Aqua baptismalis, quae in baptisterio servatur, bis in anno conficitur

in Sabbato sancto et in vigilia Pentecostes eaque oleis recens in Coena Domini consecratis consecranda est: si olea haberi nequeant uti licet veteribus. Ita s. R. C. 23. sept. 1837. in Oriolen.

Consecratio aquae baptismalis potest et aliis temporibus fieri: si timor est, ne cessatura sit aqua consecrata, licet admixtione aquae naturalis, in minore tamen quantitate, eam producere. Rituale Rom. *de Baptismo,* nn. 3.-7.

VI. Respond. 2. Proxima materia Baptismi est ablutio. Quae valide fit tribus modis, scilicet immersione, aspersione, infusione, iuxta praxim diversarum Ecclesiarum, quae servanda est, ita ut morali hominum iudicio censeatur esse lotus. Ex praecepto tamen caput abluendum est, quod praxis Ecclesiae habet. Ratio est, quia quolibet horum modorum fieri potest ablutio. Et quidem trinam mersionem non esse necessariam, constat ex Concilio Toletano. Ubi tamen trina vel immersio vel infusio usitata est, sine gravi peccato extra necessitatem non potest praetermitti, ut docet s. Thom. etsi alii, secluso scandalo et contemptu, dicant esse tantum veniale. Laym. l. c. n. 4. Bon. l. c.

724. * Clare oportet definire, in quo sita sit ablutio, quae est materia proxima Eph. V. 26. Hebr. X. 22. Suarez disp. 20. sect. 2. n. 4. rem sic declarat. Primo ut ablutio sit, requiritur contactus physicus: secundo requiritur contactus successivus, ut aqua nempe per corpus diffundatur et successive illud contingat; nisi eodem in instanti plures partes aquae iactae pertingant ad plures partes corporis, quo in casu vera adhuc ablutio haberetur. Contactus autem dupliciter haberi potest, vel admota aqua ad corpus, ut in infusione, vel corpore ad aquam, ut in immersione.

Tertio distinguenda est ablutio ab emundatione sordium, haec est enim eius effectus, qui et deesse potest, exsistente ablutione; porro in baptismo mundatio corporis a sordibus non postulatur; non enim huc spectat 1ª Petri III. 21.: satis est esse ablutionem, quae mundationem animae significat et efficit. Hinc fieri quoque potest, ut cum ablutione corpus coinquinetur, si aqua ex. gr. sordida adhibeatur, puta expressa ex luto.

725. Quaestio est, quanta debeat esse ablutio: nempe 1° quot partes corporis et, si non omnes, quas oportet successivo contactu aquae tingere: 2° quae quantitas aquae necessaria est. Quibus quaestionibus facilior est responsio negans quid postuletur, quam affirmans quid sufficiat. Sane certum est, non requiri ut totum corpus abluatur; nam neque id necesse est, ut vere dicatur homo simpliciter ablutus neque id habet Ecclesiae praxis. E contrario si per supremam partem digiti tantum aqua diffluat non videtur posse dici corpus ablutum et res ad summum est dubia.

Si in capite fiat ablutio, haec est certissima et sufficientissima

materia: si cum id commode fieri nequit, fiat ablutio in scapulis aut in pectore vel in humeris, erit satis certa et indubitata materia, ait Suarez n. 11.: quibusdam tamen id non est adeo certum, ut videbimus sub resol. 4ª. Si ablutio in pede vel manu fiat infantis, nondum plene egressi et mori periclitantis, res dubia est atque, si infans evadat periculum et plene nascatur, sub conditione baptizandus est, ut ipsum Rituale Romanum praescribit; quod quidem id praescribit, quoties infans haud plene egressus, non fuerit in capite baptizatus l. c. n. 16. Cf. et s. Thom. q. 68. a. 11. ad 4. Et generatim norma ab eodem Rituali praescripta pro quolibet eventu accurate servanda est.

Quod spectat ad aquae quantitatem, illud universim dicendum est, eam aquae quantitatem requiri, quae requiritur ad abluendam seu contingendam successive partem sufficientem corporis. Cum ergo aqua decurrens fluat, non magna quantitas aquae postulatur.

Existente sufficiente ablutione et pronuntiata forma perficitur sacramentum: ideoque si trina immersio adhibetur, ut ea triplex immersio sit sacramento materia, oportet ut forma absolvatur simul cum tertia immersione: secus si forma ex. gr. completur cum prima immersione, iam sacramentum exstat, habens omnia essentialia requisita et aliae duae immersiones accidentaliter accedent.

726. Triplex ait A. est ablutionis modus: immersio, infusio, aspersio: ideoque quilibet ex his sufficit. Primus antiquitate commendatur, usu apostolico et certa significatione, de qua Paulus Rom. VI. 4. Coloss. II. 12.

Non esse tamen hunc modum necessarium docet tum Ecclesiae constans a tot seculis praxis et vetustissima praxis baptizandi aegros decumbentes, tum explicita testificatio in pervetusto opere recens detecto Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων c. 7., ubi baptismus per infusionem certis in casibus commendatur. Olim quidem baptismus per immersionem frequentabatur et in Ecclesia latina: sed in ea a sec. XIII. invalescere coepit usus baptismi per infusionem. Tertius modus per aspersionem non raro dubitationem gigneret: an valide sacramentum sit administratum, an aqua nempe corpus, non vestes solum, tetigerit, an per corpus fluxerit: idcirco non est in usu. Rituale Romanum ritum primum vel alterum retinendum praecipit, pro ecclesiarum consuetudine n. 10. Ritum vero Ecclesiae non observare, etsi per se non necessarium, grave per se esse peccatum docet s. Thom. 3. p. q. 66. a. 8. *

Unde resolves.

VII. 1. Non vere baptizatur, cuius nulla pars immediate tangitur, v. gr. infans in utero vel cista: vel adultus, cuius vestes tantum sint aspersae. Laym. Bon. ll. cc.

727. De baptismo qui conferri potest infanti adhuc in utero existenti, iam alibi dictum vol. II. 911.

* An valeat hic baptismus, dummodo aqua infantem attingat, non est ratio ulla dubitandi ex eo quod adhuc infans sit in utero: etsi enim homo nondum sit natus h. e. in lucem editus, est tamen iam genitus, unde regenerari potest et sicut iam contraxit peccatum originale filiusque est irae, ita capax est recipiendae sanctitatis. Adde et conceptionem in scripturis nativitatem vocari Matth. I. 20.: sive eodem verbo γεννάω et conceptionem Domini Matth. I. 20. et nativitatem ex aquis Ioann. III. 3. 5. repraesentari. Nihilominus, quia in his tutius sequi oportet, decrevit s. Cong. C. 12. Iul. 1794. ut « foetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo sub conditione rebaptizetur ». Sane qui certum esse potest, quod vere infans in capite sit tinctus ?

Sunt qui dicant, non obstare, quod adhuc infans sit secundina involutus; nam haec censetur veluti pars infantis Gury V. 2. §. 239.; at quanta est huius philosophicae opinionis probabilitas? *

VIII. 2. Non requiritur ad valorem, ut qui baptizatur, emergat ex aqua: quod tamen grave peccatum est, esto nihilominus moriturus esset baptizandus. Laym. c. 3. n. 5. uti etiam matrem nihilominus morituram, vel mortis ream aperire, ut infans baptizetur. Laym. l. 5. t. 2. c. 3. n. 2. ubi unicum casum excipit, si nimirum mater sit morte digna, et si supplicium differatur, infans certo sit moriturus ante nativitatem. Verum recte addit ex Suarez, casum hunc vix moralem et practicum esse Vid. l. c.

728. * Necessitas emersionis ex eo probabatur (s. Alph. n. 106.), quod deberet esse triplex immersio, quod et Christi resurrectio repraesentaretur et quod baptizandus non esset suffocandus. Verum si neque baptismus per immersionem necessarius est, nec triplex immersio eiusque specialis significatio necessaria erit; sufficit sane ablutio.

Atqui et in immersione, quam non excipiat emersio, ablutio verissima haberi potest, antequam baptizandus sub aquis moriatur; ergo, etsi peccetur suffocato homine, verus tamen baptismus obtinet. Cf. n. seq. *

IX. 3. Invalidus est Baptismus, 1. si quis labatur in aquam, vel ab alio proiiciatur et tamen formam pronuntiet: 2. Si formam pronuntians teneat puerum et alter abluat, aut aquam effundat: 3. si aqua e fonte prosiliente aut stillicidio decidente, baptizandus ei se submittat. Ratio est, quia in his non tu, sed alter abluit. Bon. p. 3.

729. * Quaerit s. Alph. l. c. an valeat baptismus, si quis proiiciat infantem in flumen, una pronuncians formam et allata sententia ne-

gante, quia deest emersio et quia ablutio non est a ministro in corpus baptizandi sed a mole corporis in aquam, tum affirmante; quia nullum ex elementis baptismi deest: concludit utramque esse probabilem et, si proiectus in aquam evadat incolumis, esse sub conditione rursus baptizandum.

Ceterum argumenta prioris sententiae nulla sunt: quid enim prius valeat, iam vidimus: alterum efficeret, baptismum per immersionem haud valere. *

Nunquam, ait s. Doctor n. 106., licet hoc pacto baptizare infantem (iam iam moriturum et cui aliter nequeat subveniri); quia haec esset directa occisio.

Licet tamen aqua gelida baptizare, si alia praesto non sit, etsi ex ea mors sit certo acceleranda; quia mors per accidens eveniret: eo quod talis actio per se tendat ad ablutionem, non ad occisionem. S. Alph. n. 106.

Est ne reipsa in hoc duplici casu discrimen? Proiectio infantis in flumen est actio non tantum accelerativa mortis, sed directe occisiva: perfusio aquae gelidae mortem per se non infert, sed per accidens, ratione subiecti iam male dispositi. Aliud vero est actio per se occisiva, aliud actio per accidens illativa mortis. Hanc ob iustam causam licere aiunt; tum quia mors per accidens sequitur, tum « quia eo casu potest negligi parva illa vitae iactura, ut infans vitam aeternam consequatur ». S. Alph. l. c. in fine.

* Quae demonstratio difficilis est. Nam acceleratio mortis prohibita et ipsa est, non secus ac illatio mortis: porro aqua gelida est vere per se causa accelerationis eiusdem ideoque in concreto perinde est infanti proiici in flumen et gelide perfundi: mors aeque necessario utroque in casu sequetur. Si porro licet brevem vitae iacturam negligere, cur non licebit et in flumen proiicere, cum aliter salus aeterna infantis procurari nequit.

Hinc cl. Lehmkuhl c. n. 62. 5. ait: « si ille modus baptizandi (proiecto infante in flumen) solus possibilis esset atque baptizandus infans non solum in periculo utcumque sine baptismo pereundi versaretur, sed vere iam iam moriturus esset; non videtur illa actio illicita, ex qua sequitur *aeque immediate* et baptismi vere sat probabilis collatio et aliqualis mortis acceleratio: v. Reuter *Theol. Mor.* p. 4. n. 86. 6. cum Suarez et aliis et Lacroix l. 6. p. 1. n. 264. Sicuti communi suffragio auctores licitum esse declarant, imo obligationem, puerum mox moriturum baptizare aqua omnino frigida, si alia haberi nequeat, etsi ex eius contactu mors acceleretur. Cf. s. Alph. l. c. n. 106. in fine ». *

730. Validum admittitur baptisma, si quis supponat infantem vel adultum aquae decidenti; nam quoad actionem abluendi, nonne id

tantundem est, ac in aquam immergere? Quidam tamen negant, si aqua non e tecto aut fonte similive origine decidat, sed ope alterius hominis dimittatur; quia videtur alius esse qui materiam applicat, alius qui formam. Verum si, eo fundente aquam ad modum fontis, ille, qui formam pronunciat, admoveat hominem ad aquam, non video discrimen; nihil enim refert, unde sit aqua: s. Alph. n. 106.

Nihilominus, quia aliqua causa dubitandi occurrit; ita baptizatus erit iterum sub conditione baptizandus.

Si quis labitur in aquam aut in eam se demittit vel se submittit aquae fluenti, altero edicente formam, nihil fit; quia falsa esset forma: *ego te baptizo.*

X. 4. Ob probabilem utrinque sententiam, dubius est Baptismus, ideoque, si in necessitate sit datus, repetendus sub conditione, 1. si tantum una, vel altera gutta sit adhibita, v. g. si more aquae lustralis multitudo sit aspersa. Quod sine necessitate non licet, cum ad ablutionem non videatur sufficere quicumque aquae contactus, sed requiri successivus, cum aliquo motu Bon. l. c. n. 13. ex Suar. Con. etc. In casu tamen necessitatis sic baptizare concedit Maerat. t. 3. d. 2. sess. 4. Gramadus in 3. p. c. 4. tr. 1. d. 4. n. 1. 2. 2. Si tantum sit abluta pars minus principalis, v. gr. digitus, manus vel pes. Nam si pars principalis, v. g. scapulae vel pectus, nemo dubitat. 3. Si tantum crines sint tincti, licet Card. de Lugo *Resp. mor.* l. 1. d. 1. hunc validum esse contendat. 4. Si infans tinctus sit involutus adhuc secundina sua, idest pellicula corpori agnata: in necessitate tamen in praedictis casibus Baptismus debet conferri sub conditione. Hurtad. *de Bapt.* d. 1. diss. 12. V. Laym. l. c.

731. 1° Quod dicitur de una vel altera gutta, dubium est inter DD.: negari communiter ait s. Doctor n. 107. q. 6., quod ea sit materia sufficiens, praesertim si gutta non fluat. Probabilius ergo, auctore eodem s. Alph., est materia dubia.

Si autem baptizans madefactum digitum traheret super partem corporis baptizandi et sic illum ablueret, quidam certe validum censent baptismum, imo hanc sententiam communem dicit s. Doctor l. c.

2° Quoad ait A. neminem dubitare, si ablutae sint (solum) scapulae vel pectus, verum haud est; nam id certum esse affirmat quidem Suarez disp. 20. sect. 2. n. 11., ut iam vidimus n. 725.: at s. Thomas et Rituale Rom. aliter sentire videntur. Hinc et s. Alph. rebaptizandum censet sub conditione: quia tutius heic sequendum l. c. q. 4.

3° Quod spectat ad crines, si qui caput tegunt abluantur, probabilissimum est, validum esse baptismum; quia sic vere caput abluitur: sicut Episcopus in ordinatione vere caput tangit, dum solos capillos immediate tangit: ita Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 1. Nihilominus, quia non pauci negant eius valorem, erit baptismus iterandus sub conditione. S. Alph. l. c. q. 3.

4° Alias diximus (Vol. II. 911. 4.) disrumpi secundinas posse et infantem in utero immediate baptizari. Secus, cf. dicta resol. 1ª.

XI. 5. Cum terna usurpatur effusio aut immersio, ad nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, iuxta praxim Ecclesiae, cavendum, ne ter, sed semel tantum pronuntietur forma. Quae rectius ita profertur, ut ante tertiam ablutionem non finiatur; quia forma, cum quacumque prima ablutione, Baptismum constituit. Reg. l. 27. c. 3. Laym. l. 5. t. 1. c. 3.

Iam dictum est n. 725.

Dub. II.

De forma Baptismi.

XII. Resp. Forma necessaria Baptismi est haec: *Ego te Baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.* A qua non differt illa Graecorum substantialiter: *Baptizetur* (vel, ut Arcudius vult, *baptizatur*) *servus Christi, in nomine Patris etc.* Porro quinque sunt, quae significantur in prolatione formae, iuxta quae valor eius debet expendi. 1. Persona baptizantis, saltem implicite: quod in forma Graecorum non negligitur, cum τὸ baptizetur, idem valeat, ac baptizetur a me. 2. Actus baptizandi; quia alioqui forma non haberet connexionem cum materia eamque non determinaret, cum ablutio ad varios fines possit referri. 3. Persona baptizandi; quia uti ablutio, ita et forma circa certam personam versari debet. 4. Unitas divinae naturae, quod fit per voces, *In nomine.* 5. Trinitas personarum idque explicite et distincte vulgaribus vocabulis. Fill. c. 3. Laym. c. 4. Bon. p. 4.

732. Formam hanc esse baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, docet Rituale Romanum l. c. n. 8. Necesse esse, ut minister actionem exprimat, dicendo: *baptizo*, testatur prop. 27. ab Alexandro VIII. proscripta 7. Dec. 1690. *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc. praetermissis illis: Ego te baptizo.*

Forma Graecorum non est optativa aut imperativa: *baptizetur* etc., ut veteres scholastici censebant (qui nihilominus validam eam habebant, saltem ex Ecclesiae eam probantis auctoritate atque validam declaravit s. C. Off. 10. Mart. 1590.), sed indicativa: *baptizatur* etc.

A. ait quinque esse significanda in forma. Quod dicit primo loco, personam baptizantem *implicite* significari in forma graecorum, accipiendum est non de significatione quam vox *baptizatur* per se suggerit, sed de ea, quam exhibet tota actio exercita. Sane s. Thomas negat Graecos attribuere ministris actum baptismi q. 66. a. 5. ad 1. sed ait, exprimi actum exercitum per ministerium.

Ut quod secundo loco dicitur, intelligatur, advertendum, quod verbum *baptizo* iunctum cum debita intentione ministri aequivalet huic formulae: ego confero tibi sacramentum vel ritum sacrum seu religiosum baptismi sive ablutionis: aliis verbis: ego te baptizo, abluo ablutione sacra, qualis fit in Ecclesia. Iam vero haec ministri affirmatio necessaria est, quemadmodum dicit A., ut sensibiliter ablutio et invocatio ss. Trinitatis ad certam ablutionem, sacramentalem nempe, determinentur. Cetera clara sunt et in resoll. magis patebunt.

Unde resolves.

XIII. 1. Valide baptizat, etsi venialiter peccet, qui pro *baptizo,* dicit, *abluo, mergo etc.* vel pro *Te,* utitur communi nomine, Graecorum more, vel proprio, ut baptizo *Petrum,* vel qui honoris causa dicit, baptizo *dominationem vestram.* Laym. c. 4. n. 9. Bon. p. 4. n. 9. et seq.

733. * Nulla difficultas quoad valorem; manet enim eadem prorsus significatio: prohibita est autem quaelibet privato arbitrio facta mutatio in formis sacramentorum: quia vero heic mutatio levis est, culpa erit venialis.

Rituale Rom. iubet l. c. n. 9. latinum presbyterum latina forma semper uti, h. e. non graeca, idque sub gravi praecipitur.

Monent DD., quod cum lingua vulgari utendum est (quod expedit idiotis), consultum est, retinere verbum sollemni usu Ecclesiae probatum *baptizo* secundum propriam linguam inflexum (ex. gr. battezzo); sic enim actio sacra melius exprimitur: nisi ipsa vulgaris lingua vocabulum proprium habeat, ut apud Germanos est verbum *taufen,* ad ipsam sacram actionem significandam. De voce, qua identidem Angli utuntur, *τῷ christen,* cf. Lehmkuhl V. 2. n. 63. sub finem. Lege Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 3., Tamburini *de Baptismo* §. 5. n. 51. seqq. *

XIV. 2. Valet forma, etsi omittat *Ego* et *Amen;* quia omnia significata per formam salvantur, secus si omittat *Te;* quia non significatur persona baptizandi, ibid.

734. * Omissio pronominis primae personae in lingua latina nullam ambiguitatem gignit ideoque levem culpam nequit excedere. In pluribus vero linguis modernis, ut germanica, gallica, pronomen postulatur ab ipsa grammatica. Nobis necessaria non est expressio pronominis, ut oratio clara sit et expedita: *Ti battezzo nel nome* etc. Sed quantum fieri potest, tenor linguae ecclesiasticae servandus est.

Nescio, cur quidam litigent circa omissionem vocis *amen;* nam Rituale Romanum eam non habet l. c. n. 8.

735. Quid si omittatur praepositio *in:* Ego te baptizo nomine Patris etc.? Haec omissio aliquod dubium circa valorem excitat, ait Lehmkuhl n. 64. c. Porro apud s. Alph. qui affirmant et qui negant vitiari formam ea omissione, supponunt sensum formulae esse vel *auctoritate Patris* etc. vel *invocato nomine Patris* etc. Et sane hunc sensum communiter interpretes tradunt: cf. a Lapide et Maldonatum et Calmet in h. l. eumque supponit Ecclesia Romana, validum censens baptismum hac alia formula collatum *cum nomine,* quae sine mala intentione sit adhibita; quod ex declarationibus C. C. 16. Aug. 1828. 23. Mart. 1720. 24. Maii 1727. manifestum fit. Iam si formula *in nomine* valet *auctoritate,* omissio praepositionis sensum non mutat. Si

valet: *invocato nomine Patris* etc. seu *invocato Patre* etc., hic sensus, omissa praepositione, minus clarus est; quamvis ablativum *nomine* accipi possit pro complexo *cum nomine*, h. e. adhibito seu invocato nomine Patris etc. Cum autem dubium sit, quinam ex duobus sit sensus proprius et immediatus formulae *in nomine;* cum alter sensus non clare exprimatur, dubia erit forma propter omissionem praepositionis et in praxi erit sub conditione repetendus baptismus, ut s. Alph. concludit n. 112. (a).

Eadem ex causa dubia erit formula, quam A. meminit in seq. resol. *Ego te baptizo in virtute, maiestate Patris* etc.

736. Quid vero si omittatur coniunctio *et?* Si omittas solum priore loco ante nomen *Filii*, non est cur dubitetur de valore formae; omissio enim illa non tollit significationem distinctionis inter Patrem et Filium, quae iam per ipsa nomina manifestatur et praeterea hic usus est non rarus loquendi, ut cum plura nomina coniunguntur, ante postremum tantum coniunctio ponatur. Hinc baptismum ita collatum vetuit Congr. Conc. vel sub conditione iterari: cf. citatas declar.

Si omittatur coniunctio secundo loco, dubitatur de valore formae, praesertim si priore loco ponatur; *in nomine Patris et Filii Spiritus sancti;* nam Spiritus sanctus videri potest appositum Filii et sic sensibiliter non satis exprimitur distinctio personalis. Utique id pendet etiam ex modo pronuntiandi et si pausa opportuno loco fiat et omittatur coniunctio etiam priore loco, satis puto distinctio personarum significabitur: *in nomine Patris — Filii — Spiritus Sancti.* Diximus, si omittatur coniunctio ante nomen Filii; nam hic est nobis usus loquendi, ut cum tria coniunguntur, si ante alterum ponitur copula, etiam ante tertium ponatur; si non ante tertium ponitur, neque ante secundum ponatur. Ceterum si in praxi sit dubio obnoxia forma, in qua omissa sit copula secundo loco, repetendus erit baptismus sub conditione. *

XV. 3. Non valent hae formae, Baptizo te in nominibus Patris et Filii etc.; quia multiplicatur natura seu essentia divina. 2. Baptizo te in Patre et Filio etc. vel cum Patre etc. vel per Patrem: vel in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto vel in fide, virtute, maiestate Patris etc. (quam tamen alii dubiam esse volunt). Ratio est, quia significatur diversitas essentiae, aut certe unitas non satis exprimitur. 3. Baptizo te in nomine Dei vel Sanctissimae Trinitatis vel in nomine Dei unius et trini: vel in nomine trium Personarum: vel Patris et Filii, omissa persona Spiritus sancti. Ratio

---

(a) Graece, Matthaei XXVIII. 19. et alibi exstat phrasis: εἰς τὸ ὀνομα *(in nomen)*, qua significari videtur dedicatio baptizandi in cultum Dei: *nomen Dei* valet non raro in Scripturis tantumdem ac *gloria Dei*, *divina maiestas*. Sed Vulgatus graecam phrasim reddit semper: *in nomine*, ita ut quod sensum intentum, idem utraque dicere credenda sit. E.

est, quia non exprimuntur distincte tres personae. 4. In nomine Domini nostri IESU Christi: qua tamen forma olim Apostolos usos, sed ex speciali privilegio, multi docent, alii negant dicuntque eos baptizasse in nomine Christi, addendo illud nomini secundae personae, non omissis nominibus aliarum personarum. Cum ergo Nicolaus Papa dixit, eam formam valere, vel intellexit, si pro nomine Filii ponatur nomen Christi, vel in nomine Christi, pro vice Christi, intellexit: vel locutus est ut doctor privatus. V. Auctt. citt.

737. * Quod primo loco dicitur, satis est evidens, sive *in nominibus* significet tantum relativa seu personas; quia tunc tacetur unitas: sive absolutum; quia tunc error admiscetur. Quod spectat ad secundum, si omittatur vocabulum *nomen* et dicatur, *in Patre* etc., deest significatio unitatis essentiae personarum; si dicat *in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto*, etsi formula sit catholica, non tamen exprimit, saltem clare, unitatem essentiae personarum.

Invalida est forma: baptizo te *in nomine Trinitatis;* nam exprimendum est quae sit ista Trinitas « h. e. nomina singula Trinitatis proferenda, ut Dominus iussit ».

Formula quoque *baptizo te in nomine Christi* est invalida: sed de hac re disputationem cf. apud dogmaticos. Videbis etiam quae de responsione Nicolai I. ad Bulgaros diximus in tr. *de Rom. Pontifice* inter obiectiones contra Infallibilitatem. *

XVI. 4. Dubiae sunt formae, ob sententiam utrimque probabilem auctorum, 1. Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti vel Baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filii etc. Ratio est, quia non exprimitur unitas essentiae. 2. Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti et Spirati vel in nomine Omnipotentis, Sapientis et Boni vel in nomine Ingeniti, Geniti et Boni. Ratio est, quia Trinitas Personarum non explicatur vocibus, quibus a fidelibus omnibus debet et potest apprehendi. 3. Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti et Mariae Virginis; quia dubium est de intentione Ministri: qui si eo sensu voluit dicere Mariae, quo Patris et Filii et Spiritus sancti, non valet; cum sit contra sensum essentialem a Christo intentum: si vero tantum voluit illam invocare, ut coadiutricem gratiae impetrandae vel aliter, valet; cum tantum sit mutatio accidentalis. Fill. t. 2. c. 3. n. 50. V. etiam Laym. et Bon. ll. cc.

738. * Repetitio τοῦ *in nomine* nocet certe significationi saltem clarae unitatis essentiae personarum; cum haec ipsa significetur in forma baptismi, eo quod tres personae sub uno *nomine* appellantur. Affirmat quidem Suarez disp. 21. sect. 3. n. 10. unum atque idem nomen posse iterum iterumque nominari et invocari absque significatione pluralitatis et idcirco negat hanc formulam aequivalere alteri: *in nominibus:* at certe scrupulus aliquis manere potest.

Nihilominus hanc formulam validam per se esse declaravit s. C. Offic. 13. Ian. 1882. apud Zitelli *Apparatus iuris eccles. de Bapt.* c. 1.

Formula *in nomine Genitoris et Geniti et Spirati* seu *Procedentis,* videri potest idonea, quia tres personae propriis nominibus vocantur et distinguuntur. Nec decisum est, eam esse invalidam. Valere talem

formulam censuit Caietanus 2. 2. q. 66. a. 5. secutus Glossam in c. *Multi* 32. *de Consecr.* d. 4., quae probat has voces: *in nomine Genitoris et nati et sancti Flaminis.* Ratio, cur s. Thomas eam formam non probat, est, ut ait q. 66. a. 5. ad 7^{m}, quia « sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari personae in illa (in hac aut illa) lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum ». Videtur ergo, ut monet Suarez l. c. sect. 4. n. 2., s. Thomas hanc necessitatem utendi his nominibus referre in specialem Christi institutionem. Re enim per se spectata, sententia Caietani non satis apte refellitur: cf. Suarez l. c. At certe dubia est talis forma, quae ratio sufficiens fuit, cur Pius V. in nova editione Commentarii Caietani iuberet, exinde expungi illam doctrinam.

Multo magis dubia est formula: si loco *Patris* ponas *Ingeniti;* nam hae voces non sunt synonymae. Si vero per appropriata significentur personae ut *in nomine Omnipotentis et Sapientis et Boni,* potius quam dubiam, dicerem esse certe nullam formam; quia deest professio Trinitatis explicita et sensibilis, quam Christus iussit. Sane per se ea formula et de una persona, seu de uno Deo non trino in personis dici posset.

Quod A. docet de addito nomine Deiparae iam in praeced. praeoccupatum est. De Sacram. in genere sub § XIV.

739. Qui de hac formula: *in nomine Dei Patris et Dei Filii et Dei Spiritus S.?* Nisi repetitione nominis Dei significatio erroris intendatur (cf. l. mox cit.): per se iam dictione *in nomine* unitas personarum significatur et pro repetitione vocis *Dei* valere poterit quod paulo ante audivimus a Suarez n. 31. Cf. Gobat tr. *de Baptismo* n. 721. probantem hanc formulam simulque testantem solere plures lingua vulgari se signantes, nomen *Dei* addere singulis personis, quin haec specialis ratio signi s. Crucis scandalum alicui gignat. Sed absque peccato scienter adhiberi nequit talis forma in baptismo; cum a forma Ecclesiae discrepet. *

Valetne haec formula: *Ego volo ministrare tibi sacramentum baptismi peccatorum in nomine Patris etc.?* s. Thomas 3. p. q. 84. a. 3. ad 5^{a} formam Sacram. Poenit. *Ego te absolvo,* ita exponit: « idest *sacramentum absolutionis tibi impendo* ». Itaque et forma baptismi haec esse posset: *Ego tibi ministro sacramentum baptismi.* Sed 1° non perinde sunt *ministro* et *volo ministrare:* 2° vocabulum illud *peccatorum* certe sensum perturbat: 3° C. s. O. interrogata de hac ipsa formula a Vic. Apost. Cocincina, respondit 1840. 23. Iunii, baptismum sic collatum fuisse invalidum (Acta s. Sedis 1892. Nov. p. 246.).

Dub. III.

De Ministro Baptismi.

Articulus I.

Quis Minister Baptismi.

XVII. Resp. Valide ministrat omnis homo ratione utens, cuiuscumque fidei vel infidelitatis, status aut sexus. Licite, tanquam minister ordinarius et ex officio Sacerdos habens iurisdictionem aut commissionem, vel ex eius commissione Diaconus. In casu tamen extremae necessitatis, omnis, qui potest valide, etiam facit licite teneturque, ut proximo succurrat. Laym. l. 5. t. 2. c. 7.

740. Quoad validitatem, de fide est, quemlibet hominem sive marem sive feminam, haereticum, infidelem etc. baptizare posse, et hunc baptismum validum esse, dummodo rite conferatur. C. *Firmiter de Summa Trinit.* §. 3. Quoad licitam administrationem, minister alius est ordinarius, alius extraordinarius. Minister ordinarius, ratione ordinis et iurisdictionis ideoque legitimus, est ille sacerdos, cui ex officio competit baptizare, ut ait Eugenius IV. in decreto pro Armenis, scilicet Episcopus et Parochus.

Minister ordinarius ratione ordinis est quilibet sacerdos, cui a competente auctoritate semper potest committi licentia baptizandi sollemniter.

Porro parochus minister est legitimus statim ac ab Episcopo est approbatus. Et haec potestas ita parocho competit, ut sine iusta causa non possit ea privari. Et quia haec illi potestas est ordinaria, potest aliis sacerdotibus committere administrationem.

Minister extraordinarius est primo Diaconus, cui, rationabili exsistente causa, etsi non sit extrema vel quasi extrema necessitas, committi potest sollemnis quoque administratio sacramenti: liquet ex Pontificali Romano in Ordinatione diaconi. Tum ceteri, necessitate exsistente, qui tamen non sollemnem, sed privatum solummodo baptismum conferre possunt. Quae differentia, ait Filliuccius *de Bapt.* n. 71. videtur esse tantum de iure ecclesiastico: quia potestatem peragendi ritus a se institutos Ecclesia posset et aliis, praeter diaconum, conferre, sicut iis Christus contulit potestatem faciendi sacramenti.

Porro sacerdos, sine licentia extra necessitatem baptizans etiam non sollemniter, ex communi sententia graviter peccat; violat enim iurisdictionem alterius in re gravi: sed male provocatur ad c. un. *Clement. de Baptis.*, ubi de hac re nihil dicitur. Si sacerdos, ergo et alii in his adiunctis graviter peccant.

Unde resolves.

XVIII. 1. Non tantum Diaconus, sed nec Parochus aut Episcopus, absque commissione, extra suam Dioecesim vel Parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat; ideoque etiam peccant parentes, qui sine licentia sui Praelati alieno deferunt prolem baptizandam, cum violent ius Parochi. Laym. l. c.

741. I° Peregrini possunt baptismo offerre filium in ecclesia, quam velint, sicut et sacramentum in Paschate ipsi suscipere possunt.

2° Si mulier parit in alieno pago, proles ab illius loci parocho est baptizanda: licet, si non longe distet, potest ad suam Ecclesiam deferri. S. Alph. n. 114.

3° Probabilior et communior est sententia, licere baptismum petere a parocho, ubi habetur quasi domicilium. Idem n. 115.

XIX. 2. Diaconus non tantum in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili baptizare potest. Et quidem cum sollemnitate, ex commissione Episcopi vel Parochi, ut si v. g. ob multitudinem baptizandorum aliudve grave impedimentum, id ipsi facere non possint. Laym. l. c.

742. Grave impedimentum foret, si parochus esset infirmus graviter, vel excommunicatus, vel occupatus confessionibus audiendis aut praedicationi. Ligor. n. 116.

In casu necessitatis, si commissio praesumi potest, licite diaconus sollemniter baptizat: si nulla sit commissio, necessitas tamen, censet probabilius s. Alph., non licere diacono sollemniter baptizare n. 116. Si desit necessitas et commissio, probabilius esse censet s. Alph. ibid. quod diaconus sollemniter baptizans incurrat irregularitatem, quae certe fertur in clericos sollemniter baptizantes. Hanc sententiam s. Alph. dicit probabiliorem et communissimam. Nihilominus textus iuris, ad quem provocatur, loquitur de non ordinatis, c. 1. *de clerico non ordinato ministrante:* « Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit *non ordinatus*, propter temeritatem abiiciatur ab ecclesia ». At diaconus nequit simpliciter dici ad hoc non ordinatus.

Quidquid sit, certum est ex ipso textu citato, requiri temeritatem: ergo non incurreret, si ex ignorantia, levitate etc. id ageret.

Hanc irregularitatem non incurrit laicus; quia sententia haec respicit Clericos.

XX. 3. Cum in necessitate confertur Baptismus, servandus est ordo ita, ut si adsit et non detrectet Sacerdos, vel Diaconus, is reliquos praecedat. Sic etiam Clericus laicum, vir mulierem, fidelis infidelem, nisi forte inferior melius noverit modum, ut solent obstetrices (quae proinde examinari et approbari debent a Pastoribus) vel alia iusta causa sit, ut quia virum ad parientem ingredi non decet. Quod si laicus baptizet praesente Sacerdote et secundum quosdam etiam praesente Diacono, censent esse mor-

tale; quia id laico tantum competit ob defectum Sacerdotis, qui sine iniuria Ordinis et Sacramenti, talem licentiam dare non potest. In reliquis, perversio illius ordinis est tantum veniale, praeterquam si coram fideli haereticus adhiberetur, quod voluit esse mortale Laym. c. 7. n. 4. Con.

743. Breviter et clare Rituale Romanum: « Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent ».

Alius est casus praeferendi feminam viro, quando praesens esset solum *pater;* quia extra summam necessitatem prohibentur parentes suam prolem baptizare cf. cp. 3. et 5. et 7. c. 30. q. 1.

Quod dicit A., peccare graviter laicum, si praesente Sacerdote, baptizet, communis reipsa id docet sententia, licet nonnulli negaverint. Sed casus sunt, qui vix in praxi occurrunt.

Quod vero dicitur, pariter graviter a laico peccari, si praesens sit diaconus, non est certum ac plures negant; quorum doctrinam probabilem et s. Alphonsus fatetur. Quia heic diaconus absque commissione baptizaret, ideoque non ex officio atque idcirco eodem pacto, quo clericus inferior: quo praesente laicus baptizans non peccat graviter; quia talis perversio ordinis non est gravis: cum clericus non habeat hoc officium. Esset tamen culpa levis; quia in Rituali praescribitur, clericum praeferendum esse. Ligor. n. 117. dub. 1. 3. 4.

Si tamen sacerdos aut diaconus essent excommunicati, praeferendus laicus: quod verius esse et s. Alph. dicit ibid. dub. 2.

744. S. Alphonsus mortaliter peccari dicit n. 117. dub. 5., si ad vitandas poenas edicti offeratur infans baptizandus *praedicanti* et affert decretum Clementis VIII. declarantis, non licere, extra necessitatem extremam, petere sacramenta a schismaticis.

Item C. s. O. 5. Nov. 1676. ad Praefect. Apost. Hiber. scripsit, non licere parentibus catholicis permittere, ut eorum filii recipiant baptismum a ministro haeretico, ad evitandas mulctas. Cf. tr. V, sect. 1. n. 99.

Hanc sententiam absolute tenendam tanquam veram affirmat heic Croix; nihilominus censet certis in adiunctis, gravissima exsistente causa, posse excusari parentes, quatenus constet, quod in iis circumstantiis petere baptismum ab haeretico ministro sit solum profiteri, baptismum ministri esse validum, quin eius ritus probetur.

Haec excogitavit Croix, pro excusatione, ut ipse ait, parentum catholicorum in locis haereticis, quos parentes omnes damnare durum ipsi videbatur et relinquit eadem definienda sapientiori aliorum iudicio.

745. Rituale Romanum c. 1. n. 15. « Parochus hortetur... eos, ad quos cura pertinet, ut infantes natos, quam primum fieri poterit, deferant ad ecclesiam; ne pueris sacramentum tantopere necessarium nimis differatur cum periculo salutis »: de honestate sermo est.

Iuvenin, inquit s. Alph. n. 118., iuxta morem suum arctandi conscientias usque ad extremum, negat, differri posse ultra unum aut alterum diem et Collet ad 5. vel 6. dies ex benignitate protendit.

Suarez et alii non rigidi, gravem culpam viderunt in dilatione ultra mensem, si sine causa differatur. Alii, ut Salmanticenses, ad 20. dies restrinxerunt: alii, quasi mediam viam sectantes viderentur discretiores, 10. aut 11. dies praescripserunt.

Omnia fere ad arbitrium confinguntur. Lex nulla est, nisi naturalis, quae periculum caveri iubet ac bonum vitae spiritualis festinari. Si periculum absit, pro accelerando hoc bono vix gravem obligationem quispiam intervidit, quod patet ex aliis casibus, v. gr. de obligatione confitendi aut dolendi de peccato admisso, quod ad 2. 6. 10. dies Theologi communiter haud coarctarunt (a).

746. * Licet, urgente necessitate, ait Rituale Rom. n. 28., ubique baptizare, nihil impediat; tamen proprius baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis vel certe Baptisterium prope ecclesiam ».

« Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Cappellis seu Oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta », ibique sollemniter quoque baptizari possunt. Qui mos, si alicubi ex legitima consuetudine ad alios nobiles extenditur, non videtur adeo reprobandus: s. Alph. n. 118. Cf, c. unic. *Clement. de Baptismo.* Sed et ad vitandam, puta, infamiam vel ob aliquam, gravem profecto, difficultatem, licebit identidem domi baptizare; privato baptisma tamen, non sollemni.

Quoniam de ministris agimus, quaerere licet, an identidem officium incumbat sacerdoti, qui, puta, matri uterum gerenti moriturae adstitit, eam iam mortuam aperire, ut foetus possit baptizari.

Cum constet mors matris, curandum est, quoad eius fieri potest, ut foetus, si vivat, baptizetur. Idcirco nisi in utero exsistens possit cum morali certitudine baptizari, aperiendus erit uterus a peritis etiam post paucos dies a conceptione (cf. sub d. IV. resol. 7.) et si hi desint,

---

(a) Habes nunc gravissimas littaras ss. P. P. Leonis XIII. ad Episcopum Anglonen. et Tursien. datas hoc anno 1899. 13. Aug. quibus reprobat abusum differendi baptismum pueris in hebdomadas, in menses imo et in annos, inquiens, nihil hac mala consuetudine iniquius esse, nihil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium. E.

quisque alius facinus aggredi deberet: at imperitum et timidum nunquam de tali obligatione persuadebis, cum praesertim non constet, an vivat adhuc foetus. Sacerdotes vero, si id molirentur, nisi in arte chirurgica approbati fuerint, offensionem incurrerent auctoritatis civilis, propter legem violatam et scandalum populo crearent, quo ministerii sacerdotalis honor minueretur. Hinc consultum est, ut sacerdotes, cum opus est, persuadeant, operationem hanc fieri: at ii eam exsequi non tenentur. Ita C. s. Off. 15. Febr. 1760. pro Missionariis in Sinis declaravit, iubens eos abstinere: si autem lex naturae obligationem hanc ministris Religionis imponeret, non esset locus huic praecepto. Actus est ergo caritatis, qui attentis omnibus circumstantiis, exercendus est quique omittendus, si gravia damna publica merito timeantur. Verba decreti citati haec sunt: « Haec foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda sit, expresse tamen cavet prohibetque Sanctitas Sua, ne Missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione multoque minus in ea peragenda. Sat proinde Missionariis fuerit, illius notitiam addidisse curasseque ut eius perficiendae rationem addiscant laici homines, qui chirurgicis intendunt, tum vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse ». *

Articulus II.

An duo possint simul unum baptizare.

XXI. Respond. 1. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit baptismus; quia dicens se abluere, cum non abluat, formam habet falsam, etiamsi usurpet Graecorum, *baptizetur servus Christi,* vel quae putatur illi aequivalere, *baptizet te Christus;* subintelligitur enim *per me:* alioqui si excludatur persona Ministri, ut sensus sit, baptizet te Christus et non Ego sive non per me, forma nulla est. In casu tamen necessitatis, posse sub conditione ita Baptismum conferri, ut v. g. mutus formam nesciens ablueret, caecus autem formam pronuntiaret, docet Hurt. d. 2. diff. 6. additque debere talem, elapso periculo, iterum sub conditione baptizari. Vid. Fill. c. 4. Dian. p. 3. t. 3. r. 26. ex Chapeavil. Marsil. etc. Bonac. d. 2. q. 2. p. 4. n. 23. Laym. l. 5. tr. 2. c. 7.

747. * Quod Hurtadus docet, fieri posse in extrema necessitate, haud est probabile, si vera debet esse forma: *ego te baptizo* vel *baptizatur (a me):* nam cum dicitur: *ego te baptizo*, 1° non significatur tantum: *ego te abluo* sed abluo te ablutione sacra seu conferro tibi sacramentum ablutionis et quidem 2° confero ego per me, non per alium; nam ego heic et nunc sum minister: atqui haec forma falsa foret, si quis vel solum ablueret vel solum verba proferret. *

XXII. Resp. 2. Si plures Ministri singuli abluant et formam pronuncient, graviter peccant contra ritum Ecclesiae. De valore sic solet distingui. 1. Si quilibet intendit baptizare, dependenter ab alio, ut causa particularis; invalide baptizant, sive singuli dicant, Ego te baptizo sive Nos te baptizamus; quia forma, cuius sensus censetur esse absolute et independenter baptizare, non cobaptizare, est falsa. 2. Si quisque per se intendat baptizare, independenter ab alio, valide baptizat; quia omnia requisita ponit. Ut patet a simili in Missa ordinationis, qua Sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo, dummodo simul eodem instanti formam absolvant: si autem non simul absolvant, is tantum consecrat vel baptizat, qui prius absolvit. Vide Fill. t. 2. c. 4. n. 72. et Bonac. l. c. n. 25. Laym. c. 7.

748. * Prior ex his duobus casus est, cum pluribus una baptizantibus eandem personam, singuli intendunt causas esse partiales seu sacramentum ponere actione sua dependente a cooperatione aliorum. Haec est absurda ratio conferendi sacramenti. Nam applicatio materiae et pronuntiatio formae completam causalitatem continent vi institutionis nec ea privari possunt, quin ipsa ratio sacramenti tollatur. Abesset ergo debita intentio. Cf. s. Thom. q. 67. a 6. Et si plures possent esse causae partiales, posset baptismus conferri hoc pacto, ut alter abluat, alter verba proferat. *

Dub. IV.

De Subiecto Baptismi.

XXIII. Resp. 1. Subiectum capax Baptismi est solus homo vivus, ab Adamo descendens, nondum baptizatus.

Res est evidens.

XXIV. Resp. 2. Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui numquam usi sunt ratione; quia censentur eiusdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet Baptismus, nisi ante amentiam petiverint. V. Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. c. 6. Laym. c. 6.

Prior pars evidens est: altera, constat ex dictis sect. praec. n. 68.

Unde resolves.

XXV. 1. Si puer, inter baptizandum nondum finita forma, moriatur, Baptismus est nullus.

Nec opus erat id disserte dicere.

XXVI. 2. Non valet Baptismus iteratus, ideoque uterque tum rebaptizans tum rebaptizatus peccant mortaliter fiuntque irregulares et in iure civili subiacent poenae mortis. Quas tamen poenas non videtur incurrere is, qui etsi sine iusta causa, rebaptizat sub conditione: quia intelliguntur de Baptismo absolute dato, quando moraliter constat, priorem Baptismum fuisse validum. Vide Laym. c. 5. Bonac. p. 5.

749. S. Alph. n. 122. de hac quaestione; scil. an rebaptizantes sub conditione sine iusta causa, fiant irregulares, concludit: « Prima sen-

tentia (negans quae est A.); spectata ratione, non caret gravi fundamento; sed secunda (affirmans), spectata auctoritate, *videtur* probabilior ».

Hoc forte dicit habita ratione Catechismi Rom., ubi (*de Bapt.* n. 57.) dicitur: « Quod quidem (sc. iterare sine causa sub conditione) sine sacrilegio facere non possunt et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant ».

Merito autem dicit s. Alph., sententiam negantem non carere gravi fundamento. Nam poena non infligitur nisi effectu sequuto. Ideoque in casu, sequuto secundo baptismo. Atqui secundus baptismus certe non datur, ubi quis baptizat *sub conditione, si non sit iam baptizatus.* Non enim solum non ponitur effectus sacramenti; sed neque fit ipsum sacramentum, constans materia et forma et intentione ministri; nam non ponitur materia et forma cum intentione quod sit sacramentum, si sacramentum iam collatum fuit vel si subiectum non est capax sacramenti. Accedit, quod ex regula iuris leges poenales sunt strictae interpretationis.

750. Ceterum non adeo dissident forte DD., ut conciliari non possint aliquo modo.

Nam qui dicunt, irregularitatem incurri, ita supponunt certum et exploratum primum baptismum, ut conditio prope ad solam fraudem adiiciatur.

Hinc Benedictus XIV. (*Instit.* 84. n. 11.): « Accedit etiam quod interposita conditio deliberatum baptizandi animum nequaquam immutat. Si quidem qui hoc modo baptizat, nullum in dubium revocat, an vere et valide primus baptismus fuerit administratus. Hinc dicitur ipse baptismum secundum re ipsa contulisse; quippe novum baptismum iam baptizato tradit, qui sane verus baptismus nuncupari debet, licet ea conditio interponatur ».

Qui vero negant, utique sine *iusta* causa iteratum baptismum supponunt; at non absque ulla omnino causa neque in fraudem.

Nam sine *iusta causa* dicitur iteratum, quando *prudenter* non debet censeri dubium prius baptisma: at aliud est iterare *minus prudenter,* aliud prope in fraudem: et ratio allata a Benedicto XIV. prorsus falsa est et nulla, si agatur de eo, qui ex imprudenti ac vana timiditate iterat, nec ullam veritatem habet, nisi fraus supponatur.

Cum ergo lex canonica hanc quaestionem per se non attingat, extensio vero legis ad casum iterati baptismi, ob perplexitatem aut leves ratiunculas, propter quas identidem iteratum sit, parere infinitos scrupulos possit, praeferenda omnino sententia negans, ubi sermo non sit de fraude.

XXVII. 3. Nondum perfecte natus est baptizandus, si sit periculum, dummodo pars aliqua possit ablui; quia est homo vivus, nec certo constat esse incapacem.

Clara ex iam dictis.

XXVIII. 4. Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione.

751. Cum probabilissima ac prope certa haberi sententia possit quod foetus animatur anima rationali ab ipso conceptionis initio, hinc reiicienda doctrina de non baptizandis foetibus abortivis: et quidem absolute baptizandi omnes foetus sunt, si dent signum vitae, conditionate, si non praebeant. Quod et s. Alph. n. 124. probat, eam sententiam commendans: sed dein quasi poenitens, admittit doctrinam Colleti, nullo modo baptizandum foetum, si non appareat formata dispositio organorum; quia receptum ubique est, ait, non prius infundi animam corpori, quam istud formatum fuerit. Atqui haec opinio recepta erit olim: sed vigente opinione, quod foetus ab initio conceptionis anima informatur; qui potest esse ubique recepta illa alia opinio?

XXIX. 5. Valide baptizatur, quem Minister putat esse alium, aut licet sit puella, quam putat esse puerum; quia intendit baptizare praesentem. Aliud est in Matrimonio; quia intendit contrahere cum illa, quam putat Bon. p. 4. n. 26.

Nulla difficultas.

XXX. 6. Valide, etsi extra necessitatem illicite, plures simul baptizantur, hac forma. *Ego vos baptizo,* etc. Bonac. p. 4.

752. Dummodo, quantum satis est, singuli abluantur. Rituale Romanum, n. 45. praecipit, ut, cum plures sunt baptizandi, singillatim singuli baptizentur.

XXXI. 7. Monstrum, quod capite et pectore formam hominis refert, est baptizandum; secus si bestialem refert. Quod si vero caput tantum sit ferinum, putat esse baptizandum Comitolus. Nav. tamen et alii volunt differendum, donec certius cognoscatur; nisi periculum mortis immineret: tum sub conditione baptizandum esse. Quod si habeat membra hominis geminata et dubitetur, num sit unus homo, an duo, duplex Baptismus conferendus est, unus absolute, alter sub conditione, in ea parte, qua membra apparent imperfectiora. V. Laym. l. 5. tr. 2. c. 2. Bonac. p. 6. et Rituale Romanum, tit. *de Baptismo.*

753. * Si probabilissima est opinio, foetum ab initio conceptionis anima rationali animari, necesse est sub conditione baptismum administrari, quaecumque sit massae carneae forma; nisi manifestum sit, esse eam exanimem.

A deformitate enim illius massae id unum certe colligas, impeditam fuisse animam, ne membra sibi formaret, non eam ibi non esse, si intestini motus indicia aliqua exstant, seu si non constat esse massam sine vita.

Nec id adversatur praescripto Rituali Romani nn. 18. 19. « In mon-

stris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Monstrum, quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur hac conditione: *si tu es homo, ego te baptizo etc.* ».

Iam vero, si anima rationalis ab initio conceptionis infunditur et sic massa utcumque informis, vitae dat signa, 1° tenendum erit, ibi esse animam rationalem, quae remedio indiget baptismi: 2° deficientibus organis et membris distinctis, dubitari ad summum poterit, an sit homo, qui anima et corpore organico constat: atqui tali exsistente dubio, iubet Rituale baptizari sub conditione, ut audivimus. Ceterum 3ª si anima rationalis ab initio infunditur, duplex distinguendus est status hominis, primo inchoativus seu primordialis cum organa formantur, deinde completus, formatis organis. Si aliqua prohibente causa, organa non sunt formata, persistat tamen anima, non erit quidem homo secundum corpus completus, at simpliciter homo erit, licet rudis.

Itaque ea probabili existente opinione, semper conferendus est baptismus: quaecumque sit massa informis, sub conditione, nisi manifestum sit, esse aliquid exanime. Cf. Zephirinum Zitelli *Apparatus iuris eccles. de Baptismo* §. 1. n. 3.

Hinc multo magis cura habenda est de exiguis aut minimis foetibus abortivis, qui ab obstetricibus discernendi sunt nec inconsulto in secessum eiiciendi. Tales enim foetus, quantumvis exigui, si vitae signa dent, sunt baptizandi, sub conditione saltem, et in loco deinde sacro sepeliendi. Curet ergo Parochus, ut obstetrices, matres quoque aut parentes, pro opportunitate, haec sciant.

De obligatione subeundae a matre caesareae sectionis dictum est. Vol. II. 917. Defuncta vero matre sectio paragenda est; nam « rationi absonum et ab omni pietate remotum est, pro inani quadam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere », ait C. s. Off. 15. Februar. 1760. *

XXXII. Resp. 3. Extra mortis periculum valide, non tamen licite, baptizantur Ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio est, quia vel auferuntur parentibus et fit illis iniuria, vel relinquuntur et fit iniuria Sacramento, quod exponitur irreverentiae. Quod si tamen possint christiane educari (ad quod tunc obligaberis), licebit in his casibus. 1. Si parentes sint tua mancipia; tunc enim tui potius sunt, quam illorum. 2. Si parentes aliquando fuerunt baptizati, vel uterque vel saltem alteruter; quia tunc Ecclesia ius in eos habet. 3. Si alter parentum petat; tunc enim iuste eius voluntas iniustae alterius praeferenda est, in favorem prolis et fidei. 4. Si infans sit in periculo mortis. 5. Si rationis iam compos puer petat; quia in negotio religionis est sui iuris. In dubio autem de usu rationis, sufficit esse 7. annorum. V. Laym. l. c. Fill. t. 2. c. 6. Bon. p. 6. n. 12.

754. * Huius doctrinae, quod Iudaeorum et ethnicorum infantes non sunt, invitis parentibus, baptizandi, duplicem affert s. Thomas rationem

q. 68. a. 10. Altera est, quia, cum filii nondum habent usum liberi arbitrii, sunt secundum ius naturale, sub cura parentum et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Altera est, quia esset periculosum, taliter filios infidelium baptizare; quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Concludit verbis, quibus tertia ratio continetur. « Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium, invitis parentibus, baptizentur ». Iulius III. (cf. Benedicti XIV. Litteras ad Archiep. Tarsensem n. 27.) imposuerat poenam 1000. ducatorum et suspensionis baptizantibus hebraeorum infantes, invitis parentibus.

Secundum haec principia S. C. de P. F. 17. Apr. 1727. sequentes conclusiones missionariis omnibus ut certissimas ab initio proposuit. 1° Extra imminens mortis periculum, non licere, invitis aut insciis parentibus, baptizare infantes filios eorum infidelium, qui aut suis legibus vivunt aut christianorum imperio vel dominio civiliter tantum sunt subiecti. 2° Nec baptizandos huiusmodi infantes ultro etiam ac sponte a parentibus oblatos, si post baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. 3° Sic infantibus eisdem in proximum vitae discrimen adductis baptismum impertiendum, modo id fiat sine scandalo nec proinde maius quoddam infidelium odium in christianam religionem atque in christianos saevitia concitetur.

At in hypothesi quod ipsi parentes offerant. C. s. O. anno 1867. (apud Lehmkuhl vol. 2. 83.) respondit. « Remittendum prudenti arbitrio et conscientiae missionariorum, audito, si fieri possit, Praefecto Apostolico, qui in expositis circumstantiis baptizare possint pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo in singulis casibus non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum et dummodo non constet, parentes ob superstitionem filios afferre baptizandos. »

Nota, si infantibus in periculo mortis constitutis fas est conferre baptismum, quidquid sit de voluntate parentum, liquet, ex duabus rationibus allatis a s. Thoma, potiorem censeri secundam.

Quod autem de iure parentum dicitur, idem valet et in tutore, cui paterna auctoritas transmissa est. Benedictus XIV. litteris cit. n. 14.

Porro si mater conversa ad fidem offerat puerum ad baptismum, hic, licet pater dissentiat, potest, ut ait A., baptizari; cum et eius christiana educatio satis sit certa. Litterae cit. n. 16. Et Clemens VIII. (in decretis s. O. 1600. 12. Oct.) cum ageretur de filiis mulierum christianarum ex genitoribus Turcis, ius esse voluit, eos baptizari, si non adesset certitudo apostasiae, si vero adesset, rursus dubium proponi s. Sedi.

Idem licet, si mortuo patre et dissentiente matre, avus paternus iam fidelis offerat nepotem. Litt. cit. n. 17.

Advertendum est autem, quod infans illicite baptizatus, quoniam tamen validus est baptismus, extrahendus est, quoad eius fieri potest, a potestate parentum, ut christiane instituatur; ius enim divinum sacramenti et ipsius baptizati praevalet. Ibid. n. 29.

Quod spectat ad id, quod sub n. 5. ait A. perpende decretum s. C. C. 16. Iul. 1639. relatum a Benedicto XIV. Litteris cit. n. 32. — S. Cong. Concilii respondit, filios Iudaeorum non esse, invitis parentibus, baptizandos, donec ad aetatem legitimam perveniant et tunc, si ipsi consentiant. *Aetatem vero legitimam regulariter censeri, completo septennio.* Usus scilicet rationis sufficit, cum ipsi pueri petunt. Sed alia praecavenda sunt, de quibus mox sub nn. seqq.

Si dubitatur de sufficiente usu rationis eius infantis, qui baptismum petit, non erit quidem reddendus parentibus, sed baptismus differendus erit. Litterae cit. n. 35.

755. Porro quod de infantibus filiis infidelium in mortis periculo constitutis dictum est, idem dicendum de amentibus a nativitate, in quibus nec praesens apparet nec futurus speratur usus rationis. Quatenus ergo vere probabili ac prudenti iudicio perpetua censeatur illa rationis impotentia, licite baptizari possunt, imo debent.

At si talis non est amentia, ut non aliqua edant rationis iudicia, triplex distinguitur casus; vel enim moraliter constat, eos tali facultate pollere, vel moraliter constat, non pollere, vel denique post sufficiens examen, dubium incertumque manet, an polleant. Si primum, nequeunt inviti baptizari. Si alterum, tum si rationis impotentia prudenter existimatur fore perpetua, sunt baptizandi: si spes est, ut eorum ratio magis expergiscatur et evigilet, tum distingue; vel enim versantur in proximo mortis periculo et baptizandi sunt, dummodo id fiat sine scandalo, ut superius dictum: vel non adest tale periculum, tum supersedendum et exspectanda certiora iudicia, ut more adultorum ad baptismum adducantur.

Tandem si dubia tantum signa suppetunt, locus est prudenti regulae, quam suppeditant probati doctores, nimirum: si necessitas non urgeat, exspectari potest ac debet commodior et maior cognitio: si autem necessitas urgeat, tunc in casu dubio inclinandum in favorem religionis et fidei christianae et spiritualis salutis baptizandi. Haec ex eodem Responso super cit. C. de P. F.

756. Quid vero dicendum de infantibus filiis haereticorum vel schismaticorum? Certum est, penes Ecclesiam ius esse eos baptizandi ac praepediendi, ne parentum erroribus imbuantur. Prima ergo ratio s. Thomae heic non habet locum. Sed cardo difficultatis in hoc vertitur; quid agendum, cum Ecclesia ius illud suum exsequi non potest nec

periculum amovere, quod infantibus illis imminet, dum sub cura et potestate manent parentum haereticorum aut schismaticorum.

Heic non immerito sacri ministri uti poterunt praestantium Theologorum sententia: idem dicendum videri in eo casu de haeretico et de quocumque infideli, si idem sit morale periculum (perversionis). Ex quo concludunt, ut minister catholicus licite baptismum praebeat, necesse esse, ut probabilem spem concipiat fore, ut huiusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui. Haec rursus ex eodem cit. Responso. Forte satis erit, si non adsit certitudo apostasiae, iuxta responsum Clementis VIII. superius citatum. Cf. Instructionem s. Officii datam iussu Clementis XIII. 21. Ian. 1767. (Acta s. Sedis Nov. 1892. pag. 252.), disserte docentem non licere baptizare filios haereticorum, qui a parentibus in haeresi erunt educandi.

A. regulae traditae de non baptizandis infantibus infidelium, invitis parentibus, aliquas addit exceptiones: quarum tres priores id primo supponunt: posse eos infantes deinceps christiane educari, quod quidem congruit cum doctrina Responsi citati.

Secundo loco tangit A. filios baptizatorum; qui sunt extra Ecclesiam, haereticorum nempe seu apostatarum vel schismaticorum. De his iam diximus: adverte tamen quae de iisdem eadem s. C. de P. F. 29. Nov. 1672. statuerat: consentiente uno e parentibus catholico, licet puerum baptizare, etiamsi ille sciat, alterum postea curaturum, ut filius baptizetur a ministro haeretico: at coniux catholicus tenetur monere coniugem haereticum, filium iam legitime esse baptizatum. Apud Zitelli l. c. Cum alter e parentibus sit catholicus, spes est probabilis, filium, ut par est, educatum iri.

757. Quoniam inter infideles contingit, puellas christianorum tradi in coniugium viris ethnicis vel christianis polygamis, quaesitum est, an liceat illas vel infantes adhuc vel adultas baptizare antequam viris tradantur.

Respondit C. s. Officii 25. Iun. 1866. ad Vic. Apost. ad Gallas (Acta s. Sedis, mens. dec. 1892.). Si puellae infantes sunt, *futurarum nuptiarum periculum, quod remotum est* et pluribus ex causis cessare potest, *non obstare quominus baptizentur*. Si adultae sunt, distinguendum est, an nondum nubiles sint, an nubiles sed nondum promissae viris, an iam desponsatae seu promissae viris sint. Iam vero in primo et altero casu, dummodo necessarias habeant dispositiones, *non est cur eis denegetur aut differatur baptismus, quandoquidem periculum ineundi irritas cum infidelibus nuptias et in iisdem postea violenter permanendi certo proximeque non imminet et potest aliunde pluribus modis amoveri*. In tertio autem casu, *nullatenus expedit, eas ante ma-*

trimonium baptizare, tum propter difficultatem non minimam legitimae dispensationis obtinendae tum ob gravissimum periculum ne transeant ad nuptias etiam non dato dispensationi loco, quae certe indulgeri nequit super impedimentis iuris naturalis. Subditur. *Si qua autem ob peculiares circumstantias gravesque causas baptizanda iudicetur, omnino requiritur talis eius animi dispositio, ut, si dispensari nequeat, potius mori velit, quam sacrilegum irritumque matrimonium contrahere.*

Rursus quaesitum est, an cum servi periclitantur vendi heris ethnicis cum fidei discrimine, liceat illis conferre baptismum in infantia vel etiam in aetate adulta, perseverante periculo perversionis nullaque adhuc sponsione ab hero praestata, quod eos ethnicis non sit venditurus.

Responsum est (ibid.) ab eadem s. C. praestituto principio: *Praevisum perversionis periculum eatenus impedit ne baptismus conferatur, quatenus per opportunas instructiones removeri nullo modo potest.* Idcirco *servi utriusque sexus adulti, qui rite dispositi sunt et christiana instructione praemuniri queunt, baptizandi sunt* in facta quoque hypothesi. Si vero infantes sunt, videndum, an obnoxii sint periculo transeundi in potestatem infidelium post adeptam adolescentiam (pubertatem?) vel ante superatam infantiae aetatem. In priori hypothesi, *si nihil aliud obstet praeter illud periculum et spes aliqua effulgeat eorum christianae educationis, licite baptizantur. Quod item licite fit in altera hypothesi, si vel a parentibus christianis offerantur vel morti proximi reperiantur.* In ceteris, subdit eadem s. C. servandas esse sapientissimas praeceptiones Benedicti XIV. super hoc argumento in litteris datis ad Archiepiscopum Tarsensem 28. Febr. 1747. Cuius in hac re potiora certe capita dedimus superius.

758. Quaerit s. Alph. n. 132., an baptizandus sit infans, quem pater Iudaeus offert ad baptismum, ut a morbo liberetur. Per se non est superstitio si a sacramento bonum corporale speretur et cf. c. 13. *de Consecr.* d. 4. Hinc ait idem s. Doctor, a Benedicto XIV. afferri decretum C. s. O. 24. sept. 1699. statuens, illum esse baptizandum: sed deinceps, subditi idem s. Doctor, avellendus est a parentibus et christiane educandus; h. e. sub hac conditione est acceptandus ad baptismum.

Quaerit etiam idem s. Doctor n. 133., an liceat pueros capto ex. gr. in bello reddere non baptizatos parentibus infidelibus. Agitur de bello iusto et secundum antiquum ius, quo capti bello poterant redigi in servitutem. Ratio potior, cur id liceat, est s. Doctori communis tranquillitas et fidelium utilitas; quia si negarentur infidelibus expeten-

tibus, iidem infideles non redderent christianos captivos, cum magno horum damno, periculo scilicet perversionis. Si vero redduntur, constat ex dictis, reddendos esse non baptizatos, ne sacramentum profanationi et contumeliae exponatur. *

Adde ius parentum non obstare, quominus baptizentur infantes expositi seu abiecti a parentibus infidelibus, qui suo iuri praesumuntur renuntiasse nec, si non renuntiaverint, habenda est ratio huius iuris, cuius officium ipsi detrectant. Benedictus XIV. Litteris cit. n. 9. Imo etsi iniuria extracti fuerint infantes a patria potestate infidelium, si tamen ad parentes non sint amplius reversuri, baptizari possunt: s. Alph. n. 129. Quae regulae sint sequendae in conferendo baptismo infantibus expositis, dicemus in q. seq.

XXXIII. Quaeres, An Baptismus aliquando repeti possit et qua forma?
Respond. Cum temere rebaptizare sit mortale ex obiecto; quia est in genere sacrilegii, dum conaris ministrare Sacramentum incapaci: hinc ad hoc, ut non liceat rebaptizare, non requiritur certitudo de Baptismo, sed sufficit, si pro eo sint coniecturae, ut v. gr. quod quis natus et educatus sit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicuius momenti occurrant; leve enim vel metaphysicum dubium non sufficit, sed requiritur grave et morale, vel saltem rationabile. In quo inclinandum esse in favorem baptizandi, recte monet Laym. c. 3. ex Suar. et aliis.

759. Quoniam de se maxime necessaria agitur, ut rursus baptismus sub conditione conferatur, sufficit probabile dubium seu rationabiles coniecturae. Ita S. C. de P. F. « Generatim et sine delectu, cum adiunctione etiam seu conditione, quemlibet rebaptizandum non esse... Illis tantum permitti baptismum conditionate administrari, de quibus, diligenti praemissa perquisitione, grave ac rationabile iuris factive dubium relinquatur, an sacramentum alias rite susceperint ». « In huiusmodi dubiis, ait s. Alph. n. 134., attendenda est regula communiter a DD. recepta, quod ad iterum conferendum baptismum sub conditione, non sufficit leve, sed requiritur prudens seu rationabile dubium, an sacramentum fuerit necne receptum ».

* Porro conditio ex ecclesiastica consuetudine in baptismo tunc adhibetur, cum dubitandi locus est, vel utrum quis reapse baptizatus fuerit, vel, si quomodocumque baptizatus sit, utrum aliquid defuerit, vel, cum primum baptizatur, utrum aliquid desit, quod ad valorem sacramenti requiratur, cum nempe necessitas cogit dubiam materiam adhibere: cum dubitatur, an subiectum capax sit baptismi, velut in monstruosis partubus, vel, ut in partu difficili, cum dubitatur, an sacramentum confici valeat, eam partem abluendo, quae sola potest ablui. Quoties vero constat nihil ex dictis dubium esse, nunquam auditum est, licere ministro, dum ritum baptismi exsequitur, conditiones ex suo arbitrio

adiicere, quibus sacramenti confectio impediatur. Ita plus semel citatum Responsum C. de P. F. respondens quaesito, an, cum dubitatur an baptizandus sit capax necne instructionis necessariae, liceat conferre sacramentum sub hac conditione: *si incapax es instructionis et doctrinae adultis necessariae ante susceptionem baptismi: ego te baptizo* etc. Tunc enim adhibenda praecipitur regula iam tradita, quam retulimus n. 755.

Diximus rationabile dubium esse debere; huius autem rationabilitatis modum ipsa quoque Sacramenti necessitas definit: cum ergo agatur de sacramento summae necessitatis, communis est DD. sententia pro iterando sub conditione baptismo, non oportere tantas adesse dubitandi rationes, quantae pro alio, puta Confirmatione, requiruntur atque *aliquale* dubium sufficere, dummodo intra fines dubii rationabilis contineatur. Sive, ut ait Roncaglia *de Baptismo* c. 4. q. 5. resp. 2. « Semper, cum *prudenter* dubitari potest de valore baptismi collati, iterum est sub conditione iterandus ». Cf. d'Annibale *de Sacram. in gen.* App. et sacrae Congregationes frequenter rescripserunt: cum *probabile dubium* superest de validitate Baptismi collati, tunc esse sub conditione iterandum. Cf. Zitelli l. c. §. 2. Et Patres Conc. Carthaginiensis 5. c. 6. statuerant, rebaptizandos infantes, quoties non sint certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur. *

Unde resolves.

XXXIV. 1. Sub conditione baptizandi sunt 1. qui cum materia et forma aut intentione dubia (secundum supradicta) sint baptizati. 2. Infantes expositi et reperti sine scheda testante de Baptismo; secus si cum ea. Ita communiter. Quintan. tamen t. 1. s. 13. et 14. contendit, etiam hos esse rebaptizandos. 3. Baptizati ab obstetricibus veneficis: praesertim si fassae vel convictae fuerint, aliquando non recte baptizasse. Laym. c. 5. n. 3.

760. Quod spectat ad baptismum infantium expositorum, tenendum est vetus axioma; ad probandum aliquem esse baptizatum, sufficere testimonium unius, quod quidem ita accipiendum est, dummodo uni testi, sive mari sive feminae, fides prudenter possit adhiberi. Cum autem infantes expositi chartam gerunt, in qua scriptum legitur, baptismum eis fuisse collatum: si quidem non lateat qui scripserit et ei fides tutó praestari possit, habendus est infans ut baptizatus neque, vel sub conditione, est rebaptizandus; secus vero, est sub conditione rebaptizandus. Ita Benedictus XIV. Constit. *Postremo* 28. febr. 1747. et S. C. C. 5. Ian. 1724. Si nullum indicium infantes hi praeseferunt, patet, quod sub conditione sunt baptizandi.

Obstetricibus veneficis, de quibus loquitur A., sagas forte cogitans,

substituamus nostra aetate obstetrices irreligiosas sive eas, quae solum ab irreligiosis Guberniis sint probatae; quin auctoritate ecclesiastica, pro administratione baptismi, examinatae et probatae fuerint. Profecto de baptismo ab iis collato, si tamen conferant, licebit semper prudenter dubitare, an debitam scilicet intentionem habuerint, an debita materia et forma sint usae. Nisi in speciali casu constet de valore baptismi ab eis collati, quod contingere posse non negamus. Cf. Instit. 7^m Benedicti XIV. Ipsius quidem obstetricis testimonium, quae digna sit fide et se baptizasse affirmet, satis est. Idem Inst. 97.

XXXV. 2. Infantes ab obstetricibus vel parentibus vel cognatis etc. ob necessitatem baptizatos, promiscue omnes sub conditione rebaptizare (quando obstetrices bonae et bene instructae censentur) non licet; quia de valore baptismi prudenter et rationabiliter dubitari non potest. Suar. Laym. l. 5. t. 2. c. 5. qui tamen contrariam consuetudinem quorumdam Parochorum damnare non audet; eo quod experientia didicerint, obstetrices non raro fuisse deceptas a diabolo, ideoque revera periculum aliquod sit animae, ob quod irreverentia cesset: additque eam consuetudinem approbatam fuisse a Pastorali Romano edito Antuerpiae 1607. eamque sententiam tenet Sylvest. apud Dian. p. 5. t. 13. r. 86. et ipse Dian. p. 9. t. 6. r. 35. cum aliis 2. censet eam probabilem habereque locum in omnibus baptizatis ab haereticis, licet sint adulti; quod G. de Lugo *Resp. mor.* l. 1. d. 2. recte limitat ad illas circumstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiae, formae, vel intentionis. Denique etiam Quintan. t. 1. s. 6. docet, infantes supradictos fere omnes rebaptizari posse sub conditione.

761. * Quoad baptizatos ab haereticis, haec est Instructio S. C. P. F. 25. Iun. 1830. quam probavit S. C. I. 21. Febr. 1833. Quaerentibus enim, an conferendus sit baptismus sub conditione haereticis, qui ad catholicam fidem convertuntur, ex quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant; respondit: « Negative, sed in conversione haereticorum a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute: si autem, pro temporum aut locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate (certi) detegatur aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur: demum, si constiterit, validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem et professionem fidei ».

Non sunt vero baptizandi, vel sub conditione, adulti, qui nati sint ex parentibus catholicis et inter fideles versati. Ita c. *Veniens de Presb. non baptiz.* « Certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur ».

Haec praesumptio ea aetate erat rationabilissima: at nunc in nostris regionibus non rara est negligentia parentum christianorum quidem, sed sectariorum aut incredulorum; quoad hos proinde prudens examen instituendum erit et si vere dubium maneat, baptismus conditionate conferendus. *

XXXVI. 3. Peccat graviter Minister, 1. qui non rebaptizat eum, de quo rationabile dubium iuris vel facti manet, num valide sit baptizatus; quia tenetur proximum liberare probabili periculo gravis mali, cum facile potest. Laym. loc. cit. Quint. l. c. 2. Si non diligenter inquirat in talis Baptismi valorem, nisi de hoc aliunde constet. Quint. t. 1. s. 6. et 7.

Nulla difficultas.

XXXVII. 4. Non est rebaptizandus, de cuius Baptismo habetur testimonium unius oculati testis, licet feminae: dummodo non sit suspecta nec aliud obstet. Laym. t. c.

762. Hoc est principium in iure receptum ex Glossa ad c. *Nuper, de Testib. et Attestat.* « Quandoque tamen bene creditur uni, quando non sit praeiudicium alicui, puta, utrum aliquis sit baptizatus vel utrum esset ecclesia consecrata et ubi quis vult probare, se egisse poenitentiam, per confessorem suum ». Et eadem in c. *Placuit de Consecr.* d. 4. « Creditur ergo testimonio unius in baptismo et in consecratione ecclesiae ». Cf. n. 64.

XXXVIII. 5. Qui vere et rationaliter dubitat de suo Baptismo, tenetur petere Baptismum et Parochus ei conferre. Quint. l. c. s. 13. et 19. et interea abstinere ab usu aliorum Sacramentorum.

Clara res est.

XXXIX. Resp. 2. Baptismus sub conditione hac forma conferendus est: Si baptizatus es, non te baptizo: si nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine etc. Ac licet sufficiat sola mente conditionem apponere, si ex omissione non timeatur scandalum; tutius tamen est exprimere verba saltem ista: Si non es baptizatus etc. Vid. Tol. l. 2. c. 19. Laym. l. c. Suar. d. 31. Fill. t. 2. c. 9. 9. Patrinus autem in hoc Baptismo necessarius non est, nec adhibendus. Quint. l. c. s. 18.

763. Formula baptismi conditionalis praescripta a Rituali Romano de Baptismo c. 1. nn. 16. 21. et c. 2. n. 22. est haec: *si non es baptizatus, ego te baptizo* etc. Et certe haec satis superque significat, non intendi baptismum illius, qui iam sit baptizatus et intendi, si non est baptizatus.

De Patrinis paulo post.

Dub. V.

De Ceremoniis Baptismi.

Articulus I.

Quae servanda circa ceremonias baptismi.

XL. Resp. Ceremoniae Baptismi petendae sunt ex Agenda cuiusque Ecclesiae. Universim tamen circa eas servanda sequentia. 1. Baptismum extra necessitatem absque peccato non posse conferri, nisi in aqua consecrata. Quae cum deest, habetur formula brevis in quibusdam Agendis ex tempore aliam consecrandi, pro casu necessitatis. Quod si etiam hac formula careas, adhiberi potest aqua communis benedicta. 2. Baptismum sollemnem non conferendum, nisi in templo et loco ad id deputato, nisi filiis Regum, et Principum, quibus adde filios Catholicorum in locis haereticis; interim quoad hoc in magnatibus et nobilibus connivetur in multis locis. Laym. c. 8. n. 8. 3. Infantes ex consuetudine deferendos ad baptismum circa diem octavum; nisi prius sit necesse, vel nisi sit gravis causa dilationis, ver. gr. quia patrini sunt exspectandi, in qua tamen non licet communiter extra necessitatem privatim baptizare et postea adhibere sollemnitates, sed praestat exspectare aliquandiu. Laym. c. 6. n. 8.

764. Omissis Agendis cuiuslibet ecclesiae, pete ceremonias baptismi a Rituali Romano sive pro parvulis sive pro adultis baptizandis.

Aqua consecrari potest etiam, si opus sit, extra Pascha et Pentecostem atque huius consecrationis ritum habes in eodem Rituali Romano, de Baptismo c. 7. cf. dicta sup. sub §. V.

De loco iam diximus n. 746. Excipit. ab hac lege s. Alph. n. 142. tum infantes, quibus periculum mortis imminet, si deferantur ad ecclesiam, cuiusmodi ex. gr. sunt qui ante mensem octavum prosiliunt; tum eos, quorum parentes gravis infamiae periculum vel alterius gravis damni essent subituri; quo casu, ait s. Doctor, putare Croix et Gobat, licere sollemnem baptismum domi conferre.

Bene A. dicit Baptismum sollemnem non licere conferre extra ecclesiam eamque parochialem (dummodo haec fontem habeat): excipitur casus privilegii pro filiis Regum, alicubi ex consuetudine etiam magnatum, casus necessitatis, ut si ecclesia vel oratorium desit, quod in missionibus contingere potest et casus obtentae specialis facultatis ab Episcopo. Cf. *Clement. un., de Bapt.* Rit. Rom. *de Bapt.* c. 1. nn. 28. 29. Ubi statuitur, quod si filiis Principum, his deposcentibus quidem, baptismus extra ecclesiam confertur, debet tamen in eorum Cappellis vel Oratoriis conferri. Praeterea cf. decretum s. R. C. 16. Mart. 1861. Pariter, si in necessitate, ob istans periculum baptizatus est infans, ceremoniae supplendae sunt in ecclesia. Rit. Rom. ib. c. 5. s. Alph. n. 136.

Habes in hac re responsa C. s. O. 10. Apr. 1861. 1^{m} « In baptismo domi conferendo, ob imminens mortis periculum, omissis ceremoniis,

quae baptismum praecedunt, iuxta rubricam Ritualis Romani, illae poterunt adhiberi, quae baptismum subsequuntur ».

2m In casu infirmitatis et impossibilitatis adhibendi omnes ceremonias, ministros « posse et teneri uti illis ceremoniis, quibus possunt uti ». Apud Bucceroni Enchirid. p. 88.

3 Quaesitum est: « an iis in locis ubi non est ecclesia seu oratorium commune, liceat sacerdoti, sollemniter h. e. adhibitis omnibus ceremoniis et precibus in Rituali Romano praescriptis, baptizare liberos christianorum in eorum domibus privatis ». Respondit s. C. P. F. 21. Ian. 1789. « Non solum licere, sed debere ».

De tempore quoque deferendi parvulos ad baptismum, iam dictum est n. 745.

765. Monet s. Alph. n. 141. ex communi doctrina, mortale esse negligere ceremonias baptismi aut aliquam ex eis notabilem, cuiusmodi est saliva, sal, insufflatio (Benedictus XIV. Const. *Omnium sollicitud.*), unctio chrismatis. Aliquando omissio alicuius ceremoniae permissa est ad tempus, puta apud Sinas responso C. s. O. 1656. 23. Mart. et Bened. XIV. Const. *Omnium sollicitudinum* §. 31. prorogavit ad decennium permissionem omittendi ceremonias salivae et anhelitus palam emissi tam pro viris quam pro feminis, sed noluit esse perpetuam. Hinc mortale est, baptizare in aqua non consecrata, cum prostat vel commode haberi potest, item cum chrismate alterius anni, nisi necessitas cogat. « Veteribus oleis, ait Rit. Rom. l. c. c. 1. n. 33., nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur ac, si deficere videantur et chrisma aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate ». Et s. C. Off. 17. Apr. 1839. « In casu necessitatis praeferendam (aquae consecratae corruptae) aquam naturalem: sed providendum renovatione aquae fontis baptismalis, iuxta Rituale Romanum ».

Prohibitio utendi chrismate vetere, rigorose ait Gury Vol. 2. §. 254. q. 2. accipienda, quando habetur chrisma novum et sic graviter peccaret sacerdos, qui, posthabito novo, uteretur vetere.

Si tamen novum nondum habetur, non ideo differendus est baptismus nec omittendae unctiones, quae chrismate et oleo vetere fiant. Ita s. C. R. in Cadurcen. 19. Sept. 1859.

Itaque baptismus, nisi aliter necessitas postulet, est conferendus sollemniter.

Causae necessitatis excusantis a sollemnitate sunt tum imminens mortis periculum, tum quaevis alia gravis causa, ut si tempus deficiat, si instet periculum a paganis, si commode haberi nequeant chrisma, oleum benedictum, sal, aliaque necessaria. Omissae tamen ceremoniae

erunt opportuno tempore supplendae: sollemne autem Sacramentum solus Sacerdos aut diaconus conferre valent s. C. P. F. 21. Ian. 1789.

XLI. 4. Baptizanti non licet adhibere ceremonias aliquas, omissis aliis. Quia vel fiet in baptismo sollemni, quod prohibet Trident. s. 6. c. 3. vel privato; sed in hoc prohibet Clementina unica, illas adhibere, nisi sit filius Regis aut Principis. De patrino tamen usus habet, ut et tunc adhiberi possit, etsi non sit necesse. Et multi putant, adhibitum non contrahere cognationem spiritualem nec vere patrinum effici, ut Sanch. Rodriq. contra Laym. et Suar. quorum tamen sententia videtur probabilior.

XLII. 5. Cum in necessitate, vel aliam ob causam (nam ob gravem causam, v. gr. iustum timorem infamiae, aliquando licite fit) baptismus sine ceremoniis est collatus, ea cessante, illae sollemniter in templis sunt supplendae. Quod tamen non est moris in haereticis conversis: ne plebs putet, nos eorum baptismum improbare. Laym. c. 8. n. 10. Imo in aliis omittere, secluso contemptu, esse tantum veniale docet Possev. *de Off. Cur.* c. 6. n. 23. Qui autem tenet more Patrini infantem, dum ceremoniae supplentur, non contrahere cum eo cognationem spiritualem, Dian. p. 3. t. 4. r. 260. ex Pontio, dicit esse probabile.

XLIII. 6. Si Baptismus sollemniter collatus deprehendatur fuisse invalidus, non ideo repetendae sunt ceremoniae.

766. * Quod ait A. de patrino adhibito in baptismo privato vel in baptismo sub conditione collato, expediemus in art. seq. n. 775. seq.

Cetera quae habet A. clara sunt: sed restant aliae quaestiones.

Cum baptismus conditionate confertur, adhibendaene sunt ceremoniae seu baptismus conditionatus estne conferendus sollemniter?

Si ceremoniae iam sunt adhibitae puta filio parentum catholicorum baptizato, de cuius baptismo postea dubitatur, A. negat esse repetendas, quam sententiam esse communiorem testatur s. Alph. n. 144.: licet ipse tutiorem censeat sententiam aliam, ut repetantur nimirum ceremoniae, secluso scandalo vel infamia.

Si adhibitae non fuerunt, ut si baptizatur sub conditione veniens ab haeresi Protestantium, tunc eae adhibendae sunt. Nihilominus Anglis facta est facultas conferendi baptismi absque ceremoniis, quae facultas deinceps aliis est negata, cf. cl. Lehmkuhl V. 2. n. 69. 4.

767. Quaeritur, quae instructio necessaria praemittenda, cum adultus baptizatur.

Exstat responsum C. s. U. Inq. die 3. Maii 1703. ad Archiepiscopum Quebecensem, qui sciscitatus erat: « Utrum antequam adulto conferatur baptismus, minister debeat ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus; quia hoc perturbaret mentem illius: annon sufficiat, si moribundus promitteret, se, cum primum e morbo convaluerit, instrui curaturum, ut in praxim redigat, quod ei praescriptum fuit ». Responsum est: non sufficere promissionem, sed missionarium teneri, adulto etiam moribundo, qui incapax omnino

non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis (cf. Vol. II. n. 9.

Rursus eadem s. Congr. ad dubium; an Missionarius debeat adulto explicare mysterium Eucharistiae, respondit 10. Maii 1703.: quoad adultos extra mortis periculum, per se loquendo teneri, nisi tale in contrarium urgeat motivum, ut expediens a prudenti missionario iudicetur dilatio post baptismum. Quoad moribundum pariter teneri, nisi vel tempus non suppetat, vel tanta praevideatur in eo animi perturbatio, ut a susceptione baptismi distrahere valeat.

Item eodem anno die 24. Maii eadem s. Congr. docuit, missionarios debere barbaris adultis aut baptizandis omnia praecepta legis divinae positivae intimare.

Pariter eodem anno 31. Maii eadem s. Congr. docuit, non licere, praeceptum de indissolubilitate matrimonii reticere nolentesque illud servare non esse baptizandos. Neque enim sunt pro licita susceptione dispositi, qui nolunt legem Dei servare. Haec decreta accepimus ex opere cit. Zitelli, *de Baptismo* n. 3. Cf. *de Sacram. in gen.* sub §. XL. in fine.

768. Quaeritur, quomodo recipiendi sint adulti venientes ab haeresi. In instructione data a Cong. s. U. Inq. 20. Iul. 1859. haec habes. « Triplex in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus. 1° Si baptismus absolute conferatur (quia nempe constat, vel antea datum non esse vel prius datum fuisse nullum) nulla requiritur abiuratio seu absolutio (a censuris); eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis. 2° Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit: *a)* abiuratio seu fidei professio, *b)* baptismus conditionatus, *c)* confessio sacramentalis cum absolutione conditionata. 3° Quando denique validus iudicatus fuerit baptismus, sola recipitur abiuratio seu professio fidei, quam absolutio a censuris sequitur ».

Quod spectat vero ad quaestionem, quandonam abiuratio vel sola fidei professio sit postulanda, eadem s. Congr. 28. Nov. 1878., respondit: « Quoad abiurationem standum est Albitii regulae: scilicet si agatur de adolescentibus, qui annum 14^{m} attigerint, sola professio fidei catholicae ab iis exigenda est, antequam admittantur ad sacramenta: si vero agatur de iis, qui 14^{m} aetatis annum excesserint, formalis sectae abiuratio, cui pertinuerint, est exigenda ».

* De obligatione faciendae confessionis sacramentalis eiusque integrae, quam absolutio conditionata sequatur, quando baptismus sub conditione confertur, dictum est Vol. II. n. 99. nunc spondemus, rem forte clarius explicaturos in tr. de Poenitentia, ubi de absolutione conditionata. *

769. In nominis impositione illud curandum est, ut nomen alicuius Sancti, quem Ecclesia colit, imponatur (quod tamen non praeceptum est, sed monitum seu consilium: s. Alph. n. 145.) atque prohibita censenda sunt nomina obscena, fabulosa, inanium deorum, impiorum hominum ethnicorum (quidni et modernorum e damnatis sectis, qui propter odium in Christum celebres exstiterunt?) Const. Benedicti XIV. *Omnium sollicitudinum* 12. Sept. 1744. Nihilominus, si puerum baptizandum deferens nolit prorsus eum baptizari, nisi imposito impii alicuius nomine: non ideo fas est baptismum differre, sed puer baptizandus est, addito, submissa voce, nomine alicuius Sancti. C. s. Off. Iun. 1883.

Tandem interrogationes, quae ex Rituali Romano sunt faciendae patrinis, lingua latina efferendae sunt; si tamen patrinus eas non capiat, qui idcirco nullum valeat humano modo responsum reddere, erunt idiomate vulgari explicandae; cum nihil obstet huic explicationi, ut declaravit s. C. de P. F. 30. April. 1808. Eadem s. Congr. statuit Iun. 1879., quod iam intelligebatur, posse patrinos et matrinas sua lingua respondere *.

Articulus II.

De Patrinis.

XLIV. Resp. 4. Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Unde eorum officium est baptizatum de rebus fidei instruere, orationem Dominicam et Symbolum docere; ad quod obligantur, si id ab aliis non fiat. Laym. l. 5. t. 2. c. 9.

770. * Spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. In hac autem, ex necessitate quidem, requiritur et sufficit pater et mater; ad facilem tamen partum et educationem prolis convenientem requiritur obstetrix et nutrix et paedagogus. Porro horum vices implet in baptismo ille, qui puerum de sacro fonte levat.

Utique officium est parentum procurare educationem et instructionem filiorum et si ipsi catholici sint atque huius muneris capaces, per se possunt et debent, nisi iusta causa impediantur, hoc munere fungi: sed quemadmodum alia est generatio spiritualis a carnali et fieri potest, ut parentes illud nequeant praestare, ut certe contingit, cum infidelium filii baptizantur, hinc conveniens est, ut pater spiritualis alius sit a carnali. S. Thomas q. 67. aa. 7. et 8.

In patrino igitur duo distingue: actum, quo patrinus constituitur et officium inde consequens, qui est finis actus. Nam actus est su-

sceptio (eo modo, qui ab Ecclesia praecipitur) baptizati a sacro fonte, qui actus ponatur cum intentione saltem exercendi actum ab Ecclesia institutum: officium est, instructio suscepti in doctrina christiana quoad fidem et mores. Ideo patrinus obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineat, sicut accidit eo tempore et loco, quo baptizati inter infideles nutriuntur. Si vero hi inter catholicos nutriantur, satis patrini possunt ab hac cura excusari, praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo contrarium constaret, tenerentur, secundum suum modum, curam saluti impendere spiritualium filiorum. S. Thom. l. c. a. 8.

Obligatio ergo patrini est, ut cum opus est, curet, secundum suum modum, instructionem christianam pueri ideoque vel ipse instruat vel ab aliis idoneis ipsum instrui faciat. Haec obligatio per se gravis est, quando puer aliorum auxiliis careat; agitur enim de re gravi et maxime necessaria.

Monet Suarez in q. 67. a. 8., quod haec obligatio non est existimanda perpetua, sed tandiu durare censenda est, donec baptizatus in rebus fidei ad ipsum pertinentibus sit sufficienter instructus; sic enim hic censebitur esse extra statum infantiae spiritualis, in quo indigebat paedagogo. Atque ita, ait, explicanda, quae traduntur c. *Vos ante, de Consecr.* dist. 4.

771. In baptismo sollemni patrinos esse iubet Ecclesia et haec est una ex praecipuis eius sollemnitatibus. Cf. *de Consec.* dist. 4. cc. 19. seqq. Trid. Syn. sess. 24. *de Reform. Matr.* c. 2. Rituale Romanum *de Baptismo* c. 1. n. 22. Praxis antiqua est: cf. Tertullianus *de Baptismo* c. 18. Augustinus *de Peccat. merit. et remiss.* c. 34. Dionysius Areopag. *de Eccl. Hier.* c. 2.

Patrinos nominavimus cum A., sed sub his et *matrinae* intelliguntur; nam hoc munere et feminae fungi possunt. Proprium est patrini aut matrinae, ex Ecclesiae constitutione, contrahere cognationem spiritualem, quae est impedimentum dirimens matrimonium, cum suscepto eiusque patre et matre.

Porro iure antiquo non plures quam unum aut unam, licebat esse susceptores: c. 101. *de Consecr.* d. 4. Conc. Trid. l. c. concessit ad summum unum et unam: at iure antiquo si plures accessissent et suscepissent baptizandum, omnes impedimentum contrahebant cognationis spiritualis c. fin. *de Cong. Spirit.* in 6. Hac in re Trid. Syn. coarctavit ius vetus, quemadmodum et in personis, quibuscum cognatio contrahitur *.

XLV. Resp. 2. Ut quis valide sit Patrinus, non certa aetas, sed requiritur 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit baptizatus (quia non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus) et quidem, ut eius Baptismus fuerit validus; quia accessorium sequitur principale 3. Ut a parentibus, vel Parocho ad hoc designatus sit: ad quod videtur sufficere, si etiam ultro se ingerens sit admissus; designatos autem rite a parentibus Parochus non valide mutat. Dian. p. 6. t. 7. r. 50. 4. Ut in ipso Baptismo (quia non sufficit, ut in solis ceremoniis) per se, vel procuratorem tangat, teneat aut de manu baptizantis suscipiat. 5. Ut id non materialiter tantum, sed animo susceptoris sive cum intentione id munus gerendi faciat. Laym. c. 9. n. 2.

772. * A. recenset conditiones necessarias, ut quis sit vere, non specie tenus, patrinus.

1° Sit quam quarto loco ponit: circa quam exstat declaratio s. C. P. F. 21. Ian. 1856. « Per verba Ritualis: *patrino infantem tenente*, haud susceptio absoluta requiritur; cum tenere aeque intelligatur et sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis, iungat se cum eo, cuius manibus ille tenetur et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit, ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat ».

2ª Conditio quae quinto loco ab A. ponitur, evidens est: oportet enim humano modo actum susceptoris ponere et sic huius muneris obligationem contrahere. Istud porro sufficit; nec enim necessaria est intentio contrahendae cognationis. Sanchez *de Matrim.* l. 7. d. 58. n. 4.

3ª Conditio ut patrinus sit baptizatus, a fine determinatur accedente etiam ecclesiastica lege. Nequit enim spondere institutionem suscepti in catholica doctrina ille qui est ab ea alienus, extra Ecclesiam exsistens. Et quamvis fingi posset hypothesis alicuius nondum baptizati, volentis tamen Ecclesiam ingredi, puta catechumeni, qui, cum tempus advenerit sit futurus idoneus pro pueri instructione, hunc nihilominus reiicit lex Ecclesiae, quae exigit baptizatum. Ita c. 102. *de Consecratione* d. 4. ex Concilio Moguntino. Et sane nonnisi baptizatum ligare Ecclesia potest impedimento dirimente matrimonium: cum ergo velit patrinum tali impedimento teneri, eo ipse vult eum esse baptizatum.

4ª Conditio de designatis a parentibus, a Trid. sess. 24. *de Reform. matr.* c. 2. est statuta: « Parochus, ait, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat et in libro eorum nomina describat doceatque eos quam cognationem contraxerint... Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant ». Et sic derogatum est antiquo iuri cn. 105. l. c. et c. ult. *de Cognatione Spirituali* in 6.

Quinam porro ii sunt, ad quos designatio spectat? Certe sunt parentes, quique eorum locum tenent, ut tutores: haec est communis Theologorum doctrina. Sed si parentes aut eorum tenentes locum, suo muneri desint, designatio patrini spectabit ad Parochum, Sacramenti ministrum: haec est rursus communis doctrina et sane illis deficientibus, nemo est, qui potiore titulo possit sibi hoc designandi ius asserere. Vult autem Syn. Trid., ut designationi parentum accedat consensus parochi designatos admittentis.

773. Cum Trid. Syn. hoc decreto quoddam novum ius induxerit, non paucis quaestionibus locum dedit, quas videre est penes Sanchez *de Matrim.* l. 7. d. 57. et s. Alph. heic. Quaestiones tamen omnes huc redire videntur, an quae Syn. statuit, quoad numerum nempe, ut non sint plures uno et una et quoad designationem, ut designentur patrini ab iis, ad quos spectat, sint conditiones essentiales pro contrahenda cognatione spirituali.

Id quidem saltem primo obtutu videtur. Nam cum Syn. aperte declaraverit, velle se et impedimentum hoc cognationis spiritualis coarctare; ipsa pro consequendo hoc fine, statuit ut non nisi unus et una ad summum suscipiant et ut susceptores designentur ab iis, ad quos spectat et a parocho admittantur; aliis, ultra designatos, baptizatum tangentibus cognationem spiritualem nullo pacto contracturis.

Si ita esset, h. e. ambae hae conditiones essent essentiales, tunc, sive plures quam duo (mas et femina) designati sint et tangant, etiamsi simul tangant, sive nemine designato, alii se ingerant, nemo ex his cognationem contrahet verusque erit patrinus. Ita quidem censet Suarez in q. 67. n. 8. « Si ex ignorantia vel malitia plures fuerint designati, quam possint iuxta formam Concilii, ille tantum contrahet impedimentum, qui primo baptizatum susceperit vel ad summum duo, si fuerint vir et femina. Nam revera illi tantum sunt susceptores et reliqui iam non sunt capaces talis ministerii. Quod si fingamus, plures simul designari et suscipere ultra formam a Concilio statutam, probabile est, neminem eorum contrahere impedimentum. Nam certe videtur, nullum ibi esse verum ac legitimum susceptorem; quia nullus exercet munus illud eo modo, quo ab Ecclesia statutum est et ideo fit probabile, nullum contrahere impedimentum; quia hoc iam limitatum est ad illum, qui fuerit vel totalis susceptor, vel ita partialis, ut solum habeat alium socium diversum in sexu ».

Alii tamen distinguunt. Et primo numerum quidem suscipientium praeceptum esse, dicunt, quemadmodum et iure antiquo iam praecipiebatur; at praeceptum non esse sub irritatione: nisi cum tangant plures *ultra duos designatos,* non vero si tangant *plures designati quam duo;* s. Alph. n. 154.

Hinc si, contra legem, plures quam unus et una designentur, si omnes tangant saltem simul, multitudinem aiunt non obstare, quominus omnes impedimento teneantur; quia Concilium exclusit solum a contrahenda cognatione, qui accederent ultra designatos.

Diximus: si tangant *saltem simul;* nam si successive tangunt, volunt DD., Suarez in hac re secuti, solum primos unum et unam contrahere cognationem, esse scilicet veros patrinos; quia ceteri adveniunt iam perfunctis aliis plene ministerio patrini. Quod alterum et s. Alph. l. c. probat. Pro priore parte huius sententiae favet Resol. s. C. C. allata a Pignatelli (apud Croix n. 360.), qua declaratum est: si incertum sit, quis ex pluribus, qui tetigerunt, fuerit designatus aut quis primus tetigerit, omnes contraxisse.

Si vero nullus sit designatus, Sanchez cum aliis l. c. n. 12., propter allatam rationem ex Suarez, censet neminem contrahere, quod et Gonzalez in Decretales c. 8. *de Cognat. Spirit.* probat n. 7.: s. Alph. autem n. 154. censet cum aliis omnes contrahere: quia irritatio Tridentini afficit eos, qui *ultra* designatos accedant, non qui *praeter:* sive decretum Trid. locum habet cum exsistunt aliqui designati, non cum nullus designatus exstat, in qua hypothesi res, aiunt, relinquitur dispositioni iuris communis.

Liquet secundum diversas in his quaestionibus sententias impedimentum identidem fore dubium; videndum ergo erit, an impedimentum dubium liget, quod negari solet: qua de re ubi *de Matrim.*

774. Quid vero, si designati ab iis, ad quos spectat, reiiciantur a parocho? Respondet s. Alph.: si parochus iniuste repellat electos a parentibus et nihilominus teneant infantem, veram eos cognationem contrahere verosque esse patrinos; quia ministerium praestiterunt et iure. Qua circumscripta responsione significat s. Doctor, quod si iuste repellantur, etsi tangant, non sint patrini: quia non sunt secundam formam ab Ecclesia statutam. Verum distinguendum videtur. Nam iuste repelluntur tum qui sunt ipso iure inhabiles, ut infideles, tum qui solum prohibentur ut monachi. Si priores repelluntur, utique nihil agunt, sed non tam propter repulsam parochi, quam vi iuris eos inhabiles reddentis. Si alii, peccabunt se ingerentes; sed cum eorum actus non irritetur, cognationem videntur contrahere.

775. Quaeritur, an in baptismo privato adhibendus sit patrinus. Sermo est de baptismo a sacerdote collato, non a laico. Per se patrini assistentia iam est sollemnitas quaedam atque ex praecipuis in baptismo: idcirco si patrini adhibeantur, non erit amplius ex toto privatus baptismus, sed quaestio fit, cum non possunt omnes vel ceterae ceremoniae peragi, possit autem haberi patrinus, an ipse adhibendus sit et an contrahat cognationem.

Ad 1[m] respondetur, regulam esse Ecclesiasticam: etsi non possint omnes usurpari ceremoniae, *possunt, imo tenentur sacerdotes uti illis ceremoniis, quibus possint uti.* Ita in Instr. s. C. P. F. 15. Sept. 1869. (apud Bucceroni Enchir. p. 85.). Et iam eadem s. C. 21. Ian. 1789. statuerat: si Missionarius non omnes, sed solum aliquas ceremonias baptismi adhibere potest, eas adhibeat ac deinde, cum tempus et occasio opportuna adfuerit, easdem vel omnes vel quas omisit, in ecclesia vel oratorio supplere teneatur » (Ibid. p. 87.): cf. n. 72. Si ergo patrinus adhiberi potest, quamvis ex aliqua causa nequeant aliae ceremoniae peragi, adhibeatur. Secus censebat Suarez 1. super cit. n. 9. negans esse hac de re legem aliquam Ecclesiae.

776. Ad 2[m] respondet s. Alph. n. 149. secundum communiorem et probabiliorem sententiam, quam et Sanchez tenet *de Matr.* l. 17. d. 62. n. 14., negative, contra Suarez, qui affirmaverat l. supr. cit. n. 9. contrahi cognationem, si vere et proprie quis accedat animo suscipiendi baptizatum et contrahendi obligationem patrini, arguens ex iure communi vetere, cui Tridentinum non videtur derogasse. Doctrinam tamen Suarez iam ante s. Alphonsi aetatem probaverat s. C. C. 5. Mart. 1678. Quaesitum est: « An dispositio Concilii c. 2. sess. 24. *de Reform. Matrim.* decernens in Sacram. baptismi contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem et matrem suscepti, habeat locum in baptismo sine sollemnitatibus ob necessitatem secuto ». Responsum est « Affirmative » (a).

Si vero patrinus solum adhibeatur, cum supplentur omissae sollemnitates baptismi, nullum contrahitur cognationis spiritualis impedimentum; neque enim tunc levatur quis ex sacro fonte. Ita declaravit s. C. C. 5. Mart. 1678. (apud Bucceroni op. cit. p. 213.).

Si in baptismo sub conditione collato adhibeatur patrinus, s. Alph. n. 151. distinguit: scilicet vel dubitatio de praecedente baptismo est dumtaxat negativa h. e. nulla adest ratio pro valore illius, et tunc contrahitur cognatio; quia praesumptio stat pro valore secundi baptismi. Si vero dubium est positivum; dubius est secundus baptismus, quo deficiente nullum est ministerium patrini et sic dubia erit cognatio contracta: at impedimentum dubium est nullum.

777. Dubitatum est olim, an liceat per procuratorem exercere munus susceptoris, ita ut cognatio a mandante contraheretur: cf. Sanchez *de Matr.* l. 7. disp. 60. n. 4.

(a) Cf. dicenda in tr. *de Matr.* sub *Impedim. Cognat. spirit.* et Lehmkuhl, *de Matr.* sub dicto impedimento, qui negat hoc responsum vin legis habere, utpote non promulgatum. E.

Nunc certum est, spiritualem cognationem contrahi non a procuratore, sed a mandante. Ita saepius declaratum a s. C. C. 20. Apr. 1586. 15. Mart. 1631. 16. Sept. 1721.

De parentibus prolem suam suscipientibus, dicemus, sub. Resp. seq.

Haec quoque iuverit notare. Si unus sit susceptor, vult Laymann, ut sit eiusdem sexus cum suscepto. Id quidem est utile; sic enim minus multiplicatur impedimentum matrimonii: lex tamen nulla adest; nam Trid. Syn. pro quovis infante indifferenter de susceptore loquitur, inquiens, *sive vir sive femina*. Si tamen persona adulta baptizatur et baptismus per immersionem conferatur, honestas postulat identitatem sexus. Praeterea cum duo suscipere possint, vir et femina, censuit Urbanus II. caus. 30. q. 4. c. 6. haud decere, ut vir simul eiusque uxor alienum infantem teneant. Ea porro aetate cum coniux alienum infantem teneret, iam eius uxor, utique ab eo cognita, cognationem cum suscepto et huius parentibus contrahebat c. 4. *de Cognat. spirit.* et c. 3. caus. 30. q. 4.; quia vir et uxor sunt una caro ideoque cognato exsistente coniuge et alter eandem cognationem participabat. Eam qualemcumque legem Urbani nunc consuetudine abrogatam esse, affirmant DD. cf. Croix in h. l. n. 352. s. Alph. n. 157.

Itaque iure novo Trid. cognatio spiritualis solum inducitur patrinum inter ac susceptum eiusque parentes. Aliae cognationes, de quibus l. 3. Decretal. tit. 11., abrogatae fuerunt. *

XLVI. Resp. 3. Valide quidem, sed illicite sunt Patrini 1. Abbas et Monachus, quo nomine non veniunt Mendicantes; etsi Laym. omnes Claustrales comprehensos velit et quoad Abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Coniuges respectu coniugum et parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatae et haeretici, qui nullo casu videntur advocandi; quia ea advocatio esset protestatio quasi falsae religionis, cum nonnisi de falsa fide sint sponsuri: etsi Laym. hic c. 9. n. 7. probabiliter dicat posse subinde ob gravem causam admitti. Catholici vero ob rationabilem causam infantem haeretici, baptizante Praedicante, suscipere possunt, saltem in Germania: Laym. c. 9. n. 6. 5. Plures, quam duo; quia Trid. non nisi unum aut ad summum unum et unam permittit, propter cognationem spiritualem inde oriri solitam. Ideoque mandat Parochis, sub poena arbitrio Ordinarii infligenda, ut si plures se offerant, petant ab his, ad quos spectat, patrinos designari, ut unum vel duos nominent eosque tantum admittant, qui soli cognationem contrahant eorumque nomina in librum referant eosque de contracta spirituali cognatione instruant: scilicet, quod ea impediat dirimatque Matrimonium, non quidem inter se, sed inter ipsos et baptizatum eiusque patrem et matrem; sicut etiam inter baptizantem et baptizatum baptizatique patrem et matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem suscipiunt in necessitate. Vide Laym. locis infra citandis.

778. Ad primum quod attinet, Rituale Romanum de Baptismo c. 1. n. 26. generatim statuit: « Ad hoc (patrini munus) etiam admitti non debent Monachi vel sanctimoniales neque alii cuiusque Ordinis Regulares a seculo segregati ».

Quibus postremis verbis ratio continetur, cur huiusmodi reiiciantur ab officio patrini; quia nimirum segregati sunt a seculo et propterea nequeunt curam eorum suscipere, qui in seculo vivunt. Hinc monachus factus Episcopus aut Cardinalis (ait s. Alph. heic) hac prohibitione non tenetur: hi sane, etsi professionem retineant, non sunt amplius in statu monachorum.

Illi autem legi arcenti monachos ab officio patrini consuetudo potest derogare nec mirum est, multis in locis, ut ait A., derogasse quoad Abbates, quibus, dummodo in officio suo perseverent, haud erit difficile, consulere infantibus, cum ad aetatem discretionis pervenerint.

779. Coniuges respectu coniugum; ut si coniux iam ad fidem conversus vellet alterum conversum in baptismo suscipere. Item parentes respectu filiorum. Ab ipsa enim origine institutionis patrinorum hic mos est in Ecclesia inductus, ut spiritualis pater, qualis est patrinus, alius sit a patre naturali, ut sic plenius et securius curae spirituali infantis consulatur. Cf. doctrinam s. Thomae allatam n. 770. Hinc lex Ecclesiae est prohibens, ne parentes sint susceptores: *non admittantur baptizandi pater aut mater,* ait Rituale Rom. *de Baptismo* c. 1. n. 23.

Certum est, ait Suarez l. c., peccare graviter parentem, qui filium suum de propria coniuge natum in baptismo suscipit, sine necessitate; hoc enim aperte prohibetur et asseritur c. 1. caus. 30. q. 1. quod est Pontificis decretum. Cf. et s. Alph. n. 150.

Utique si parens suscipiens infantem cognationem spiritualem contrahit, quae annexa est officio patrini, patet intrinseca quoque ratio, cur parentes prohibeantur suscipere filios suos. Sic enim ea indecentia sequeretur, ut quis haberet pro coniuge cognatam spiritualem. Quae est idonea ratio prohibitionis, ne parentes baptizent prolem suam.

780. Verum quaestio est, an parentes suscipientes prolem suam, contrahant reapse impedimentum hoc cognationis spiritualis. Satius tamen est, quaestionem hoc pacto proponere; an nempe parentes suscipientes infantem suum amittant ius petendi debitum. Nam quod cognatio spiritualis (quae et ipsa a iure positivo pendet, ut modo amplior, modo minus ampla exstiterit), dirimat sequens matrimonium vel matrimonio superveniens impediat eius usum, ex iure solum positivo est, quod idcirco potuit eam cognationem aliquando relinquere sine hoc effectu. Et sane qui quaestionem praesentem instituunt, prae oculis habent hunc effectum. Quaestio est ergo, an parentes, suscipientes filium suum vel alterius saltem coniugis contrahant hoc impedimentum a petendo debito.

Si in necessitate id faciant, certum est, non contrahere; argumento ducto ex decreto Ioannis VIII. c. 7. caus. 30. q. 1. At extra casum ne-

cessitatis, rursus si ignorantes id faciant, non contrahunt ex c. *Si vir, de Cognatione spirit.* Verum si absque necessitate, scienter id faciant, controvertitur. Conferri potest Suarez l. c. nn. 7. 8. Sanchez *de Matrim.* l. 9. d. 26. nn. 6. 7. s. Alph. n. 150. Hic ait sententiam affirmantem esse communiorem, Suarez dicit esse communem, Sanchez, universos fere Iuristas et Theologos id docere. Nihilominus, si lex quaeratur, quae id statuit, citati tres DD. fatentur ingenue, eam saltem claram et certam non reperiri: imo decretum Alexandri III. c. *Si vir, de Cognat. spirit.* videri sententiam negantem stabilire, abrogatis aliis praecedentibus contrariis decretis. « Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant? Consultationi tuae taliter respondemus, quod quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari (cf. c. 1. caus. 30. q. 1.), quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt (cf. c. 3. eod. loc.). Ideoque nobis videtur, quod, sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci. Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus ».

Par heic habetur qui sciens id facit, illi qui ignoranter agit; atqui certum est, ius petendi non amitti ab eo, qui ex ignorantia ideoque absque culpa agit: ergo. Praeterea si alter alteri debitum reddere debet: ergo et petenti qui suscepit, reddendum est debitum: ergo is ius non amisit petendi; secus non iuberetur alter debitum reddere.

781. Difficultas tamen quaedam oritur ex postremis verbis, quibus ratio redditur: *eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus:* ex quibus sequitur quidem teneri coniugem, qui suscepit infantem, debitum reddere, non vero alterum teneri ei reddere; etsi enim iste id negaret, non ideo illius fraus vel dolus ipsi suffragaretur. Hoc igitur videtur voluisse cavere Pontifex, ne qui ex malitia, h. e. ut separationem obtineret, tenuisset in baptismo suum infantem, commodum ex sua actione referret: porro ad id satis erat, obligare eum ad reddendum; non opus erat, ei conferre vel relinquere intactum ius petendi.

Hoc pacto accepisse sententiam huius canonis videtur universa fere traditio theologorum et canonistarum. Atque eidem interpretationi favent responsa Congg. Sane s. C. P. F. 15. Sept. 1869. (apud Bucceroni Enchir. p. 85.) respondens quibusdam interrogationibus, statuit. 1°: « admisso quod ceremoniarum aliquae servari possint, defectus patrini non efficiet, ut ceteri ritus omitti debeant vel possint et sic baptismus fiat privatus: sed missionarii tenentur illis uti, quibus possint ». Tum 2° addit: « Imo sacer Ordo censet, posse hoc in casu (quo nulla alia

persona aderat cum sacerdote et infante, praeter parentes) praesentiam extranei (alterius nempe a parentibus) patrini per baptizandorum parentes quodammodo suppleri. Quandoquidem nihil impedit, quominus patrinorum vices gerant, suos infantes materialiter tenendo et pro iis baptizanti respondendo, citra tamen veri et proprie sumpti patrinatus praerogativam, videlicet citra necessitatem obeundi onera, quae eiusmodi munus secum fert, contrahendi impedimentum cognationis spiritualis, usum matrimonii prohibens ». Scilicet si parens esset formaliter patrinus, impedimentum contraheret.

Itaque censet quidem s. Alph. satis probabilem esse sententiam negantem, neque per se hanc probabilitatem adimit responsio Congr., quae potuit respondere, sequens communiorem sententiam, quin litem dirimere vellet, qua de re non quaerebatur. Omnibus ergo inspectis, etsi sententia affirmans videatur probabilior; impedimentum istud dubium manet.

Ex responso S. C. cit. habes, quid sit quod ait A., posse in casu necessitatis parentes esse patrinos: nempe *materialiter* quidem, non vero *formaliter*.

782. Porro docet Gobat citatus a Croix n. 358. si contigat vel matrem super partum mori vel patrem ante filii ortum defungi: posse superstitem parentem suscipere infantem suum; quia lex loquitur solum de coniugatis, prohibens ne coniugati suum vel coniugis filium in baptismo suscipiant; hic autem non est amplius coniugatus. Ita Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 5.

Si filius sit illegitimus, nihil vetat a patre naturali eum teneri: quia canones loquuntur de parentibus vero matrimonio coniunctis, quibus poena vel damnum sit amissio iuris petendi: quod in coniunctis illegitime haud habet locum. Et sane ille pater contraheret quidem cognationem spiritualem impedientem matrimonium cum matre: sed in hoc nihil est mali. Lugo l. c.

Non licere, ut moribus infames sint patrini, evidens est: id enim non congruit cum sanctitate officii, quod patrinus suscipit, admonendi nempe filiolum suum, ut castitatem custodiat, iustitiam diligat etc. ut habet c. 105. *de Consecr.* d. 4.

Quod spectat ad haereticos, qui admittantur, ut patrini, hunc abusum esse edixit s. C. P. F. 8. Sept. 1869. et non licere iam statuerat C. s. O. 14. Octob. 1656. Idcirco sententia Laymann nequit probari. Si catholicus patrinus non adsit, melius est, ait Croix n. 373., omittere patrinum, quam adhibere haereticum; quia praeceptum adhibendi tunc obligat, quando potest haberi idoneus. Ceterum haereticum baptizantem vel suscipientem contrahere cognationem fatentur omnes, ait

Sanchez *de Matr.* l. 7. disp. 60. n. 2. Quia charactere baptismi insignitus est ac proinde ex hac parte capax cognationis spiritualis ac legibus Ecclesiae subiicitur. Et quamvis peccet, munere patrini fungens, at nullibi eius actus irritatur.

De his, quae habet A. sub n. 5. iam dictum est.

783. Quid, si communitati puta Capitulo deferretur munus patrini, quod per delegatum seu procuratorem exerceretur? nemone contraheret cognationem, an aliqui et quis? Certum est, ait Sanchez l. c. n. 7., cognationem non contrahi a communitate, quae est persona ficta et incapax talis cognationis. Nec ratio est, cur singuli contrahant cognationem; quia singuli non sunt universitas, cui munus illud demandatum est. Nec procurator contrahit, qui non suo nomine suscipit nec intendit se obligare. Itaque obligatio quidem instruendi baptizatum suscipi posset a capitulo, sed cognatio nemini inhaereret, nullum subiectum capax reperiens. Cf. Croix n. 366. *

Unde resolves.

XLVII. 4. In privato Baptismo, ob necessitatem dato, pater non debet suscipere, aut tenere tanquam patrinus infantem; cum in hoc casu nulla sit patrini necessitas, ideoque si id vel tunc, vel etiam in Baptismo publico temere faciat (idem est, si prolem suam ipse baptizet) graviter peccat et insuper contrahit in posteriore casu cognationem cum coniuge atque, ut docet Sanch. *de Matr.* d. 36. et alii communiter, privatur iure petendi debitum: quod tamen negant Con. et Dia. d. 4. *de Sacr.* r. 5. V. Bon. *de Matr.* q. 3. p. 5. §. 2. Esc. t. 7. E. 2. ubi citat. Suar. negantem.

* Cf. responsum S. C. datum sub. n. 781. et dicta superius. Vides et A. heic distinguere contractam cognationem inter et iuris petendi amissionem. *

XLVIII. 2. Si inter multos patrinos nulli certi a parentibus aut in eorum defectu, a Parocho designentur, qui aliis seclusis cognationem contrahant et sic multi ex ignorantia, vel Parochi negligentia levent, probabile est, omnes contrahere cognationem (nisi tamen assistant tantum et non tangant). V. Laym. l. 5. t. 10. p. 4. c. 8. et tr. 2. c. 9. n. 4. Dian. tamen p. 9. t. 7. r. 5. ex Suar. Macrat. et Perez, dicit eo casu nullam contrahere cognationem.

Cf. dicta n. 773.

XLIX. 3. Parochus graviter peccat, l. si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum; tum ob legem. Trid. in re gravi et sub poena gravi, tum ob incommoda et damna inde sequentia. Quint. t. 2. s. 11. 2. Si eius culpa Patrini plures adhibeantur Quint. l. c. At licet Per. et Serra apud Dian. p. 9. t. 7. r. 5. dicant esse probabile, quod tantum peccet venialiter; alii tamen mortalis eum damnant.

784. * S. Alph. n. 154. absque haesitatione asserit, peccare mortaliter parochum, qui admitteret plures patrinos, quam duos; quia

laederet praeceptum Ecclesiae in re gravi impositum, ne multiplicentur cognationes. Haec puto intelligenda in hypothesi, quod admittat plures designatos; quia si solum plures, praeter designatos, permittat accedere, non videtur laesio dicta habere locum, cum probabile saltem sit, eos cognationem non contrahere cf. n. 773. Monet idem s. Doctor, quod si plures sint designati, bene poterit parochus permittere, ut omnes tangant, modo externe designet unum et unam, quibus tantum tradat infantem et illos solos adnotet ut patrinos moneatque eos tantum cognationem contraxisse, ceteris ut testibus exsistentibus.

Addit s. Doctor n. 159., peccare graviter parochum baptizantem sollemniter sine patrino, utique cum haberi potest; quia haec est de praecipuis ceremoniis. Cf. n. 767.

Item ait peccare graviter, si admittat patrinum non designatum ab iis, ad quos spectat, iuxta praeceptum Trid. Sane laederet eorum ius in re gravi. Haec intellige, si ii designaverint aut designare velint.

Alia servanda a parocho habes in Rituali Romano, post Ordinem baptismi parvulorum. *

SECTIO III.

DE CONFIRMATIONE

Dub. I.

Quid sit quae materia eius et forma.

I. Respond. 1. Confirmatio est unctio Chrismatis, sub praescripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Episcopo, qua is ex Christi institutione gratiae augmentum et robur accipit.

Cf. Theologos dogmaticos.

II. Resp. 2. Materia eius remota essentialis est Chrisma confectum ex balsamo et oleo olivarum, benedictum ab Episc. Ita comm. Doct.

785. * Satis sit afferre verba Eugenii IV. in decreto pro Armenis: « Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto ». Cf. resoll. seqq. *

Unde resolves.

III. 1. Non sufficit solum balsamum, ut voluit Canus: nec solum oleum, ut voluerunt Caiet. Sot. Nav.

786. * Oleum requiri patet ex c. un. §. 6. *de Sacra Unctione* et ex verbis Eugenii ac constanti Traditione; cf. Bellarminum *de Confirm.* c. 8. idemque olivarum esse debere ex eo constat, quod solum istud dicitur simpliciter oleum.

Balsamum quoque requiri eadem necessitate ac oleum, videtur sponte sequi ex eo, quod eaedem auctoritates, quae exigunt oleum, exigant quoque balsamum, ut expressis verbis facit Eugenius: et sane nomen *chrisma* per se significat proprie *unguentum*. In Ecclesia vero *chrisma* appellatum fuit unguentum, mixtum ex oleo nempe et balsamo praesertim; cf. Suarez in q. 72[m]. disp. 33. sect. 1. n. 7. seqq. Unde et nomen sacramento huic factum, quo a sexto sacramento distinguitur. Sufficit autem balsamum cuiusque regionis, ait s. Alph. n. 162. Cf. Benedictum XIV. in Const. *Ex quo primum* §. 52. Balsamum porro requiritur propter significationem; eo enim, ut ait Eugenius IV. in decreto, odor bonae famae significatur.

Nihilominus fuerunt (cf. s. Alph. n. 162.), qui distinctione facta inter necessitatem praecepti et necessitatem sacramenti, concederent

quidem balsamum requiri ex praecepto Ecclesiae, negarent vero requiri pro valore Sacramenti. Praecipua huius sententiae ratio sumitur ex responso Innocentii III. c. *Pastoralis, de Sacram. non iter.;* quaesitum enim fuerat, an « confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus » (ubi vides aliud esse chrisma, aliud simplex oleum). Porro respondet « quod non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum ». Ergo, aiunt, censuit Innocentius, unctionem balsami accidentalem esse atque solo oleo iam sacramentum fuisse confectum; secus illud iterandum esse h. e. iterandam actionem, qua confertur, respondisset.

787. Sunt qui respondeant, non negare Pontificem, eo casu Sacramentum dandum esse, sed negare esse iterandum; quia iteratio non est, cum prius nihil factum fuerit. Sed optime advertit Suarez l. c. n. 2. hanc interpretationem violentam videri; « tum quia ibi non erat quaestio de iteratione nec fiebat vis in verbo iterandi, prout significare potest secundam collationem eiusdem sacramenti post primam ratam et validam: sed simplicius agebatur de iteratione, prout communiter loquimur, ad significandam collationem sacramenti, quae iterum fit, quando prior iudicatur fuisse invalida, tum etiam verba illa: *sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum,* plane indicant non esse totum iterandum, sed solum aliquem defectum supplendum.

Monet idem (n. 13.), dubitari non posse, quin, non obstante eo textu, nunc sit licitum in eo casu iterum dare sacramentum. Tum sensum Innocentii declarans, ait: « certum est, ex illa responsione Innocentii, supplendam esse in eo casu eam unctionem ex balsamo, quae facta non erat. Non potest autem suppleri, ungendo cum solo balsamo sine oleo; tum quia talis unctio nunquam fuit adhibenda et ideo nec praetermissa dici potest nec supplenda, tum etiam quia suppleri debet unctio ex balsamo benedicto, balsamum autem nunquam per se benedicitur separatum ab oleo; erit ergo supplenda unctio ex toto chrismate talisque qualis praetermissa fuerat. Non est autem supplenda sine forma; tum quia illi unctioni debita erat, ut sic dicam, illa informatio et haec etiam fuerat praetermissa, tum etiam quia prior forma caruerat veritate; quia non accidit in verum chrisma, ut per illam significatur ». Unde concludit, Pontificem non negare, imo affirmare, substantialia huius sacramenti esse in eo casu iteranda. Et quia, ut videbimus, in his tota est essentia sacramenti, concludimus, e mente ipsius Pontificis, esse ipsum sacramentum, quoad substantiam, iterandum. Cur ergo negat Pontifex iterandum? Scilicet, ut

in similibus Ecclesia Romana solet, praescindens a quaestione, quinam sint ritus essentiales, quinam accidentales, considerat Pontifex integritatem ritus et negat totum ritum esse iterandum, sed supplendum dicit omissum: quod tamen heic suppletur, constat esse ritum essentialem sacramenti. Huc redit responsio Suarez.

Qui tamen et ipse, non secus ac s. Alph., concedit, contrariam sententiam esse probabilem in se ipsa et idcirco, si solum oleum adhibitum fuerit, potius sub conditione quam absolute esse repetendum sacramentum. Unde et infert s. Doctor l. c., quod in articulo mortis, si aliter fieri nequeat, conferre licebit Sacramentum sub conditione, solo oleo adhibito (oleo nempe catechumenorum vel infirmorum); quia magna utilitas huius sacramenti iusta est causa, illud sub conditione ministrandi *.

IV. 2. Etiam benedictio Episcopalis est de essentia, ut habet communis contra Caiet. ideoquo nulla delegatione sive Episcopi sive Papae, simplex Sacerdos potest conficere Chrisma. Con. d. 72. a. 3. d. 1.

788. Dubitatum est, an chrisma benedictum necessarium sit solum ex praecepto, an sit de essentia sacramenti. Doctores quidam dubitarunt universim de benedictione an ea sit necessaria pro valore sacramenti, plures de benedictione episcopali, utrum nempe satis sit ea, quam presbyter, ex delegatione saltem, impertiatur. Cf. s. Alph. n. 163.

* Quoniam heic a simili argumentari licet, en decretum s. Inquisitionis approbatum a Paulo V. circa materiam extremae Unctionis. Die 13. Iun. 1655. « SS. D. N. Paulus V. in Congregatione generali eorum se habita, praevio maturo examine et censura propositionis sequentis, *quod nempe sacramentum extremae Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit,* auditis DD. Cardinalium suffragiis, declaravit, dictam propositionem esse temerariam et errori proximam ».

Porro 14. Sept. 1842., in Congr. generali... coram EE. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae Unctionis uti possit oleo a se benedicto : iidem EE. decreverunt, negative ad formam decreti diei 13. Ian. 1655. quam Eminentissimorum resolutionem eadem die Gregorius XVI. approbavit.

Haec intelliguntur, puto, in hypothesi quod Rom. Pontifex non faciat presbyteris potestatem benedicendi oleum : cf. sane Benedictum XIV. *de Syn.* l. 8. c. 1. n. 4. hanc potestatem fieri posse, manifeste probantem.

Ergo et affirmatio quod sacramentum confirmationis possit *valide* ministrari chrismate ab Episcopo non benedicto (seposita saltem fa-

cultate facta presbytero chrisma benedicendi) est saltem temeraria et errori proxima.

Rationem congruentiae reddit s. Thomas q. 72. a. 3. quae huc redit: oportere ut res, quae ex se habet communem et vulgarem usum, priusquam ad sacrum usum et ad sanctificandos homines assumatur, fiat aliquo modo sacra et religiosa, ita ut prius constituatur in ratione materiae remotae et rei sacrae separatae a reliquis communibus et postea adhibeatur ad confectionem sacramenti: nisi iam ipse Christus usu quodam suo dignitatem materiae contulerit, quemadmodum pro materia baptismi fecit. Cf. Suarez in h. l. Haec ratio nec demonstrat necessitatem alicuius consecrationis materiae, sed solum congruentiam; propter quam idcirco et aqua baptismi ab Ecclesia benedicitur, nec probat requiri in chrismate consecrationem *episcopalem*.

Huius ergo necessitas ex traditione habetur et haec est sententia omnium theologorum, paucis exceptis, chrisma debere esse consecratum ab Episcopo, ex necessitate praecepti et sacramenti, ait Suarez ibid. disp. 33. sect. 2. n. 2. quod et Patrum auctoritate confirmat. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 7. c. 8. n. 1.

789. Quia vero, ut videbimus, potest Rom. Pont. facultatem facere presbytero conferendi sacramentum Confirmationis, quaeritur, an eidem potestatem tribuere possit consecrandi chrisma, sicut tribuere valet potestatem benedicendi olei. Ad praxim quod spectat, hodie quoties presbytero facultas conceditur conferendae Confirmationis, semper praescribitur usus chrismatis ab Episcopo confecti, nullius difficultatis, quaecumque sit, in eo comparando, habita ratione. Idcirco irrita foret collatio sacramenti aliter peracta. Cf. Benedictum XIV. l. c. n. 7.

Ceterum Eugenius IV. in decreto cit. hoc solum testatur, presbyteros aliquando, ex dispensatione Apostolicae Sedis administrasse hoc sacramentum *chrismate ab Episcopo confecto*.

Si quaestio de iure fit, videtur dicendum, ait Lehmkuhl V. 2. n. 98. posse Pontificem hanc potestatem presbytero delegare. Nam si potest delegari quod est plus, nempe ipsa administratio sacramenti, cur non poterit quod est minus h. e. confectio materiae eiusdem? Quid quod quaedam exempla exstant huius factae potestatis?

Verum facta allegata non sunt admodum certa: cf. Benedictum XIV. l. c. n. 1. in fine. Quod spectat ad rationem allatam, advertimus primo tum posse minus qui potest plus, cum plus et minus sunt in eodem ordine et pro utroque eadem ratio valet: haec autem heic non habent locum. Advertimus proinde secundo non esse nexum necessariae consequentiae inter administrationem sacramenti et confectionem materiae

idoneae; nam simplex sacerdos potest ratione Ordinis administrare extremam Unctionem, non tamen eius materiam conficere, ut idcirco possit, ut dicitur, plus, non autem minus. Eodem pacto fieri potest, ut Christus voluerit, presbyterum quidem, delegante Papa, esse posse ministrum Confirmationis, quin voluerit esse ullo modo ministrum conficiendi chrismatis. Et sane hoc totum esset aliquid amplius, quam illud unum. Ceterum discrimen inter Episcopum et Presbyterum postulabat, ut in ipsa administratione huius sacramenti, presbyter delegatus suam dependentiam ab Episcopo sentiret et profiteretur, a quo accipiat oportet validam materiam sacramenti. Itaque huiusmodi argumenta ex ratione sunt relinquenda philosophis in rebus metaphysicis, non adhibenda in re liberae institutionis: ut merito idcirco improbetur Caietanus, qui in art. cit. probare voluit, esse rationi magis consentaneum, quod presbyter possit consecrare chrisma, quia potest maximam consecrationem efficere nempe Eucharistiae; potest ergo, inquit, etiam minores consecrationes. Ineptum argumentum theologicum. Cf. Suarez l. c. nn. 13. 14.

790. Iuverit autem heic articulos referre, quos Clemens VI. proposuit subscribendos Patriarchae Armenorum, priusquam ad communionem ipsum reciperet, anno 1351. Cf. Raynaldum h. a. n. 12. « Primo de consecratione chrismatis, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est Episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari. Secundo, si credis, quod sacramentum Confirmationis per alium quam per Episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari (vides in hoc, non in praeced. articulo mentionem fieri *ordinariae* potestatis et sic indirecte *extraordinariam* significari). Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi. Quarto si credis, quod chrismati per quoscumque sacerdotes qui non sunt Episcopi neque a Rom. Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum vel Episcopos sint chrismandi (utique si velint esse chrismati).

His ergo docemur 1° facultatem quam habent presbyteri graeci sacramentum hoc conferendi, quam immediate ab Episcopo vel Patriarcha suo recipiunt, a Romana Sede derivare, quae hanc potestatem Episcoporum delegandi presbyteros, vel concesserit vel ratam habuerit, qua deficiente delegatione, irrita sit administratio sacramenti facta a presbytero, etsi adhibeat chrisma ab Episcopo consecratum: 2° saltem probabilius, in confectione chrismatis non habere locum distinctionem potestatis ordinariae et extraordinariae.

V. 3. Perinde est ad substantiam Sacramenti, sive Chrisma sit novum sive vetus, licet graviter peccet, qui utitur alio, quam novo, id est illo anno consecrato. In quem finem, quotannis in die Coenae consecratur, veteri combusto.

791. Ratio est, quia quoad substantiam eadem est materia nec consecratio amittitur, perseverante re consecrata sub eadem forma. Ex necessitate vero praecepti chrismate novo utendum est, nisi hoc desit et differri nequeat sacramentum. Cf. s. Alph. n. 163. id confirmantis ex c. *Si quis* 122. *de Consecr.* d. 4.

VI. Respond. 3. Materia proxima est unctio in fronte, per manum Episcopi (unde etiam hoc Sacramentum manus impositio dicitur a s. Luca Act. VIII. 18.) in formam crucis facta. Quae omnia sunt de necessitate Sacramenti, ut habet communis.

792. * Quaestio exstitit, an impositio manus sit necessaria Sacramento. Sententias de hac re ita proponit Benedictus XIV. in longa sane Constit. *Ex quo primum* §. 51. « Disputant Theologi, utrum Apostoli sacramentum Confirmationis ministraverint per manuum impositionem, an etiam sacro chrismate adhibito et quidem, ut assolet, nonnulli affirmant, quod alii negant. Disceptatur etiam inter eos, an sola manuum impositio sit materia huius sacramenti, nonnullis, tuentibus, in ea dumtaxat consistere sacramenti materiam, dum alii malunt in sacro chrismate statuere materiam remotam sacramenti, proximam vero in illius applicatione, quae fit cum signo crucis ad confirmandi frontem, iuxta id quod legitur in decreto pro Armenorum Instructione ab Eugenio IV. Pontifice edito... Alii denique impositionem manuum et chrisma simul iungunt, dicentes tam illam, quam illud materiam esse sacramenti Confirmationis, sed etiam aeque ac istud, materiam inadaequatam, quotiescumque seorsim consideratur; si autem simul iunguntur, tunc aiunt in iisdem ita coniunctis materiam totalem sacramenti consistere. Ceterum ipsam manuum impositionem alii putant eam esse protensionem manuum, quam facit Episcopus versus confirmandos, sub initium sacrae actionis, dum priores recitat preces; alii eandem agnoscunt in ipso ungendi actu, quod Episcopus signat frontem illius, quem confirmat; cum nequeat alicuius frons unguento liniti, nisi manus eidem imponatur ».

Quibus expositis, concludit Pontifex: « Hae sunt controversiae, de quibus Theologi nostri disputant et *circa quas unicuique licet, eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit* ». Subdit tamen, quibus hanc amplam licentiam non parum coercet. « At nemini fas est asserere, in Ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus Orientalis disciplina; quam Apostolica Sedes optime perspectam habuit nec unquam damnavit aut improbavit, iuxta quam in Graecorum Ritua-

libus nulla fit mentio de manuum impositione tanquam materia adaequata aut inadaequata sacramenti confirmationis ».

His positis, puto nonnisi postremam sententiam posse admitti. Nam priorem impositionem manuum Graeci non habent et tamen verum Sacramentum habent: alteram vero, etsi distincte non memorent, certe habent, cum habeant unctionem in fronte, quae fieri nequit, quin manus confirmando imponatur. Iam vero ecclesiastica traditio et impositionis manus et chrismatis mentionem facit: utrumque ergo requiritur et utrumque in eo ritu reperitur; ergo. Quocirca proposito dubio, an praetermissa ab Episcopo prima manuum impositione super confirmandis, repetendum esset sacramentum sub conditione vel potius tuta conscientia sic confirmati in bona fide relinquendi essent: s. C. P. F. 6. Aug. 1840. respondit: non esse repetendam confirmationem vel sub conditione.

793. Iam vero unctionem faciendam esse in formam crucis ostendit ipsa forma latina sacramenti: *signo te signo crucis* etc. quae vera esse debet. Graeci autem et ipsi signo crucis signant. Ita habet Benedictus XIV. in Const. cit. §. 52. « Quod extra controversiam est, dicatur, nimirum in Ecclesia latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate seu oleo olivarum balsamo commixto et ab Episcopo benedicto, *ductoque signo crucis* per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat ». Signatur autem signo crucis; quia confirmandus inungitur, ut Christi nomen confiteri non erubescat et praecipue crucem eius, quae Iudaeis est scandalum et gentibus stultitia, ut ait Eugenius IV. decr. cit. *

Unde resolves.

VII. 1. Etsi ex necessitate praecepti unctio fieri debeat pollice manus dexterae, valida tamen esset, si fieret digito etiam sinistrae manus; quia vere fieret per impositionem manus Episcopalis. Ita Praep. et alii contra Suar. Peccabit tamen Episcopus graviter contra universalis Ecclesiae morem. V. Laym. hic c. 2. et Esc. t. 7. E. 3. ubi docet, probabile esse, non peccare mortaliter.

Nihil addendum.

VIII. 2. Probabile est, requiri ad valorem Sacramenti, ut unctio fiat ab Episcopo immediate, nullo instrumento mediante. Ita Fill. et Laym. contra quosdam: quia debet fieri per impositionem manus. Esc. t. 2. E. 3.

794. Haec sententia est plusquam probabilis; ut idcirco contraria opinio: posse valide per instrumentum unctionem fieri, communiter reiiciatur. S. Alph. a. 166. Et sane impositio manus interesse debet, quae hoc pacto abesset.

IX. Respond. 4. Forma vera et necessaria ita in Ecclesia Latina est: *Signo* (ut habet Trid.) vel *Consigno* (ut habet s. Thom.) *te signo Crucis et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris* etc. In qua utrum de essentia sit, ut utraque actio signandi, et ungendi expresse significetur, disputant Scholastici, Laym. et Fill. t. 3. d. 10. Con. l. c. a. 3. Dian. r. 27.

795. * Quoniam dubitare non licet, formam Graecorum validam esse, quae est huiusmodi: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, si, quibusdam vocibus omissis in forma latinorum, hic idem sensus retineatur, et haec valida erit. Collata utraque forma, liquet, esse per eam significandam 1° signationem, ut ita dicamus, confirmandi et 2° collationem gratiae roborantis seu Spiritus Sancti. Cf. Lehmkuhl Vol. 2. n. 95. An invocatio Trinitatis sit de essentia formae, dubitatur; quia satis effectus per praecedentia significatur et quia ea non occurrit in forma graeca.

Verum, qui tenent in forma latina invocationem Trinitatis esse essentialem, monent eam et a Graecis praemitti unctioni et probabiliter ad essentiam ritus pertinere: tum advertere licet in ipsa forma graeca mentionem aliquam Trinitatis fieri, nominata disserte tertia Persona. Quocirca si prorsus mentio Trinitatis in forma latina omitteretur, praeter grave peccatum, quod fieret, dubitare liceret de valore sacramenti. Nimis tamen in hac quaestione decretorius videtur Suarez disp. 33. sect. 5. nn. 5. 6. *

Ceremonias finales post unctionem non esse essentiales docuit C. s. o. 22 Iun. 1892.

Dub. II.

Quis sit minister et quodnam subiectum.

X. Resp. 1. Minister ordinarius valide Confirmationis est solus et omnis Episcopus etiam excommunicatus vel haereticus: ex commissione autem vel delegatione Pontificis, etiam simplex Sacerdos. Est communis. Vid. Fern. Laym. l. 5. t. 3. c. 6. Bon. d. 8. p. 2.

796. * Haec supponimus ex Theologia dogmatica. Valere collationem sacramenti factam ab Episcopo excommunicato, degradato etc.; patet; quia est actus ordinis et potestas ordinis nunquam amittitur. De presbytero delegato a Pontifice, iam satis in superioribus dictum est. Advertendum est autem, hanc potestatem Pontificis committendi presbytero administrationem Confirmationis, supponere institutionem Christi, qui voluerit, simplicem sacerdotem remote esse idoneum huius sacramenti ministrum atque proxime, accedente commissione Papae. Nam ad essentiam sacramenti et minister spectat: tribus enim sacramenta perficiuntur, materia, forma et ministro; nequit autem Papa essentialia sacramenti mutare.

797. Quaestio fit, quid in presbyteris Pontifex suppleat, ut ii valeant exercere actum superioris ordinis.

Respondere quis posset, suppleri nihil; sed exsistente charactere sacerdotali et commissione Pontificis, haberi iam ministrum idoneum, ex Christi institutione.

Certe non suppletur iurisdictio, quia, quamvis iurisdictio necessaria sit, ut licite sacramentum administretur, pro valore tamen ea non requiritur: heic autem quaeritur quid Pontifex pro valore suppleat, loco characteris episcopalis, qui deest.

Suarez disp. 36. sect. 2. n. 17. ait, per concessionem Papae extendi et applicari characterem presbyteralem. Scilicet character non est potentia quaedam physica, sed habet rationem potentiae moralis: atqui ipsa, accedente Christi institutione, ampliari potest a competente auctoritate.

Clarius quidam recentiores (quos vide citatos a cl. Hurter *Theol. dogm. Comp.* Vol. 3. *de Sacr. confirm.* n. 372. in nota) advertentes per characterem sacerdotalem aut episcopalem conferri subiecto non physicam potestatem, sed dignitatem moralem, qua idoneus homo fiat sacramenta conficere; aiunt, per concessionem Papae, quandam eminentiam seu dignitatem tribui presbytero, ut idoneus exsistat minister. *

Unde resolves.

XI. 1. Etsi Episcopus graviter peccet, si vel in aliena Dioecesi vel sibi non subditos confirmet, sine proprii Episcopi consensu, saltem tacito, propter defectum iurisdictionis, valida tamen est Confirmatio: quia ista non requiritur necessitate Sacramenti, sed praecepti tantum.

XII. 2. Excusatur a peccato Episcopus, si ex alia dioecesi accurrentes confirmet: quia praesumitur tacitus consensus alterius Episcopi, cui id gratum esse censetur: praesertim si consuetudine ita receptam sit, vel a proprio aegre confirmari possint. Ita contra Bon. d. 3. *de Sacr.* docent Tann. in 3. P. d. 4. q. 4. d. 3. Sà v. *Confirm.* et alii.

XIII. 3. Peccat graviter Episcopus, si longo tempore non confirmet: quia subditos ingenti bono privat.

798. * Quoad 1^m^ vetuit Trid. Syn. sess. 6. c. 5. ne Episcopi in aliena dioecesi, invito Episcopo loci, Pontificalia exerceant. Cetera clara sunt et conferatur de his s. Alph., qui monet n. 172. quoddam discrimen, praeter alia, esse inter Episcopum ordinantem, et confirmantem. Nam ordinans probare debet ordinandum; sed confirmans confirmat qui accedit.

Monet etiam a. 173., Episcopum posse confirmare ordinandum, qui afferat a suo Episcopo dimissorias ad Ordines; quia consensus proprii Episcopi merito praesumitur.

Quod A. in 3° resol. ponit, ait s. Doctor n. 175., certum esse apud omnes, nisi profecto excuset moralis impossibilitas. Longum vero tempus censet cum Croix esse octo aut decem annos.

Non tenetur Episcopus ad omnes morituros non confirmatos accedere etiam in sua civitate; hoc enim esset nimis onerosum et ut ait Innocentius I. epist. ad Decentium, loquens de extrema unctione, quod et heic valet: « Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt: ceterum si Episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem esse visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest ». Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* t. 7. c. 10. n. 8.

Monet praeterea s. Doctor, Episcopum debere suis expensis circum ire ad confirmandum: nisi sit rationabilis consuetudo expensas exigendi et nisi ipsa necessaria deficiant, quod nostra aetate certis in regionibus haud raro contingit.

799. Quaerit s. Doctor, an hoc sacramentum sit omnino conferendum in ecclesia et an die festivo. Censet autem cum pluribus probabile esse, quod possit absque peccato gravi ministrari sacramentum in loco aliquo decenti, etiam extra ecclesiam. Consuetudo autem, quae in contrarium obiicitur, non videtur obligare nisi sub levi.

Quod spectat ad tempus, probat idem, quod quidam dicunt, iam usum obtinuisse, ut quolibet die festivo aut feriali conferri possit confirmatio atque etiam quolibet diei tempore, matutino aut vespertino.

Licere quoque hoc Sacramentum conferre in locis subiectis interdicto, sicut licet baptizare, constat ex. c. *Responso, de Sent. Excomm.* *

XIV. Resp. 2. Valide confirmantur omnes et soli baptizati nondum confirmati. Ratio est, tum ex illo Act. II. *Replevit totam domum:* tum ex usu et traditione Ecclesiae: tum quia omnes indigent eius effectu et sunt capaces. Licite vero confirmantur iidem, qui valide: dummodo constet non ponere obicem sive Sacramento, sive eius effectui. Ratio patet ex dictis.

800. Prior pars ex veteri praxi Ecclesiae constat, quae quoslibet baptizatos etiam infantes confirmabat. Quid vero liceat quoad aliquos, dicetur in resoll.

Quoad alteram partem, obicem ponit sacramento, qui ficte accedit h. e. sine voluntate suscipiendi: obicem effectui (gratiae utique non characteris) ponit, qui accedit in statu peccati; est enim sacramentum perficiens, nempe perficiens eos, qui iam sunt Christi ideoque statum gratiae requirit. Remoto autem obice, effectum operabitur sacramentum. Iterari enim nequit sacramentum; eo quod imprimat characterem. De quo caractere A. nihil dicit; quia hac in re quaestiones morales non habent locum et nos quoque de eo silebimus. *

Unde resolves.

XV. 1. Etiam infantes et rationis impotes valide hoc Sacramentum suscipiunt.

801. Infans baptizatus capax est sacramenti, absque suae voluntatis consensu, per voluntatem Christi et Ecclesiae. Cf. Suarez disp. 35. sect. 1. n. 3.

XVI. 2. Etsi quoad infantes consultius sit differre usque ad rationis usum, tum ob irreverentiam Sacramenti, tum, ob periculum iterationis, tum ob Ecclesiae usum: nihilominus ob rationabilem causam etiam ante iis licite datur, verbi gratia si timeatur diuturna absentia Episcopi vel hic ad ista loca raro veniat, item si infans sit in periculo mortis (in quo quidam dicunt debere dari), denique si sit filius Principis, Laym. hic t. 3. c. 6. Fill. t. 1. tr. 3, c. 2.

802. Quaestio est, quid liceat et quid praestet. Porro videbatur Benedictus XIV. in Const. 129. *Eo quamvis* §. 6. declarasse, non licere aliquem confirmare ante usum rationis, ubi dicit: « Nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia eiusmodi more, consultissimis Rom. Pontificum decretis cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum Confirmationis in ea solum aetate, in qua fideles intelligerent, tantum inter se differre baptismum et confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento ».

Atque ita dissertius C. s. O. 11. Dec. 1850.: « neminem confirmandum, nisi saltem septimum attigerit suae aetatis annum, neque ab hac latinae Ecclesiae praxi recedendum, nisi ob causas omnino graves, ex. gr. si infantes periculose decumbant aut ob distantiam locorum, omissa praesenti occasione, aliam non essent habituri »(Collect. s. C. P. F. n. 682.).

Exceptionem traditam iam significaverat Bened. XIV. in Opere *de Synod. Dioeces.* (lib. 7. cap. 10. n. 5.), quod posterius edidit: « Quamvis Catechismus romanus non expedire dicat, ut sacramentum Confirmationis pueris ante septennium conferatur, non tamen prohibet, ne ullo unquam in eventu iisdem conferri queat: quod scite perpendentes Suarez... aliique plurimi affirmant, sancte ac licite etiam iuxta praesentem disciplinam sacro chrismate inungi pueros ante septennium, cum aut praevidetur futura diutina absentia Episcopi, aut iidem versantur in vitae discrimine, aut alia urget necessitas seu iusta causa. Quod et confirmat deinceps auctoritate s. Thomae atque Pontificalis Romani, quod de collatione sacramenti huius etiam infantibus loquitur supponitque proinde causas esse posse, cur ante septennium conferatur.

Tandem s. C. s. O. 10. Apr. 1861. respondit: « non conferendum sacr. Confirmationis illis neophytis moribundis, quos missionarius capaces baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi Confirmationem ad robur animae suae adiiciendum » (Coll. cit. n. 685.). Sufficit ergo intentio ex apprehensione confusa.

XVII. 3. Etiam perpetuo amentes (praesertim si aliquando usum rationis habuerint) licite confirmantur: etsi per accidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi. Ita Suar. Fill. Laym. l. c. Con. q. 72. a. 8. n. 83.

803. * Si perpetui amentes sint ut nunquam habuerint rationis usum nec sit spes eos habituros usque ad mortem perinde sunt ac

infantes, qui versantur in vitae discrimine, nec est, cur priventur augmento gratiae, quod excipit augmentum gloriae: s. Th. q. 72. a. 8. ad 4. Per accidens vero est, quod actu militare nequeant; sed possunt armari.

Si hi aliquando usum rationis habuerunt, non oportet ut petierint expresse hoc sacramentum; sufficit enim generalis voluntas, quam quisque fidelis habere censetur circa suae salutis remedia et beneficia, ut dicetur de extrema unctione: quo posito, si merito praesumitur eum esse in statu gratiae (et merito praesumitur nisi contrarium probetur vel vehementer suadeatur), confirmari potest, imo debet; quia non est privandus sine causa tanto bono. Suarez l. c. sect. 2. nn. 4. 5.

Monent DD., legem quae olim iubebat homines perfectae aetatis ieiunos accedere et Episcopos ieiunos conferre sacramentum Confirmationis (cc. 6. 7. *de Consecr.* d. 5.), si tamen unquam universalis fuit, iamdudum exsolevisse, cum et vespertinis horis possint sacramentum dari.

Dub. III.

De Confirmationis necessitate et ceremoniis.

XVIII. Resp. 1. Nec est necessaria ad salutem necessitate medii neque per se praecepti. Est communis s. Th. et aliorum, contra Scot. et Syl. Ratio est, tum quia Ecclesia non urget eius susceptionem ullis poenis, tum quia nec ex Scriptura nec traditione, neque fine aut institutione Sacramenti, tale praeceptum colligitur. Et Canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

Dixi *per se:* quia per accidens aliquando potest esse necessaria ad salutem ex praecepto charitatis sui vel proximi, vel alio v. gr. ad cavendum scandalum; vel ratione conscientiae, qua quis valde metuit, ne in tormentis deficiat sine hoc Sacramento.

804. Doctrina communissima dici debet et licet gravem obligationem olim docuerint inesse Ugo a s. Victore, prout eum explicat Alex. Alensis (part. 4. q. 9. membr. 3. art. 1. §. 2. in resp. ad 66.) et s. Antoninus, quibus *gratis* accensetur s. Bonaventura (3. disp. 7. art. 3. q. 2.): pleno tamen agmine reliqui discesserant cum s. Thoma, ut videre licet apud s. Alph. (n. 182.). Sanctus Thomas q. 72. a. 1. ad 3. solam praetermissionem eius ex contemptu Sacramenti ponit peccatum esse mortale. Et sane si opus est eius effectu, robore nempe spiritus, aliis mediis hoc tandem obtineri potest. Certe nulla exstat lex, quae id sub gravi praecipiat.

Ast s. Alph. dicit, non satis amplius probabilem haberi posse communem doctrinam, postquam Benedictus XIV. in Const. 57. *Etsi Pastoralis* §. 2. n. IV. scripsit haec: « Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt ».

Verum Scavini *de Confirm.* cap. 1. q. 2. not. haec addit: « Sunt adhuc tamen qui tenent, ea verba Benedicti XIV. non concludere pro omnibus; quia (inquiunt) heic Pontifex tantum loquitur de invalide confirmatis a Presbyteris Graecis, qui renuebant ad Confirmationem de novo accedere, quasi haberent validam primam: unde heic habebatur ratio peculiaris ». Et verissimum est, hoc esse argumentum illius paragraphi. Addiderim hanc interpretationem eo magis admittendam, quia non fuit unquam in more aut Ecclesiae aut Benedicti XIV., ut communes Scholae sententias contemneret aut posthaberet.

* Interpretationem a s. Alphonso adhibitam verbis Benedicti suam quoque fecisse videntur auctores *Instructionis pro simplici sacerdote sacram. Confirm. etc. administrante,* editae auctoritate s. C. P. F. 21. Mart. 1774. et insertae Rituali Romano: ibi enim dicitur, quod « etsi hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi opportune adest occasio ». Advertimus duo: 1° hanc doctrinam obiter ibi referri nec spectare ad scopum Instructionis: 2° penes eam S. C. non esse potestatem condendi leges seu novas imponendi obligationes ideoque et post eam Instructionem, rem esse relictam in medio ac Theologorum disputationibus permissam. *

Cetera clara sunt.

Unde resolves.

XIX. 1. Negligere hoc Sacramentum, secluso scandalo et contemptu, non est mortale, Suar. Laym. l. 5. t. 3. c. 5. Bon. d. 1. q. 1. p. 2., ubi ex aliis multis docet, nullum esse praeceptum illud suscipiendi.

Patet ex dictis.

XX. 2. Etsi omissio ex contemptu, v. gr. si quis id nihili faciat aut puerile aut vile habeat, sit mortalis; talis tamen non censetur esse, cum quis eius oblatam occasionem, quam postea non facile habiturus est, negligit. Ita commun. contra Sylv. v. *Confirm.* et Tol. l. 3. c. 4.

Non eget amplificatione.

XXI. 3. Praeceptum, quod habetur in Trid. sess. 23. c. 4. *de Reform.* non ligat omnes, cum sit hypotheticum: sed tantum ordinandos vel initiandos prima tonsura. Cuius omissionem non esse mortalem contra Tann. docent Henr. Valent. Suar. d. 38. p. 1. et Nav. c. 22. qui addit, ne quidem Episcopum peccare mortaliter, ordinando non confirmatum, aut si ipse non confirmatus ordinet. Vide Reg. l. 28. c. 2.

Hanc doctrinam cum Navarro, Suarez aliisque probat s. Alph. n. 183.

XXII. Resp. 2. Circa ceremonias Confirmationis, scienda sunt sequentia. 1. Etsi servandi sint ritus in Pontificali praescripti peccetque graviter Episcopus, si confirmet sine pluviali, mitra vel pedo, uti et si ordines sacros conferat cum solis indumentis Missae: Dian. p. 7. t. 10. r. 31., non tamen semper erit mortalis alicuius omissio, v. g.

alapae aut cerei. Potest autem conferri loco quovis decenti, etiam extra Ecclesiam et a prandio non ieiunis, omni anni tempore. 2. Sub gravi culpa, ut docet Nav. c. 22. ex communi, requiritur Patrinus isque unus tantum (licet Tolet. duos admittat), qui si confirmatus non sit, peccat graviter secundum communem. Escob. tamen ex Con. docet, non esse mortale: quod probabile esse docet. Quintan. t. 2. s. 7. imo nullum, si fiat in necessitate et non contrahit cognationem, ut docent Sanch. Suar. contra Sylv. Sà, et alios. Debetque esse diversus a patrino Baptismi, saltem extra necessitatem, licet cum Bonac. et Hurt. id neget Quintan. t. 2. sect. 7. et 11. et secus facientem non peccare mortaliter, dicat Dian. p. 3. t. 4. r. 21. Et non Monachus (nisi factus Episcopus). Admitti tamen et illos et moniales posse sine culpa, docet idem Quintan. l. c. s. 18. nisi in eorum Religione sit prohibitum. Eo autem nomine non excludi Mendicantes notat Con. et alii quinque cum Dian. p. 9. t. 6. r. 32. Nec refert, seclusa consuetudine, num vir sit, aut femina. Neque etiam contrahit obligationem instruendi confirmatum, sed tantum cognationem spiritualem cum eo et eius parentibus: dummodo tamen eum tangat. 3. Frons confirmati obliganda est fascia linea cruce notata, gestanda uno, tribus vel septem diebus, pro consuetudine, illota interim fronte: potest etiam, si ratio subsit, statim auferri et frons ablui: ipsa autem comburi vel honeste asservari debet, nec ad profanos usus adhiberi, propter contactum chrismatis; neque solvens illam contrahit cognationem. Vid. Praep. in 3. p. q. 2. art. 12. 4. Parochos teneri in librum referre nomina confirmatorum et patrinorum suae Parochiae (eamque curam ad Episcopos etiam pertinere), tum propter sciendam cognationem spiritualem, tum propter ordines suscipiendos, docet Quintan. .. 2. sect. 11. ex Barb. etc. ac denique licere mutare nomen in Confirmatione. ibid. s. 10.

805. * Ad vestes quod spectat, quibus uti Episcopus debet, habes responsa quaedam sacrarum Congregationum. S. C. P. F. 22. Martii 1669. « Confirmatio administrari potest sine mitra et pluviali, cum gravi et urgente causa » C. S. O. 12. Febr. 1851. « Adstante causa, potest privatim confirmare absque mitra et baculo pastorali, adhibita stola ».

Presbyter ex delegatione Apostolica administrans sacramentum Confirmationis, non potest uti vestibus pontificalibus: sed uti debet vestibus sacerdotalibus aut saltem alba et stola indutus esse. Ita Instructio cit.

Si minister Confirmationis omittat omnia praescripta indumenta, verius putat s. Alph. n. 184. quod mortaliter peccat; quia ipsa pertinent ad reverentiam Sacramenti: secus si aliquod tantum omittatur. Pariter omissionem alapae, secluso scandalo, nunquam esse mortalem, idem docet ibid.

806. Ad patrinos quod spectat, 1° Tridentina Synodus sess. 24. *de Reform. Matr.* c. 2. statuit, cognationem spiritualem, quam contrahunt, iis limitibus contineri, quibus cognatio in baptismo contracta, ut idcirco patrinus cognationem tantum contrahat cum confirmato eiusque patre et matre.

2° « quamvis de necessitate huius sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus vel Matrina adhibeatur; id tamen laudabilis Ec-

clesiae consuetudo suadet sacrique canones praescribunt ». Instr. cit. Patrinum requiri sub gravi affirmat cum communi s. Alph. n. 185., qui designandus est a parentibus vel ab Episcopo in eorum defectu.

3° Patrinus unus sive mas sive femina esse debet; ita enim praecipitur cp. fin. *de Cognat. spir.* in 6. et cum Trid. Syn. nihil hac in re disponat, standum est iuri veteri. S. Alph. l. c.

4° Patrinus confirmationis debet esse confirmatus, sicut baptismi baptizatus c. 102. *de Consecr.* d. 4. Ita et Instr. cit. Pontificale Romanum *de Confirm.* * -

Iam vero fertur, apud s. Alph. n. 186., decisio S. C. C. 13. Iun. 1554., patrinum non confirmatum haud contrahere cognationem. Quam sententiam, saltem propter auctoritatem Cong., s. Alph. probabiliorem habet. * « Verum quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit qui confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt ». Instr. cit.

5° Aliae conditiones in patrinis requiruntur: ut non sint minores annis quatuordecim: ut suo quisque sexui patrinus adhibeatur: ut, nisi necessitas cogat, patrinus confirmationis alius sit a patrino baptismi: ut a patrini munere arceantur excommunicati, interdicti, publici peccatores aut qui praeceptum paschale omiserint. Ita instr. cit. Ceterum ex regula generali non potest unus patrinus vel una matrina multitudini collectivae confirmandorum assistere; nemo enim eodem tempore plus quam duos candidatos val candidatas suscipere potest: nisi necessitas adsit, quod impossibile sit plures huic officio aptos invenire; tunc enim fas est Episcopis permittere, ut unus vel una plures suscipiat. Ita S. C. U. I. 16. Iun. 1884. apud Zitelli *Appar. Iur. eccl. de Confirm.* n. 7.

6° S. Alph. n. 186. docet peccare graviter qui non confirmatus munus patrini confirmationis obit; quia transgreditur praeceptum Ecclesiae in re gravi: veniale vero esse peccatum, si patrinus Confirmationis non sit eiusdem sexus cum confirmando vel non sit diversus a patrino baptismi.

7° De Monachis (quibus et Mendicantes comprehendit) verius censet s. Alph. 187., ipsos arceri ab officio patrini c. 104. *de Consecr.* d. 4.

807. 8° Quaesitum est a s. R. C. « utrum in administratione sacramenti Confirmationis, Episcopus possit Ministri et Patrini partes uno eodemque tempore sustinere, dextera scilicet manu confirmandi frontem sacro chrismate signare ut minister, ac sinistra ipsum tenere ut patrinus ». Responsum est: « Episcopus confirmans in casu, officium patrini gerat per procuratorem ». 14. Iun. 1873.

9° « Cum in Rubricis de sacram. Confirm. dicatur: adulti seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui; quaeritur an sufficiat, si patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi ». S. R. C. respondit 20. Sept. 1749., « sufficere ». Necesse est autem ut patrinus tangat confirmandum: secus cognatio non contrahitur.

10° Item « An confirmandus, tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N. signo te* etc., praeter nomen suum baptismale, possit aliud nomen Sancti sibi imponi curare ». Responsum est eodem decreto: « posse ».

11° Quod A. dicit, patrinos Confirmationis non contrahere obligationem instruendi confirmatum; quia vel iam hic est instructus vel, si infans est, instruetur a patrino baptismi, temperat s. Alph. n. 187. « si confirmatus non sit instructus et alius desit ». *

SECTIO IV.

DE VENERABILI EUCHARISTIAE SACRAMENTO

CAPUT I.

DE ESSENTIA EUCHARISTIAE.

Dub. I.

Quid sit ss. Eucharistia.

I. Resp. Est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum. Ita communiter Scholast.

808. * Relinquendae sunt Theologis dogmaticis quaestiones tum de veritate huius sacramenti tum de intrinsecis eius constitutivis: in qua altera quaestione multi sunt Theologi scholastici; ex quibus tamen nonnulla in sequentibus referemus, ut Auctori morem geramus *.

Unde resolves sequentia.

II. 1. Tam species consecratae, quam Corpus et Sanguis Christi, intrinsece et essentialiter constituunt hoc Sacramentum: adeoque falsum est, quod docuit Waldensis, Corpus et Sanguinem Christi esse totum Sacramentum. Ratio est, tum quia Trident. docet, Corpus et Sanguinem contineri hoc Sacramento: tum quia quatenus continetur, non est sensibile. Item falsum est, quod docent Marsilius et Sotus, solas species constituere hoc Sacramentum; tum quia Eucharistia est cibus caelestis; tum quia adorari debet latria, ut docet Trid.

809. * Tenendum est, species, saltem partialiter, pertinere intrinsece ad hoc sacramentum. Est sententia communis, ait Lugo *de Eucharistia* disp. 1. n. 16. Sane cum sacramentum hoc sit permanens, maneant autem species et corpus ac sanguis D. N. I. Ch., necesse est, ut aut utrumque aut alterutrum constituat intrinsece, sive totaliter sive partialiter, sacramentum. Iam vero species, partialiter saltem, constituere intrinsece sacramentum, patet 1° quia sacramentum est signum sensibile gratiae et idcirco oportet ut vel omnia constitutiva sacramenti sint per se sensibilia vel aliquod saltem ex iis sit per se sensibile, quo alia reddantur sensibilia; atqui corpus Christi, prout a specie panis distinguitur, non est signum sensibile; quia non sentitur per se, prout est in Eucharistia ideoque, si ipsum solum esset sacramentum, totum quod est sacramentum, foret insensibile: fit quidem corpus sensibile per speciem panis; sed nisi species quoque sacramentum sit, nihil per se sensibile foret in hoc sacramento. Et sane ex more

loquendi Tridentini et Patrum, corpus Christi dicitur *contineri in hoc sacramento:* nulla autem res vere dicitur contineri in se ipsa, bene autem pars in toto: ergo est aliquid aliud, praeter corpus Christi, quod est sacramentum, illud scilicet sub quo hoc continetur h. e. species panis. Hinc Innocentius III. c. *Cum Marthae, de Celebr. Miss.*, *formam*, h. e. speciem, *panis* et *vini* dicit esse illud quod, ex more loquendi scholasticorum, est *sacramentum tantum*: id autem ad intrinsecam spectat sacramenti constitutionem et in ceteris sacramentis est totum sacramentum. Cf. Lugo l. c.

810. An solae species, an etiam corpus et sanguis Christi, constituant intrinsece hoc sacramentum, disputant Theologi. Negant Salmanticenses, *de Sacram. Euch.* c. 1. d. 2., sacramentum supponere essentialiter pro corpore et sanguine Christi; quia corpus et sanguis sunt non id quod est *sacramentum tantum, sed res et sacramentum*, ut ait Innocentius l. c.: porro quod est *res et sacramentum*, non est sacramentum, sed effectus eius, ut character. Item sacramentum res sensibilis esse debet: at corpus non est tale.

Affirmant e contrario Suarez disp. 42. sect. 3. Lugo disp. 2. sect. 2. Sane haec communis est Patribus ratio loquendi, qui tum affirmant Eucharistiam constare duplici re, terrena scilicet et caelesti (Irenaeus l. 4. c. 34.), visibili elementorum genere et invisibili Domini carne (Augustinus ex lib. *Sentent.* Prosperi, *de Consecr.* d. 2. c. 48.): tum frequenter dicunt sacramentum esse corpus et sanguinem Christi, ut in recto de corpore et sanguine Christi enuntietur hoc praedicatum, *sacramentum.*

Atque ita Christus ipse locutus est: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus:* ergo cibus spiritualiter nutriens (quae nutritio est effectus proprius sacramenti) non sunt certe solae species.

Quamvis vero corpus Christi non sit sensibile per se, fit tamen sensibile per speciem nec opus est, ut omnia constitutiva sacramenti sint per se ipsa sensibilia: ita contritio in Sacram. Poenitentiae sensibilis fit per confessionem et utraque est pars sacramenti.

Utique Innocentius III. cap. cit. corpus et sanguinem Christi dicit esse *rem et sacramentum:* unde quidam inferunt corpus et sanguinem non esse sacramentum, quod est signum sensibile gratiae; quia in ceteris sacramentis quod *res et sacramentum* dicitur, est effectus sacramenti, non sacramentum, ut character. Verum quid sit id quod in sacramentis dicendum sit solum *res et sacramentum*, certum quidem est in tribus sacramentis imprimentibus characterem et in matrimonio, cuius vinculum manet; quoad cetera sacramenta, vel difficile est reperire quid sit *res et sacramentum* nec Doctorum consensus ea in re

habetur, vel nulla est certitudo, illud quod dicitur et dici posse videtur *res et sacramentum*, esse hoc tantummodo et non esse quoque id quod dicitur *sacramentum tantum*. Sane Eucharistia corpus et sanguis Christi dicitur esse *res et sacramentum;* quia significantur a speciebus et significant gratiam spiritualis alimenti: sed quia aliunde constat, species non esse totum sacramentum, liquet fieri posse et debere, ut quod est *res et sacramentum* sit etiam sub alio respectu id quod dicitur *sacramentum tantum* h. e. spectans intrinsece ad constitutionem sacramenti. Idcirco, ut cum Lugo loquamur l. c. n. 27., « Regula verissima haec est, ut illud quod instituitur a Christo pro signo practico gratiae, debeat intrinsece pertinere ad sacramentum, sive sit res sacramenti sive non. Quare cum corpus Christi habeat practice significare gratiam, non obstat, quod sit res sacramenti, quominus sit etiam pars constitutiva sacramenti ».

Comparatis ergo invicem speciebus et eo quod sub iis continetur, patet, ratione habita dignitatis et efficaciae, eminere corpus et sanguinem Domini, ratione signi, species.

811. Cum species una cum corpore et sanguine Christi constituant intrinsece sacramentum, quaestio fit quid in recto significetur, cum Eucharistia vel sacramentum Eucharistiae nominatur: an solae species, an solum corpus et sanguis, an omnia simul, species atque corpus et sanguis sub iis contenta. Pro cuius solutione quaestionis, haec breviter subdimus.

Constat ex more loquendi, 1° nomina significantia aliquod totum ex subiecto et accidentibus, significare in recto subiectum, in obliquo accidens; ita *album* significat in recto *habens albedinem*, non subiectum et albedo: nam vere dico *album est dulce:* quod falsum esset, si id significaretur: corpus et albedo est corpus et dulcedo. Eodem pacto significant nomina, quorum res significata est subiectum quidem, non autem accidentium, sed formae, quam ratio distinguere potest: ita *homo* est *habens humanitatem*, quae in obliquo significatur: *Deus* est *habens divinitatem* seu subsistens in divinitate.

Constat 2° nomina significantia aliquod totum ex partibus, significare in recto non partem aliquam eius sed omnes simul: ita homo non significat in recto animam aut corpus sed utrumque: ita nomina *domus*, *urbs* etc.

Neque a priori regula abludunt ea nomina rerum artificialium, quae primo sunt instituta ad significandam formam arte subiecto inductam, ut calix, statua, eodem enim pacto se habent ac cetera nomina de quibus in regula priore. Nam et nomen e. g. alibi ad formam significandam primo est institutum sicut ergo *album* valet *habens albedinem*,

ita calix valet habens formam calicis. Atque adverte, his nominibus subiectum et formam vel accidens immediate utrumque significari.

Praeterea 3° constat duplex illud esse, quod in obliquo potest significari: *intrinsecum* nempe et *extrinsecum*. Exemplum utriusque habes in termino *cognoscens* aut *videns*. Nam 1° per eum significatur essentialiter ex connotatione obiectum cognitum aut visum; at non tanquam aliquid intrinsecum cognoscenti aut videnti, sed extrinsecum.

Porro 2° eodem termino significatur quoque *cognitio* aut *visio* et significatur in obliquo; quia videns non est visio, sed habens visionem: verum significatur tanquam aliquid intrinsecum; visio enim est quid intrinsece constituens videntem.

Ex qua animadversione sequitur, 1° non perinde esse significare aliquid in obliquo et significare illud veluti extrinsecum sive, ut aiunt, importare extrinsece: 2° fieri posse, ut nomen *Eucharistia* importet intrinsece tum species tum corpus et sanguinem Christi, et tamen unum in recto, alterum in obliquo. Ita Lugo l. c. n. 32.

812. His positis, qui tenent, corpus Christi non constituere intrinsece sacramentum, volunt sacramentum in recto solas species importare, Salmant. l. c. d. 4. Ex aliis vero censent quidam nomen hoc *Eucharistia* importare in recto utrumque, corpus v. g. Christi et speciem; quia sacramentum est quoddam totum artificiale ex partibus. Alia tamen arrisit sententia Lugo: cum scilicet *Eucharistia* seu *sacramentum Eucharistiae* nominatur, id quod in recto importatur seu significatur, esse solum corpus vel sanguinem Christi, species vero significari in obliquo.

Ratio praecipua petitur ex frequentissimo modo loquendi Patrum, qui de Eucharistia vel sacramento Eucharistiae praedicant in recto corpus et sanguinem Christi atque vicissim, ut *sacramentum hoc est Corpus Christi; Eucharistia est caro Christi: Hoc alimentum Eucharistia vocatur* etc.: atqui locutiones istae falsae forent, si Eucharistia in recto corpus et speciem importaret: sicut falsa est haec enuntiatio; homo est anima; quia homo importat in recto utrumque, animam et corpus.

Sane cum res, quam nomen significat, est subiectum quoddam cum accidentibus, id quod in recto significatur, est solum subiectum: atqui, licet corpus et sanguis Christi non sint proprie subiectum specierum, se habent tamen ad modum subiecti: stant enim loco substantiae quae in ea est mutata: ergo, etsi sacramentum Eucharistiae ex corpore ac sanguine Christi constet atque speciebus: quod tamen in recto significat Eucharistia, est solum corpus et sanguis Christi. Quia tamen in obliquo significat species h. e. corpus et sanguinem Christi prout subsunt speciebus; patet ineptum esse sequens, quod obiiceretur, argumentum:

corpus Christi solum est in recto sacramentum; sed corpus Christi est in caelo ergo in caelo est sacramentum. Cf. cetera apud Lugo l. c. nn. 38. seqq.; neque enim plura persequi vacat et haec tantum delibavimus, quia necessaria pro expediendis iis, quae habet A. in resoll. 4. et 5. *

III. 2. Usus sive sumptio Eucharistiae non est proprie ipsum Sacramentum, neque aliud Sacramentum ab eo distinctum, ut vult Gabriel, nec pars illius, sive essentialis sive integralis, ut Aureolus; sed tantum applicatio sive conditio; ut Sacramentum operetur.

813. * Prima pars est contra haereticos, quorum confutationem lege apud Theologos Dogmaticos. Nobis satis est doctrina A., quae clara est. *

IV. 3. Etsi quaelibet species, imo quaevis pars speciei, sit integrum et essentialiter perfectum Sacramentum, adeoque Sacramentum Eucharistiae, sub speciebus panis et vini, physice et materialiter specie differat; moraliter tamen et in ratione Sacramenti est unum specie infirma Sacramentum; tum quia est unum signum rei sacrae, tum quia ordinatur ad unum specie infima finem. V. s. Th. q. 72. art. 2.

814. * Quamvis panis et vinum differant specifice; corpus tamen Christi sub accidentibus panis et sanguis sub accidentibus vini non sunt duo specifice distincta sacramenta, sed unum; quia in ratione signi ordinantur invicem veluti partes ad unum repraesentandum, nempe sacrificium Crucis, ad unum significandum et constituendum, nempe sacrificium incruentum et spirituale convivium unumque efficiendum, nempe spiritualem animae refectionem, corpus quidem ut cibus, sanguis ut potus. Est autem sacramentum specifice unum specie infima seu atoma h. e. indivisa; quia non se habet ut genus, sub quo alia sacramenta tanquam species dividantur. Cf. s. Thomas q. 72. a. 2. et Lugo disp. 2. sect. 1. *

V. 4. Etsi physice loquendo, tot sint numero Sacramenta, quot numero species vel etiam partes specierum: moraliter tamen unum numero Sacramentum est, quod per modum unius proponitur et sumitur; quia id ad unum finem, scilicet ad unam refectionem spiritualem refertur.

VI. 5. Hostiae in diversis altaribus recte concipiuntur ut distincta Sacramenta; contra vero, si Sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul sumat (eadem est ratio plurium specierum diversae rationis), non ideo dicitur accepisse plura numero Sacramenta.

815. * Quaestio est de unitate aut multiplicitate numerica: quaeritur nempe, an tot sint numero sacramenta, quot sunt particulae seu hostiae consecratae, sive in eodem sacrificio consecrentur et in eodem ciborio serventur sive secus, sive in eodem altari sint sive in diversis per universum mundum, sive rursus eodem tempore sint sive diverso. Responsio, quam suis principiis innixus Lugo tradit disp. 2. sect. 2., facilis est nec ulli videtur obnoxia difficultati. Scilicet, quoniam Sacra-

mentum in recto non dicit nisi corpus Christi: corpus autem Christi unum numero est ubicumque sit; unum erit simpliciter Sacramentum. Nam etsi Sacramentum connotet species, quas in obliquo dicit, attamen ad pluralitatem concreti, requiritur multiplicari illud, quod in recto significatur; non enim essent ex. gr. duo calida, si duo calores ponerentur in eodem subiecto: essent vero e contrario calida duo, si unus calor in duobus esset subiectis. Ergo quamvis multiplicentur species, unum est sacramentum numero; quia unum est corpus Christi. Quo respexisse videtur Apostolus, inquiens 1. Cor. X. 17. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus:* ubi unitas numerica intelligenda est; alioquin non bene inferret, esse omnes fideles unum corpus sicut nec in naturalibus bene infertur, esse omnes idem corpus; quia de eodem in specie alimento participamus.

In alia vero sententia, quae et species in recto significari vult nomine sacramenti, videretur ex una parte dicendum, tot esse sacramenta quot sunt particulae aut species separatae: ex alia parte sensus communis plerumque ab hoc modo loquendi abhorret; non enim dicimus plura esse sacramenta in pyxide vel tabernaculo, ubi plures sunt hostiae, nec sacerdotem, qui in Missa tres divisas partes hostiae sumit, dicimus tria sacramenta propterea sumere. Hinc recursus fit ad quandam unitatem vel divisionem moralem, ut multiplicari sacramentum dicatur quoties unitas moralis deest: censetur autem unitas moralis adesse, cum hostiae eodem sacrificio consecrantur vel a pluribus continuata serie tanquam ex una mensa participantur vel eodem ciborio continentur: ut idcirco separatione facta et quibusdam alio translatis, multiplicentur sacramenta. Haec est plus minus sententia A. et cf. Lugo l. c. sect. 3.

816. Inter constitutiva huius sacramenti est certe forma, saltem cum sacramentum fit et sic est intrinseca sacramento; illa enim accedente, materia consecratur et per eam obtinent species ut signum sint contenti sub eis corporis et sanguinis Domini. Utrum forma, quae transiit, sit intrinsecum constitutivum sacramenti manentis, disputant Theologi (cf. Doctores citatos): alii negant; quia quod non amplius est, nequit esse forma et quia est quid extrinsecum sacramento se habens solum ut causa efficiens: alii affirmant; tum quia verba dicuntur ab Eugenio forma huius sacramenti, non secus ac in aliis sacramentis, tum quia, etsi physice verba consecrationis transeant, moraliter tamen, in notitia et memoria aliorum manent et quatenus ita manent, efficiunt ut species manentes significent corpus et sanguinem Domini sive concurrunt cum illis ad significandum corpus et sanguinem Domini atque gratiam sacramentalem.

Cum aliquid ex alio fit, duplex distinguitur materia, *remota* et *proxima:* ea est illud totum ex quo aliquid fit, hoc est id quod ex illa manet in facto. Sic panis et vinum sunt materia remota huius sacramenti: species panis et vini materia proxima (A. dub. seq. n. VII.).

Qui negant verba ingredi intrinsecam constitutionem sacramenti manentis, dicent formam eius esse id, quo essentialiter constituitur, quod per verba speciebus coniungitur, h. e. corpus et sanguinem Domini. Neque id adversatur proprie doctrinae Eugenii IV., qui non dicit materiam et formam, quam deinceps indicat, constituere intrinsece sacramentum: sed materia, forma et persona ministri (quae est certa extrinseca) perfici sacramentum; quod in sacramento manente verum esse potest, etsi verba sint tantum forma extrinseca, efficiens.

817. Effectus proprius huius sacramenti est augmentum gratiae; quia effectus eius proprius est spiritualis nutritio, cum sit cibus. Quod declarat Lugo disp. 1. n. 7.: « Nam baptismus per se potius tendit ad generationem spiritualem: poenitentia item ex se significat reconciliationem et remissionem peccati: extrema Unctio tendit ad perfectam sanitatem a reliquiis peccatorum: Ordo ad rectum Ordinis usum sicut matrimonium ad dandas vires, quibus eius onera laudabiliter portentur: confirmatio ad dandas vires et robur in ordine ad fidei confessionem. Quare non primario sed secundario respiciunt gratiam in ordine ad proprios singulorum fines. At vero Eucharistia, quae est cibus animae, per se et ex vi propriae significationis ordinatur ad augendam substantiam vitae spiritualis, sicut cibus materialis ordinatur ad augendam vitam et substantiam corporis: respicit ergo immediate et per se ipsam augmentum gratiae, quod nulli ex aliis sacramentis ita convenit ». Et licet cibus materialis non semper augeat substantiam corporis; « habet tamen, ut augeat substantiam, donec perveniat ad statum perfectum: postea vero reparat vires. Cum ergo anima nostra in hac vita semper sit in statu augmenti, quippe quae nondum pervenit ad statum perfectum, hinc fit, ut Eucharistia in nobis semper significet per se augmentum vitae et gratiae; non enim potest nutrire sine augmento eos, qui sunt in statu augmenti ».

Quamvis vero Sacramenta omnia vivorum, cum gratiam in anima supponant, augeant illam; « non tamen ordinantur ad augmentum gratiae, praecise ut augmentum est, sistendo ibi, sed quatenus est principium talium actuum. Eucharistia vero, quia cibus est, habet ex propria ratione augere vitam et substantiam sub ratione augmenti, ita ut illud intenderet, etiamsi ad aliam operationem non ordinaretur », ad quam tamen ordinatur; nam vita ipsa ad operandum ordinatur. *

Dub. II.

Quae sit materia Eucharistiae.

VII. Nota, sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima et remota, ita etiam hic, sed ordine inverso; nam in aliis, materia remota est res permanens, proxima vero eius usus, qui transit: hic vero remota transit et proxima manet, scilicet species panis et vini. Quaeritur ergo tantum de remota, illa scilicet, quae facta consecratione transit in Corpus et Sanguinem Christi.

Cf. dicta n. 816.

VIII. Resp. Materia Eucharistiae est tantum panis et vinum. Est de fidè et probatur ex institutione Christi Matth. XXVI. et Luc. XXII. Et quidem utraque materia, panis et vinum, est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut *per se* nunquam *licite* possit una consecrari absque alia; quod patet tum ex facto Christi tum ex Trid. sess. 22.

Prioris partis declarationem cf. apud dogmaticos. Altera pars declaratur in resoll., quae huc spectant.

Unde resolves.

IX. 1. Consecratio utriusque speciei est iuris divini, quia ratio sacrificii, sine quo non fit, exigit utramque.

818. * Sane iuris est divini, ut sacramentum conficiatur actu sacrificiali, quo sacrificium offertur iurisque pariter divini est, ut sacrificium sub duplici specie offeratur, ut crucis sacrificium repraesentetur ideoque nunquam liceat alteram sine altera specie consecrare. Cf. Suarez disp. 43. sect. 3. et 4. Cum ius divinum dicimus, dicimus quidem legem sive institutionem Dei ita praecipientis, sed non dicimus essentialem rei necessitatem aut talem Dei institutionem, ut nullo pacto valeat consecratio, nisi ita fiat: quemadmodum ex voluntate Christi non valet baptismus, si praescripta materia aut forma non adhibeatur. Quaestio idcirco restat eaque duplex, 1ª utrum hoc divinum praeceptum exceptionem aliquam quoad ipsam liceitatem identidem admittat, in gravi saltem necessitate: aut saltem, an possit Papa in hoc praecepto dispensare vel ius divinum interpretando declarare, certis in casibus non urgere praeceptum: 2ª an valide consecraret, qui alteram tantum speciem intenderet consecrare. Hinc resoll. A. *

X. 2. Non licet alteram tantum speciem consecrare, in necessitate etiam gravi, v. g. ut moribundo detur Viaticum. Suar. etc. commun.

XI. 3. Nec Pontifex in eo potest dispensare ullo casu. Ita commun. Suar. 3. p. d. 55. s. 4. etc. contra quosdam.

819. * Ad 1ᵐ quaestionem ergo, praemittendum est, fieri posse, ut absque ulla culpa, una tantum species valide consecretur sine alia et

sunt ii casus, quos enumerat A. sub 3. resol. et postea recitabimus sub §. XII. Unde sequitur, non repugnare, ut una tantum species sit consecrata. Hoc posito, sententia est fere communis, nunquam licere, absque dispensatione Papae, consecrare unam tantum speciem; quia observatio legis divinae praecipientis integritatem sacrificii praeferenda est cuilibet humano commodo; cum hoc sacramentum non sit absolute necessarium et maxime dedeceat, privata auctoritate novum ritum introducere diversum ab eo, quem divina institutio sancivit. Cf. Suarez l. c.

An vero Papa in hac re dispensare valeat seu declarare, divinum praeceptum certo in casu non cogere, disputant Theologi, quorum quidam id factum, semel saltem, asserebant, quam tamen historiam ipsi Scholastici accuratiores valde suspectam habebant: Cf. Suarez l. c. sect. 4. n. 12. Idem Suarez quaestioni respondet dicens: « licet probabile sit, posse Pontificem in hoc negotio, ex publica et communi causa, dispensare; tutius tamen et verius existimo, non posse ». Ratio prioris partis est auctoritas plurium Doctorum eiusque explicationem dedit iam Ballerini tr. III. Vol. I. 409. Ratio alterius partis praecipua est, quia non videtur Ecclesia posse facere, ut vel hoc sacramentum conficiatur, non offerendo sacrificium Deo, vel ut sacrificium non offeratur integrum ex omnibus, quae ad ipsum ex divina institutione spectant. *

820. Veniamus ad 2^m^ quaestionem. Fuerunt qui putaverint, invalide consecrari unam tantum speciem. Ita refert cum aliis Lugo *de Euch.* disp. 19. n. 102., qui subdit: « quam sententiam omnes reiiciunt; quia absque ullo fundamento, contra veritatem verborum id asserit ». Nihilominus prosequitur n. 103.: « Ceterum sententia haec, si debito modo explicetur, prout ab eius auctoribus fortasse intelligebatur, non est absurda, sed vera. Suppono enim id, quod communiter nostri Theologi supponunt et docent, Christum scilicet ita instituisse hoc sacramentum, ut simul illud instituerit in ratione sacrificii nec voluerit fieri sacramentum sine sacrificio nec sacrificium sine sacramento nec sacerdotibus dederit duas potestates disparatas, sed unicam ad sacrificandum et consecrandum, ita ut neque extra sacrificium consecrare possent neque absque consecratione sacrificium offerre. Hinc autem fit, ut, si sacerdos vellet consecrare, non tamen offerre sacrificium, ita ut voluntas non offerendi sacrificium praevaleret et esset magis efficax, tunc nihil prorsus efficeret, sicut dici solet in aliis similibus casibus, in quibus dantur intentiones contrariae et ideo actio fit irrita, nisi secunda intentio sit minus efficax. Si ergo Christus voluit, haec duo esse connexa nec posse separari consecrationem sacramenti ab

oblatione sacrificii: consequens est, ut qui vellet consecrare, nulla tamen modo offerre sacrificium, nihil faceret; quia vellet aliquid, ad quod non accepit potestatem a Christo ».

Concludit idem n. 104.: « De facto tamen omnes sacerdotes consecrantes sive per errorem sive ex industria, unam speciem sine alia, valide consecrant: quia non excludunt omnino efficaciter intentionem sacrificandi, sed volunt consecrare meliori modo quo possunt atque ideo volunt, saltem implicite, per consecrationem hostiae v. g. inchoare sacrificium etc..... Ceterum si sacerdos advertens, non posse offerri sacrificium absque consecratione utriusque speciei et praevidens, se non posse consecrare utramque, vellet consecrare unam, excludens omnino intentionem offerendi etiam partialiter vel inchoandi sacrificii per eam consecrationem, per voluntatem omnino efficacem..., non consecraret; quia voluntas consecrandi debet esse ad minus implicita voluntas offerendi partialiter seu inchoandi oblationem sacrificii et in hoc sensu praedicta sententia esset vera ».

Ex quibus patet, sermonem esse de consecratione, in qua positive consecrans haberet contrariam voluntatem non sacrificandi; adeo ut haec voluntas efficacior censeri deberet voluntate consecrandi eamque ideo destrueret, uti efficax voluntas non se obligandi destruit professionem religiosam.

Ergo si proponitur quaestio sic: an valide consecret sacerdos, qui positivam habet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera, distinguendum est: si enim nihilominus non excludit intentionem sacrificii conficiendi, consecrat, si positive excludit eam intentionem, non consecrat.

821. Diana his relatis (tom. 7. tract. 1. resp. 128.) oppositam communem sententiam tenendam censet.

Suarez de hac quaestione disp. 43. sect. 2. sibi obiicit: « Dici posset, verum esse, unum effectum non pendere ab alio reipsa, cum per accidens ex variis causis impediri possit, pendere tamen ex intentione operantis, ita ut si minister a principio intendat unam solam speciem et non aliam conficere, nihil efficiat ». Et respondet: « Sed hoc vanum est et praeter sensum Ecclesiae; nam in omni sacramento, si minister intendat efficere quod verba significant quodque de se efficere possunt circa subiectam materiam, illa intentio sufficit ad effectum; sed hoc intendit sacerdos, etiamsi non intendat aliam partem conficere: ergo sine ulla dubitatione conficit illam partem quam intendit. Sicut Episcopus vere confert unum ordinem, etiamsi intendat nunquam alium conferre ». Sed hoc exemplum non est satis idoneum.

XII. Dixi 1. *Per se;* quia per accidens et praeter intentionem, aliquando unam posse solam consecrari absque peccato, docet Tan. d. 5. q. 2. dub. 5. n. 27. dicitque esse communem, v. gr. in his casibus.

1. Si quis aquam vel alium liquorem pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret, nisi diu post aut postquam advertisset, neque posset haberi aliud vinum: vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti sine gravi scandalo vel vitae periculo. 2. Si post consecratam Hostiam subitum mortis periculum ab hostibus, vel incendium immineat, secluso tamen scandalo et contemptu fidei. Reg. I. 29. c. 4. 3. Si Sacerdos, Hostia consecrata, moriatur, vel animo deficiens loquelam perdat, vel in amentiam incidat nec sit alius, qui possit Sacrificium perficere. Suar. Vasq. etc. Si autem alius supplere et Sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet Hostia dividi, eique pars dari. Tamb. *de exped. Sacrif.* l. 2. c. 8.

Dixi 2. *Licite:* quia valide alterutram tantum consecrari, est certum: ut patet tum ex facto Christi, qui panem ante consecravit, tum ex praxi Ecclesiae, quae Corpus ante Sanguinem proponit adorandum.

822. In prima hypothesi ait A., neque *defectum intelligeret nisi diu post*. Finge casum, qui non semel contigit, innotuisse ad finem anni, vinum, quo per annum Missae celebratae fuere, confectum fuisse ex pomis.

Subdit A.: *quamvis haberet etc.* Finge vel adesse periculum vitae; quia vinum adest veneno infectum: finge *scandalum,* si sacerdos id adverteret, postquam (ut inquit Sporer *de Euch.* n. 133.) « iam ab altari recessisset et primo advertisset in sacristia, vel alio loco, ubi nulla ara parata est, prout mihi non ita pridem contigit »; vitari enim non posset aut grave populi scandalum aut sacramenti et sacrificii irreverentia, si complere sacrificium vellet.

Quod in altera hypothesi dicitur de metu mortis, intellige, nisi metus mortis ad hoc incutiatur, ut sacerdos unam tantum speciem consecret. Tunc enim si minitanti pareret, id cederet in contemptum fidei.

In tertia hypothesi nulla est difficultas et quod Rubrica praescribit, faciendum est.

21. A. subdens, *illicite* quidem fieri unam consecrationem sine alia, *valide* tamen, sequitur sententiam, quam ex Suarez et Diana audivimus nec tamen reprobat sententiam Lugo, eo modo quo diximus, intellectam: qua de re non agit.

Dub. III.

Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiae.

XIII. Resp. 1. Solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum iudicio tantum censetur ille, qui ex farina triticea et aqua naturali mixtus et igne tostus sive assus, atque in sua specie incorruptus est; quia hic solus simpliciter dicitur panis, alius vero nonnisi cum addito, ver. gr. hordeaceus.

823. * Constat ex ipsa Christi institutione debere esse panem; eo enim Christus est usus: panem autem triticeum esse debere, constat

ex sensu constanti Ecclesiae, quae semper censuit, hoc pane Christum consecrasse et sibi esse consecrandum: unde Eugenius IV. in decreto aperte edixit, quod huius sacramenti materia est *panis triticeus* etc. Huius doctrinae declaratio sita est in nonnullis difficultatibus seu dubiis expediendis, de quibus in resol.

Porro panis ἄρτος est cibus ex farina et aqua, igne coctus seu assus. Admixtio aquae ad farinam est de necessitate huius sacramenti, ait s. Th. q. 74. a. 7. ad 3.; secus enim non est panis.

En quaedam responsio C. s. O. cuidam Vicario Apost. « In hac regione... consuetudo orta est... panem conficiendi ex granis contritis et per aliquas horas in aqua infusis, non tamen usque ad corruptionem; quae grana manibus comprimunt et ex materia alba adveniente panes conficiunt ferro calido, modo in Europa consueto..... Utrum licita sit supradicta confectio panis pro Missa? » Responsum est 23. Iun. 1852. « Affirmative, curet tamen, si fieri potest, Vic. Ap., ut frumentum, ex quo panis Eucharisticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur, quae deinde cribro exacte purgetur et panis ex eadem conficiatur modo in Europa usitato ».

Illud vero advertendum, quod, quemadmodum diximus de Baptismo, materiam eius esse aquam, quae communi hominum existimatione aqua censetur, ita heic materia est panis, cibus ille scilicet, qui communi existimatione panis triticeus reputatur, sive fermentatus sit sive azymus; quidquid enim sit, utrum necne hi specie vel chimice differant, dummodo verus panis triticeus censeantur et dicantur, erunt materia idonea sacramento.

Nec multum urgendus usus in conviviis; nam apud nos ordinarie, puto, panis fermentatus adhibetur; sed si azymus est vere panis triticeus et praesertim si eo Christus est usus in institutione Sacramenti, erit profecto materia idonea, etsi exulet a conviviis. Fermentatio scilicet, ratione habita materiae sacramenti, est quid accidentale. *

Unde resolves.

XIV. 1. Falsum est, quod docuit Caiet. Eucharistiam posse consecrari ex quovis pane cuiusvis speciei, dummodo sit aptus ad vescendum.

824. * Haec est sententia Caietani in 3. p. q. 74. a. 3. Propria materia Eucharistiae est panis, non panis cum addito aliquo determinante appellatus (ut panis hordeaceus, miliaceus, castaneaceus), sed qui simpliciter solet dici panis: quocirca ait: « qui absolute sunt panes, quos sine additione aliqua vocamus panes, non habent, unde eorum aliquis sacramento sit inhabilis ». Non ergo illud ait Caietanus quod ei A. imponit, quemlibet panem esse materiam idoneam, *dummodo sit aptus ad vescendum.* Porro idem monet, eandem rem homogeneam

posse naturaliter generari ex rebus diversarum specierum tanquam materia transeunte, quemadmodum sanguis ex pluribus diversisque nutrimentis fit: idcirco et eundem specie panem generari posse ex pluribus diversarum specierum granis. Triticum proinde ponitur propria materia panis sacramentalis, non quia solum sit illius materia, sed quia est principalis et apud omnes certa et indubitata materia.

Vides, supponere Caietanum, quod in confectione panis fiat elementorum substantialis mutatio eademque forma substantialis panis sit in iis omnibus, qui vocantur absolute panes, quaecumque sit frumenti species, unde forma est educta. Hanc Caietani doctrinam certe non admittunt recentiores philosophi, chimicam scilicet mutationem fieri in panis praesertim azymi confectione; nam in confectione panis (fermentati necne, parum interest) chimica quidem mixtio non vera combinatio habetur.

Sepositis proinde quaestionibus philosophicis, inhaerendum est doctrinae Ecclesiae, quae docet quidem, materiam sacramenti esse panem, sed simul affirmat, esse panem triticeum. Iam vero *triticum* πυρός non est quodlibet frumentum (σῖτος) sed frumenti nobilissimum genus: tritici autem non una est species, sicut nec vini, quae est altera materia sacramenti. Inter species tritici enumerabant veteres *robum*, a colore (flavo) dictum, qui pondere et nitore praestat, tum *siliginem* (grano bianco, hispanice *candeal*) quae est genus tritici levissimi et candidissimi, ex quo laudatissimus panis conficitur. Cf. Forcellini lexicon ad haec vocabula. An quaedam frumenta ad triticum spectent necne, disputabimus infra. *

XV. Non est apta materia ad validam consecrationem 1. Panis ex oryza, avena, milio, pisis, fabis, amygdalis aliisque leguminibus et arborum fructibus, vel etiam ex hordeo confectus: quia haec omnia, communi usu et opinione, censentur specie distinzui a tritico. Laym. Bon. C. de Lugo d. 4. s. 1. 2. Massa triticea cruda vel non cocta per modum panis, sed frixa vel elixa, ut sunt placenta, libum, sive differant specie sive non. 3. Panis subactus aquis artificialibus vel oleo, butyro, lacte et ovis, saccharo aliove liquore, qui aqua naturali non sit mixtus; quia non est panis usualis. Ita Laym. l. 5. tr. 4. c. 9. Caiet. tamen et quidam recentiores contrarium docent: quare est saltem materia dubia idque confirmat Missale Rom. *tit. de Defect.* et C. de Lugo d. 4. sect. 1. n. 4.: unde qui hostias emunt certi sint, quod aqua naturali et non rosacea confectae sint. 4. Similiter hostiae rubrae, quibus sigillantur litterae, non sunt materia valida, vel minimum dubia; quia per admixtionem cinnabaris notabiliter alterantur. Card. de Lugo d. 4. s. 1. quod Ant. Perez apud Dian. p. 7. t. 12. r. 1. limitat, si multum cinnabaris sit mixtum: si autem sit valde parum, censet probabile, quod sit materia valida, illicita tamen. 5. Panis substantialiter corruptus. 6. Panis subactus aqua marina. Fag. apud Dian. p. 9. c. 9. r. 38. ubi ipse contrarium docet, eo quod illa sit naturalis aqua.

825. * In his recolendum, quod iam innuimus n. 823. et habet Lugo disp. 4. n. 6. « In universum est observandum ad huiusmodi quae-

stiones, non tam debere attendi unitatem vel diversitatem specificam materiae quam si iuxta communem usum reputatur pro pane talis materia necne ».

1° Pars prima resolutionis evidens est; non enim haec sub tritici genere continentur et legumina toto genere distant a frumento, quod est genus prae tritico; frumentum enim spica continetur, legumen siliqua.

2° Altera quoque pars satis est clara; quia non est panis.

3° De his, quae tertio loco habet A., ita censet Lugo l. c. n. 4. Si panis fiat ex aqua rosacea, lacte, oleo, vel alio liquore praedominante (prae aqua scilicet), non sufficit; quia non est panis usualis et multo minus, si misceatur butyro, ovis, saccaro et similibus.

Refert tamen aliquos recentiores arbitrari, panem ex lacte vel aqua artificiali esse materiam aptam; quia aqua solum requiritur ad uniendas partes farinae. Subdit vero, videri sibi eam materiam valde dubiam. Et sane ratio allata, aquam requiri solum ad uniendas partes farinae, nescio quid valeat: sic enim praestaret, non molere grana, in quibus farina magis est unita. S. Thomas q. 74. a. 7. ad 3. negat farinam admixtam aquae rosaceae esse materiam idoneam. Rubrica vero Missalis tit. *de Defectibus* etc. dicit esse materiam dubiam, si sit aqua rosacea vel alterius distillationis.

Idem Lugo n. 5. ait, sufficientem materiam non esse massam farinae crudam seu oleo aut butyro frixam, sed debere esse solo igne assam vel coctam; sic enim est panis. Quandiu vero massa vel mica panis concoctionem non amiserit, manet materia apta.

Quidam censuerunt panem confectum ex amido esse materiam aptam; quia continet adipem farinae. Sed periti negant hanc dignitatem amido, quod per se non nutrit et potius ea dignitas asserenda esset glutini, quae est materia azotata ideoque nutritiva, ex quo glutine solo fieri solent panes pro quibusdam infirmis. Sed et hic panis erit saltem materia dubia; quia non est ille, qui in communi existimatione censetur panis.

326. 4° Ad quartum quod spectat, Lugo l. c. non solum dubitat de hostia cinnabari (ex mercurio et sulphure) commixta propter rationem allatam ab. A., sed addit, e sententia sua esse materiam invalidam, quia per illam mixtionem extrahitur materia a pane usuali; quod certe admittendum, si proportionaliter sit magna quantitas huius mixturae.

5° Quoad quintum nulla difficultas. *

6° Tandem quod spectat ad panem aqua marina confectum, haec quaestio vix ad praxim facit. Haec tamen adverte. « Diana tom. 2.

tr. 1. res. 197. n. 2. inculcat, quod aqua maris sit aqua naturalis et s. Alph. n. 199. addit verba s. Thomae, quae probant, aquam marinam esse materiam baptismi; veruntamen si urgeatur aliud principium, quod est etiam s. Thomae, quod debet esse panis usualis, dubitabit quis, an panis subactus aqua marina possit dici *usualis:* sales enim huius aquae proprii ingratum palato saporem faciunt. Addit tamen (ibid.) Diana, accepisse se a fide dignis « in Calabria pauperes, quia non habent pecuniam ad solvendam gabellam salis, efficere panem cum aqua maris ».

Et constat, non paucis in locis modicum salis pani conficiendo adhiberi: est ergo sal elementum panis usualis eiusque excessus non videtur naturam panis mutare.

* Praeter haec adverte doctrinam, quam tradit Lugo disp. 4. n. 64. Quoniam materia sacramenti est panis usualis, remanet autem vere panis usualis illud totum, quod ex farina triticea et modica farina alterius generis vel furfuris conficitur; hinc non solum in hoc toto partes triticeae consecrantur, sed et aliae partes simul consecrantur. Quia illud totum cum omnibus eius partibus ex farina et aqua censetur et est panis usualis: atqui reapse hoc totum, quod est panis usualis, consecratur. Ita s. Thomas q. 74. a. 3. ad 3^{m}: « Modica permixtio non solvit speciem; quia id, quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo (non conversione substantiali; quia sic non esset *quodammodo*, sed permixtione atque morali existimatione). Ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde (ex utroque scilicet) confici panis, quia est materia huius sacramenti ». Porro panis, qui est materia huius sacramenti, totus quoad omnes suas partes consecratur et transit in corpus Christi. *

XVI. 3. Panis ex farre sive spelta, item ex siligine, est materia dubia; quia alii dicunt, solis accidentibus, propter loci sterilitatem, alii specie distingui a tritico: ideoque non licet, saltem uti pro Sacramento; quia hoc exponeretur periculo. V. Auth. cit.

827. Qui dicunt *Siliginem* vix non certe esse materiam invalidam, forte confundunt siliginem cum secali, de qua mox: ceterum siligo est triticum optimum, ut constat ex his testimoniis. Ex Plinio: « Siligo genus frumenti, ex quo laudatissimus panis conficitur »: ex Columella: « Siliginem prope dixerim tritici delicias, candor est et sine virtute et sine pondere ». Et Iuvenalis: « Sed tener et niveus (panis) mollique siligine factus servatur domino ». Idemque Columella ait « omne triticum solo caliginoso, post tertiam sationem, vertitur in siliginem » (lexicon Forcellini). Cf. doctrinam s. Thom. heic paulo infra. Et cf. Lugo l. c. n. 3.

Aliud de *Secali (segala*, germ. *Roggen* hisp. *Centeno)* dicendum. Id frumenti genus est, aliud a tritico. Secale, ait Plinius, frumenti genus deterrimum et tantum ad arcendam famem utile... nigritia triste, sed pondere praecipuum: Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem eius et tamen sic quoque ingratissimum ventri est ». Haec italicis est genus quoddam *farris* (v. Forcellini v. *Far*). De hoc dixerim vix non certe esse materiam invalidam.

Porro de *Spelta* (germ. *Spelt*) notanda quae habet Voit n. 275. tom. 2. « De Spelta proprie dicta, alias etiam dicta *frumentum Svevicum*, scriptores germanici Sanct-Gallenses, Tanner, Laymann, Gobat, Haunoldus, Illsung, Leonardelli censent esse materiam validam et licitam; eo quod ex Spelta fiat panis usualis, optimus et candidissimus, etiam usitatus in aulis principum *et etiamnum sine scrupulo adhibetur praesertim in Svevia et Helvetia, etiam consciis Nuntiis Apostolicis et Episcopis:* adeoque censeri debere panem triticeum. Contrarium ii potissimum dicunt, qui extra Germaniam scripserunt, ut Palao, Anversa, Platellius et alii, qui tamen nomine *Speltae* aliud frumenti genus intellixisse videntur, quam illud, quod in dioecesi Constantiensi, teste Gobat, adhibetur pro consecratione. Hinc cum ob variarum regionum et vocum significationem difficile sit definire, quaenam frumenti species vere ad tritici genus pertineat, ita ut sufficiat pro materia apta consecrationis; necesse est, super hac re consulere peritorum iudicium et attendere ad communem dioecesis aut rationis aestimationem, quid nomine tritici veniat. Recte enim ait Suarez disp. 44. sect. 1. omnem panem confectum ex grano, quod revera constat esse triticum, quamvis aliter nominetur, esse certam materiam huius sacramenti ». Huc usque Voit.

Eadem de re Sporer *de Euchar.* n. 137. cum praemisisset: « Regula generalis: Ex illo solo frumento conficitur certa huius sacramenti materia, quod in quavis regione a peritis certo iudicatur esse triticum »: mox n. 138. subdit: « Species illa frumenti Svevici vulgo *Fesen*, vel *Kern*, et in aliquibus locis *Dinkel* vocatum et latine communiter *Spelta*, ab aliis *Far* (ab Adriano Iunio Siligo vel Triticum Siligeneum vocatur) et panis, ex ea farina confectus, *citra controversiam* est apta materia Eucharistiae; cum sit vere triticum ac ad triticum stricte sumptum proxime accedat, imo usu et bonitate excedere dicatur. Quocirca ex eo tritico *in iis partibus* PASSIM *conficiuntur hostiae pro Eucharistia, uti observant DD. passim et nominatim* omnes citandi ».

Eadem de re Struggl tract. 10. q. 1. art. 2. n. 16.: « Materia sufficiens ad validam consecrationem non solum est panis ex tritico stricte dicto (germaniae *Weizen*) sed etiam probabilius ex Spelta, quae germanice *Kern, Fesen, Dünkelkorn.* Ita Paludanus, Albertus Magnus,

Tannerus, Laymann et Haunoldus et alii Theologi Germanici, qui haec grana noscunt, longe communius. Ratio responsionis est, quia hoc granum est tritico stricte dicto simillimum; nam licet paleae inclusum sit simile hordeo, paleam tamen facile dimittit et gerit formam tritici. Unde ex Spelta fit panis communiter usualis et melior quam ex siligine. Praetera triticum in Suavia crescit per modum Speltae; adeoque Spelta est moraliter triticum; licite forte a tritico stricte dicto specie physica differat ».

Allegatos a Struggl vidimus Paludanum et Albertum Magnum.

Et reipsa Paludanus lib. 4. disp. 11. q. 1. *circa Quartum* §. *Licet autem*, multis eventilatis rationibus, utrum de Spelta celebrari possit, concludit: « Licet autem haec sint probabilia, magis tamen tenendum est id quod *facit auctoritas multarum Ecclesiarum de Spelta celebrantium* ».

Albertus autem M. in 4. dist. 12. artic. 8. ad q^{am}. 1.: « Ad id autem, quod ulterius quaeritur de admixtione aliorum granorum et praecipue de *Spelta*, dicendum, quod *absque dubio frumentum genus* est et non species grani et habet sub se triticum et speltam: unde spelta frumentum est et de ipsa potest confici corpus Domini, sicut de tritico et hoc nulli dubium est consideranti granum cum grano et panem cum pane ». Verum si est sub frumento genere tantum et dividitur contra triticum, non est ergo Spelta triticum: at materia apta est panis triticeus.

His adiungi debet et Alexander Halensis, qui plane consentit cum Alberto Magno, scribens *Summa theol.* part. IV. membr. 4. art. 1. §. 4. in Resolutione: « Sunt plura genera tritici, habentia solummodo differentias accidentales, ut forte Far, Spelta et Candith, de quibus confici licet et *conficitur in quibusdam terris* ».

Et s. Bonaventura in 4. dist. 11. q. 4. postquam in conclusione statuit « Eucharistiae sacramentum non potest confici in alio pane quam de tritico », subdit: « In omni autem pane de tritico, sicut in omni vino de vite, sive ibi sit differentia accidentalis sive specifica, ut dicunt quidam, potest confici, salvata specie illius panis et illius vini ».

828. Disputatum tamen fuisse innuit Card. Turrecremata sic controversiam exponens (sup. Decr. Gratian. part. 3. *de Consecr.* dist. 2. c. *in Sacramento*, ad secundum). « Dicendum, quod circa hanc materiam varie loquuntur doctores. Nam s. Thomas in 4. *Sent.* et in *Sum.* l. 3. dicit, quod in Spelta et in farre sicut et in hordeo non potest confici panis, qui sit debita materia huius incrementi. Cuius ratio est; quia ipsa videntur specie distingui a tritico, licet in aliquibus accidentibus conveniant, sicut in figura et in colore. Aliquorum DD. alio-

rum est opinio, quod in farre et Spelta confici potest hoc sacramentum, dicentium, illa cum tritico esse eiusdem speciei, licet differentiis aliquibus accidentalibus differant. Unde Alexander de Halis in 4. dicit sic (vid. supra n. praec.). Quod autem ista sint eiusdem speciei probant praefati DD. ex hoc, quod dicunt, sicut inducit Petrus de Palude, quod compertum est, in eadem terra triticum seminatum uno anno generabat Speltam vel far, et in alio triticum, ut in territorio Leodiensi, Palmensi, monte Pomposiano. Ut autem dicunt, generans et genitum conveniunt in specie, licet differant in accidentibus aliquibus. Dicit tamen... Durandus in 4. quod hoc non est sufficiens argumentum identitatis specificae. Nam aliqui seminant triticum, et crescit Siligo. Albertus autem M. dicit in 4. (supra l. c.). Tenendo opinionem s. Thomae, negandum, quod Spelta et far sint eiusdem speciei cum tritico... Tenendo autem opinionem aliorum, respondendum est ad aliud argumentum, negando consequentiam; quoniam, sicut Avicenna dicit, far et Spelta de natura sunt tritici et eiusdem speciei cum tritico, saltem illa, quae ex tritico nascuntur. Haec est autem conclusio omnium DD., quod si Spelta et far sint eiusdem speciei cum tritico, potest ex illis confici sacramentum. Si vero non sunt eiusdem speciei, non potest ».

Et ex postremo quidem hoc principio deducebat s. Thomas, confici posse sacramentum in Siligine 3. q. 74. art. 3. ad. 2.: « Et ideo si qua frumenta sunt, quae ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in multis terris nascitur siligo), ex tali frumento panis confectus potest esse materia huius sacramenti ». Sicuti autem negabat, Speltam ex frumento tritici generari, hinc (ibid.) negabat, hanc esse materiam aptam. Ita alibi in 4. dist. XI. q. 2. art. 2. q. 4. d. ad 3.: « Cum ex grano tritici, ubicumque seminetur, nunquam nascatur Spelta vel far aut hordeum vel aliquid eiusmodi, constat quod omnino ista differunt specie a tritico ».

Alii de siligine idem senserunt, ut videre licet apud Croix n. 421. Sed quod addit Croix, non valere argumentum, quod Siligo nascatur ex frumento et viceversa; quia (inquit) etiam *aqua degenerat in lapidem, in stamnum, in argentum,* sunt prorsus inepta, ex veterum recondita naturali philosophia desumpta.

829. Ex his autem tria veniunt advertenda: 1° controversiam eiusmodi nullatenus diremptam aut sublatam fuisse per decretum Eugenii IV. in Concilio Florentino (Instruct. pro Armenis) declarantis, materiam huius Sacramenti esse panem triticeum. Nam, ut videre est penes Auctores citatos, quaestio est, an frumentum quoddam sit necne eiusdem speciei ac triticum, quod requiritur sacramento conficiendo. Quam in rem illud etiam maxime facit, quod quaestioni huic plenis-

sime locum concedit Card. Turrecremata, qui tamen eidem Concilio interfuerat, imo praecipuas in eo partes egerat.

2° Quod ad Speltam attinet, per plura secula ac non uno in loco eam reipsa in consecratione Eucharistiae adhibitam fuisse non modo uti validam sed etiam uti licitam, inspectantibus tum Episcopis tum Apostolicis Nuntiis, atque adeo Ecclesia romana id non ignorante, neque tamen ullatenus reclamante: concludi ergo debet, validas rationes negandi aut validitatem aut liceitatem huius materiae non affuisse.

3° Principia, quibus usi sunt DD., ad duo revocari posse: 1° quod panis inde confectus sit *panis usualis* et in *communi existimatione panis:* 2° quod *eodem genere seu specie tritici contineatur.* His ergo regulis convenienter uti posse etiam nos non prohibemur. Ubi igitur nihil obsint notitiae, quae ex instituta elementorum analysi hauriri melius nunc possunt, (dico *nihil obsint;* quia non satis est, ut prima nutritionis elementa in aliqua substantia adsint: adsunt enim etiam in substantiis, quae certe non habent rationem panis) et ex peritorum iudicio, aliquod granum ad tritici sive genus sive speciem reduci queat, non debet censeri materia invalida. Dixi autem sive *genus* sive *speciem:* quia nondum definitum habemus, num triticum habendum sit ut *genus,* habens sub se plures species, vel ut *species*, habens sub se plura differentia tantum accidentaliter. Et sane sunt, qui in ipso frumento triticeo, quo communiter utimur, tres quatuorve species distinguunt et hi quidem Speltam ceu alteram eiusdem generis speciem habent. Alii dicunt, non diversas esse species, sed diversitates eiusdem speciei, constantes tamen in sui reproductione non secus ac diversae stirpes (razze) in humana specie, iuxta quam doctrinam rursus valida dicenda foret talis materia; quia verum triticum. His autem nihil obstare debent, quae legimus in *dialogis* miraculorum Caesarii Monachi s. Petri *alias* Heisterbach, qui obiit an. 1240. (Dialogi isti prostant apud Bertrandum Tisser Biblioth. Cistercen. tom. 2.). In quibus haec legimus dist. 9. cap. 65. pag. 295. « Cum Abbas noster die quodam celebraturus esset Missam in quadam ecclesia et essent hostiae nigerrimae, ait Campanario: De quo grano sunt hostiae istae; respondente illo, *de Avena*, noluit celebrare; valde arguens illum, dixit, *quod ibi nihil fieret. Apollonius:* Quid igitur sentiendum de spelta? *Caesarius:* Requisitus de hoc Dominus Papa Honorius (scil. Honorius III. qui an. 1217. electus est) per litteras cuiusdam Abbatis Ordinis nostri, respondit, Speltam magis pertinere ad hordeum, quam ad triticum ».

Dico non obstare, 1° quia agit de quaestione facti, iuris autem

quaestionem non tangit: 2° quia haec sententia non affirmat, tantum a tritico distare speltam, ut penitus a genere seu specie secernenda sit: 3° quia quaecumque tandem causa assignanda sit, huius responsi (quod quale fuerit non possumus scire) nulla ratio habita fuit.

Quaeres, an liceat aliquando in hoc sacramento, sicut in aliis quibusdam, uti materia dubia. Respondetur negative et rationem indicat A. in fine resol.; quia exponerentur homines periculo idololatriae, quod nunquam licet. Si tamen materia dubia consecrata est, non est contemnenda: potest enim esse verum sacramentum: sed ante purificationem sumenda est.

Auctores vero, quos attulimus faventes Speltae, pro certo habent, eam esse materiam idoneam, eam nempe Speltam, de qua loquuntur, nec nostrum est, eos damnare.

XVII. 4. Valida, sed illicita est materia, 1. si aliquot grana, vel guttae alterius speciei cum tritico et aqua misceantur, ita ut triticum tamen et aqua plurimum praedominetur; quia si maior pars non sit triticum et aqua, non erit materia valida, de quo monendi sunt illi, qui hostias coquunt. Bon. d. 4. q. 2. p. 1. n. 6. Laym. c. 2. 2. Panis mucidus, qui ad corruptionem disponitur. Bon. l. c. n. 5.

830. Clara sunt. Quaestionem heic facit s. Alph. de hostia fracta. Ipse n. 204. ex Croix dicit: « Secluso scandalo, est tantum veniale *sine rationabili causa* (Croix n. 432. supponit, aliam hostiam carentem defectu in promptu esse ac peti posse) consecrare hostiam fractam aut maculatam vel non integram: nisi fractura vel macula esset enormis: tunc enim esset mortale. Si tamen fractura deprehendatur post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur ».

Croix nimis facilis est ad peccata mortalia inferenda. Sane aliud est, mysteria haec magnam angelicamque reverentiam postulare: aliud gradus defectuum pertingere ad mortale. Si rei dignitas sit norma, nulla erit irreverentia levis. Si ergo levis esse potest, gravitas desumi non debet ex sola dignitate mysterii. Quoad ultimum dictum s. Alph. nescio, quid scandali esse queat, si alia hostia petatur.

XVIII. 5. Perinde est ad valorem Sacramenti, sive panis sit azymus sive fermentatus, ut definivit Trid.: quia uterque est usualis et proprie dictus panis. Interim in suis Ecclesiis Latini in azymo et Graeci in fermentato conficere tenentur, sub praecepto gravi et culpa mortali, a qua non excusat necessitas, v. g. dandi viaticum. Vid. Bon. d. 4. q. 2. p. 1. Fill. t. 4. c. 3. q. 8. Card. de Lugo l. c.

831. Regula recepta est apud Croix lib. 6. part. I. n. 430.: « Sacerdos Graecus non tantum in Graecia, sed etiam in templo Graecorum apud Latinos stabiliter constituto celebrans, tenetur consecrare in fermentato. Contra Latinus non tantum in Latio (intra fines scilicet Ecclesiae latinae) sed etiam in templo latino apud Graecos constituto

tenetur uti azymo. Hoc ipso enim, quod eis ibi permittatur templum, habent se perinde ac si essent in patria sua ». Et quando res ita est, neque Latinus potest ire ad graecam ecclesiam et ibi in fermentato consecrare, nec graecus ad latinam ut in azymo faciat, sed in ecclesiis diversi ritus servare suum ritum debent. Vid. Const. Benedicti XIV. *Etsi Pastoralis* ubi de Euch. et Missa nn. 10. seqq.

Si vero graecus peregrinetur per Latium, aut latinus per Graeciam nec habeant ibi Ecclesiam proprii ritus: tunc diversi ritus ecclesiam adeuntes, ex communi et probabiliori sententia, possunt vel ritum suum ibi servare, vel uti ritu ecclesiae in qua celebrant. Idque suadetur ex communibus principiis, 1° quod liceat se conformare disciplinae loci, per quem quis transit, 2° nec tamen ad id obligetur. S. Alph. n. 203.

Scavini tamen *de Euch.* cap. 2. q. 1. pag. 117., his relatis subdit: « Verum Billuart ac Bouvier tum ex Bulla s. Pii V. *Providentia*, tum ex Bulla Benedicti XIV. *Etsi Pastoralis* docent, Sacerdotem peregrinum semper debere servare proprium ritum, nisi timeat scandalum, vel iam in ea regione acquirat domicilium, vel agatur de sacrificio complendo, quod alioquin mutilum remaneret ». Hoc quod dicitur de domicilio alia ratione admitti non potest: nam neque graeci Romae degentes ritu latino, nec latini v. gr. in Syria degentes graeco ritu uti possunt.

Itaque Bouvier *de Euch.* cap. 2. art. 1. ait: « Latinus in locis Graecorum et Graecus in Locis Latinorum,... si exsistant ecclesiae ipsius ritus, pane sibi praescripto uti *debet*. Est sententia communis, ut asserit Ligorius lib. 6. n. 103. Si vero ecclesiae sui ipsius ritus non exsistant, ut si Graecus per Galliam transeat, pane in ecclesia, in qua versatur, usitato uti potest et probabilius etiam pane sibi proprio, ut docent Nat. Alex. Antoine, Suarez, Tournely, Ligorius et alii communiter. Contendit tamen Billuart, sacerdotem peregrinum teneri ex Const. Pii V. et ea altera Benedicti XIV... proprium servare ritum, nisi vel notabile timeat scandalum etc. (ut apud Scavini), *Haec sententia est tutior et ideo sequenda* » (a).

Porro Billuart haec habet disput. 3. art. 2. *de Euch.:* « Utrum tamen istae Constitutiones sint intelligendae de Graecis non solum iter agentibus apud Latinos, seu de Latinis apud Graecos, sed etiam de iis Graecis, qui habent firmum domicilium apud Latinos, aut de Latinis apud Graecos, ubi nulla Ecclesia vel Cappella ipsis est destinata, mihi dubium est ».

Et sane Constitutio Pii V. §. 1., inquit: « Cum ad notitiam nostram

---

(a) Melius servat ritum suum, ait Lehmkuhl v. 2. n. 121. 3. si potest. E.

pervenerit, quod nonnulli presbyteri tam Graeci quam Latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione Missarum, quam *aliorum divinorum officiorum pervertere satagentes*, diversas licentias et facultates Missas et alia divina officia Graeci latino more ac Latini graeco more celebrandi ab Apostolica Sede... impetrarunt illisque *iampridem utantur* etc. ». Ex quibus palam est, non agi heic de peregrinis.

Constitutio autem Benedicti XIV. citata, uti patet legenti, data est pro iis Graecis, qui sedes suas defixerant in aliquibus Pagis Siciliae et Regni Neapolitani cis Pharum etc. Quocirca nec ipsa spectat ad peregrinos. De his ergo valet id, quod e sententia DD. audivimus a Bouvier, aut a s. Alph.

832. * Non licere mutationem ritus propter necessitatem administrandi viatici, s. Alph. n. 203. dicit esse sententiam communem et probabiliorem; quia, cum sacramentum hoc non sit simpliciter necessarium, praeferenda est utilitati proximi reverentia debita erga tantum sacramentum: reverentia scilicet sita in observatione ritus ab Ecclesia praecepti. Huius tamen defectus foret potius irreverentia erga Ecclesiam praecipientem, quam contra sacramentum, quod per se potest reverenter utroque ritu confici. Sed cum Ecclesia adeo urgeat observationem praescripti ritus, videtur huius praecepti observatio praevalere privatae utilitati proximi: pro quo cessat praeceptum communicandi, si ritu debito fieri nequeat.

Excipitur necessitas complendi sacrificii, si panis adhibitus deprehendatur corruptus ex toto post consecrationem calicis et alius nequeat suppleri, quem postulat ritus *.

Accipe recens decretum Leonis XIII. in Const. *Orientalium dignitas* 1894. 30. Nov. « Ubi desit proprii ritus sacerdos;.... fidelibus sit facultas communicandi utrovis ritu, non iis tantum locis, ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur, prout a s. Concilio christiano nomini propagando decretum est die 18 Aug. 1813., verum etiam ubi, propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo adire, de quo Ordinarii esto iudicium ». Imo iam 18. Aug. 1893. a Congr. S. I. hoc decretum expediri iusserat idem Pontifex. « Quo utilius frequentia promoveatur sacrorum Sacramentorum... omnibus fidelibus cuiuscumque ritus sive latini sive orientalis, degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia et sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a s. Sede conceditur, s. Communionem non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia, iuxta ritum ecclesiae exsistentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi ».

XIX. Resp. 2. Ex praecepto Ecclesiae panis consecrandus debet esse figura orbiculari (in Ecclesia Latina) et integra. Dixi *Latina*, quia Graeci quadratam adhibent et in particulis triangularem, ut habet Arcud. Licere etiam in hostia minore, qualis datur laicis, quando alia haberi non potest et scandalum abest, celebrare privatim, imo si causa urgeat, etiam publice die festo, docet Marchant. in *Candel.* t. 4. c. 5. q. 3. Dian. p. 5. t. 13. r. 80. et p. 6. t. 7. r. 17. et Tamb. *Exped. Sacrif.* l. 2. c. 8. et Avers. q. 1. s. 11. eo quod nullum sit praeceptum, neque constet de consuetudine obligante sub praecepto: quo casu, elevare adorandam maiorem ab alio praeconsecratam, licere vult idem Tamb. l. c. contra March. et Dian. ll. cc. Non licet autem parvam sumere, et maiorem relinquere (v. g. ad exponendum in hierotheca) nisi ipse eadem Missa etiam istam consecraverit; quia debet communicare de suo sacrificio. Tamb. l. c. Quare male facit Parochus, qui renovaturus Eucharistiam, hostiam ab alio consecratam ipse sumit et a se consecratam reponit in sacrario vel hierotheca. Tamb. l. c. Card. de Lugo d. 19. s. 4.

Nihil addendum.

Dub. IV.

Quale vinum sit materia idonea.

XX. Respond. Solum vinum vitis ut docet fides et definitum est in Florentino.

833. * Ita in decreto Eugenii IV. docentis materiam sacramenti esse *vinum de vite*. Eo certe Dominus est usus Matth. XXVI. 29. Quid si ars chimica eo tandem pertingere possit (a quo hactenus multum abest) ut vinum conficiat iisdem prorsus elementis constans eademque proportione et synthesi coniunctis, quemadmodum se habet vinum ex vite? Nonne eadem essentia foret, licet differens origo seu causa, quae tamen rei est extrinseca? An haec foret materia valida? Si reapse Christus postulavit vinum habens originem ex vite, prout tale est et hic est sensus traditionis et decreti Eugenii, profecto non. Si Christus rationem tantum habuit illius essentiae, quae naturaliter ex vite prodit: dummodo ea essentia certe habeatur, erit materia valida sacramenti, quemadmodum aqua, quae ex chimica combinatione resultet, materia est apta baptismo. Quid vero Christus voluerit, Ecclesiae est, non nostrum, definire et nunc certe solum vinum originem habens ex vite materia valida esse potest *.

Unde resolves.

XXI. 1. Non est materia apta ad validam consecrationem 1. Sicera et quicumque liquor ex moris, malogranatis etc., sive dicatur vinum sive non. 2. Agresta sive omphacium idest succus ex uvis immaturis expressus; quia non est vinum, sed in via ad vinum, cuius naturam nondum induit habetque se, sicut massa cruda respectu panis, Laym. t. 4. c. 5. num. 5. et 6.: succum tamen ex uvis passis expressum consecrabilem esse putat Franc. Amic. apud Dian. p. 7. c. 12. r. 8.; eo quod verum sit vinum. 3. Acetum quod est vinum substantialiter corruptum. ibid. Quod si post sumptionem (imo etiam ante eam, post consecrationem calicis) dubium incidat, fuerit ne acetum an vinum:

esse praesumendum, quod fuerit vinum, docet Tamb. lib. 2. *Exped. sacrif.* c. 8. 4. Uvae, seu vinum intra uvas contentum, vel imbibitum in offa panis; tum quia non tam est potus, quam cibus, tum quia succus ille non dicitur proprie vinum, donec sit expressus, tum quia in eo statu non satis ad sensum demonstratur per formam. Card. de Lugo d. 4. n. 11. et 12. Laym. etc. 5. Sapa seu defrutum, idest mustum ad dimidiam, seu tertiam partem decoctum; quia non est amplius vinum nec potus, sed cibus. Bonac. l. c. 6. Lora, idest aqua expressis acinis superfusa. Fill. t. 4. c. 3. Card. de Lugo d. 4. sect. 1. n. 9.

834. * 1° quoad primum, nulla difficultas; non sunt enim vinum de vite, nec eiusdem cum illo essentiae *.

2° Secundo loco sermo est de *agresta* et *de succo expresso ex uvis passis*. Quod ad illam spectat, notandum, quod plures sunt gradus immaturitatis: quocirca si succus incipiat habere speciem vini, aut dubia erit materia aut etiam valida. Rubrica Missalis ait: « Si vinum sit factum penitus acetum vel penitus putridum vel *de uvis acerbis seu non maturis* expressum vel si admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum ». Et notat s. Alph. n. 206., quod vinum de uvis acerbis, tunc est ineptum, quando nullam habet speciem vini; sic enim arguit s. Thomas q. 74. a. 5. ad 3.: Agresta est in via generationis et ideo nondum habet speciem vini et propter hoc de ea non potest confici sacramentum ».

835. * Quod spectat ad succum expressum ex uvis passis (zibibo) exstat responsum s. Off. 22. Iulii 1706. Pater nempe Iosephus de Ierusalem O. M. praefectus missionibus Aethiopiae, methodum eidem Congr. exposuit, qua ibi vinum conficiebatur. Scilicet « sumuntur ex. gr. quatuor librae zebibi, franguntur atque in apto vase tunduntur ac deinde totidem frigidae aquae librae in idem vas infunduntur eaque in infusione servantur per sex, octo vel ad summum decem horas: extrahitur postea uvae passae materia eaque, ab exteriore aqua purgata, panno stringitur vel turculari premitur. Liquor inde expressus vinum est quo sine ulteriore diligentia, utuntur, dum celebrant ». Porro hac praemissa explicatione variisque experimentis factis pro eliciendo tali vino. « Sanctissimus, auditis votis Cardinalium, dixit, licere, dummodo ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum ». Hoc responsum frequenter iteratum est data occasione (cf. *Monit. eccl.* Vol. 10. p. 1. pag. 136. seg.).

Completa ergo effervescentia liquoris ex fermentatione, non est necessaria, ut vinum sit idoneum sacramento: dico, *completa;* nam aliqua eo ipso locum habet, quo acini franguntur et sic elementa illa acino contenta, quae ad albuminis genus spectant quaeque pro fermento sunt, parti saccharinae (si ita loqui fas est) uvae se commiscent. Unde c. 7. *de Consecr.* d. 2. dicitur: « Si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aqua misceatur ». *

Tanner (apud Dianam tom. 2. tr. 1. res. 200. n. 4.) ait: « Cum in cap. *Cum omne crimen, de Consecrat.* dist. 2. dicatur: *Quod de expresso botro, idest de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aqua misceatur...* »: cur (pergit Tanner) non etiam ob egregiam aliquam causam antiquissimae institutionis, a sanctis forte auctoribus derivatae publicaeque aedificationis et devotionis, similis consuetudo licite retineatur, iuxta antiquum et communem Ecclesiae alicuius ritum, a Pontificibus utique scitum et nusquam hactenus improbatum? »

Subdit Diana: « Hanc consuetudinem observari in Lusitania in Ecclesia Maiori Brachatae testatur Fernandez de Moure... in qua, sexto die Augusti Dominicae Transfigurationis, a sacerdote exprimuntur matura botra in calice consecrando, in gratiarum actionem pro anni ubertate et fructibus ».

Eadem de re Sporer *de Euch.* cap. 3. n. 156.: « Quid ergo sentiendum de consuetudine in multis locis, ut primitiae uvarum exprimantur in calice pro sacrificio, ut in festo Transfigurationis Domini, vel s. Laurentii in musto novo ex uvis in cantharo expresso consecretur? Resp. Licet hunc morem reprobent Suarez, Vasquez et alii non pauci; attamen ex devotione populi et pia consuetudine excusant Laymann, Tanner, alii citati cum Gobat: Quia *usus longaevi non est levis auctoritas,* inquit Honorius III. (cap. *Cum Consuetudinis* tit. *de Consuetudine*).

* Ceterum cavendum est ab opinione quorundam veterum, ex. gr. Soti (apud Lugo disp. 4. n. 10.), non differre specie liquorem contentum in acinis et liquorem inde expressum; nam, ut liquor uvae evadat vinum, fermentationi subiiciendus est, quae integris acinis, non obtinet. Sane pars essentialis vini est alcool, quod in uva non exsistit. Hinc cum Archiep. Tarraconensis in Hispania quaesisset: an licitum sit in s. Missae sacrificio uti vino ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est, respondit, s. O. 5. Aug. 1896.: « Licere; dummodo decoctio huiusmodi fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit et de facto obtineatur ». Fermentatio scilicet necessaria est.

Adverte, identidem vinum ex acinis expressum et calici infusum vocari *mustum*, ut in rubrica missalis *de Defectibus* tit. 4. n. 2. « si vinum coeperit acescere... vel fuerit *mustum de uvis tunc expressum...* conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat ». *

836. 3° De *aceto* habes notam s. Alphonsi, quae directe non est contra Tamburini et A. Nam hi dicunt: *si dubium incidat*, fueritne

acetum an vinum: s. Doctor ait: si sacerdos *prudenter dubitat;* ut idem prorsus casus non appareat. Tamburini *Meth. ss. Comm.* p. 2. n. 34. rationem addit: *ne sine bono fundamento turbetur sacrificium eiusque ordo.* S. Alph. e contrario in sua hypothesi vult, supplendam esse consecrationem, ne sacrificium relinquatur in periculo non integritatis: non vero supplendam absolute; quia tunc idem foret periculum, faciendi secundum sacrificium mutilatum, si forte prior materia fuit valida, sed supplendam conditionate; illud enim periculum, quod prudenter timetur iusta causa est repetendi consecrationem sub conditione.

* 4° Quod quarto loco dicitur, clarum est et ultima ratio est Lugo potior; quia praecisio fit a quavis philosophica opinione aut controversia, sit necne succus in acino contentus vinum. Debet scilicet designari per pronomen *hic* vel *hoc* ea substantia, cuius sunt accidentia illa externa quae consecrantur: atqui exsistente sola uva, accidentia, quae apparent, non sunt accidentia alicuius liquoris in acino contenti, sed ipsius acini seu uvae, quae est aliud totum ab ipso liquore.

Ceterum liquor contentus in acino nondum est vinum; ut iam diximus secundo loco et tam differt ab eo liquore vinum, quam a vino acetum, quod ex alia fermentatione procedit. Cf. et Suarez disp. 45. sect. 1. n. 8. *

837. 5° Pariter quae quinto et sexto loco dicuntur, clara sunt. Sapa est mustum decoctum usque ad dimidium h. e. ut e quatuor ex. gr. heminis (mensura quaedam est) duae igne absumantur, duae remaneant. Sapa et defrutum non raro promiscue usurpantur. Usus sapae est in vinis condiendis. Ita Forcellini v. *Sapa.* Non est ergo Sapa, saltem in communi existimatione, vinum.

Quod manifestius est in *Lora,* quae fit ex aqua superinfusa acinis, ex quibus succus iam sit expressus. Si autem succus non fuerit satis expressus et fiat quod dicitur secundum vinum, materia erit aut dubia aut etiam valida. Atque ita Suarez disp. 45. sect. 1. n. 8., ait « quia variis modis fit huiusmodi lora, iudicandum de illa erit iuxta maiorem vel minorem expressionem uvarum (antea factam) et quantitatem aquae, ex quarum rerum mixtione hic liquor fit: semper tamen erit grave sacrilegium in hac materia conficere, propter dubium et irreverentiam ».

A *lora* distinguit Benedictus XIV. Inst. 77. genus vini, quod *longum* nuncupatur atque ita conficitur. « Vinum, expressis uvis, secluditur relictaque maiore musti copia, tantum aquae admiscetur, quae mustum vel adaequet vel etiam superet: aliquando parum vini veteris superadditur ». Huius usum idem Benedictus XIV. non nisi in aperta necessitate permittit. Habuit ergo ut materiam validam.

XXII. Valida quidem consecratio, sed illicita est, 1. in musto, quia non est vinum simpliciter, sed impurum, habens admixtas faeces, non consecrabiles: ideoque obstat praeceptum Ecclesiae, obligans secundum Suarez sub mortali, saltem extra necessitatem, qualis esset defectus vini veteris et secundum quosdam, etiam devotio populi; quo modo multi excusant contra Suarez, quod in quibusdam locis primitiae uvarum in calice exprimantur. V. Bonac. l. c. 2. In vino liquoribus aliis, vel aromatibus ita modice permixto, ut naturam vini retineat. Si vero permixtio sit immodica, erit materia dubia. 2. In vino acescente, quia adhuc est vinum, sicut panis mucidus est panis. 4. Probabilius etiam in vino congelato (etsi a quibusdam, propter negantium auctoritatem, dicatur esse materia dubia); tum quia adhuc retinet substantiam et denominationem vini estque natura sua potabile, tum quia Christus sub eo apte consecrato manet. Card. de Lugo l. c. Nec refert 1. quod aqua congelata non sit materia Baptismi; quia hic essentialiter consistit in ablutione: Eucharistia vero non in sumptione. Nec refert 2. quod non sit proxime potabile; quia est per accidens et facile tolli potest estque par ratio in pane indurato. Non est autem idem in liquore nondum ex uvis expresso, cum non sit vinum simpliciter et per se ac natura sua non sit potabilis, sed comestibilis, quod vino congelato non convenit: alioqui enim ieiunium frangeret. Bon. l. c. n. 10.

Peccat tamen, qui in congelato consecrat, ideoque si hyeme congelavit calix, calore manuum aut halitus aliove modo solvendus est. Fill. t. 4. c. 3. l. 5. t. 1. c. 2.

838. * 1° Mustum est vinum recens, nondum defaecatum, quoad validitatem idcirco nulla difficultas: sed reverentia sacramento debita postulat, ut vinum sit purgatum et quia purgatio gradus habet, fieri etiam potest, ut defectus purgationis sit levis et irreverentia venialis tantum. Aliis mustum est simpliciter succus ex uvis expressus: verum in ipsa expressione iam obtinet quaedam fermentatio. Cf. dicta n. 835. in fine.

2° quoad secundum regula est, oportere ut vere dici possit, vinum esse de vite quod in calice consecrando exsistit: porro vinum hoc denominationem suam vere retinet, etsi alius liquor, puta aqua vel alcool, in modica quantitate misceatur: dummodo talis non sit commixtio, ut fiat nova synthesis chimica, quae speciem mutet. Oportere autem, quod liquor exsistens in calice vere dici possit vinum, manifestum est; quia istud est quod est consecrandum: quapropter si magna sit copia alterius liquoris, ita ut non amplius vere contentum in calice denominetur simpliciter vinum, desinit esse materia idonea. Nec parva gutta vini infusa magnae quantitati aquae consecrari potest; quia nec potest pronomine demonstrativo designari.

An igitur si parva gutta vini consecrati infunderetur mari, amitteret consecrationem? Primo adverto, non eandem semper esse rationem rei in fieri et in facto esse; quaedam nempe conditiones necessariae esse possunt, ut res fiat, quae non amplius postulentur, ut res perseveret esse, postquam facta est.

Sic quamvis gutta vini consecrati maneat semper consecrata, quandiu eius accidentia manent, ubicumque sit; quia ut maneat consecrationis

effectus, id tantum postulatur, quod ea accidentia maneant: non sequitur eam guttam vini mari infusam consecrari posse; quia ad consecrationem certe requiritur, ut designari possit: Cf. resol. 2. dub. seq.

Ceterum non affirmamus guttam vini consecrati, magnae copiae aquae aut alterius liquoris infusam, manere consecratam, quia sacramentum debet esse signum sensibile et quia forte non potest dici in hypothesi hac speciem vini manere: atqui Domini sanguis est sub speciei vini. Illud tamen affirmat Croix n. 470. cum Suarez aliisque.

839. Ut autem ad doctrinam Auctoris redeamus, referenda est responsio s. Congr. Inq. Quaestio haec erat. « In pluribus Galliae partibus... vinum album, quod incruento Missae sacrificio inservit, tam debile est ac impotens, ut diu conservari non valeat, nisi eidem quaedam spiritus vini (alcool) quantitas admisceatur. Quaeritur 1° an istiusmodi commixtio licita sit: 2° et si affirmative, quaenam quantitas huiusmodi materiae extraneae vino adiungi permittatur: 3° in casu affirmativo, requirirturne spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus? »

Responsum est: « Dummodo spiritus (alcool) extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica addita, una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum et admixtio fiat, quando vinum est valde recens; nihil obstare, quominus idem vinum in Missae sacrificio adhibeatur ». 31. Iun. 1890. *

Porro Archiep. Tarraconensis in Hispania exposuit, vina dubia quae iis in regionibus conficiuntur, iam post primam fermentationem duodecim vis alcoolicae gradus superare: nihilominus ad externas nationes exportari non posse, nisi potiantur decem et octo gradibus vis alcoolicae: postulabat igitur facultatem roborandi spiritu seu alcool, ex genimine quidem vitis extracto, vina praesertim dubia, ita ut quae naturaliter plus minusve ad quindecim vis alcoolicae gradus pertingunt, ad octodecim increscant. Responsum est a s. O. 5. Aug. 1896.: « Dummodo in casu proposito spiritus extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica adiungenda, una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem septemdecim vel octodecim pro centum, et admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere inceperit, nihil obstare quominus idem vinum in Missae sacrificio adhibeatur ».

Quidam Episc. exposuerat, duo praesto esse remedia ad vini corruptionem vitandam 1^{m} addita parva quantitate d'*eau de vie:* 2^{m} ebullitione vini usque ad sexaginta quinque altitudinis gradus: quaerebat vero, an haec remedia licita essent in vino Missae et utrum praefe-

rendum. Resp. s. O. 8. Maii 1887.: « praeferendum vinum prout secundo loco exponitur ».

Cum in Brasilia ex uva debili ad tollerabile vinum obtinendum saccharum adderetur (ex canna de assucar) s. O. 5. Aug. 1896. interrogatum respondit, addendum potius spiritum alcool iuxta normam iam traditam 31. Iul. 1890.

840. 3° loco de *vino acescente* sermo est. S. Alphonsus n. 207. merito discedit a sententia Salmanticensium, qui grave peccatum in usu vini acescentis tunc solum videntur agnoscere, quando dubitatur, an qualitates vini amiserit atque adeo sit materia dubia. Ratio s. Alph. est, quia in rubricis tit. 4. n. 2. dicitur: « Si vinum coeperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre..., conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat »; heic enim supponitur *materia certa* sacramenti et tamen *peccari graviter affirmatur*.

Veruntamen cogitur ipse s. Alphonsus verba rubricae explicare *ita*, ut verba *incipit acescere...*, vel *fuerit aliquantulum acre*, non significent *quod sonant:* « In vino acescenti (inquit) considerandi sunt diversi gradus alii extra, alii intra viam corruptionis. Rubrica autem intelligi debet iuxta s. Thomam, quando vinum *ingressum fuerit limites corruptionis*, ita ut ad *principium acrimoniae* iam accesserit »: quibus verbis rem rursus inplicat; nam nonne *principium* haberi *acrimoniae* perinde est ac *coepisse acescere?* Nihil ergo explicatur. Sed ipse intelligere vult, *quando il vino sia già arrivato ad esser colla punta*, ut loquitur Benedictus XIV. Notif. 77. n. 2. Interim nonne Rubricae verba per se complectuntur *quodvis acescentiae principium (coeperit acescere)?*

Rursus s. Alphonsus vult distingui gradus acescendi vel *extra* vel *intra limites* corruptionis. Atqui ista distinctio plane est gratuita; acescentia enim nulla est sine corruptione seu fermentatione: imo est effectus seu indicium corruptionis.

Denique quod affirmat, *Rubricam intelligendam esse de acescentia*, quam memorat s. Thomas, non solum nutat; quia verba Rubricae sunt universalia, sed ex eo quoque, quod gratis s. Alphonsus supponit, s. Thomam damnare usum vini acescentis reatu gravis culpae. Nam s. Thomas q. 74. art. 5. ad 2. ita habet: « Potest tamen confici de vino acescente, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet *peccet conficiens*, ut prius dictum est ». Porro *peccare* non est idem ac peccare *graviter*.

Neque aliter loquitur in loco, quem allegat art. 3. quaest. 74. ad 4., ubi de pane ait: « Aliquando vero non est tanta corruptio, quae speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat

aliqualis mutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi, sed *peccat* conficiens propter irreverentiam Sacramenti ». Ubi non dicit *peccat graviter*.

Quae valere etiam de vino sic dicit s. Thomas alibi in 4. dist. XI. q. 2. art. 3. ql. 2.: « Et ideo dicendum, quod si vinum sit *omnino* acetum, de eo non potest confici. Sed si sit *acidum* quasi in via acescendi, est idem iudicium quod de pane, qui in via est ad corruptionem: unde sicut de pane illo potest confici, peccat tamen conficiens propter irreverentiam, ita et hic ».

Hinc et Benedictus XIV. Instr. 77. n. 2. non dicit graviter peccari: « Ac primum de subacido (s. Thom. dixerat *acidum*) vino verba faciamus, quod etsi ad conficiendam... consecrationem satis esse non ignoramus; tamen praecipimus, ne illud... quisquam adhibeat ob eam causam, quod indecora res est nec criminis labe carere potest ».

841. Advertendum autem, quod subdit ibidem Benedictus XIV.: « Ille solum Sacerdos culpa immunis et vacuus declaratur, qui sacrum facere debeat nec tamen commutandi vini potestatem habeat, quod Regularibus contingit. Tunc enim (nisi vinum corruptum penitus fuerit, sed acescere solum incoeperit) in praesides omnis culpa confertur aut in Ministros, qui vinum pro Missae Sacrificio suppeditare tenebantur. Ita sentiunt Quartus ac recens Consultor ss. Rit. Congr. P. Merati, qui Gavanti opus explicavit commentariisque exornavit ».

Quae tamen nescio, cur ad Regulares tantum coarctare videatur. Nam si v. gr. pergas ad s. Agnetis, aut s. Sebastiani aut quamlibet aliam ecclesiam, sive parochialem, sive secus, profecto cogeris uti vino, quod dabunt.

Hinc s. Alphonsus l. c.: « Probabiliter dicunt Gobat, Sporer et Croix, quod deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens sive non notabiliter acidum ». Quae quidem sententia an differat ab ea, quam initio voluit refutare, nescio. Nam si notabiliter est acidum, videtur reduci posse ad materiam saltem dubiam. Veruntamen s. Alphonsus hoc non supponit, ut patet ex iis, quae sic subdit; « Addunt Sporer et Mazzotta, quod urgente gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo certe sit vinum »: quae tamen clausula rursus rem dubiam facit, an notabilis sit acescentia...

842. De vino congelato. 1° Declaratio A.: *Eucharistia vero non in sumptione*, significat, sacramentum Eucharistiae non consistere *in usu*, sive in actu manducationis aut potationis, ut dixerunt heterodoxi (quem errorem in suum catechismum deduxit Rosmini *Catechismo secondo l'ordine delle Idee* cap. 42. n. 432. dicens: « Che cosa è il sacramento

dell'Eucaristia? R. Sacramento dell'Eucaristia è quella funzione ordinata dal Salvatore, colla quale si mangia e si beve il pane ed il vino consecrato ecc. ». Qui idem error est in generica notione Sacramenti n. 336. « I sacramenti del Salvatore sono certe *funzioni* esterne ecc. »). Clarius De Lugo, e qua ista desumpta sunt *de Euch.* disp. 4. n. 14.: « Ratio discriminis est, quod baptismus non solum postulat aquam, sed ablutionem; aqua vero congelata, dum est congelata, non potest abluere. Eucharistia autem non consistit in usu, ut supra vidimus; quare manentibus speciebus vini etiam congelatis, potest dari sacramentum ». Haec est autem fides catholica, qua profitemur, Eucharistiam esse Sacramentum *permanens.*

In fine dicitur: *alioquin ieiunium frangeret.* Videlicet, vinum congelatum si esset cibus potius, quam potus, frangeret ieiunium ecclesiasticum: hoc autem nemo dixit.

Ad quaestionem quod attinet, an valida sit consecratio, A. affirmativam dicit probabiliorem ac prorsus merito: s. Alphons. n. 207. q. 2. *dicit veriorem* et in fine addit, oppositam sententiam *nulla pollere solida probabilitate.*

Ut reliqua enim missa faciamus, in Rubricis Missalis haec leguntur: « Si in hyeme Sanguis congelatur in calice, involvatur calix pannis calefactis etc., donec liquefiat ». Ergo manifeste ac certe supponitur, per congelationem minime corrumpi species vini; alias ibi desineret esse Sanguis Christi. Vinum enim, cum semel suam amisit naturam, non potest eam rursus acquirere ex vulgato philosophorum axiomate, *a privatione ad habitum non datur regressus.* Ita s. Alphonsus; qui tamen minus sibi cohaeret, dum subdit: « Si vinum fuerit congelatum et postea liquefiat, *valde probabiliter* videtur..., licite posse fieri in eo consecrationem ». Cur enim *valde probabiliter?* Profecto si *nulla est probabilitas,* ut ipse dicit, corrumpi vinum per congelationem; ergo est verum vinum prout est aliud, quod congelatum nunquam fuerit. Ergo non *probabiliter,* sed *certe* licet illud liquefactum consecrare: imo tenetur, quia est iam oblatum, nec ulla ratio adest, turbandi ordinem sacrificii.

XXIII. 3. Valida et licita est consecratio in vino, sive albo sive rubro, etsi etiam specie physica differant; cum utrumque habeatur et sit simpliciter vinum de vite. Bon. p. 2. num. 2. Card. de Lugo l. 4.

Nihil addendum.

XXIV. Resp. 2. Vino consecrando debet, non ex necessitate Sacramenti, sed gravis praecepti sub mortali obligantis, secundum Card. de Lugo *de Euch.* p. 15. s. 2. n. 22. misceri aqua. Idque ceremonialiter et in ordine ad sacrificium. Est certum, ut constat ex Trid. sess. 22. c. 7. et 9. An autem aqua ista immediate convertatur in sanguinem necne, disputant Schol. Vid. Con. vel Praep. hic. Card. de Lugo d. 4. s. 3.

843. * Cum ceremonia sit, suam habens mysticam significationem, mixtio facienda est in ipsa celebratione Missae nec sufficit, iam vinum habere aliquid aquae commixtum.

Praeceptum hoc mixtionis non esse divinum sed ecclesiasticum, communior et probabilior est Theologorum sententia, ait Lugo disp. 4. n. 22., et Suarez disp. 45. sect. 2. quos confer sis., apud quos vide etiam rationes eiusdem praecepti l. c. coll. Trid. Syn. sess. 22. c. 7. et decreto Eugenii IV. de Sacr. Euch.

844. Auctor meminit controversiae Theologorum de conversione aquae in Sanguinem, quae aetate media exarserat et quam sua quoque aetate celebrem esse testatur Lugo l. c. n. 39. Tres hac in re sententias refert Innocentius III. c. *Martae* §. 1. *de Celebr. Miss.* « Aliquibus videtur, quod, cum de latere Christi duo praecipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum et aqua, quae commiscentur in calice, divina virtute mutantur (in seq. c. eod. tit. refert idem sententiam eorum, qui dicebant, ex latere Christi non aquam sed *humorem aquaticum* seu *phlegma* exiisse atque hanc sententiam disserte reprobat), ut in hoc sacramento plene sit veritas et figura. Alii vero tenent quod aqua cum vino transubstantiatur in Sanguinem; cum in vinum transeat mixta vino: licet physici contrarium asseverent, qui aquam e vino per artificium posse asserunt separari. Praeterea potest dici, quod aqua non transit in Sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa ».

Adverte secundam sententiam duplici constare parte: 1° quod aqua cum vino in Sanguinem transubstantiatur: 2° quod id ideo fit, quia aqua mixta vino, transiit in vinum. Hanc tamen rationem ait physicos improbare: aquam scilicet negabant fieri vinum; ex eo quod aqua infusa vino possit per artem ab eodem postea separari. Quocirca Pontifex hanc opinionem et argumentum physicorum afferens non videtur de ea ratione admodum certus. Porro Pontifex concludit: « Inter opiniones praedictas illa probabilior iudicatur, quae asserit aquam cum vino in Sanguinem transmutari »: de ratione superius addita nihil dicit. Quocirca hac admissa sententia, adhuc restat quaestio, an aqua admixta transubstantietur immediate in Sanguinem, an mediate, quatenus nempe prius in vinum fuit transmutata. Argumenta pro utraque parte videri possunt apud Lugo l. c. sect. 3. Nobis satis sit advertere tria. 1° Mutatio immediata aquae in Sanguinem nec minus possibilis est nec magis difficilis Deo, quam mutatio vini in sanguinem. 2° Argumentum theologicum infirmum est, quo prior mutatio aquae in vinum demonstretur. Nam profecto materia Eucharistiae est vinum de

vite: at vinum modica aqua commixtum adhuc est et vere appellatur vinum et idcirco vinum de vite, si huiusmodi est, cui modica aqua admixta fuit; ut scilicet vinum sit et vere dicatur, non opus est, vinum de vite esse vinum merum. Cum ergo totum illud, quod est in calice et vini de vite nomen meretur, transeat immediate in Sanguinem Christi; quemadmodum immediate transeunt ceterae guttae vini, etiam eae paucae guttae aquae, quae pars sunt illius totius, quod dicitur vinum, transibunt immediate in Sanguinem. Unde apparet, cur non magna quantitas aquae miscenda sit; quia nempe quod in calice est, debet esse vinum et periclitaretur non esse, si magna copia aquae infunderetur. 3° Res est certa, aquam infusam calici non converti in vinum h. e. non combinari chimice cum ipso, sed solum misceri, cum, ex praescripto Rubricae, aqua ante consecrationem immediate infundenda est, si prius omissa sit commixtio et tunc omissio advertatur. Cf. Lugo disp. cit. nn. 48. deinceps. Secus censuit Suarez disp. 45. sect. 4. Cf. dicta sub finem n. 25. *

Unde resolves.

XXV. 1. Si mixtio haec omittatur, valida tamen est consecratio, etsi illicita mortaliter. Ita omnes commun.

Nulla difficultas.

XXVI. 2. Miscenda est aqua naturalis eaque modicissima, ut habet Florent. una scilicet vel altera gutta: ita tamen, ut sit sensibilis et saltem non excedat tertiam partem vini: alioquin reddet materiam dubiam Bonac. p. 4. n. 4. ex s. Thom. Con. etc. Qui autem misceret rosaceam vel aliam artificialem, etsi in necessitate, etsi valide consecraret, peccaret tamen mortaliter s. Th. Mol. Dian. p. 6. t. 7. r. 18.; quia ageret contra praeceptum et consuetudinem Ecclesiae in re gravi. Quam ob causam etiam mortale censet Fagund. p. 2. l. 2. c. 4. Pers. etc. miscere calidam: quod tamen aliis quibusdam nimis durum videtur apud Dian. l. c., ubi addit ipse, si in frigidissima regione consuetudo id habeat, ne forte vinum congelascat, posse sine ullo peccato fieri.

845. * Aquam debere esse naturalem, habetur in c. cit. *In quadam, de Celebr. Miss.* Et sane ea sola vere et simpliciter dicitur aqua: universa autem traditio de aqua, absque ulla determinatione, loquitur.

Quia vero non requiritur aqua ex necessitate sacramenti aut sacrificii; hinc Rubrica l. c. ait, quod « si vel non fuerit admixta aqua vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat ».

Ad quantitatem quod spectat, iam Honorius III. c. 13. *de Celebr. Miss.* perniciosum abusum extirpandum edixerat, quod nempe in maiore quantitate de aqua poneretur in sacrificio, quam de vino; cum plus de vino quam de aqua ponendum sit, secundum rationabilem con-

suetudinem Ecclesiae generalis, ut idem dicit. * Imo ait s. Thom. 74. art. 8.: « Semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile ».

Ut refert s. Alphonsus n. 210., Habert absurde non vult sufficere unam guttam. S. Thom. l. c. ad 1.: « Sufficit ad Sacramenti huius significationem, quod sentiatur (sc. sit sensibilis) cum apponitur vino, non autem oportet, quod sit sensibilis post mixtionem ».

Ceterum Eugenius IV. in suo Decreto ait, vino ante consecrationem aquam *modicissimam* misceri debere.

Roncaglia in *Adnot. pro praxi* ad cap. 2. *de Euch.* reprehendit sollicitudinem importunam eorum, qui, si elabantur plusquam duae vel tres guttulae, poscunt aliud vinum: quasi vero invalida fieret materia.

Alii mixtionem licitam extendunt ad 8^{m} partem, alii ad 5^{m}, alii etiam ad 3^{m}; maxime si vinum sit generosum.

Pro praxi uti quis potest hisce sententiis ad sedandos scrupulos; sed praestat non nimis exiguam quantitatem vini assumere et sic aberit scrupulus, ne aqua dilapsa materiam faciat dubiam.

XXVII. 3. Mixtio illa facienda est non in dolio vel ampulla aliove vase, sed in ipso calice neque domi, sed in ipso Sacro, ut fit communiter, vel ante offertorium vel certe immediate ante Sacrum, ut fit apud quosdam. Idque vel ab ipso Sacerdote, ut in Missa privata, vel a Subdiacono, ut in sollemni; neque enim sufficit, si caupo illud diluerit. Bon. l. c.

Iam dictum est n. 843.

XXVIII. 4. Si mixtio haec sit omissa idque notetur ante consecrationem calicis, adhuc facienda est, secus si post. Bon. l. c. n. 5.

Id praescribit Rubrica *de Defectibus* IV. 7.

XXIX. 5. Praeceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam, quae fit post communionem, ad ablutionem oris et digitorum. Vide de his Missal. Roman. Item Bon. d. 4. q. 2. p. 4. Laym. l. 5. tr. 4. c. 4.

846. Intellige, non esse faciendam mixtionem in vino, quod sumitur pro purificatione.

Heic advertantur verba rubricae Missalis *de Ritu servando* n. 10.: « Porrigit calicem ministro in cornu epistolae, *quo vinum fundente*, se purificat; deinde vino et aqua abluit pollices et indices super calicem, quos abstergit purificatorio ». Ergo facit contra rubricas, qui vel aquam sumit pro purificatione, vel qui in ablutione sumit solam aquam.

Dub. V.

Quae conditiones requirantur ad materiae consecrationem.

XXX. Resp. 1. Ad validam consecrationem requiruntur duae conditiones. 1. Est, ut materia Sacerdoti consecranti moraliter et sensibiliter sit praesens. Ita communiter et est certum. Ratio petitur tum ex institutione Christi et verbis formae, *Hoc* et *Hic*, quae non verificarentur, cum sint demonstrativa, tum ex perpetua Ecclesiae praxi, nunquam consecrantis vel etiam benedicentis res absentes: tum etiam ratione sacrificii, quod requirit hostiam praesentem. V. Bonac. d. 4. q. 2. p. 6. c. 2.

847. * Clara doctrina est eiusque demonstratio. Determinata magis doctrinae applicatio datur in Resoll. In hanc rem tamen utilem censemus duplicem regulam traditam a Suarez disp. 43. sect. 5. n. 4.

Prior est: pronomen *hoc*, simpliciter et substantive dictum, ex vi suae significationis, maiorem praesentiam requirit, quam cum alteri rei adiective adiungitur. Nam cum adiective adhibetur, per ipsum substantivum cui additur, determinari potest ad illam rem, quae nominatur, significandam: at si simpliciter et substantive adhibetur (ut fit in forma consecrationis), eius significatio suspensa manet, nisi definiatur per praesentiam rei, de qua pronomen dicitur.

Altera est: frequenter per huiusmodi pronomina *hoc*, *hic* designari rem quidem per se absentem, sed praesentem propter discursum loquentis, eo quod sit illa res, de qua sermo iam factus est et per sermonem facta est praesens, non quidem sensibus, sed intellectui: ut idcirco designatio rei eiusque praesentia ad intellectum, non ad sensum referatur. Iam vero praesentia materiae consecrandae debet esse sensibilis seu ad sensum referri h. e. oportet, ut res sit sensibiliter non tantum intellectualiter praesens: sacramentum enim est in re sensibili huiusque physica praesentia pronomine demonstrativo significatur. *

Unde resolves.

XXXI. 1. Valide consecratur vinum in calice cooperto, vase vel cantharo clauso; panis in canistro: hostiae in ciborio vel in cumulo sub aliis latentes aut aliter tectae, v. g. sub corporali vel mappa vel etiam in Missali, ut ex Suarez, Henriq. Con. docet, Bon. contra Laym. l. 5. t. 4. c. 2. (unde hoc postremum dubium videri potest et saltem peccaret graviter, qui sic tectas aut latentes consecraret). Item valide consecrantur Hostiae praesentes a caeco vel alio Sacerdote in tenebris. Ratio horum omnium est, quia ad praesentiam et sensibilitatem non requiritur, ut materia videatur vel tangatur vel feriatur sono verborum (unde communiter non probatur praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in calicem et panem inspirent), dummodo videri possit, sive in se sive in alio, v. g. in suo toto vel continente vel vase ad illam continendam destinato. V. Bon. d. 4. q. 2. p. 5.

848. * De particulis inter folia Missalis abditis haec habet Viva *de Euch.* q. 3. a. 1. n. 3. « Consecrari potest materia, quae non vi-

detur nisi in re illam continente et ad talem materiam continendam destinata, ut est ex. gr. pixis. Sicut enim si marsupium sit plenum auro, dicere solemus: *hoc aurum*, illud demonstrando tanquam praesens; ita possumus demonstrare particulas in pixide inclusas per illa verba: *hoc est corpus meum:* non tamen si sint inclusae in Missali v. gr.; quia Missale non est vas ad particulas continendas destinatum ». Ideoque non demonstrarentur ibi per pronomen *hoc,* prolatum a Sacerdote. Haec libenter admittimus, nisi specialis aliqua intercedat ratio ex parte intentionis. Quid enim, si sacerdos sciens esse particulas inter folia Missalis, eas velit nihilominus consecrare? vel si attulerit hostias consecrandas ad altare et hae casu ante consecrationem evolent inter folia Missalis? An negabis esse consecratas? Quod autem de particulis inter folia Missalis exsistentibus dicitur: idem dicendum putamus de particulis latentibus sub corporali vel sub mappa. *

Quod spectat ad sacerdotem caecum vel consecrantem in tenebris, recte ait A., validam esse consecrationem; quia non est necesse videre oculis, sed satis est vel ex tactu vel ex alterius relatione nosse, materiam esse praesentem. Et reipsa non defuere exempla vel presbyterorum vel Episcoporum, qui, licet caeci, ex Pontificia dispensatione celebrarent Missas et consecrarent. Vid. Diana tom. 2. tr. 1. res. 119. nn. 1. et 5.

XXXII. 2. Invalide consecratur 1. materia post parietem aut post tergum posita vel clausa tabernaculo, ut docet Fill. Bon. q. 2. p. 6. et alii. Ratio est, quia moraliter censetur abesse, cum non possit demonstrari per *hoc* et *hic;* neque paries habeat se, ut continens aut tegens. 2. Materia valde procul, v. g. 100. passibus distans, etsi videri possit. Ratio est eadem. Quanta autem propinquitas sufficiat, dubium est et ex morali prudentum iudicio pendet. Henr. lib. 3. c. 34. docet, 20. aut 30. passuum; quod Bon. l. c. et alii putant non esse certum. Vid. Schol. 3. Materia tam modica, ut sensu percipi non possit; tum quia non potest demonstrari, tum quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Ita Suar. Vasq. et alii contra Sotum, Henr. Quod intellige, si non sit in toto, sed extra illud; quia in toto etiam minimae eius particulae consecrantur: ut constat ex Trid. sess. 23. c. 3. et 4. Bonac. l. c.

849. *De clausa materia in tabernaculo.* Lugo *de Euch.* disp. 4. n. 123., non dicit absolute invalide consecrari panem in tabernaculo, sed mitius deducit dubitanter ex alio casu sic: « Si panis exsisteret in alio cubiculo, non sufficienter ostenderetur per ly *hoc:* unde hostia exsistens in sacrario clauso, valde dubium est, an posset consecrari ».

Dubium autem inde moveri potest, quod satis sit (ut auctor in praec. solutione dixit), ut videri possit in *continente vel vase ad illam continendam destinato*, vel ut ait Diana tom. 2. tr. 1. resol. 219. n. 4. « sufficit si videatur in re eam continente; ad quod requiritur, ut haec sit talis, quae ex communi usu solet destinari ad eiusmodi res

continendas: ita ut ea visa in his circumstantiis, facile concipiam tale quid in ea contineri ».

Neque comparari debet clausa in tabernaculo cum materia iacente post parietem, nec obiici, tabernaculum non continere immediate materiam, sed pixidem. Nam 1° secus comparabitur cum pariete intermedio etiam pixis clausa: deinde 2° regula est, ut immediate sit coram vel res vel continens, atqui in casu immediate est praesens *continens*, seu tabernaculum. Quoad alterum vero, inefficax est; nam omnes concedunt, valide consecrari materiam clausam pixide, etiamsi pixis claudatur et tegatur alia custodia v. gr. lignea. Vid. Diana l. c. n. 7.-10., qui concludit, in casu particulas eiusmodi assumendas esse a sacerdote post assumptum sanguinem.

850. * *De materia distanti.* Advertunt DD. quod cum materia non parum distat, usus loquendi habet, ut non pronomen *hoc*, sed *illud* adhibeatur. Verum et id non eodem pacto valet pro quolibet obiecto. Nam si distem etiam ducentis passibus ab Urbe, recte dico ad eam conversus: *Haec Urbs:* at si res sit parva, ut passer, dicam profecto: *ille passer*, non *hic passer*. Res pendet proinde ex morali aestimatione et usu loquendi. Certe fragmen panis distans centum passibus qui designare velit, etiam digito intento, non dicet *hoc*, sed *illud*, si rite loquatur et absque ambage velit intelligi. *

Quod tertio loco dicitur, clarum est.

XXXIII. Secunda conditio, ut materia sit certa et a consecrantis intentione et in individuo determinata. Est communis apud Bonac. et alios; tum quia hoc requirunt pronomina *Hoc* et *Hic*, tum quia actiones sunt circa singularia, quae debent esse certa et determinata. Vid. Bonac. l. c. p. 5.

851. Doctrina clara est. Si loco unius hostiae sacerdos duas manibus teneat, putans esse unam, utramque consecrat; quia intendit consecrare omne, quod habet in manibus. Ita communiter et favet Rubrica *de Defectibus* n. 7.

Unde resolves.

XXXIV. 1. Invalide consecrare tertiam vel mediam hostiae partem, eam non determinando, vel ex multis v. g. viginti praesentibus, tantum quatuor aut quinque, nullas designando; quia non est ratio, cur una magis, quam altera consecretur. Item qui ex multis hostiis intenderet illas consecrare vel illas partes hostiarum aut vini, quas Deus elegerit aut Titius designarit, aut partes illas, quae fractis speciebus sunt mausurae in continuo, non quae excident; quia non est materia definita. Bon. l. c. p. 5.

852. * Priora clara sunt. Quod spectat ad penultimum, illa intentio consecrandi hostias quas Deus elegerit, ait Suarez disp. 43. sect. 6. n. 3., non est accomodata hominibus. Oporteret enim exspectare di-

vinam revelationem, si tamen Deus vellet eligere: cum ergo neutrum constet, forma in nullum subiectum determinatum cadit: nihil proinde nobis significat. Si vero homini designatio committitur, si hic ante prolationem verborum designat materiam et haec sit nota sacerdoti, valida erit consecratio: si autem sit ei ignota materia designata, censet Suarez nihil fieri; quia intentio ministri, quae requiritur, ad nihil certum refertur. Porro si designatio ab altero facienda est futura, evidens est fieri nihil. *

XXXV. 2. Non consecratur hostia inscio Sacerdote posita, sive in corporali (seiuncta tamen a cumulo) sive infra illud Con. 3. p. q. 74. art. 2. d. 3. et alii. Ratio est, quia non est determinata in mente Sacerdotis, cuius voluntas non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur guttae, quae exterius calici adhaerent; quia non intenduntur: imo, ut probabilius docent Suar. Reg. t. 2. l. 29. et c. 2. Laym. l. 5. t. 4. c. 2. Con. q. 74. d. 2. contra Tan. et Bonac., nec eae guttae, quae interius adhaerent; quia intentio Ecclesiae esse videtur ideoque et Sacerdotis esse debet, consecrare id, quod per modum unius continui est in calice. Unde, ne opus sit de detergendis guttis sollicitum esse, bene faciet Sacerdos, si semel pro semper intendat eas non consecrare, uti nec micas hostiae adhaerentes. Vid. Dian. p. 2. t. 3. misc. r. 16. et p. 3. tr. 4. r. 32. Escob. l. 7. E. 6. ubi docet, Sacerdotem vi particulae *Hic*, tantum intendere id consecrare, quod per modum unius continui potabilis est in calice, ideoque guttulas illas non consecrari. Quae sententia probabilis est ex Regin. Suar. et Laymann l. 5. tr. 4. c. 2. n. 15.

853. Auctor negat consecrari hostias inscio sacerdote positas sive in corporali seiunctas a cumulo, sive infra illud. Si tamen Sacerdos intentionem habet consecrandi omnes particulas, quae praesentes sint, saltem in corporali, cur eas non consecrabit, quemadmodum consecrat omnes hostias contentas in pixide, etsi plurimas non videat nec sciat quot sint?

De guttis vini s. Alph. n. 215. refert doctrinam Croix, quae est: *si sacerdos nihil de his guttis intendat*, tres sunt sententiae: 1ª eas non consecrari, 2ª consecrari, 3ª consecrari vicinas, quae moraliter coniunctae habentur, non remotas. Omnes tres sententias probabiles dicit Croix, sed secundam forte probabiliorem ex ratione fortassis, quam infra affert de micis.

Platellius vult, ut si advertantur ante consecrationem, vicinae uniantur moto calice, remotae abstergantur, aut excludantur ab intentione; sed Croix addit, posse includi in intentione, ne vinum sit in Calice post consecrationem simul cum consecrato. Quodlibet consilium habet rationes *pro et contra:* nam abstersio turbat ordinem; si consecrentur, difficile sumi poterunt etiam purificatione: expeditior videtur sententia Busembaum, scil. velle consecrare, quae intus sunt per modum unius.

* Sunt qui dicunt, conformandam esse intentionem nostram intentioni Ecclesiae, ut velimus consecrare quod ipsa vult consecrari. At difficultas est, quod quid in hac re velit Ecclesia, nescimus, imo gratis

supponitur, quod hac in re Ecclesia ullam habeat intentionem: quocirca res maneret incerta, non secus ac si res determinanda relinqueretur divinae voluntati. *

854. *De micis.* Croix addit, quod sacerdos *debet* consecrare micas adhaerentes hostiis, non autem separatas in corporali vel patena. Ratio est prioris, quia particulae illae (maxime quia inveniuntur in pixide), habentur ut consecratae: sed haec ratio valet etiam de iis, quae reperiantur in corporali. Alii ceterum timent, ne frangatur ieiunium. Sed Croix de micis positis in corporali dicit, magis praecavendam irreverentiam Sacramenti, quam laesionem ieiunii. Cur vero haec ratio non valebit de adhaerentibus?

Roncaglia e contrario *de Euch.* c. 2. in reg. ult. ait: « Ne sacerdos scrupulis agitetur, habeat semper intentionem consecrandi quidquid super corporale est licite consecrabile ». Verum neque ita cessabunt scrupuli; quia dubitare sacerdos poterit, an quae reperit, sint particulae panis aut alterius materiae, amidi ex. g. vel cerae.

Conclusio sit, non vexandas conscientias et teneri posse sententiam A., qui consulit intentionem consecrandi quidquid habetur per modum unius.

XXXVI. 3. Valida est consecratio, 1. si sacerdos intendat consecrare ex pluribus hostiis praesentibus tantum quinque, eas determinando, vel omnes, praeter infimam et supremam cumuli, vel omnes pares, v. gr. secundam, quartam, sextam, si sint ordine collocatae et determinetur, unde numerandi initium sumendum sit: quod tamen grave peccatum erit. Quod si autem hoc vel alio casu, non consecratae misceantur consecratis, totus cumulus ad altare est deferendus, ut Sacerdos intendat consecrare non consecratas, vel potius totum cumulum consecret sub conditione, si non sint consecratae (Card. de Lugo d. 4. *de Euch.* n. 36.), etsi putet unam vel duas vel sex hostias consecrandas adesse, cum sint plures, sive a se sive ab alio positae; quia error speculativus et privatus non obstat intentioni practicae et absolutae consecrandi omnes praesentes: quam tanquam Ecclesiae consuetudini conformem, quisque censetur habere implicite, ut docent Sylv. Henriq. et Suar. Unde, si Sacerdos advertat post consecrationem esse duas simul iunctas, utramque, ut consecratam, sumet, ut habet Missale. Si vero ante consecrationem, postquam obtulit, advertat, alteram seponat et post Missam ipse vel alius sumat, tamquam panem benedictum. 3. Si quis plures hostias ad altare tulerit aut rationabili modo adverterit, ab alio adferri a se consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari iam positis. Ratio; omnes enim consecrantur, etsi, dum consecrat, earum non ita expresse meminerit aut etiam ad oblationem non detegat, modo sint praesentes in corporali vel saltem in altari. Ita Reg. lib. 27. n. 19. Laym. l. 5. t. 2. c. 2. Bon. t. 1. d. 4. qu. 2. p. 2. et alii ab ipso citati estque sententia in praxi tuta. Quia intentio praecedens respectu illarum virtualiter perseverat. 4. Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo post factam oblationem (addit Aversa q. 11. s. 12. ante coeptam praefationem), licite eas consecrari suppleta oblatione mentaliter, ex Gavant. et Possev. docent. Dian. p. 2. t. 14. r. 71. et Tamb. *de Exped. sacrif.* l. 2. c. 5.

855. *De non consecratis, quae mixta sint consecratis,* s. Alph. n. 216. censet potius consecrandum totum cumulum sub conditione. « Et hoc

potius, ait, faciendum est; quia in consecrando hostias non consecratas deficit vera determinatio materiae nec potest verificari verbum *hoc*, unde debent consecrari omnes hostiae sub conditione, ut *valide* consecrentur ». Haec ex Lugo disp. 4. a n. 136. qui addit invalidam fore consecrationem etiam, quia si infra iacet non consecrata, non habet sufficientem praesentiam, veluti si tabula tegeretur.

Adverte 1° s. Alph. addere P. Aversa et Laymann, quasi consentiant Lugo: cum tamen oppositum plane doceant. Vid. Diana, qui hos affert pro opposita tom. 2. tr. 1. res. 231. n. 2. Ita Laym. lib. 5. tr. 4. cap. 2. n. 12. « Potest ac debet totus cumulus ad altare deferri, ut sacerdos intendat consecrare illas tantum, quae consecrationem non acceperunt ». Sic Aversa *de Euch.* q. 2. sect. 2. disserte contra Lugum dicit: « Videtur tamen valere et sufficere ».

2° Quod dicit Lugo non satis esse praesentem materiam, aegre admittetur, quando censetur valide consecrata materia clausa in pixide.

856. *De particulis positis extra corporale.* Supponimus cum A. vel ipsum sacerdotem tulisse particulas ut eas consecraret, vel advertisse ab alio afferri, ut consecrarentur et intendisse eas consecrare, relictas tamen fuisse, ex inadvertentia, extra corporale.

Certum est, intentionem requiri eas consecrandi et certum pariter est, non hoc ipso hanc intentionem haberi, quod sint super altari, dum consecratio peragitur, nisi sacerdos intentionem habeat consecrandi quidquid consecrabile est super altari, quae intentio non praesumitur. At nunc quaestio fit in hypothesi, quod intentio fuerit particulas certas consecrandi, eae tamen imprudenter relictae sint extra corporale.

S. Alph. n. 217. fatetur, communem esse sententiam, consecratas esse, quando ciborium vel pixis posita sit a clerico in corporali.

At si ciborium, ex oblivione, relictum sit extra corporale, dicit, sententiam esse *communem* et *probabiliorem*, non fuisse consecratas; addit tamen, cum prima sententia non sit improbabilis, rem ergo esse dubiam et rationabiliter Benedictum XIV. docere illud ciborium rursus esse consecrandum, scil. sub conditione.

Atqui nescio, cur hanc sententiam dicat *communem*. Nam Salmanticenses *de Euch.* cap. 4. n. 125. postquam docuerint, validam esse consecrationem quoad omnes formulas, quando ipse sacerdos vel alius ex eius beneplacito consecrandas ante offertorium detulit ad altare, tametsi tempore consecrationis, illarum obliviscatur; quia intentio virtualiter perseverat: subdunt « quod intelligendum esse *nonnulli* advertunt, dummodo sint *super aram* (h. e. corporale); nam si iuxta exsistant et illarum oblitus fuerit, asserunt, regulariter non esse consecratas ». Porro *nonnulli*, adversantibus *aliis nonnullis*, non faciunt sententiam *communem*.

Rationem autem istorum sic referunt et Salmanticenses l. c.: « Nam si iuxta exsistant et illarum oblitus fuerit, non censeri consecratas et ut minimum esse rem valde dubiam; quia non est praesumendus sacerdos indebite et illicite consecrationem facere voluisse. Ita Suarez, Palaus, Gavantus, Candidus et Wiggers contra Hurtadum, Leandrum, Praepositum (adde Tannerum allegatum à s. Alphonso).

Sporer n. 169. addit his affirmantibus consecrari *Gobat* et *Gamachaeum*, quem allegat etiam Benedictus XIV. *de Synodo* lib. 3. cap. 18. n. 6. et Roncaglia *de Euch.* cap. 2. q. 8. addit *Bordonium*. Praeterea Sporer l. c. addendum putat Laymann lib. 5.; tr. 4. cap. 2. n. 12., quippe qui generatim loquitur et eadem de causa addendus erit Valentia (disp. 6. q. 2. p. 3. in fine), qui dicit: « Sequitur, consecrari eas hostias, quas sacerdos prius intendisset consecrare et secum detulisset ad altare in eoque posuisset, sive omnino coram sive ad latus; tametsi postea ipso tempore consecrationis esset illarum oblitus ». Ideo cum his consentire dicemus eos, qui casum hunc non excipiunt. Reuter Part. 4. tr. 5. n. 1551. n. 4.

Ubi advertendum, DD. ne absolute quidem decernere, non consecrari, sed affirmare, *rem dubiam esse*. Et reipsa ita etiam Suarez disp. 43. sect. 6.: « Haec autem (praesentia iuxta morem Ecclesiae et debitam intentionem ministri) esse *videtur*, ut sint super altare sacrificii, idest super aram: unde si iuxta illam relinquantur et prorsus oblivioni tradantur, *regulariter* non *exsistimarem* esse consecratas et ut minimum, esset res valde dubia ». Et Aversa, quem pro se allegant *de Euch.* q. 2. sect. 2. §. 4. fatetur, oppositam esse probabilem.

857. Ceterum tota ratio istius sententiae est, quod « non sit praesumendus sacerdos indebite et illicite consecrationem facere voluisse »: vel ut ait Aversa, « non praesumitur sacerdos velle committere grave peccatum, quale esset ita consecrare ».

Atqui haec ratio, quae unica profertur, vix ullam vim reipsa habet. Et sane ista ratio supponit generalem hanc doctrinam, quod non possit in sacerdote praesumi intentio consecrandi, si aliqua circumstantia, licet sacerdoti ignota intercedat, quae si ab eodem sacerdote nosceretur, ipsum deterreret a consecrando, ne illicite consecraret. Porro eiusmodi doctrinam neque admisit ullus unquam neque admissurus erit. Etenim cum peccet et quidem, ut DD. dicunt, graviter, si quis celebret in calice non consecrato vel in corporali non benedicto aut in corporali valde immundo (quod sacerdos vel defectu oculorum vel primo mane in tenebris non advertat), iam dicendum foret, non posse praesumi, sacerdotem habuisse intentionem celebrandi illicite et ideo non consecrasse: idem dicatur, si ipsi non advertenti porrecta fuisset materia valida quidem sed illicita, si casu aquam vino non miscuisset.

Persensit difficultatem Roncaglia atque occurrere ipsi sic studuit *de Euch.* cap. 2. q. 8.: « Nec obstat dicere, remanere consecratam hostiam factam cum fermento, quamvis, si sacerdos advertisset, noluisset consecrare. Lata igitur est disparitas, quia principaliter intendit sacerdos velle integre sacrificare, adeoque nolle omittere hostiae vel vini consecrationem ob aliquem defectum ignoratum. Dum vero intelligitur nolle consecrare particulas nisi modo licito, non destruitur haec intentio ab alia validiore intentione de ponenda essentia sacrificii; quia datur integrum sacrificium sine illarum consecratione ». Idem habet Viva *de Euch.* q. 4. a. 3. n. 10.

Verum haec responsio, quae specie tenus aliquid ad rem dicere videtur, eodem vitio laborat, ac fere responsiones eorum discipulorum, qui, ad declinandam controversiae difficultatem, ad incidentes quaestiunculas divertunt. Ergo mutetur casus: fingatur oblata Sacerdoti pixis cum particulis fermentatis, fingamus eum, id ignorantem, non modo virtualem, sed actualem omnino intentionem consecrandi habere, adeo ut pixidi super corporali positae operculum detrahat et tum prae oculis tum prae animo habeat, dum consecrat. Numquid negabunt valide consecratas? Rursus finge sacerdotem, qui consecraturus pixidem propius admovet, et discooperire et actuali intentione velle consecrare; verum acciderit, ut pes seu basis pixidis non supra sed infra corporale inducta fuerit. Poteritne sacerdos sibi suadere, particulas non fuisse consecratas?

Consectariorum autem absurditas plane ostendit falsitatem principii.

858. Principio ergo illi, quod falsum se prodit, opponenda est doctrina alia generalis ac verissima, quae his verbis concipi potest: *non potest neque debet praesumi (nisi expresse id caveatur), sacerdotem non habere intentionem aut consecrandi aut quodvis aliud sacramentum conficiendi, si forte inadvertenter ac involuntarie quidpiam omittatur aut desit aut excidat ex iis, quae ad substantiam non pertinent atque ita praecipiuntur, ut eorum voluntaria omissio illicita sit, non vero involuntaria.*

Et haec doctrina non multis indiget argumentis firmari. Nam satis erit inspexisse communem Ecclesiae praxim. Et sane iuxta hanc praxim in quacumque quaestione de sacramentis non rite collatis, illud imprimis quaeritur, an substantialia affuerint et ubi haec adsunt, nemo vocat in dubium validitatem collationis. Neque quaerendum quispiam putat aut putavit unquam, an ministri intentio forte fuerit conditionata, nempe si nullus in accidentalibus error ex inadvertentia subrepserit, quando neque occasio esse potuit, cur de conditione hac intentioni apponenda cogitatio subiret.

Dixi autem « *nisi expresse id caveatur* », idest nisi expresse minister habuerit hanc conditionatam intentionem. Nam nos non diffitemur, posse v. gr. Episcopum, dum confert sacros ordines, habere expressam intentionem non ordinandi eos, qui aut non probati sint aut titulo careant aut occulta irregularitate laborent. Tamen hoc ipsum est ab Ecclesiae consuetudine alienum et Episcopus utique sub censurarum comminatione deterret, ne quis non probatus accedat, sed non ideo sacros ordines confert conditionate.

859. * Sunt qui distinguant inter intentionem, quam sacerdos ante Missam habeat assumendi certam materiam ad consecrationem et ipsam eiusdem materiae assumptionem, quae fiat in Missa. Materia principalis, aiunt, h. e. hostia maior et vinum procul dubio assumitur nec fieri potest quin assumatur: at alia materia *superaddita*, assumenda est actione distincta ab ipsa liturgica actione et determinari debet idque, ut omne dubium removeatur, intra Missam, vel externa vel saltem interna actione. Monitio vero, quae antea a ministro facta sit, id quidem effecit, ut sacerdos haberet intentionem assumendi postea particulas ad consecrationem: sed certum non est, eum reapse illas assumpsisse seu revera exsecutum esse intentionem. Siquidem voluntas illa ante sacrum concepta *non certo* dici potest materiae consecrandae determinatio tempore consecrationis perdurans, sed probabiliter erat tantum propositum, postea illas particulas assumendi et in consecratione includendi, quod num factum sit, dubium manet. Cf. Lehmkuhl V. 2. n. 125. 3. cum nota.

Verum propositum assumendi ad consecrationem nonne est propositum consecrandi et propositum consecrandi nonne est intentio consecrandi? Haec intentio, suggerente ministro, ante Missam habita, dummodo virtualiter perseveret, sufficere dicenda est pro valida consecratione illius materiae; quia haec est generalis regula pro omnibus sacramentis, quod intentio virtualis sufficiat. Cur ergo dubitabimus, an ea intentio virtualiter manserit, cum in Missa sacerdos eas particulas, etsi in corporali positas, non advertit? Dices, quia non constat, an ea intentio influxum habuerit in actum consecrationis; hoc est enim intentionem virtualiter manere, ut nempe vi illius actio ponatur sacramentalis. Atqui ea intentio prior fuit reipsa intentio sacrificium perficiendi cum materia principali simul et superaddita et quidem ex aequo, cum par sit materia ideoque ad modum unius rei consecrandae: iam vero haec intentio, si virtualiter permanet et influit respectu materiae principalis ita ut non alia intentio requiratur, manebit quoque et influet respectu alterius, quae cum ea ad modum unius accepta est. An dices, non constare permanentiam intentionis virtualis usque ad consecratio-

nem, quia etiam absque influxu illius intentionis consecrandi particulas, facta fuisset consecratio hostiae maioris? Verum, licet haec vera sint in abstracto, in concreto tamen illa intentio, quae influit in consecrationem hostiae maioris est illa ipsa quae et hostias minores voluit consecrare: de facto igitur intentio manet. Deinde hoc pacto demonstraretur, quod, etsi sacerdos minores hostias ad offertorium obtulerit, si postea, dum consecrat, earum obliviscatur, dubia sit earum consecratio; quia nempe, absque voluntate eas consecrandi, facta fuisset nihilominus consecratio. Si igitur non dubitatur de permanentia huius intentionis virtualiter, non est cur dubitemus de permanentia illius prioris qua sacerdos minores hostias et offerre voluit et consecrare: discrimen est tantum in tempore plus minus brevi, quod accidentale prorsus est.

Profecto haec in praxi pendent ex indole actus interioris: nos supponimus ab initio verum propositum ideoque veram intentionem consecrandi; si de hac ipsa dubitetur, alia erit quaestio: sed id tandem commune est ceteris sacramentis. *

860. Circa id, quod quarto loco habet A., haec notat s. Alph. Nimirum licet consecrare particulas allatas etiam iam incoepto canone (suppleta oblatione mentaliter), quando plures sine communione eo die remanerent atque in id praeter alios consentit Benedictus XIV. *de Sacrif. Missae* lib. 3. c. 18. n. 5. Si vero unus tantum cariturus esset communione, est qui suadeat, ut potius pars hostiae magnae ei detur, quod licite fieri docet Croix cum s. Antonino, Sylv. Bon. aliisque. Hanc suasionem s. Alph. nec probat nec improbat: idcirco e sententia s. Doctoris haec limitatio regulae praecedentis, ut scilicet pro uno tantum non consecretur hostia allata post incoeptum canonem, sed detur pars hostiae maioris, non videtur necessaria. Subdit tamen causam esse sufficientem, cur id fiat, ut nempe pars hostiae maioris communicaturo detur, si is diu (quod relative pensandum erit) exspectare deberet communionem. Porro haec ratio habenda est etiam sufficiens, ut pro pluribus particulae iam incoepto canone allatae consecrentur, ne diu exspectare cogantur; nam id fere perinde est, ac illos eo die absque communione dimittere.

XXXVII. Resp. 2. ad licitam materiae consecrationem requiritur. 1. ut non sit maior quantitas, quam tempore opportuno possit absumi; quia periculum esset, ne species computrescerent. Bonac. l. c. 2. Ut ab usu Ecclesiae, praesertim in Missali praescripto non recedat.

Clara res est.

Ex dictis resolves.

XXXVIII. Peccat, qui vas, in quo hostiae consecrandae sunt, non aperit. 2. Qui consecrat materiam proximam extra corporale. 3. Qui intendit consecrare guttas calici adhaerentes exterius, quod esset grave: de interius adhaerentibus est dubium; quia non constat satis de mente Ecclesiae, ad quod evitandum Gavant. p. 2. t. 7. iubet eas abstergi, quod consuetudo probat. Qui tamen id omittit, eum non peccare, docet Tamb. l. 3. c. 1. §. 3. imo nec expedire, si eas advertas, quando discooperto calice iamiam es consecraturus et elevationem populus exspectat. Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendae. 4. Qui ante consecrationem ita statueret: Nolo consecrare hostias appositas, nisi tempore consecrationis vel saltem oblationis fuero memor. Ita Praepos. hic a. 3. dub. 3. Laym. l. c. etsi Tamb. *de Exped. sacrif.* c. 1. §. 3. eo casu nullum peccatum agnoscat.

861. * In primo et altero casu (supponitur id advertenter et libere fieri) A. non dicit peccari graviter, sicut notat in tertio: nec, saltem pro primo casu, ratio sufficiens peccati mortalis apparet; cum vere materia sit praesens et, ut par est, in corporali. In altero casu peccari graviter censent communiter: s. Alph. n. 217.

Quod quarto loco dicitur, ratio, cur non liceat, haec esse potest; quia si sic agitur, res dubia manebit, fuerint necne particulae consecratae, quod gravissimum esse incommodum in re tanti momenti evidens est. *

Dub. VI.

De forma Eucharistiae.

XXXIX. Respond. Est duplex, una panis et est haec: *Hoc est enim corpus meum.* Ubi omnia sunt de essentia praeter τό *enim* cuius omissio esset veniale. Altera vini et est haec: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi etsi verior et communior sit sententia s. Bonav. Suar. Bell. et aliorum, contra s. Thom. et Tomist., quod essentialia sint tantum haec *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus* aut eis aequivalentia; graviter tamen peccaret, qui aliam ex reliquis omitteret vel mutaret. Debent autem formae proferri in persona Christi formaliter et significative, sive assertive et non tantum recitative sive historice, licet ea, quae in Canone praecedunt, dicantur tantum recitative seu historice. Vide Laym. c. 3. Bon. q. 3. p. 2. Card. de Lugo d. 11. s. 5.

862. De omissione τοῦ *enim*. Nescio, cur adnotator censuerit pretium operae, referre illam s. Alph. notulam. Esto, quod Concina damnet de gravi, cui accedent immisericordes Rubricistae, uti Merati *Addit. ad Gavant.* ad part. 3. tit. 5. n. 1., licet Gavantus nihil de hac re habeat. Putant scil. Rubricistae, se recto ordini celebrandi ss. Mysteria tunc demum prospexisse, si poenas inferni aeternas decreverint adversus quodlibet vel minimum erratum.

Roncaglia *de Euch.* cap. 3. q. 3. non audet absolute affirmare, sed ait: « Ego concipio ingentem temeritatem, in re tam gravi et sacrosancta aliquam vel minimam mutationem facere; unde difficillime ita facientem a gravi culpa excusarem ». Sed occasio excusandi non erit; quia sunt casus mere conficti. Addo, his duobus memoratis scriptoribus adiungi posse duos alios scriptores, quos memorat Diana tom. 2. tr. 1. res. 222. n. 1., qui sunt Fernandez et Nugnus.

Verum Nugnus movetur falsa ratione, quod particula illa significat *certitudinem* consecrationis.

Ceterum Thh. advertunt formulam, quae *enunciative* et *affirmative*, seu *assertive* ac *significative* proferenda est, hanc esse « *hoc est corpus meum* »; particulam autem *enim* narrative addi: unde sequitur, eam particulam non pertinere ad formulam, quatenus est forma consecratoria, seu quatenus est forma sacramentalis.

Utut vero res gravis ac gravissima sit, falsa est doctrina, in ea *leviter* peccari non posse. Gravis itidem res est forma aliorum sacramentorum v. gr. baptismi et poenitentiae: nec tamen audet Roncaglia damnare gravis reatus, qui omittat quaedam non essentialia.

863. Quamquam Rubrica praescribat, ut si forte rursus vel absolute vel conditionate iteranda sit alterutra consecratio, sacerdos incipiat a praecedentibus verbis « *Qui pridie* etc., » vel ab aliis « *Simili modo* etc. »; tamen communis sententia est, eiusmodi praecedentia verba ad essentiam non spectare. S. Alphonsus n. 222. dicit, hanc sententiam esse *probabilissimam:* sed addit, non audere se oppositam dicere *improbabilem*, (potest igitur esse probabilis sententia opposita probabilissimae).

Quod autem attinet ad verba: *Novi et aeterni testamenti* etc., disputatur inter Theologos, an sint de essentia et communior sententia negat. Cf. Lugo disp. 11. sect. 4.

Nec dirimitur certe quaestio ea rubrica, quae ait *de Defect.* n. X. n. 3.: « Si vero obierit (sacerdos) semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam et super eundem calicem repetat integram formam etc. ». Nam rubrica non dicit, undenam incipit *semi-forma.* Quidquid sit, nemo dubitat de gravi culpa in omissione.

864. Heic non omittam, merito prorsus reiici a s. Alphonso n. 224. et *de Sacr. in gen.* n. 14. eorum doctrinam, qui dicunt, invalidam esse consecrationem, si sacerdos sit tunc totaliter distractus. Quam doctrinam insinuaverat La-Croix. Repugnat enim haec doctrina certae omnium doctrinae, *sufficere intentionem virtualem.*

* Addit nihilominus idem s. Doctor, quod licet in aliis Sacramentis conficiendis voluntaria distractio sit tantum venialis ut communis sen-

tentia docet; advertit tamen Tamburini, in consecranda Eucharistia sacerdotem voluntarie et advertenter se distrahentem, ratione gravis irreverentiae, graviter peccare. Quam doctrinam s. Doctor probare videtur.

865. Monet ultimo loco A., verba formae non tantum *recitative* seu *historice* sed *assertive* seu *significative* proferenda esse. « *Recitative* seu *materialiter* dicuntur aliqua verba (ait Lugo l. c.), quando proferens nihil intendit affirmare per illa, sed solum *historice* referre, quid alius dixerit: ut si dicas: Aristoteles dixit; mundus fuit ab aeterno: tunc non affirmas tu, mundum fuisse ab aeterno, sed solum refers, Aristotelem id dixisse. *Enuntiative* (sive *assertive*) vero dicuntur, quando intendis affirmare quod verba sonant: quod etiam dicitur *significative* seu *formaliter* ea proferre ». Utrumque habes, si dicas: quod Aristoteles dixit, ego dico *mundus fuit ab aeterno*...

Iam vero proferenda esse verba formae *significative* patet, quia proferuntur in persona Christi, ut ait Eugenius IV. in decreto et frequenter Patres: qui autem recitative solum verba alterius pronuntiat, non in eius persona sed in sua loquitur. Tum verba sunt consecrativa quatenus faciunt heic et nunc de pane et vino id quod significant, at proferenda sunt ea intentione ut sint consecrativa: ergo. Attamen etiam recitative proferuntur, sicut praecedentia. *Qui pridie* etc.: quod ostendit particula coniunctiva *enim*. Sed de hac re conferendi Scholastici, speciatim Lugo disp. 11. sect. 5.

In praxi non est cur Sacerdos anxius sit: dummodo intentionem habeat conficiendi sacramentum seu faciendi quod Christus iussit sive quod in Ecclesia fit, is proferet prout oportet verba consecrationis.

866. Porro ex eo, quod verba consecratoria proferenda sint in persona Christi, censuit Scotus in 4^{m} dist. 8. q. 2., necessaria esse ad valorem formae verba praecedentia *Qui pridie* etc.; quia, iis praetermissis, non significaretur sufficienter per verba formae id quod intenditur.

Etenim illis praecedentibus sepositis, non satis aperte per vocabulum *meum* in forma referretur dictum *corpus meum* ad Christum, sed potius ad sacerdotem: ut ergo constet referri ad Christum, ea pars narrativa praemittenda est.

Haec sententia, ait Lugo disp. 11. n. 39., ab omnibus reiicitur. Sane doctrina est Patrum, sacramentum hoc confici solis verbis Christi, sive formam sacramenti esse hanc tantum: *hoc est corpus meum, hic est calix* etc.: atqui si ex institutione Christi, praecedentia necessaria forent, ut verba haec sacramentalem significationem habeant, etiam per illa, quae tamen non sunt verba Christi, sed evangelistae, conficeretur

corpus Christi et eadem proinde spectarent ad formam, ex Christi institutione; utpote sine quibus significatio sacramentalis non obtineretur, qua tamen deficiente, nulla est forma.

Et re quidem vera, quemadmodum tragoedus, qui regis ex. gr. personam repraesentat, non est opus, ut prius significet, se loqui in persona regis, sed absolute loquitur in actu exercito verba regis et id omnes facile percipiunt: ita sacerdos, minister Christi, proferens super convenientem materiam verba Christi cum debita intentione, iam sufficienter induit personam Christi, ut per ipsum Christus intelligatur dicere: *hoc est corpus meum.*

Est utique quid speciale in hoc sacramento, quod verba, quibus conficitur, sint ipsa verba Christi, quibus ipsa persona Christi, non ministri, repraesentetur loquens; quando in aliis sacramentis ipse minister significatur agens, etsi nomine et auctoritate Christi: *ego te absolvo*, *te confirmo*, *te baptizo*. Cf. s. Thom. q. 78. a. 1. Attamen ut in consecratione persona Christi loquens repraesentetur, posita divina institutione sacramenti, satis est debita intentio ministri pronuntiantis verba consecratoria supra aptam materiam. Hoc enim pacto Christi persona induitur et ipsa inducitur loquens. Est enim sacerdos iam minister ad hoc deputatus, ut in persona Christi loquatur, dummodo velit debitamque materiam et formam adhibeat. Cf. s. Thom. l. c. ad 4.

Adde animadversionem, quam ex Coninck adhibet Lugo n. 47.: verba illa praecedentia in praesenti potius impedire, quam iuvare, ut intelligatur sacerdos, proferens formam, loqui in persona Christi: videntur enim indicare, sacerdotem recitative proferre totam illam historiam, quam in verbis praecedentibus in persona sua incepit recitare et narrare: tantum abest, ut ea verba praecedentia iuvent ad percipiendum, quod sacerdos, proferens verba formae, loquitur in persona Christi, non sua. Attamen per ea facilius patet, dictionem *corpus meum*, non ad Sacerdotem, sed ad Christum referri: quod volebat Scotus. Cf. Lugo disp. cit. sect. 3. speciatim nn. 50.-59., ubi difficultatem solvit petitam ex particula *enim*, quae verba formae cum praecedentibus unit et videtur ex omnibus unam efficere propositionem causalem. *

Unde resolves.

XL. 1. Valida, sed illicita est consecratio, 1. si consecrans dicat: Hic cibus, hic potus, calix; vel haec res, ved contentum sub his speciebus, est corpus meum, vel sanguis hic meus. Bonac. l. c. p. 1. 2. Si dicat: Hic calix est novum testamentum in sanguine meo, ut habet s. Lucas c. 22. 3. Hoc est corpus meum, quod de Virgine sumpsi; hic est sanguis meus infiniti valoris. 4. Hoc est meum corpus, hic meus est sanguis, vel hoc est sanguis meus. Ratio horum est, quia manet idem sensus, nec fit mutatio subsantialis. Bonac. l. c.

867. * « Verba formae, ait s. Thomas q. 78. a. 5., faciunt, quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi ». Pronomen ergo *hoc* demonstrat substantiam contentam sub his speciebus: hinc patet vera esse, quae A. dicit primo loco.

Quoad secundum, cum non liceat arbitrari, Lucam XXII. 20. et Paulum 1. Cor. XI. 25., qui eadem verba recitat, haud exhibere sufficientem formam consecrationis calicis, tenendum est, iis verbis valide consecrationem effici. Cetera clara. *

XLI. 2. Invalida erit consecratio, si dicas: 1. Hic (adverbialiter) est corpus meum. Si autem τὸ Hic, ponatur masculine pro neutro, valet, etsi non secundum Grammaticam. Escob. Gran. 2. Hoc corpus est meum; Hic sanguis est meus. Fagund. pag. 3. q. 78. c. 2. 3. Ecce corpus meum. Ecce sanguis meus. 4. Hoc fit, vel hoc sit corpus meum: vel hic panis convertitur in corpus meum; vel hic ponitur corpus meum. 5. Illud est corpus meum; ille est sanguis meus. 6. Hoc est substantia mea; vel hoc corpus Christi. Bonac. l. c. p. 3.

868. * Quod secundo loco dicitur, invalidam esse hanc formam: *hoc corpus est meum,* certum est absque ulla dubitatione, si τὸ *corpus* ponatur ex parte subiecti: sed si sit ex parte praedicati, quod quidem aptissime dici potest latine et perinde est ac *hoc est corpus meum,* non video cur forma sit invalida; nam etsi velis locutionem esse ambiguam, ab intentione tamen sensus determinatur, sicut in illa *hic est corpus meum.* Solet tamen ipsa pronuntiatione discrimen ostendi, quo ambiguitas tollitur; si enim *corpus* ad subiectum spectat, unitur potius in pronuntiatione cum praecedente *hoc*, quam cum sequente *est:* secus fit, cum corpus est praedicatum, ut quaedam morula sit inter vocabulum *hoc* et *corpus: hoc, corpus est meum.*

Certe valet haec forma: *hoc meum est corpus*, quam Paulus refert l. c. v. 24. τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα; licet quis possit cavillari circa sensum priorum vocabulorum: *hoc meum.* Et adverte in graeco illud μου arctissime per pronuntiationem coniungi cum praeced. τοῦτο.

De forma: *ecce corpus meum*, ita disserit Suarez disp. 59. sect. 2. n. 4. « Dubitari solet, an, si fieret haec (verborum) mutatio: *ecce corpus meum,* esset mutatio substantialis; videtur enim esse idem sensus; nam illud *ecce* aequivalet pronomini et verbo (atque ita quod Ex. XXIV. 8. habetur hebr. *ecce sanguis testamenti* הִנֵּה דַם־הַבְּרִית ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, in epistola ad Hebr. IX. 20. tum graece tum latine redditur *hic est sanguis testamenti* τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης). Probabile fortassis est hoc: non est tamen dubium, quin esset peccatum, talem mutationem facere et mihi est valde verisimile, esse mutationem substantialem: quia, ut minimum, mutatur explicita significatio in implicitam (id non satis est clarum). Deinde illa locutio non videtur significare conversionem, sicut alia ».

869. Aliae formulae: *Hoc fit corpus meum, hoc sit corpus meum, hic panis convertitur in corpus meum*, non sunt synonymae alterius: *hoc est corpus meum;* hac enim terminus conversionis permanens significatur, illis ipsa actio conversionis; nequeunt ergo illae huic substitui.

Alia forma: *hic ponitur corpus meum*, non exigit, ut vera sit, nisi *impanationem;* est ergo prorsus diversa a praescripta forma.

Item *illud est corpus meum,* non rem praesentem, sed absentem vel remotam significat: non ergo applicari potest pani in altari exsistenti et cum reapse aliud per eam significetur (pronomen *hoc* significat rem praesentem et vicinam), nunquam potest substitui formae praescriptae.

Rursus *hoc est substantia mea,* differt in praedicato ab ista: hoc est *corpus meum:* nam substantia Christi animam quoque complectitur imo et divinitatem, quae per se vi verborum non ponuntur sub speciebus.

Tandem *hoc est corpus Christi*, differt per se ab hac: *hoc est corpus meum*, quod quidem satis est, ut nequeat substitui et quamvis ipse Christus, qui per sacerdotem loquitur, possit de suo corpore affirmare: *hoc est corpus Christi;* attamen huius formae magis obvius sensus est, quod alter sit qui loquitur, alter, cuius dicitur esse corpus et proinde videretur sacerdos potius suo nomine loqui quam Christi. *

XLII. 3. Dubia erit consecratio 1. istud est Corpus meum: iste est Sanguis meus. 2. Haec est caro mea: quam tamen Laym. contra Conin. putat valere. 3. Secundum quosdam forma ex s. Luca primo casu allata. V. Bonac. qu. 3. p. 1. et 2. Regin. l. 29. n. 33.

870. * Quoad 1^m, pronomen *istud* iis ostendendis adhibetur, quae quoquo modo ad eum spectant, quocum loquimur (*cotesto*, quod nos a *questo* accurate distinguimus). Per se ergo non significatur hoc pronomine res praesens loquenti. Interdum tamen et latini scriptores optimae notae ponunt *istud* pro *hoc.*

Quoad 2^m, reapse vox *caro* non est synonyma voci *corpus;* nam corpus plus dicit quam caro. Nihilominus Christus loquens de hoc ipso sacramento instituendo, dixit: *panis*, quem ego dabo, *caro* mea est (quae datur) pro mundi vita. Cf. porro verba eiusdem Christi in coena: *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον Luc. XXII. 19. τό ὑπὲρ ὑμῶν. 1. Cor. XI. 24. Item *caro mea vere est cibus.* Ioan. VI. 52. 56. Sic resurrectio *carnis* est resurrectio *corporis:* quocirca sententia Laymann speculative est probabilior.

Quoad 3^m iam dictum est superius sub resol. 1^a. *

Dub. VII.

Quandiu Christus manet in Eucharistia.

XLIII. Respond. Manet sub speciebus etiam divisis et sub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat mutatio, ut consueta substantia panis et vini corrumpatur. Ita commun. cum s. Th. Et est certum.

871. * Heic docet Croix, quod materia consecrata, quamvis in tenuissimas particulas redigatur, ut hae sensum sive visus sive tactus communiter fugiant, retinet in omnibus iis partibus consecrationem; nam reapse eadem est materia suis accidentibus constans, adhuc sine fine divisibilis et etiam sensibilis saltem cum aliis iuncta. Cf. dicta n. 32. *

Quod spectat ad tempus quo Christus manet sub speciebus, s. Alph. n. 225. certum penes omnes dicit, species intra spatium horae immutari: sed Tamburini advertere (nec erat necessaria auctoritas Tamburini), id pendere ex qualitate stomachi plus minusve calidi.

Refert dein quomodo Lugo *de Euch.* disp. 10. n. 54., ex medicorum sententia, quos Romae consuluit, affirmet, species in laicis intra minutum corrumpi, in sacerdote intra medium quadrantem et subdit idem s. Doctor: « Imo Arriaga censet in laico consummari intra 5. pater et ave (at hoc est tempus longius minuto) et in sacerdote postquam vestibus est exutus. Saltem post quadrantem a communione etiam in sacerdote tenet ut certum Lugo et consentit Croix, quoad sanos, species consummari ».

Veruntamen nescio, an admittatur modo theoria, cui innixi illi Medici hanc doctrinam Card. Lugo proposuerunt, de binis unciis scilicet, quas fere stomachus in singulas horas digerat. Ea enim supposita et facta comparatione illius particulae cum duabus unciis, quarum non est sexagesima pars, concludebant, illam uno minuto consumi (a).

Unde resolves.

XLIV. 1. Gratia datur in prima manducatione etiam primae partis; cum sit totum Sacramentum. Manducatio autem dicitur traiectio ex ore versus stomachum, etsi alii dicant gratiam tum primum dari, cum pars aliqua est in stomachum recepta. Dian. p. 3. t. 7. misc. r. 96. ex Henr. Sylv. et Fag. Item Card. de Lugo d. 12. s. 2.

XLV. 2. Species non sunt retinendae in ore tandiu, donec penitus pereant; quia tunc non manducaretur Christus nec gratia Sacramenti conferretur: uti neque si moriaris, dum hostia adhuc est in ore. Dian. l. c. contra Bec. c. 22. V. Bonac. d. 4. q. 5. p. 2. n. 2.

872. * Perpende quod dicitur de manducatione. Ea est traiectio,

(a) Doctus et peritus sane Medicus, quem consului, distinguendum mihi dixit inter cibos: porro panem azymum ex iis esse, in quos non adeo efficax est succus gastricus, idemque censebat, vel parvam particulam non intra dimidium quadrantis integre absumi. E.

utique vitalis, cibi in stomachum, saltem vitalis receptio cibi in stomacho, quae naturaliter fit per actum vitalem traiectionis; ipsa necessaria est, ut gratia sacramenti percipiatur; Christus enim dixit: *qui manducat meam carnem et bibit* etc.

Fuerunt, qui putarent, manducationem iam haberi, cum cibus ore sumptus est: at, si ita est, et ille qui cibum ore sumptum expueret, diceretur manducasse: atqui e contrario, qui mane primum cibum ore sumptum reiicit, dicitur adhuc ieiunus et certe communicare potest. Sumptio ergo per os actio est praevia ad manducationem, sicut ipsum mandere dentibus, quod tamen haud est necessarium, etsi etymologice ex *mandere* sit *manducare*. Cf. Lugo disp. 12. nn. 28. 29.

Vix ac vero species vel specierum pars transiit eam partem gutturis, unde nequeunt ordinarie ad os revocari, manducatio coepta est. Qua de re plura disputabant Scholastici: cf. Lugo l. c. n. 40. seqq.

Adverte cum eodem Lugo discrimen duplex inter cibum communem et Eucharistiam. Nam 1° cibus communis eatenus nutrit, quatenus transmutatur et convertitur in substantiam aliti; at sacramentum nutrit, hoc est prodest, quatenus alitum in se convertit seu unit sibi: non ergo, ut gratiam conferat, praevertere debet corruptio specierum; sed satis est traiectio in stomachum et applicatio eius ad stomachum l. c. n. 49.

2° Cibus naturalis naturalem suum effectum producit, etsi casu aut violenter in stomachum sit immissus: eucharisticus autem cibus, nisi scienter et voluntarie accipiatur seu manducetur, nihil operatur l. c. n. 62. *

XLVI. 3. Si quis partem vini vel hostiae sumpsisset indispositus et deinde se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis. Quod etiam aliqui, ut Gabr. Caiet. et alii probabiliter dicunt futurum, si se disponat antequam species consumatur in stomaco. Dian. loc. cit. r. 96. ex Nug. V. Card. de Lugo d. 12. s. 2. n. 46. 53. et 64. ubi illud posterius negat. V. Bonac. l. c.

873. * Si quis suscipiens Eucharistiam in peccato mortali, conteratur antequam totius hostiae vel omnium partium speciei panis seu vini manducatio (cf. dicta n. praeced. de manducatione) sit completa, ita ut postremam partem specierum manducet contritus, gratiam Sacramenti obtinebit; quia vere de eo dici potest et debet, quod exsistens in statu gratiae manducat corpus Christi: singulae enim partes hostiae vel vini sunt integrum Sacramentum.

At si contritio eliciatur, cum iam species sunt in stomacho, negat Lugo n. 62., gratiam Sacramenti obtineri ante corruptionem specierum; quia gratiam non producit Eucharistia, nisi voluntarie manducata et ut gratia habeatur, manducatio debet esse sancta: cum ergo heic man-

ducationi non sit amplius locus et quae exstitit, fuerit mala; nequit effectus Sacramenti amplius obtineri. Haec doctrina probabilior est saltem. *

XLVII. 4. Non videtur reprehendendus laicus, qui desiderat esse Sacerdos, ut possit communicare sub utraque specie, quod putet plus gratiae dari sub utraque, quam sub una; quia id fieri, non est improbabile, ut docent Vasq. Maer. Card. de Lugo d. 12. s. 3 et alii: ut nec carpenda devotio illius, qui multum materiae sumit ad consecrationem, ea mente, ne tam cito in stomacho species consumantur et sic diutius secum Christus maneat et saepius gratiam augeat: quod fieri non est improbabile: si dispositio subiecti fiat melior, ut docent Suarez, Conin. Item Fagund. et Becan. apud Dian. p. 3. t. 6. misc. r. 97.

874. * Quaerunt Theologi, an gratia Sacramenti augeri possit, quandiu species in stomacho manent. Quidam negant; quia gratia ex promissione fuit nexa cum manducatione, non cum duratione Sacramenti in stomacho. Alii affirmant et haec sententia, ait Lugo l. c. n. 46., « licet olim male audierit, iam tamen communiter recipitur et est magis probabilis et pia: *dummodo exigatur ad hoc augmentum gratiae, augmentum etiam novae dispositionis ex parte subiecti:* alioquin nisi adveniat maior dispositio, non erit novus effectus Sacramenti ». Nova vero dispositio ea intelligitur, quae sita est in nova actuali devotione subiecti, quaeque et esse potuisset antea et sic maiorem obtinuisset gratiam in ipsa susceptione sacramenti: non intelligitur dispositio habitualis sita in augmento gratiae, quod est effectus sacramenti.

Ratio huius doctrinae sic acceptae haec est; quia Eucharisticus cibus causat gratiam per modum cibi nutrientis: qui eucharisticus cibus applicari quidem debet per manducationem seu traiectionem in stomachum, at vim causandi ex se habet, non ex manducatione, quae est conditio, ut operetur: porro cibus nutriens eo magis prodest, quo magis incorporatur sumenti. Eucharistia vero, quae non convertitur in suscipientem, sed eum in se convertit, eo magis proderit, quo magis suscipienti applicatur: magis vero applicatur, cum augmentum devotionis obtinet; ergo. Sane si tota haec devotio fuisset ante susceptionem, obtinuisset maiorem gratiam sacramentalem: ergo etiamnum eam obtinet, durante adhuc Christo in nobis sub ratione cibi nutrientis.

Neque est inconveniens, quod qui maiorem hostiam suscipit, plus gratiae lucrari possit; nam tandem integrum est cuique eam omnes dispositionem praemittere susceptioni sacramenti, qua tantundem assequatur. Quod si instes, ea quoque praemissa qualicumque dispositione, adhuc qui hostiam minorem sumpsit, aliquo emolumento privari; haec difficultas non est maioris momenti ac ea, quae in sequenti expeditur quaestione.

875. Quaeritur scilicet, an utraque species Eucharistiae maiorem conferat gratiam, quam singulae seorsim. Communis (h. e. communior) sententia, ait Lugo, negat eamque sequitur Suarez disp. 63. sect. 6.

Affirmans sententia, quam, praeter Alensem aliosque veteres, sequitur Vasquez, videtur Lugo probabilior.

Ratio est, quia sacramenta causant quod significant: atqui species vini et sacramentum sunt et aliud distincte significant, quam species panis; ergo et aliud causant, quam quod causant species panis. Prob. minor; quia utramque species per se partem convivii significat, *cibum* et *potum: caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus:* ex utraque convivium completur. Porro sicut non perinde est cibus et potus, ita species panis et vini non eundem in specie effectum significant ideoque et causant, sed aliud facit potus, quod non facit cibus.

Gratia habitualis utique est eadem (quod et in aliis sacramentis valet); sed gratia habitualis per potum augetur et praeterea per eum ius confertur ad specialia auxilia, quae respondeant effectibus potus communis, qui non sunt iidem ac effectus cibi. Cf. Psal. CIII. 15. *Vinum laetificat cor hominis et panis cor hominis confirmat.*

Difficultas est ex Trid. Syn., quae sess. 21. c. 3. docet, sub qualibet specie « totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt ». Ubi duo habes: 1° gratiam eandem obtineri, sive una sive ambae species sumantur: 2° rationem autem esse, quia totus Christus est sub qualibet specie: atqui haec ratio, si valet, probare quoque debet non maiorem percipi gratiam a communicante sub utraque specie.

Respondetur, 1° Concilium non dicere: nulla gratia defraudari, sed nulla gratia *necessaria ad salutem* et verisimiliter sententia, quam defendimus, ratio fuit illius limitationis. 2° Antecedens, unde colligitur nulla gratia necessaria privari, non esse (saltem manifeste) illud prius: totum et integrum Christum in qualibet specie sumi, sed quod immediate praecedit, *verum sacramentum* in qualibet specie sumi: illud vero prius positum fuisse ad diluendam difficultatem seu potius errorem eorum, qui necessitatem utriusque speciei tuebantur; quia scilicet secus non totus Christus sumeretur.

Ergo Ecclesia auferens usum calicis privat fideles aliquo spirituali beneficio? Non privat certe gratia sacramentali, gratia nutritiva et necessaria et si quid deest, per opus operantis acquiri potest. At reverentia Sacramento debita postulat, ut id bono animo fideles patiantur. Neque hic est singularis casus. Nam eadem ex causa prohibentur Sacerdotes pluries in die celebrare, vetitum est infantibus morituris

Eucharistiam administrare, item perpetuo amentibus, vetitum est fidelibus communicare feria 6ª maioris hebdomadae etc. Cf. Lugo l. c. *

XLVIII. 5. Species per vomitum reiectae, si tales sint, ut sub illis panis vel vinum possit exsistere, vere sunt adorandae et si iterum sumantur, iterum conferre gratiam, docet Card. de Lugo l. c. n. 53.

876. * Ratio secundi est, quia reapse est nova applicatio sacramenti et perinde est, ac si essent aliae species. *

XLIX. 6. Etsi, si modicum vini consecrati misceatur perfecte cum alio liquore, ita ut non maneret substantia vini, desinat ibi esse Christus, non tamen desinit, si misceatur cum vino alio, saltem eiusdem speciei. Card. de Lugo d. 10. s. 3. Unde si gutta consecrata lapsa sit in dolium vini eiusdem speciei, totum illud vinum adhibendum tantum est pro sacrificio: licet quidam dicant, bibi posse a laicis.

L. 7. Si species consecratae liquorem specie diversum sibi permixtum convertant in vinum similis substantiae ei, in quo facta est consecratio, species priores manent consecratae, non item posteriores adiunctae.

877. * Auctor loquitur hypothetice. Si talis sit mixtio vini consecrati cum alio liquore, ut non maneat seu non sit mansura substantia vini sive ut non maneant accidentia vini, desinit ibi esse Christus. Quoniam gutta vini, immersa dolio eiusdem speciei, essentiam suam non mutat, retinet consecrationem et sic, propter reverentiam, vinum illud non nisi ad altare est adhibendum; cum ignores, quaenam sit gutta consecrata.

Quia vero alii putant, vel speciem seu accidentia illius guttae alterari vel insensibilia fieri, ut nequeant esse amplius signum sacrum; hinc aiunt, et ad mensam vinum illud posse apponi. Hypothesis est pariter in ultima resolutione.

Consequentia in his hypotheticis propositionibus recta est: sed de veritate cuiusque hypothesis iudicent philosophi naturales. *

CAPUT II.

DE CAUSIS ET SUBIECTO EUCHARISTIAE.

Dub. I.

De Causis.

LI. Ago hic tantum de efficiente, idest de Ministro: in quo quid requiratur ad confectionem validam, constat tum ex dictis de sacramentis in genere, tum ex superioris capitis dub. 5. Quid ad licitam requiratur, patebit ex sequenti dubio, de subiecto suscipiente Eucharistiam; quia omnes dispositiones, quae ad digne suscipiendam sunt necessariae, requiruntur etiam ad licitam confectionem, cum conficiens necessario suscipere debeat. Hic ergo tantum quaeritur. 1. Cuius sit dispensare Eucharistiam. 2. Quid ex parte Ministri requiratur ad licitam dispensationem.

Articulus I.

De Ministro Eucharistiae.

LII. Respond. Eucharistiam dispensare ex officio potest solus Sacerdos habens iurisdictionem ordinariam, delegatam, aut saltem rationabiliter praesumptam, vel privilegium. Ratio est, quia Pastorum proprium est pascere, quod praecipue fit per Sacramenta. Vid. Bonac. d. 4. q. 5. p. 1. Card. de Lugo q. 18. s. 3.

878. Nota, de fide esse, solum sacerdotem valide consecrare Eucharistiam. Sed heic sermo est de *dispensatione*.

S. Alphonsus n. 232. quaerit, an plures eandem hostiam consecrare possint. Respondet 1° ex communi sententia affirmative, si eodem tempore consecrent. 2° Si unus prius absolvat formam et consecrare velit independenter ab intentione aliorum, ipse solus consecrat, alii vero frustra formam absolvunt.

3° Ergo novelli sacerdotes curare debent, ut simul cum Episcopo absolvant formam et habere intentionem consecrandi tunc solum, quando eodem tempore formam cum Episcopo absolvant.

Id pro certo sumit, verba consecrationis proferri ab ordinatis *significative* et *formaliter*, non tantum *recitative* et *materialiter*: quod praxis ordinationum, speciatim Romae, confirmare videtur.

4° Addit s. Alph.: in consecratione calicis intendant non consecrare, si panem forte ipsi non consecraverunt. Hoc sapit nimiam subtilitatem et scrupulum; nemo sane hac de re cogitat et huiusmodi intentiones supponuntur implicitae, quatenus quisque vult facere id, quod licite potest.

879. * Ut ad Auctoris doctrinam redeamus, adverte quod quaestio non est de validitate dispensationis, cum sacramentum iam sit et maneat, ubicumque ponatur, dum species manent: sed quaestio est de

licita dispensatione, seu quis sit legitimus dispensator tanti sacramenti. Alia est dispensatio, quae ex auctoritate et iure proprio fiat, alia quae ex commissione et potestate facta ab alio. Pro priore requiritur potestas ordinis sacerdotalis et una potestas iurisdictionis; etenim administratio sacramentorum iure competit iis, qui pastores sunt seu animarum curam habent. « Certum est, ait Lugo disp. 18. n. 36., ad ministrandum hoc sacramentum, praeter potestatem ordinis, requiri iurisdictionem. Ad pastorem enim spectat pascere oves suas nec, eo invito, potest alius licite mittere falcem in messem alienam. Quod licet quidam negare voluerit, id tamen aperte est contra Theologos omnes et mentem Pontificum », qui tanquam privilegium concesserunt Regularibus dispensationem Eucharistiae in suis ecclesiis, invitis etiam parochis. Atque ita in Rituali Romano tit. 1. dispensatio sacramentorum parocho aut Episcopo propria asseritur nn. 14. 17.

Dispensatio ex commissione duplex est: vel enim is, cui dispensatio committitur, iam est iure divino idoneus ad hunc actum, indigens solum iurisdictione vel carens ea quoque idoneitate, solum ut merus minister et instrumentum alterius assumitur ad dispensandum. Prior competit cuilibet sacerdoti, qui cum possit conficere sacramentum, potest et illud administrare: altera competeret subdiaconis, ceteris inferioribus clericis et laicis, si iis fieret facultas dispensandi aliis sacramentum istud. Utrum vero haec facultas his fieri possit, mox videbimus. Cf. Lugo disp. 18. n. 3. seqq.

880. Quaestio est de diacono, an is, ratione ordinis sui, sit iure divino idoneus sacramenti dispensator, qua de re disputant Scholastici, quos cf. sis. Illud certum est, diaconum consecrari ut ministrum immediatum sacerdotis ad inserviendum eidem in dignoribus, quae sacram Eucharistiam attingunt, quorum praecipuum locum tenet distributio eiusdem. Atque ita olim diaconorum ministerium ordinarium erat distributio sacri calicis. Quocirca, si, necessitate urgente, alicui praeter sacerdotes, committenda est dispensatio Eucharistiae, diaconus ius habet, ut ceteris praeferatur.

Quaeritur ergo, an possit committi diacono dispensatio Eucharistiae. Potest certe in necessitate, quae non restringitur, ait Lugo n. 27., ad solum casum dandi viaticum morituro, sed latius patet, ut si sacerdos impeditus sit et nequeat populo Eucharistiam ministrare. Sufficit scilicet gravis necessitas, ait s. Alph. n. 237. et satis esse iustam causam docet Suarez disp. 72. sect. 1. n. 8. Probant id auctoritate c. 38. Conc. IV. Carthaginiensis: « Ut diaconus, praesente presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget ». Ubi vides, agi de distributione ss. Corporis; nam quod diaconi ss. San-

guinem distribuerent, tunc usus obtinebat. Addit s. Alph. ibid., omnes consentire, quod in necessitate extrema, absente Sacerdote, Diaconus potest et, cum possit, tenetur ex caritate, administrare viaticum morituro, etiam citra commissionem.

Notat enim Lugo n. 19., non requiri in hac re facultatem, quae a legitimo pastore fiat, expressam et formalem, sed satis esse praesumptam. Sane non agitur de valore actus, sed de sola liceitate. Idemque valet multo magis pro sacerdote, qui non sit pastor et eo ipso, quod ipsum permittit parochus in sua ecclesia celebrare, intelligitur permittere ei, quod sponte consequitur et Trid. Synodi desiderio respondet (sess. 22. c. 6.), distributionem Eucharistiae communicare volentibus. Imo consuetudo habet, ut in quacumque ecclesia sacerdos Missam celebret, Eucharistiam fidelibus, qui eiusdem participes fieri cupiant, distribuere possit. At in sacellis privatae domus, cum permittitur celebratio Missae, non eo ipso permittitur distributio Eucharistiae; ratio proinde habenda erit tenoris concessionis vel licentia Episcopi petenda, cuius est id concedere. Constit. Benedicti XIV. *Magno cum animi* n. 24. anno 1751. *

Unde resolves.

LIII. 1. Peccat mortaliter, qui sine omni iurisdictione Eucharistiam dispensat. Bonac. loc. cit. par. 2.; quia violat alterius iurisdictionem in re gravi. Inferior autem Sacerdote incurret insuper irregularitatem, ut docet Conin. Hinc Religiosi etiam ipso facto incurrunt excommunicationem Papae reservatam, si scilicet sine licentia Parochi et quidem speciali, praesumant clericis aut laicis dare extremam Unctionem, vel Eucharistiam, vel Matrimonia sollemnizare, nisi habeant privilegium, vel Parochus absit aut iniuste nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione excusare ignorantiam, etiam crassam, ex Praepos. etc. notat Dian. p. 3. t. 2. r. 51. idque propter verbum, *praesumant.*

881. A. dicit, inferiorem sacerdote incurrere irregularitatem, si absque iurisdictione Eucharistiam dispenset atque id probat s. Alph. ibid. Verum, si de diacono agitur, quaestio erit, an distributio Eucharistiae sit actus ordinis diaconatus necne, quod certe esse potest, etsi ad licitam dispensationem commissio requiratur. Si enim diaconus est ad hoc quoque ordinatus, illicita eius administratio non erit usurpatio actus ordinis, quem non habet; ideoque causa deerit incurrendae irregularitatis. Iam vero sunt qui putent ordinem diaconatus huc quoque spectare, ut Eucharistia fidelibus distribui possit (Lugo l. c. n. 7.): dubia ergo erit irregularitas: atqui irregularitas non incurritur, nisi certa. Cf. s. Alph. l. 7. n. 346.

* Ad religiosos quod spectat, cf. dicta in tr. praeced. sub finem *de Parochis.* Si parochus iniuste recuset dare sacramenta et committere facultatem, praesumenda erit concessio Episcopi vel Papae aut ipsius iuris. Suarez disp. 72. sect. 1. n. 9. *

Quod autem ait A. de matrimonio a religioso sollemnizando in articulo mortis, si parochus iniuste neget assistere aut facultatem dare assistendi, in tr. *de Matrimonio* an id verum sit, satius videbitur.

LIV. 2. Licite ministrat Eucharistiam, qui praesumit rationabiliter, Pastorem factum suum approbaturum esse. Reginald. l. 2. n. 91. Bon. l. c. n. 8.

882. *De licentia Parochi ad communicandum.* Communis DD. sententia est, ex consuetudine communiter praesumi consensum parochi, quoties communio non fit ex obligatione, nempe ad satisfaciendum praecepto paschali et intelligi concessam facultatem communicandi omnibus, quibus concessa sit facultas celebrandi in aliqua ecclesia.

Utrum vero praesumi possit parochi licentia aliquando etiam pro communione paschali, id ex adiunctis decerni debet: sed certe casus contingere potest, ut merito praesumatur.

LV. 3. Si infirmus sacro Viatico muniendus sit et proprius Pastor absit vel praesens non possit deferre Eucharistiam, quivis alius Sacerdos, vel regularis vel secularis et hoc deficiente, etiam Diaconus, ei conferre potest; quia tunc praesumitur voluntas Episcopi aut Papae. Ita Laymann l. 5. t. 4. c. 8. Bonac. l. c. n. 10. ex Suar.

883. Merito Roncaglia contra eos, qui negabant facultatem ministrandi Eucharistiae fieri regularibus in casu necessitatis, scribit cap. 4. q. 2. res. 2.: « Ego nunquam... in praxi huiusmodi opinioni adhaererem. Ratio est, quia cum ad administrandam Eucharistiam sufficiat licentia rationabiliter praesumpta ipsius parochi, oporteret iudicare, parochum esse impiissimum, si quis vellet credere, licentiam non concessurum, instante necessitate ministrandi viaticum ».

Imo DD. addunt, licere id facere etiam *invito parocho* ac *renuente*, si *iniuste* renuat. Vid. s. Alph. n. 236., qui communem dicit doctrinam: licet abs re de hoc remittat ad Roncaglia, qui nihil de eo habet.

Ut diaconus dispensare possit Eucharistiam, Collet, Habert, Witasse apud S. Alph. n. 237. exigunt extremam necessitatem, quia, ut dicunt, obsolevit antiquus usus, ut diaconi communiter ministrent Eucharistiam. Ratio est inexspectata; nam hi sunt ex agmine eorum, qui nunquam non appellant ad venerandam antiquitatem.

Sed communis DD. sententia (cui nihil derogare possunt Habert cum Collet et Witasse) statuit, sufficere necessitatem gravem, nempe cum nullus adest sacerdos, qui COMMODE possit ministrare et Concina in hoc consentire dignatur, id admittens, si iusta adsit causa.

884. Utrum clericus inferior aut etiam laicus possit in casu necessitatis sumere per se Eucharistiam, Lugo *de Euch.* disp. 18. n. 23. dicit probabilem sententiam affirmativam, licet ipse n. 24. oppositam *habeat uti veriorem:* probabilem autem priorem dicere se ait, ob auctoritatem doctorum quorundam gravium.

Verum et rationes, quas pro negativa affert Lugo n. 24., non videntur efficacissimae. Casus esse potest non quidem de moribundo, qui adeat Ecclesiam (neque enim solent moribundi habere vires ad hoc et ideo difficillimum hunc casum dicit Lugo n. 23.): sed licet rarus sit, esto casus, qui aliquando revera contigit (inquit Lugo n. 24.), quod absente sacerdote aliquis vel peste infectus, vel imminente praelio aut incursione hostium velit Eucharistiam.

Ratio quam affert Lugo est, quia non licet sumere Eucharistiam nisi de consensu et voluntate Sacerdotum saltem praesumpta.

Verum 1° alius respondebit, id ad ordinarias leges et casus spectare, sicut lex est, ne quis Eucharistiam tangat, cum tamen aliquo casu tangi possit, v. gr. cum eam mulier retrahit a sinu.

2° Quomodo probat, non posse praesumi hunc consensum, nisi supponendo quod est in quaestione? Sane vel agitur de consensu, quia iurisdictio id exigit et tunc valebunt ea, quae de casu necessitatis superius diximus, in quo praesumi hic consensus potest, imo debet. Vel consensus quaeritur, ut laicus id facere possit et falso id affirmatur; quod enim laicus in aliquo casu tangere sacra possit, non profluit ex licentia illius, qui habet iurisdictionem: secus posset parochus hanc licentiam dare, quod falsum est, nec parochi hanc potestatem sibi inesse unquam crediderunt.

Consuetudo tot seculorum, inquit, arguit id esse illicitum. Atqui melius dicit Suarez disp. 72. sect. 1. frustra obtendi consuetudinem, ubi casus sunt rarissimi: deinde necessitas ordinarias non habet leges.

Ecclesia, inquit Lugo, nunquam ostendit, id sibi placere. At si de antiquioribus temporibus sermo sit, contrarium evinceretur. Ubi enim necessitas id postulabat, fideles et mulieres quoque domi servabant Eucharistiam, qua se reficiebant, praesertim ubi periculum martyrii instabat. Et recentioribus temporibus non deest exemplum Mariae Stuardae. Et hanc quidem Lugo egisse dicit ex Pontificia dispensatione. At ipsa dispensatio contradicit dictis eius, nempe Ecclesiam nunquam dedisse signum, quo id sibi arridere ostenderet. Ubi autem dispensari solet et urget ita necessitas, ut dispensatio quaeri non possit, tunc locus fit praesumendi licentiam.

Ceterum praeceptum sumendi viaticum habetur *ut divinum:* nullo autem praecepto, aut divino aut ecclesiastico, sed et nulla consuetudine, ut inquit Suarez, fideles prohibentur, ne id in casu necessitatis faciant. Ergo cum agatur *de honestate* actionis, non videtur damnandus, qui hac doctrina utatur.

Exstat praeterea responsum s. C. P. F. 10. Aug. 1841. « An permitti possit, in hoc persecutionis tempore, ut fidei confessores ad mortem

propter fidem damnati et quibus in carcere defertur ss. Euchar. Sacr. occulte, possint illud accipere suis manibus et sese occulte communicare, ne sacerdos, illos more ordinario communicans, cognoscatur et prehendatur ». Resp. « Affirmative, dummodo nulli irreverentia aut alii periculo tantum Sacramentum exponatur ».

885. Et eodem prorsus modo se res habet in quaestione, an in necessitate licite Eucharistia deferatur alteri a laico ; habita enim ratione doctrinae theologorum, quae non una est, damnare non possumus eum, qui sibi id licere arbitraretur. Vid. s. Alph. n. 237. q. 3. Finge parochum, qui vel in domo infirmi, vel domi suae, vel per viam eundo aut redeundo ad infirmum lapsus sit, nec possit deferre viaticum: posset id mandare clerico aut campanario.

Qua de re videri debent, quae exponit Martene *de Antiq. Ecclesiae ritibus* lib. 1. c. 5. art. 2. n. 2. tom. 1. p. 643.-648. ; evincunt enim, consuetudinem, ut laicus deferret Eucharistiam ad infirmos perdurasse ad X. usque seculum. Et utique id constat ex decretis, quae id vetant, v. gr. Hincmari, qui inquiri iubet, an presbyter tradat communionem cuilibet laico ad deferendum ad domum suam, causa cuiuslibet infirmi: item Ratherii Veronensis (sec. X.), statuentis, ut « nullus praesumat tradere communionem laico aut feminae ad deferendum infirmo ». Verum ista decreta non de necessitatis casu decernunt, sed de communi consuetudine.

Roncaglia autem cap. 4. q. 2. resp. 1., allatis sententiis subdit: « Verum cum id concedant (DD.), si fieri possit sine scandalo, dicendum est, in praxi non licere; semper enim scandalum adesset et admiratio atque omnes dicerent, non sine gravi indecentia factum esse. Porro non urget praeceptum sumendi viaticum, dum communiter iudicatur, indecenter administrari ».

Verum huius scandali improprie dicti aliud forte remedium in promptu esset, scilicet docere populum. Et scandalum abesset non secus ac abest, si v. gr. laicus aut ad Ecclesiam referat Eucharistiam, quam dum fert presbyter unicus ad infirmum, correptus subita morte fuerit, aut qui lapsam in terram elevet etc. Sane nemo scandalum patitur, cum audit b. Claram Virginem tulisse sacrum ciborium ad fugandos hostes monasterium invadentes. Doceatur scilicet populus et ubi non desit congrua reverentia, putatitium hoc scandalum cessabit. Et sane si abesse olim scandalum potuit, cur necessarium nunc erit?

LVI. Dixi in Responsione *ex officio;* quia extraordinarie, in statu necessitatis, id potest Diaconus ex commissione Parochi, et secundum Quintan. si absit, sine ea, ver. gr. in magno festo, quo Sacerdos confessionibus, concionibus etc. est occupatus. Dian. d. 9. t. 6. r. 39. ex Praepos. In extrema vero necessitate, v. g. articulo mortis, si non esset alius, etiam Diacono, imo laico licere, secluso scandalo, et alios et seipsum communicare,

probabile est; ut contra Henr. Vasq. et Sà docent Suar. Con. Laymann Praepos. hic p. 2. c. 11. confirmatque Dian. p. 8. t. 1. r. 48. ex Avers. et Franc. Lugo. Sed Amic. limitat ad casum, quo moriturus peccati mortalis conscius aliud Sacramentum suscipere non posset. Dian. p. 9. t. 6. r. 39. In praxi tamen id non facile faciendum, ob contrariam consuetudinem. Card. de Lugo d. 18. s. 2. Bon. d. 4. q. 5. p. 1.

Iam declarata sunt.

Unde resolves.

LVII. Probabile est, etiam extra mortis articulum ex gravi causa, licere Sacerdoti, praeciso scandalo, sacram hostiam sumere ex sacrario, vel a Diacono allatam sibi ipsi dare: ver. gr. si in longo morbo diu non communicasset, ut contra Suar. et Con. docent Fag. p. 3. l. 3. c. 2. Praep. Escob. t. 7. E. 6. l. r.

886. DD. imo concedunt, id fieri posse etiam absente necessitate et ex sola devotione. Vid. Ligor. n. 238. Et ratio est, quia, praeciso scandalo, nulla est irreverentia nec ullibi vetitum est, nisi adsit alius sacerdos. Subdit s. Doctor, Concina cum Vasquez, Dicast. et Leandro id permittere etiam diacono; quia ex Concilio Nicaeno can. 14. id ei conceditur.

Neque verum est, quod ait Lugo, n. 31., communionem sacerdotis extra Missam esse hoc ipso, ex modo loquendi veterum, communionem laicam; an communio omnium, qui non celebrabant, erat laica? qualis ergo erat communio diaconorum?

LVIII. Dixi 2. *vel privilegium,* quale habent Religiosi Mendicantes et nominatim Societ. IESU, ex Pauli III. Bulla et aliorum, ut scilicet in suis templis, per se vel per alios Sacerdotes illic celebrantes communicare possint quoscumque Christifideles, praeterquam in mortis articulo (in quo tamen, si urgeat necessitas, praesumitur ratihabitio Papae, etiam invito Parocho, ut habet Bonac. hic) et festo Paschatis. Vid. Card. de Lugo l. c. s. 2. n. 38. et 49. Porro per festum Paschatis Pontifices hic videntur intelligere et prohibere communionem illam, qua satisfit praecepto annuae communionis, ut docent Sà, Fill. et communn. Per mortis articulum intelligitur tempus, quo vel mors proxime instat et moraliter certa et inevitabilis est, vel quo est mortis periculum, id est, probabile dubium de vitae conservatione, tali casu, quo valde frequenter mors solet accidere. Suar. t. 4. *de Rel.* l. 2. c. 3. et 3. p. d. 26. s. 4. et alii.

Quoad interpretationem termini Paschatis in privilegiis Regularium cf. resol. 5.

LVIII.* Ex dictis resolves, quod Regulares licite dent Eucharistiam in articulo mortis, uti et Paschate sequentibus casibus.

1. Si extrema sit necessitas, ut si periclitetur de salute aeterna.

2. Si sit gravis necessitas, id est, probabile mortis periculum et Parochus nolit vel non possit dare. Card. de Lugo d. 18. s. 2. n. 53.

3. Si a Pontifice, vel Episcopo habeant privilegium: quale hoc tempore habent Religiosi aliqui quibusdam locis ab Episcopis dandi communionem Paschalem.

4. Si quis in Paschate non possit in sua Parochia communicare nec petere veniam a Parocho.

5. Si ratione communionis Paschalis Parochiae suae ante satisfecerint aut postea satisfacturi putentur, quia tunc Parochis nihil decedit, cum ipso die Paschae abstinere a communione possint. Sic contra Henr. et Navar. docent Sà, Fill. et Laym. qui addit, nisi constaret Parochum esse invitum ac rationabiliter id prohibere, v. gr. quod alias rationem communicantium habere in sua Parochia non possit; tunc enim ad Parochiam esse reiiciendos. Card. de Lugo d. 8. s. 2. n. 50. Bon. l. c.

887. Refert Benedictus XIV. *de Syn.* l. 7. c. 42. n. 3. vel in edit. recente l. 9. c. 16. n. 3. decreta C. C. quibus declaratur, non posse Regulares die Paschatis administrare Eucharistiam etiam ex devotione communicantibus. Idem docet Const. cit. *Magno cum* n. 22. Ita ergo sunt accipienda privilegia Regularium. At illis non obstantibus, Roncaglia et Wigandt docent, constantem esse consuetudinem in contrarium.

Romae certe non adest ista consuetudo. Si alibi sit, cum consuetudo ex iuris principiis non praescribat modo sed conferat iurisdictionem, ibi licebit. Romae prohibentur Regulares distribuere ss. Eucharistiam etiam in Coena Domini.

6. Si aegrotus necdum pervenerit ad eum statum, ut ex praecepto teneatur ad communionem, etsi tunc maneat obligatus suscipere communionem ex manu Parochi, in articulo mortis.

7. Si aegrotus satisfecerit praecepto de viatico, cum intentione illud implendi; quia administratio Eucharistiae tantum est vetita Regularibus, quando praeceptum communionis obligat. Nunquam tamen, sine licentia Episcopi vel Parochi, licet Religiosis publice Eucharistiam deferre per plateas, cum id iuri Parochorum consuetudine obtento deroget; proinde eo casu in aegroti oratorio, aliove honesto domus loco, de licentia Ordinarii, privatim facto Sacro, Eucharistia est danda. Ita Suar. Vid. Dian. t. 4. p. 4. r. 14. et p. 9. t. 9. r. 63.

8. Quibusdam, qui frequenter communicant apud Religiosos nec possunt adduci, ut communicent in Parochia, idque ex tacito et praesumpto consensu, quem Laym. l. 5. t. 4. c. 7. n. 4. putat facilius posse praesumi in militibus praesidiariis, item in aulicis, studiosis aliisque Academicis etc., qui frequenter communicantes extra suspicionem esse solent V. Laym. l. c.

888. Si consensus vel praesumptus adest, nulla difficultas. Sed adiuncta docebunt, an praesumatur rationabiliter.

9. Si in Paschate sint vagi, peregrini et advenae, secundum sententiam probabilem multorum, ut Sanch. *de Matr.* l. 3. d. 37. Fagund. *Praec.* 1 *Eccl.* l. c. c. 8. Card. de Lugo l. c. Diana p. 2 t. 2. r. 12.

889. Sententia haec communissima est, teste s. Alphonso et ratio patet, quia parochus non habet ius in eos, qui non pertinent ad gregem.

Oppositam sententiam tenuisse Roncaglia dicit s. Alphonsus n. 240. Sed potius ostendit velleitatem. « An Regulares, inquit c. 4. q. 2. resp. 2. possint administrare Advenis et Peregrinis Communionem paschalem

in propriis Ecclesiis, lis est apud DD. (ubi sunt DD. pro opposita? Diana unum notat) et affirmative cum pluribus aliis respondit Lugo. Ego tamen adhaererem contrariae opinioni; nam dum advenae et peregrini praecepto Communionis adstringuntur, verificari debet, quantum fieri potest, illam a PROPRIO PASTORE recipere, nec tunc melius alter dici potest ipsorum pastor, quam parochus, in cuius paroecia habitant et DUOS subiicit auctores ». In quibus sane non subsistit neque *principium*, neque *consectarium seu applicatio*. Lis potius dirimenda est ex praesumptione voluntatis proprii parochi: hi autem hoc fere unum exigunt, ne communio omittatur.

10. Si sint famuli vel domestici vel familiares eorum, qui circa tales habent privilegium; Vid. Compend. privil. Societat. v. *familiares* et Dian. p. 2. t. 1. de dubiis regularium. r. 12.

890. Allegatur liber Privilegiorum Soc.; sed, ut notat Zaccaria in not. ad Croix lib. 6. p. 1. n. 624., hoc privilegium non videtur extendi ad alios Regulares, ut constat ex allegatis responsionibus Congr. s. Concilii (a). Vid. s. Alph. n. 240. in fin.

ARTICULUS II.

De licita administratione.

LIX. Resp. 1. Ut minister circa Eucharistiae distributionem non peccet, praeter gratiam, etiam reverentiam in eo tum ratio tum Canones requirunt; ita ut praestet hoc Sacramentum omitti (cum eius susceptio saepe non sit necessaria ad salutem), quam admitti positivam irreverentiam.

891. Nota, agi de *positiva* irreverentia. Nam ubi solum deficiat pl. min. reverentia, non est idem concludendum.

(a) In Compendio Privilegiorum Societatis Iesu (edit. Pragae anno 1757.) sub titulo *Familiares*, haec leguntur. « Pro usu istarum facultatum (nempe, ut antea dicitur: familiaribus, qui in nostris morantur obsequiis atque in Societatis domibus continuo habitant, possumus ministrare Eucharistiam in nostris ecclesiis et oratoriis, etiam tempore paschali et si infirmantur in nostris domibus, viatico et extrema unctione eosdem munire eorumque confessiones, quolibet anni tempore, excipere ex sola etiam approbatione Superioris Societatis, ex Bulla 41. Leonis X. Br. *Iis, quae pro fidelium* et s. Pii V. Bulla 31. *Ad immarcescibilem*), observandum est, ex Trid. Conc. sess. 24. c. 11. *de Refor.*, iuxta repetitas declarationes s. Congr. eos dici familiares *in ordine ad fruendum his privilegiis*, qui actu addicti sunt nostris obsequiis et famulatui adeoque ratione illius subsunt aliquo modo obedientiae Superioris Societatis atque intra septa nostrorum collegiorum, domorum et residentiarum continuo habitant ». Nihil ergo speciale sibi vindicat Societas prae aliis regularibus. E.

Unde resolves.

LX. 1. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, nisi cum habitu decenti, idest cum stola et superpelliceo ac praecedente lumine: secus est de extrema Unctione, cuius materia, cum non sit Sacramentum, non requirit tantam venerationem. Putant tamen quidam, si habitus haberi non possit aut sit tempestas aut iter faciendum, non fore irreverentiam, si Sacerdos Eucharistiam in pyxide vel corporali involutam in sinu suo clam deferat. Quod certius videtur licere in locis haereticis, ubi etiam in necessitate et clam, praeciso scandalo, poterit porrigere sine stola et superpelliceo: etsi nullo modo celebrandum sit sine vestibus sacris ob viaticum dandum. Bon. d. 4. q. 5. p. 2.

892. Quoad stolam et superpelliceum, mortale dicunt ex genere suo, si omittatur utrumque: s. Alph. n. 241. Sola omissio stolae veniale pluribus videtur, ait Roncaglia *de Sacr. Euch.* c. 4. q. 3. r. 2. Quae intelligenda sunt de omissione *voluntaria.*

Deferre sine lumine censetur veniale *communiter* (heic revoca quae dicebantur de scandalo).

Si haberi haec non possunt, non debet omitti viaticum. Quia (inquiunt DD.) non praesumitur, quod Christus hoc sacramento, ad praesidium animarum instituto, carere aliquem, ratione ceremoniarum, voluerit.

* Inter infideles et haereticos licet deferre ad aegrotos ss. Eucharistiam clam sine lumine et vestibus sacris, quando aliter administrari non potest. S. C. P. F. 5. Iul. 1854. Deferat tamen sacerdos sub veste communi *stolam* (in Appendice Ritualis Romani ex decreto Benedicti XIV.). Imo s. C. C. 4. Febr. 1871. respondit: « omittendum non esse, quotiescumque fieri possit, ut sacerdos, saltem in cubiculo infirmi, talari et stola se induat ». *

Omissio *voluntaria* vestium sacrarum et luminis erit venialis, si ab altari ad altare transferatur Eucharistia. S. Alph. l. c.

LXI. 2. Praestat aegrum non communicatum mori, quam Sacerdotem in habitu cum Sacramento per publicum currere (etsi festinare valde debeat, ut dicit Quintan. t. 4. s. 8.). Secus est in Baptismo et Poenitentia, si probabiliter timeretur, ne aegrotus decederet in mortali; tunc enim currendum esset, ut habet Bon. l. c. ex s. Thom. Possev. et aliis.

893. 1° Alii non vident irreverentiam in currendo si urget necessitas. Ita s. Alph. n. 242.: apage, ut moriatur sine viatico.

2° Ultima exceptio de poenitentia et baptismo, non est ad rem; quia deest ratio, quae rem in dubium vocabat quoad primum casum scilicet irreverentia Sacramenti. Nam non ratione finis, ob quam itur, sed ratione rei gestatae dubitabatur, scilicet ss. Sacramenti.

LXII. 3. Ad infirmum longe distantem licere Parocho Eucharistiam deferre in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus, docet Quintan. c. 4. s. 8. Sed negant Possev. et Barbosa, nisi loci consuetudo permittat adduntque non licere pyxidem dare portandam laico, quantumvis Pastor sit fatigatus, sed potius ex collo suspendendam bursam.

894. 1° Ratio potest esse viae asperitas, distantia, infirmitas ferentis, periculum in mora etc.

2° Quod Barbosa exigat consuetudinem, futile est. Nam ex necessitate ista dimetienda sunt et ab adiunctis praesentibus et non consuetis pendent.

LXIII. 4. Eucharistia non est deferenda ad aegrum, venerationis tantum causa, ut adoret vel osculetur, si sumere non possit. Quod etiam prohibuit Congregatio Cardinalium: quae tamen non videtur prohibere, ut venerationis causa deferatur ad lectum, si in domo celebretur.

895. S. Alph. refert ex Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 11. n. 3. decretum s. C. C. « Non licet s. Eucharistiam ad aegrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit ». Ita et Rituale Romanum *de Communione infirmorum* n. 5. « Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis seu cuiusvis rei praetextu ad ostendendum, non deferatur » nempe ab ecclesia per vias.

LXIV. 5. Non licet dare Eucharistiam aliis digitis, si indice et pollice, ob chiragram, dari non possit, ut docent Bon. d. 5. q. 4. p. 2. et Possevinus, contra Tolet. cuius sententia tuta videtur, si alias aeger sine viatico esset moriturus; praesertim si tunc datur duobus indicibus.

896. Non solum in casu morituri sine viatico, sed leviori ex causa merito docet Croix posse communionem distribui posterioribus digitis, si index et pollex impediti sint: si vero sine ulla causa fiat, erit culpa venialis. Idque docet cum multis aliis, quos allegat lib. 6. p. 1. n. 480. Non video, cur s. Alphonsus n. 244. probabilius ab aliis negari dicat. Ratio horum est, quia etsi tota manus sit consecrata, tamen ex ritu Ecclesiae duo illi digiti ad hoc ministerium deputantur. At intellige *praescribi* a rubrica; nam secus, cur reliqua manus ungeretur? Scilicet unguntur digiti illi ante alia, ut crux formetur. Ceterum ubinam didicerunt, hanc praescriptionem seu deputationem talem esse, ut Ecclesia malit, secus fraudari fideles sacramento aut solum dari ut s. Alph. cum Diana tom. 2. tr. 2. res. 53. n. 2. dicit, in extrema aut gravissima necessitate?

Alias quidem permittunt, ut laicus deferat aut levet e terra, permittunt, ut rationabili ex causa petatur Eucharistia ab excommunicato vel peccatore et nunc disputant de digito!!

Regula est, inquiunt, quod impediat exercitium Ordinis quidquid impedit Ordinis susceptionem. Atqui qui debiles habet eos digitos, impeditur ab ordine suscipiendo. Ergo.

Resp. 1° N. A.; nam multa superveniunt Sacerdoti, quae non impediunt exercitium, quae tamen impedivissent susceptionem.

2° Aliter iudicandum est de impedimento antecedenti et perpetuo, quando honor divini cultus exigit, ut perfecti ac sine macula eligantur; aliter de accidentali, quod subsequatur.

3° Falso supponitur, eandem habere gravitatem quidquid praescribitur; neque enim eadem est necessitas eorum omnium, quae exiguntur. Ergo levior, interdum levissima causa excusat a quibusdam etc.

897. S. R. C. interrogata fuit, 1° an, recitato ad altare *Confiteor* etc. permitti possit, ut sacerdos intra Missam cum pyxide, sine velo humerali deferat ad infirmos (in valetudinario) s. Communionem, saltem duobus candelas deferentibus comitatus et adhibita etiam umbella, si fieri potest, praesertim si ab altari distent infirmi.

2° An modo supradicto deferri possit s. Communio non solum in toto valetudinario sed etiam in aliquibus cubiculis, ex quibus etsi altare non videatur, tamen vox celebrantis auditur.

3° An permitti possit, ut, loco Sacerdotis s. Eucharistiam deferentis ad infirmos, alius et etiam laicus orationes recitet.

S. R. C. respondit: « Ad 1^{m} et 2^{m} nihil obstat, dummodo tamen in delatione ss. Sacramenti umbella omnino adhibeatur ».

Ad 3^{m} nihil obstat, quominus adstantes recitent aliquas preces, dum distribuitur s. Eucharistia. 7. Febr. 1874.

Item quaesitum fuit: An liceat celebranti in domo privata vel religiosa, ferre ante purificationem s. Communionem, devotionis causa et non per modum viatici, infirmo degenti in eadem domo; quamvis ad superiorem partem domus ascendendum et per aliud ambulacrum transeundum sit.

S. R. C. 17. Dec. 1844. respondit: « non licere iuxta decretum 19. Dec. 1829., sed si necessitas urgeat, fiat, absoluta Missa ».

LXV. 6. Non licet tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento (multo minus deponere alicui in scutella, ut ab ipsomet aegro sumatur), sed manu danda est, ut docet Bonac. d. 4. q. 5. p. 2. ex Suarez et aliis. Quamvis Possev. c. 8. non improbabiliter dicat, posse, praeciso scandalo et periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari. V. Dian. p. 4. t. 4. r. 114. Bonac. l. c. p. 2. quod in praxi pro aegroto, qui non potest traiicere hostiam, ut scilicet ei detur Eucharistia, imposita particula hostiae cum vino in cochleari, admittit Praepos. in 2. p. q. 80. art. 5. dub. 6. et Esc. t. 7. c. 6. Dian. p. 4. t. 4. r. 104.

898. Etiam Gavantus rubricista consentit, ut medio instrumento ob necessitatem ministretur.

LXVI. 7. Sacerdos podagra laborans potest deferri ad altare, ut ibi Eucharistiam administret; seclusa tamen alia prohibitione. Ita Possev. c. 5. n. 50. Bonac. l. c.

Nihil addendum.

LXVII. Resp. 2. Requiritur praeterea, ut eam dispenset ritu Ecclesiae consueto: deinde, ut eam neget per se loquendo indispositis animo vel corpore: denique, si Pastor sit, ut ministret eam ovibus, quoties rationabiliter petunt. Bon. d. 4. q. 5. p. 1. n. 15.

Dixi 1. *Ritu Ecclesiae:* quia legitimus Ecclesiae ordo sub peccato obligat.

Clara est.

Unde resolves.

LXVIII. Peccat 1. qui Eucharistiam dat sub utraque specie laicis vel personis, quibus a Pontifice non est concessum. Item, si morituro, qui ob linguae ariditatem non potest hostiam traiicere, det species vini, licet talem a mortali excusare conetur Amic. apud Dian. p. 8. t. 1. r. 24. Bonac. l. c. Sanch. Poss. Barb. contra ipsum Dian. p. 9. t. 9. r. 64. 2. Qui dispensat sine veste sacra vel lumine aut praevia confessionis generalis formula. 3. Qui laico dat hostiam maiorem: in necessitate tamen, vel in casu magnae devotionis, licet ex maiore particulam detractam dare: vel etiam in defectum minorum, plures maiores consecrare easque deinde in minores partes (non tamen adeo parvas, ut honeste dari non possint) divisas distribuere. Ita Sà *v. Eucharistia* d. 4. q. 5. p. 1. n. 14.

899. Primum ex his clarum est et advertit s. Alph. heic, praeceptum viatici non obligare, cum nequit sumi debito modo et Ecclesiae ritu.

Idem docet n. 241., communiter haberi veniale, si sine lumine et solita confessione administratur.

In tertio quoad *particulam hostiae maioris,* iusta causa censetur, si communicare velit quispiam, qui sine incommodo exspectare non potest, licet ex mera devotione communicet. Secus erit veniale. S. Alph. n. 245.

Iam Innocentius XI. 12. Febr. 1679. probavit decretum s. C. C.: « Episcopi, Parochi seu confessarii admoneant, nulli tradendas esse plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores, sed consuetas ».

An grave peccatum sit dare plures (nam maior hostia dari nequit, nisi frangatur et fiant plures), DD. non dicunt. Irreverentia per se non apparet, sed defectus non servati praescripti ritus, qui defectus non semper est gravis.

LXIX. Dixi 2. *Per se neget;* quia alias cooperabitur peccato. Per accidens tamen saepe dare potest, v. gr. si sine scandalo aut gravi damno suo vel poenitentis, negare non possit. Vid. Bonac. l. c. Possev. c. 5. n. 8.

Declarabitur in resoll.

Unde resolves.

LXX. 1. Peccat 1. qui dat pueris, ante annum discretionis, nisi in articulo mortis, ut vid. dub. seq. a. 3. qui forte circa annum decimum incipit. 2. Qui dat amentibus, quando nunquam sunt usi ratione. Si vero usi sint, potest et debet illis dari in articulo mortis, si possit sine periculo irreverentiae et non constet, incidisse in amentiam in statu peccati mortalis. Laym. hic c. 4. n. 4. 3. Qui dat peccatori publico, v. gr.

histrioni, turpes comoedias cum mortali repraesentanti, usurario, meretrici, concubinario: de quibus vid. Fill. t. 4. n. 166. et seq.

Dixi, *Publico:* quia, si occulte tantum scias esse indispositum, occulte quidem, non tamen publice petenti est neganda: nisi indispositio ex confessione sit nota, tunc enim extra eam ne licet quidem monere, ut docet Sanchez, Bonac. Laym. l. 5. t. 4. c. 6. Card. de Lugo d. 8. *de Sacr.* s. 8.

900. Quoad 1m. Hoc nimis severum est nec cohaeret cum iis, quae infra docet, sc. posse dari ante decennium. Verum de hoc infra.

Etiam quod dicitur 2° de amentibus, nimis forte dure, absque ulla limitatione, affirmatur. De hoc quoque infra. De tertio iam superius dictum. Cf. sect. I. *de Sacr. in gen.* sub §. LXXXVII.

LXXI. 2. Peccat item, qui negat reis morte plectendis (quibus etiam potest dari aliquot, imo una hora ante mortem, ut habet Sà: danda vero est, si fieri potest, non in carcere, vel alio loco inhonesto) etiam ob crimen sagarum captis, dummodo poenitentiam praeseferant: etiamsi crimen negent et violenta duret suspicio. Tann. t. 3. q. 5. d. 4.

901. De damnatis capite, olim quidam dubitaverunt: nunc nemo. Interrogata s. C. P. F.: « Potest ne capite damnatis deferri ss. Sacramentum pridie vel ipso die eorundem exsecutionis et tunc debetne illis administrari tanquam viaticum moribundis vel tanquam communio ordinaria bene valentibus.

Respondit: « Affirmative et per modum viatici ». 5. Iul. 1841.

Eadem s. C. eodem anno, 10. Aug. edixit: *maxime curandum esse, ut damnati ad mortem caelesti pane reficiantur.* Cf. Collectanea decretorum s. Sedis nn. 363. 364.

LXXII. 3. Recte facit, 1. qui raro v. gr. in Paschate, dat communionem semifatuis, et qui debilem habent rationis usum, si saltem hunc cibum a profano distinguere norint, ut habet Henr. et Possev. Idem fere dicendum est de surdis et mutis a nativitate. Vid. Laymann hic. 2. Qui dat obsessis a daemone, dummodo sine irreverentia possit sumere. Ita Suar. Bonac. Regin.

902. Nihil addendum nisi quod Rituale Romanum habet *de Sacr. Euch. administrando* c. 1. n. 10. « Amentibus seu phreneticis communicare non licet: licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit ».

LXXIII. Dixi 3. Si *Pastor sit.*

Unde resolves.

LXXIV. 1. Talis peccat graviter contra iustitiam et caritatem, si subditis in periculo mortis, licet peste infectis, non det. Alius vero Sacerdos, qui in tali casu, absente vel nolente Parocho, nollet dare, peccaret tantum contra caritatem, etsi secundum Chapevill mortaliter. q. 37. n. 2.

903. Proponit s. Alph. n. 333.: an parochi teneantur administrare Eucharistiam cum periculo vitae et refert ea, quae in s. Congreg. Concilii decreta sunt sub Gregorio XIII. occasione pestilentiae.

Ea autem ad quinque capita revocari possunt.

1° Parochos eo tempore teneri ad residentiam; secus procedi adversus eos posse ex forma praescripta in Concilio Tridentino. Sess. 23. cap. 1.

2° Sacramenta administranda esse ea, quae necessaria sunt, videlicet baptismum et poenitentiam.

3° Posse tamen per alios idoneos haec sacramenta ministrare.

4° Episcopum debere uti temperamento, ut non omnes parochos cogat, sed aliquos, partiendo opus vel deputando sacerdotes: ne videlicet vel omnes parochi moriantur, vel sani destituantur parochi auxilio, ad quem nollent accedere, si nossent, cum versari cum infectis peste.

5° Imo propter hanc ultimam causam, parochos debere sacramenta administrare per alios: « Die 23. Dec. 1576. (inquit Fagnanus) s. Congregatio censuit, litteras scribendas in hanc formam; *Parochi tempore pestis teneantur omnino residere in suis ecclesiis parochialibus et si non resideant, agendum contra eos ex decreto Concilii* c. 1. sess. 23. *et servata forma ibidem praescripta. Ministrent vero parochianis peste infectis sacramenta baptismi et poenitentiae per alios.* Et licet Card. Montis Alcini diceret, quod ex ultimis verbis videtur prohibere parochis, ne per seipsos haec duo sacramenta etiam volentes ministrent, tamen tota Congregatio dixit, hanc fuisse mentem Sanctissimi in prohibendo haec parochis ad commodum parochianorum, qui sani essent: hi enim verisimiliter nollent conversari cum parochis euntibus ad infectos peste ».

Haec summatim ex Decretis relatis a Fagnano in C. *Clericos de Clericis non residentibus.* Part. 1. Decr. nn. 38.-45. opp. tom. 3. p. 79.-80.

Cur vero a residentia excusetur parochus propter infirmitatem aut aeris intemperiem aut capitales inimicitias, non vero ob periculum pestis, ratio est (vid. Fagnan. l. c. nn. 48.-52.), quia in prima hypothesi non desunt alii a periculo immunes, per quos animarum salus tuta esse possit. At si pestis invadat, periculum est commune omnibus; prae omnibus autem gregis curam debet habere pastor.

Quod attinet ad Episcopos occasione pestilentiae, eadem s. Concilii Congregatio 13. Dec. 1576., declaravit, decretum factum de parochis multo magis debere procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt: posse tamen Episcopos in locis tutioribus manere et inde providere. Vid. Fagnan. l. c. nn. 46.-47.

Itaque non exigitur administratio Eucharistiae, cum periculum est vitae, saltem si poenitentia administrata est.

Ergo a fortiori non peccabit graviter contra caritatem alius, si hoc adsit periculum; quia caritas non obligat cum gravi incommodo.

904. Heic nota: fuisse, qui dicerent, pastorem non teneri ministrare Eucharistiam, nisi tempore praecepti paschalis et in articulo mortis. Quae doctrina ab omnibus reiicitur, affirmantibus teneri, quoties oves rationabiliter et opportune exigunt, ut habeant non solum quae necessaria, sed quae valde utilia sunt. Vid. Ligor. n. 253.

Quid si quotidie suscipere quis Eucharistiam vellet? Exstat hac de re decretum Innocentii XI. dat. 12. Febr. 1679. Cuius summa in rem nostram haec est, apud Croix lib. 6. part. 1. n. 653.; frequentem accessum Confessariorum iudicio esse relinquendum, qui ex conscientiae puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu, laicis, negotiatoribus et CONIUGATIS, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt... » In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti et quotidiana sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur (ex. gr. coniugati), aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se (loquitur de Episcopo) aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, sive frequenter sive quotidie accesserit, repellatur ». Excerpta ex s. Alph. n. 254.

Habentur hac de re duae propositiones damnatae. Propositio 56. damnata ab Innocentio XI. 2. Mart. 1679. *Frequens confessio et communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.* Melius dixissent, *reprobationis*, ait s. Alph. n. 253. Propos. 23. damnata ab Alexandro VIII. 7. Decemb. 1690. *Arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.*

905. * Cf. de frequentia ss. Communionis disputantem Lugo tota disp. 17., qui haec duo demonstrat. 1° Non expedire omnibus iustis indifferenter, cuiusque status et vitae sint, quotidianam Communionem neque eis esse utiliorem, licet alioquin non sit illicita.

2° Eum, qui in re tanti ponderis errare noluerit, non se suo arbitrio debere regere, sed standum sibi iudicio prudentis confessarii vel patris spiritualis, cuius erit hanc frequentiam plus minusve extendere, pro maiori vel minori ipsius aptitudine: qui vero contra confessarii consilium communicet, dummodo in statu gratiae sit, non peccabit nisi venialiter.

Tum tenenda ob oculos doctrina s. Thomae in 4. dist. 12. q. 3. a. 1. ql. 2. « In hoc sacramento duo requiruntur, scilicet desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit amor, et reverentia sacramenti, quae ad donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentationem huius sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Unde si aliquis expe-

rimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet (consilium est) quotidie communicare. Si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia et devotione postmodum accederet ».

Et adverte doctrinam Theologorum, quod obligatio seu necessitas, quae occurrit, accedendi tollit vel minuit irreverentiam atque in sacerdotibus quotidie celebrantibus defectum devotionis compensari per maiorem obligationem, quam ex officio habent offerendi sacrificium; sunt enim nuntii et ministri publici ab Ecclesia deputati, ut eius nomine Deum placatum reddant. Lugo l. c. nn. 45. 47. *

LXXV. 2. Pastor, ut Eucharistiam opportune petentibus possit ministrare, tenetur eam asservare cum lumine in Ecclesia (nec licet alibi, ne in sacellis quidem nobilium, vel choro monialium, aut inter septa Monasterii earum, ut habet Trid. sess. 15. *de Reform.* c. 10. nisi cum facultate in sollemni festo) in pyxide, quae non necessario est consecrata, licet, si consecrata non sit, debeat interius vestiri vitta linea ex tela consecrata, ut ex s. Th. docent Vasq. Azor Regin. in praxi t. 2. l. 29. c. 9.

LXXVI. 3. Si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi, vel eius, cui ista cura commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, peccare eum mortaliter (secus si per horam tantum) docent Quint. t. 4. s. 1. et 7. item Dian. p. 9. t. 6. r. 34. licet Marcant. in *Resol. Pastor.* t. 4. c. 5. q. 4. obligationem et consuetudinem tam universalem neget: uti et de lumine praeferendo, quando defertur Sacramentum foras atque ex causa id posse omitti, ut cum defertur ad aegrum longe distantem, nec commode fieri potest cum lumine.

906. * Cum distributione ss. Eucharistiae nectitur eius *asservatio*, de qua agit A. in his duobus postremis resoll. et de qua distinctius est dicendum.

1° Et primo quoad locum, ss. Eucharistia servanda est in ecclesiis cathedralibus, parochialibus, collegiatis, regularium atque monialium sub clausura papali viventium. In oratoriis seu sacellis domesticis regularium potest servari (idem videtur in oratoriis seminariorum et collegiorum; ait Bouix *de Episcopo* l. 5. c. 3. §. 1.). Pro aliis locis, nempe ecclesiis filiabus, oratoriis seu cappellis publicis facultas petenda est ab Apostolica Sede (Benedictus XIV. Const. *Quamvis iusto*): pro oratoriis autem privatis rarissime conceditur, etiamsi sint Episcoporum aut Cardinalium. SS. Eucharistia asservanda est uno tantum in loco cuiuscumque ecclesiae, in qua custodiri debet, potest, solet: s. C. EE. et RR. 13. Oct. 1620.

2° Secundo servanda est ss. Eucharistia in tabernaculo, quod sit in medio altari. Alicubi utique ex vetere consuetudine servari solet in aliqua eleganti aedicula seorsim stante ad latus altaris: sed haec (quam antiquitus viguisse Bened. XIV. Const. *Accepimus* 16. Iul. 1746.

testatur) consuetudo nunc Romae non probatur, imo s. C. Rituum epist. ad Episcopum Limburgensem 21. Aug. 1863. eam nomine quoque ss. Pontificis improbavit et tolli iussit.

Tabernaculum debet esse clave obseratum et clavis retinenda est a Parocho, Rectore, sacrista aut alio quovis, ad quem spectat custodia tabernaculi, apud se vel in loco tuto et clavi clauso. S. C. EE. et RR. 9. Febr. 1751. Ait Lehmkuhl Vol. 2. n. 132. *nota*, sacerdotem esse debere, qui clavem custodiat: sed decreta s. R. C. quae citat, id non efficiunt.

Tabernaculum sit conopaeo opertum, quod est velum instar tentorii, quo extrinsecus tabernaculum tegitur (quod velum supplere licet ampla mappula (baldacchino) ab alto pendente, qua protegatur altare). Color albus sit aut secundum tempora et festa mutetur. Nunquam sit niger; sed si id tempus requireret, sit violaceum: s. R. C. 21. Iul. 1855. Tabernaculum debet esse ab omni alia re vacuum: Rituale Rom. *de ss. Euch. Sacram.* c. 1. nn. 5. 6. Non ergo licet intus servare vasa vacua iam purificata, sacra olea, reliquias sanctorum etc. Intus debet esse serico panno ornatum: at si intus deauratum sit, id sufficit: s. C. R. 16. Maii 1871.

3° Ante tabernaculum lampades plures vel saltem una diu noctuque perpetuo colluceat. Rit. Rom. l. c. Plures profecto sint, quam forte reperiantur ante reliquias vel imagines sanctorum aut B. V. Non quod auferendae sint lampades in maiori numero alibi collucentes, sed potius augendus earum numerus, quae luceant ante ss. Sacramentum, s. R. C. 2. Iulii 1661. Sed haec altera obligatio non videtur gravis, dempto contemptu. Et in templo s. Petri Romae non servatur.

At obligatio lampadis ardentis apponendae est per se gravis et si per spatium 24. horarum negligatur, peccatum mortale censetur. « Generatim utendum est oleo olivarum: ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus ». Decretum s. R. C. 9. Iul. 1864. a Pio IX. confirmatum. V. Appendicem Ritualis Romani.

Pariter vetitum est, ne super altari, praeter candelas ex cera, habeatur illuminatio ex gaz: s. R. C. 13. Apr. 1883. Idem ergo dicendum videtur de luce electrica.

At pro illuminanda ecclesia, usus petrolei vel alterius olei ex vegetalibus permittitur solum in casu necessitatis ex prudentia Episcopi: s. R. C. 2. Mart. 1869. Id ultra montes frequens est.

907. 4° Sacrae hostiae servandae sunt in ciborio seu pyxide, quae, quantum fieri potest, sit ex ea materia, quae pro calice praescribitur h. e. aut aurea aut argentea vel stannea intus deaurata. Rituale Rom.

l. c. n. 5. solum praescribit pyxidem esse *ex solida decentique materia eaque munda;* idcirco, aiunt, non constare certo, an pyxis argentea debeat esse deaurata. S. C. R. 31. Aug. 1867. respondit, permitti posse ciborium ex cupro deaurato, item monstrantiam (ostensorium) et lunulam, quae sacram hostiam ostendendam amplectitur.

Pyxis debet esse suo operculo bene clausa, albo velo cooperta. Rit. Rom. l. c. Ergo et lunula sacram ferens hostiam clausa in aliquo vase esse debet.

Pyxis et quodlibet aliud vas ss. Eucharistiam continens collocari debet super corporali aut palla benedictis.

Pyxis non consecratur, sed benedicitur, quemadmodum vestes sacrae. Nec lex constat, quod benedicta pyxis debeat intus vestiri vitta linea ex tela consecrata.

5° Sanctissimae Eucharistiae particulae in pyxide sunt frequenter renovandae et quae consecrantur hostiae sint recenter confectae et ubi consecratae fuerint, oportet prius veteres distribuere aut sumere, Rit. Rom. l. c. n. 7. Curandum vero est a parocho, ut semper eo in numero particulae praesto sint, ut usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possint. Ibid. n. 5.

908. Porro de expositione ss. Sacramenti aliquid dixisse meminimus hoc vol. n. 216. Addere iuvat responsum s. R. C. Quaesitum est: « Cum ex nonnullis ss. Romanarum Congregationum responsis aliqui putent, sacram pyxidem, aperto tabernaculi ostiolo, posse fidelium pietati exponi, minime vero inde extrahi, alii vero educi posse opinentur, tantum ut cum ea populus benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus ecclesiis Regularium: quaeritur, num huiusmodi consuetudo admitti possit? 2° et quatenus negative, num permitti possit, vi consuetudinis, illis Congregationibus seu Religiosis familiis, quae etiam alibi ita facere consueverunt? 3° Concedine potest, prudenti arbitrio Ordinarii, etiam aliis congregationibus id petentibus? » Responsum est: « ad 1^{m} affirmative: ad 2^{m} provisum in primo: ad 3^{m} affirmative ». 16. Ian. 1886. *

Dub. II.

De subiecto suscipiente Eucharistiam.

Articulus I.

De dispositione animae.

LXXVII. Resp. Qui est in mortali, tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiae confiteri, nisi sit necessitas celebrandi vel communicandi et confessarius desit. Ita Trid. sess. 14. c. 7. et can. 11. ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo 1. Corin. XI. 28. *Probet autem seipsum homo* etc. et parum refert ad praxim, utrum tantum sit praeceptum Ecclesiasticum an tantum divinum, quod est probabilius, ut docent Suar. Fill. et alii commun.

Dixi 1. *In peccato mortali :* tum quia Eucharistia delet venialia, ex opere operato : tum quia venialia (esto comitentur, imo reddant venialiter malam ipsam sumptionem) non ponunt obicem gratiae sanctificanti. Quod si tamen multa sint et intra genus suum gravia, de quibus nulla poenitentia concipitur, actualem devotionem et fructum maiorem impediunt. Suarez, Laym. et alii.

909. Quaestionem, quale sit praeceptum, divinumne an ecclesiasticum seu Apostolicum, cf. apud Scholasticos. Nos perpendemus quae docet A. de peccatis venialibus in suscipiente.

Peccata venialia *praeterita* et solo habitu manentia per se non impediunt ss. Eucharistiae effectum; quin potius sacramentum hoc ex opere operato delet venialia, quibus voluntas suscipientis neque actualiter neque virtualiter inhaeret. Sic enim Trid. Syn. sess. 13. c. 2. ait: « Sacramentum hoc esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservamur ».

Hinc Catechismus Romanus *de Euchar. Sacr.* ait: « Remitti Eucharistia et condonari leviora peccata, quae venialia dici solent, non est, quod dubitari debeat: quemadmodum quod innati caloris vi quotidie detrahitur et deperit, paulatim addi et refici naturali elemento sentimus ».

Remittuntur autem peccata venialia (posita conditione superius explicata) tum virtute ipsius sacramenti immediate, prout est cibus spiritualiter nutritivus, tum mediate, prout excitat actus caritatis: s. Thom. q. 79. a. 4.

910. Peccata venialia, quae *actu* inter sumptionem s. Eucharistiae committuntur, non impediunt gratiae habitualis augmentum. Ratio, quia sacramenta gratiam ex opere operato suscipienti conferunt, si his obicem non ponat. Atqui peccatum veniale non est obex gratiae sanctificantis, quandoquidem cum eo consistere potest. Exemplo sit, si quis accedat voluntarie distractus ad res vanas et inutiles, vel causa

ostentationis ac vanae gloriae, aut denique cum quovis alio actuali affectu aut proposito peccati venialis, v. gr. non obediendi matri aut magistro in re levi, aut non restituendi in levi materia famam aut bona fortunae.

Haec eadem peccata venialia *actualia* non impediunt remissionem aliorum peccatorum venialium, qui est, ut diximus, Eucharistiae effectus ex opere operato. Ratio quia nihil obstat, quominus aliqua peccata venialia remitti possint, aliis venialibus etiam actu remanentibus.

Qui tamen accedit cum aliquo actuali eiusmodi peccato, aliud veniale cuiusdam irreverentiae ac sacrilegii committit nec solum ista peccata efficiunt, ut minus digne suscipiat ac minus reverenter, sed etiam minus fructuose; quia gratiae sanctificantis augmentum tanto copiosius infunditur, quanto melius accedens est dispositus. Venialia autem illa non modo consolationem et delectationem, sed devotionem quoque et caritatis fervorem directe impediunt.

Haec doctrina est s. Thomae q. 79. art. 8.: « Peccata venialia dupliciter accipi possunt; uno modo prout sunt praeterita: alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti. Potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum et plenarie huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed in parte. Dictum est enim, quod effectus huius sacramenti non solum est adeptio *habitualis* gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam *actualis* refectio spiritualis dulcedinis: quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum spiritualis gratiae vel caritatis ».

911. En doctrina, quam communem Suarez (disp. 63. sect. 3.) dicit, et his verbis effertur: 1° « Peccatum veniale actu concomitans sumptionem huius sacramenti, non impedit gratiae et caritatis augmentum. Ita s. Thomas etc. 2° Nulla actualis dispositio necessaria est, ut hoc sacramentum conferat augmentum gratiae et caritatis ».

Argumenta videri possunt apud Suarez et illud patet omnibus, quod secus irrationabile prorsus fuisset, hoc sacramentum dare infantibus, prout tamen diu in utraque Ecclesia Occidentali et Orientali factum est.

Evincit deinde Suarez, quomodo actualis haec dispositio neque ex natura rei necessaria sit ad effectum huius sacramenti neque etiam ex Christi positiva institutione.

Unica ergo dispositio necessaria, pro adultis iustis est, ut sacramentum voluntarie tamquam cibum spiritualem animae suscipiant, ut dicit Laymann *de Sacr. Euch.* cap. 6. n. 2.

Hinc norma, ne facile a communione absterreamus; licet simul hortari debeamus, ut reverentia et devotio accedat.

Unde resolves.

LXXVIII. 1. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an mortale sit rite confessus, tenetur ante communionem confiteri. Ita Bon. d. 4. q. 6. p. 1. ex Sanchez, Regin. Suarez, et aliis.

912. Quaeritur an si quis post confessionem recordetur peccati mortalis inculpabiliter obliti, teneatur illud ante communionem confiteri.

Communis DD. antiquiorum sententia fuit, teneri, nisi forte id quis non possit, quia v. gr. vel actu celebrat Missam, vel iam est in scamno communicantium, a quo, *sine nota,* recedere non potest. Et puto hanc circumstantiam, quod *sine nota* confessarium quaerere non possit, in aliis adiunctis affuturam.

S. Alphonsus vero n. 257. praeferendam omnino tenet oppositam sententiam et plane merito. Ratio haec est.

Decretum Tridentini ita se habet sess. 13. c. 7. « Communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: *Probet se ipsum homo,* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat ».

Atqui quisquis in confessione oblitus est peccati mortalis, hic iustificatus est non per solam contritionem sed per sacramentalem confessionem, etsi indirecte atque adeo probavit se ea probatione, quam Concilium exigit. Ergo.

Addendum autem, nec teneri ad eliciendum actum contritionis. Nam homini iustificato non est necessaria alia iustificatio. Ergo contritio non requiritur ex natura sua. Neque aliunde adest de hac re ullum positivum praeceptum. Ergo suadeatur quidem ex consilio tum contritio tum etiam, si commoda sit, confessio. Sed sincere declarandum est, haec non esse necessaria.

Dixi *sincere et aperte* haec esse declaranda: ut periculum caveatur, quod non est remotum, sacrilege ex erronea conscientia communicandi.

Quid vero, si quis dubitet, se peccasse mortaliter? Nimis confusa est resolutio A. Si enim dubium erit, an peccatum factum fuerit, vel si peccatum sit certum, sed dubitatur, an sit mortale; negatur haec obligatio. Secus, si dubium sit, an peccatum certum et certe mortale quis rite confessus sit. De quibus sermo erit, ubi de Confessione (s. Alph. n. 472.).

LXXIX. Dixi 2. nisi sit necessitas (non quaecumque, v. gr. festi celebritas vel magna devotio, ut quidam volunt) sed gravis sive urgens, qualis esse censetur in sequentibus casibus, praemissa tamen semper contritione, ad quam tunc teneris, nisi de peccato, quod occurrit, fueris ante contritus. Praep. Card. de Lugo d. 14. s. 6. n. 132.

1. Periculum mortis, vel ut consecretur hostia pro morituro. Suar. Can. Card. de Lugo d. 4. s. 5. n. 107.

2. Si Sacrificium vel Communio non possint omitti absque gravi infamia vel scandalo. Iidem Auctores.

3. Si Parochus debeat celebrare ex officio, ut populus Sacrum audiat ibid. Ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, id licere putat Dian. cum aliis undecim, p. 9. t. 3. r. 9. contra Palaum, Aversam etc.

4. Si urgeat praeceptum de annua communione, ut docet Henr. et probabile putat Praepos. vel si Sacerdos non possit audire Missam, nisi celebret, ut habet Henriq. et Sotus, Dian. r. 63. et 64. nec improbat. Card. de Lugo l. c. Probabilius tamen videntur docere Con., Sà, Suarez et alii, cessante scandalo et infamia, praestare tunc Sacrum et communionem etiam Pascalem intermittere; eo quod haec praecepta non obligent, quando non possunt impleri convenienter iuri divino.

5. Si Sacerdos post consecrationem committat mortale, vel ante commissi recordetur, tenetur elicita contritione sacrificium prosequi. Si vero id fiat ante consecrationem et praesertim ante Canonem, debet confiteri, si absque nota infamiae potest vel recedere, ut docent Sylv. Nav. Dian. et alii contra Sotum et Henriq. qui negat teneri, ob honorem sacrificii putantque practice esse probabile Laym. et Bon.; eo quod vix sine aliqua nota confessio decenter fieri posset, nisi forte in Missa sollemni, sub cantu vel concione: quo casu tenebitur confiteri, ut notat Sylv. Quod si vero nec contritionem possit elicere, secundum communem sententiam, esset confitendum vel desistendum, licet Vasq. m. 3. p. 3. d. 27. et Hurt. de Euch. d. 8. putent probabile esse, saltem non peccaturum mortaliter, quando non potest sine nota recedere; intellige, si conatus sit elicere, vel fecit, quod potuit. V. Dian. p. 4. t. 4. r. 98. Card. de Lugo d. 9. s. 2. n. 8. ubi idem docet. Notat autem Dian. ex Praepos. satis esse, si quis bona fide putet se esse contritum, licet subdubitet.

6. Si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis, quod oblitus es confiteri nec sine nota aut scandalo gravi possis recedere, ut habet Nav. Fill. Regin. Card. de Lugo, l. c. n. 112. at alii: porrigenti autem Eucharistiam confiteri non expedit nec decet, quo casu, etiamsi ne possit quidem elicere contritionem, excusat a peccato Hurt. l. c. Imo quidam DD. apud Henriq. excusant laicum ante confessum, etiam praecisa nota et scandalo, non recedentem, eo quod is dicatur iustificatus et probatus per confessionem. Quam sententiam probat Tambur. in *Esped. com.* c. 1. §. 8. potestque servire pro scrupulosis. V. Regin. l. 29. n. 105. Bon. d. 4. p. 10. Escob. l. 7. c. 6.

913. Casum necessitatis sic excepit ipsa Tridentina Synodus l. c. « Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec s. Synodus perpetuo servandum esse decrevit, *modo non desit illis copia Confessoris,* quod si *necessitate urgente,* sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur ».

Ut igitur quis, absque praemissa confessione sacramentali, accedat, sola praevia contritione, duo requiruntur, nempe necessitas communicandi seu celebrandi et defectus confessarii. Satis vero est adesse aliquem, qui excipere valeat confessionem, quamvis non adsit, quem velles

aut tuus ordinarius confessarius, ut bene certum est et communiter traditur contra aliquos, ait Croix n. 534.

Necessitati excusanti accensent quidam DD. paupertatem *valde gravem Sacerdotis*, non vero solum onus cappellaniae, aut aliam non *valde gravem* necessitatem. (vid. Croix n. 535.).

Ad cas. 1^{m} necessitatis *de periculo mortis*. Si infirmus sit in imminenti periculo mortis, tunc, aiunt, confessarius potest absolvere non auditis omnibus peccatis, imposita obligatione integre confitendi, si convaluerit, et ita communionem dare. Sed reapse non est hic casus; quia confessio heic praemittitur. Finge potius absentem sacerdotem et a diacono dari Eucharistiam.

Alter casus, ab A. propositus, si Missa celebranda sit ut consecretur hostia pro morituro nec locus sit dilationi, clarus est.

Ad cas. 2^{m} *de infamia vel scandalo*. Perinde dicendum de sacerdote, ac de laico, qui assistens scamno recordetur peccati nec praemiserit confessionem. Tunc adest necessitas, de qua loquitur Trid. Syn.; necesse est enim communicare, ad vitandam infamiam.

Ceterum quidam quoad sacerdotem coarctare videntur ad casum, quo peccati meminerit ad altare. Sed sincere dicendum est, alios esse casus, quibus non posset *sine nota* recedere et quaerere confessarium: v. gr. si iam indutus sacris vestibus discedit e sacrario, vel si *coram multis* parare se incepit (et si vel solus sacristanus adest, nisi praetexi aliquid possit ceu causa discedendi, perinde erit, quia unus extraordinarium illud factum dicet multis): adderem quoties coram multis (actu vel virtualiter multis) sine nota declinare non potest, sive quia non reperit confessarium quem affuturum sperabat, sive quia peccavit et in locum venit, ubi confessarius non est etc.

914. Ad cas. 3^{m} *de Parocho vel alio, ut populus audiat Missam*.

Hic casus differt a praecedenti, ubi sermo erat de necessitate ob periculum infamiae ac notae. Resolutio ergo est de Parocho, qui *(praescindendo a periculo infamiae)* ex sola ratione, quod debet celebrare, ut populus audiat Missam, excusetur. Et haec est doctrina, quam Lugo *de Euch.* disp. 14. n. 114. tribuit Suarez et probabilem non negat. Ergo quod s. Alphonsus hoc loco intra parenthesim addat, quod Antoine et Salmanticenses exigunt periculum infamiae, non est ad rem; pertinet enim id ad praecedentem resolutionem. Ceterum ita distinctis casibus, forte hic alter inter casus confictos erit numerandus. Nam reipsa *nota* illa aut scandalum abesse vix posset, si parochus non celebraret, quando populus debet Sacrum audire. Sed reipsa non est hic casus, quem Suarez disp. 66. sect. 4. proponit, cum dicit: « Ultima causa seu ratio necessitatis est, quando sacerdos tenetur ex officio facere Sacrum,

ut frequenter accidit parochis plebicolis et hanc necessitatem maxime indicavit Concil. Tridentinum ». Qua de re subdit: « Fieri potest ut inopia confessoris pluribus diebus duret et hoc est per se in hac necessitate considerandum; quia si vere non est copia confessoris per multos dies, omnibus illis potest fieri sacrum sine confessione praemissa, propter dictam causam »... Et infra explicat, id non intelligendum de solis diebus festis: « Atque ex hac ratione colligitur, eam licentiam, quae parochis datur in hoc negotio, intelligendam esse solum pro illis diebus, in quibus ex officio tenentur ad sacrum faciendum, sive sint dies festi sive non; nam in utrisque potest parochus teneri ad sacrum faciendum ». Potest sane teneri certa hora singulis diebus celebrare.

Quoad alium, qui parochus non sit, distinguendum omnino videtur. Casus enim, ut patet ex notula (quae est s. Alphonsi n. 201.), est de Missa celebranda, ut *alii obligationi audiendi Missam satisfaciant.* Solus autem adesse fingitur sacerdos; secus nulla esset celebrandi necessitas in eum finem. Quidam generatim heic aut affirmant aut negant fas esse celebrare: adeo ut probabilis utraque opinio habeatur. Veruntamen duplex potius hypothesis fieri potest et debet. Nam vel populus prorsus ignorat, adesse aliquem sacerdotem, adeo ut iste si se ad celebrandum offerat, id plane sponte faciat et tunc locus erit sententiarum binarum probabilitati. Vel fingitur, populum exspectare Missam ab eo sacerdote, quem praesentem novit et ad celebrandum iam destinatum et tunc inepte responderetur, populum non teneri; neque enim de hac re est quaestio. Sed profecto non sine sacerdotis nota et magno insuper scandalo populus dimitteretur. Et cum ad secundam hanc hypothesim casus potius spectet, nescio enimvero, quorsum ea notula de populo non peccante, si Missa omittatur, inserta fuerit textui Auctoris.

Ad cas. 4^{m}. Etiam s. Alphonsus notat, Suarez et Lugo aliosque habuisse probabile, quod sacerdos possit celebrare, ut Missam ipse audiat. Quam sententiam dum Lugo concedit probabilem, ob auctoritatem aliorum se id tenere dicit. Sed viderit ipse, an videatur cohaerere, quod negetur eadem facultas, quando agitur de Missa a populo audienda.

915. Salmanticenses putavere non excusari laicum ob necessitatem annuae communionis, *quia haec non obligat, si non possit impleri debito modo.* At mirum prorsus est, Salmanticenses aliosque eam rationem afferre potuisse. Et sane si quid ea ratio valet, ignoramus profecto, quandonam futurum sit, ut laicus ob defectum Confessarii possit sumere Eucharistiam, non praemissa confessione. Unicum enim casum video, quando non adsit sacerdos et tamen necessario debeat

Eucharistiam sumere, quod nescio an concessuri isti sint etiam in mortis periculo. Atqui verba Concilii supponunt casum etiam pro laicis affuturum esse, quo possint sumere sine confessione, nec leges solent fieri pro casibus, qui sint ad instar miraculi; ergo alios casus excogitare debemus, quos prae oculis habuerit s. Synodus et in his maxime se prodit praeceptum annuae communionis, imo unicum videtur. Explicatio ergo seu glossa illa prorsus repugnat ipsis Concilii verbis.

Advertantur praeterea postrema verba A., quibus dicit, non *obligare praecepta, quando non possunt impleri convenienter iuri divino*. Quod principium alii alio modo adhibent dicentes, *iuri seu praecepto ecclesiastico annuae communionis praevalere atque adeo praeferendum divinum praeceptum de praemittenda confessione*.

At in primis nonne advertunt, Concilium Tridentinum in ipsa praecepti enuntiatione, excipere necessitatem, quia Sacerdos explere suum officium debet? Porro nemo ita desipiet, ut dicat, ea munia parochi esse iuris aut praecepti divini. Ergo exinde patet, quantum claudicet argumentum. Et reipsa qui aliquam exceptionem admittunt (et admittere debent, si admisit ipsa Tridentina Synodus), eo confugiunt, ut dicant, utique esse praeceptum divinum, sed quod sit *affirmativum*, quod non obligat *pro semper*. Quod utrum vere dicatur, alii iudicent. Posset enim quispiam contendere, esse praeceptum negativum, quod prohibet accessum ad Eucharistiam non praemissa confessione.

Sed quidquid sit, cur hoc principium non valebit etiam cum laico? Sed insuper estne manifestum, illud praeceptum esse iuris divini? A. non proponit id ceu certum nec alius est, qui certo id affirmet: A. tamen vult, hoc esse probabilius. Viva (in prop. 38. Alex. VII. n. 7.): « Illud esse praeceptum ecclesiasticum, non divinum, docent non pauci, quorum sententiam Suar. Less. Amic. Ron. apud Diana censent esse probabilem, quamvis oppositam esse communiorem et probabiliorem putent ». Ceterum dicendum est sincere, rationes, quae afferuntur, tam infirmi roboris esse, ut nunquam adduci possit quis ad id recipiendum. Cf. rationes Suarez disp. 66. sect. 3. et Lugo disp. 14. a. n. 69.: imo spectato decreto sess. 13. tum cap. 7. tum cn. 9. (« *statuit* et declarat ipsa s. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem ») proclive est de praecepto *Ecclesiastico* decernere.

916. Ad casum 5^{m}. Sincere dicendum est, multa disputasse hac de re theologos, sed mere ad ingenium exercendum. Nam utique bene distinguunt, si fiat post vel ante consecrationem, ante vel post inceptum canonem etc., habita ratione sacrificii interrumpendi vel non

interrumpendi. Verum post multas disputationes consentiunt omnes vel consentire certe debent de conditione: *dummodo sine nota fieri id possit.* At enim, quomodo aut confessarius vocari ad altare potest, quomodo interrumpi Missa, quomodo dimidiata relinqui, quomodo etiam in sollemni Missae tempore cantus vel concionis potest confessio sine nota peragi? Ergo est hypothesis conficta. Nam si vel unus esset praesens, satis est, ut publicum factum evadat.

Quod vero A. hypothesim facit, *Sacerdotem non posse elicere contritionem*, pariter ad hypotheses confictas revocari debet. Nam contritio est semper, cum Dei gratia, in nostra potestate et si, ut ait A., sufficit tunc contritio existimata, cum non teneatur sacerdos cessare a Missa cum infamia et scandalo, desinit omnis difficultas.

Ad cas. 6[m] *de peccato, quod oblitus quis fuerit.* Revoca ea, quae adnotata sunt n. 912., quae huc reapse faciunt.

LXXX. Dixit 3. *Et desit confessarius;* deesse autem censetur, non ut quidam volunt, si absit is, cui solet et cuperet confiteri, vel cui devotius aut utilius confiteretur: neque etsi Religiosus non possit nisi seculari confiteri peccata gravia, cum aliqua infamia Religionis. Amicus, Dian. p. 9. t. 3. r. 13. Sed in sequentibus casibus.

917. Quod habet A. primo loco, ex communi doctrina, ut iam diximus. desumptum est. Casus igitur, quibus deesse confessarius censetur, sunt sequentes.

1. Si nullus sit praesens; ad absentem vero sine magna difficultate (spectata tum debilitate, aetate et negotiis personae tum aliis circumstantiis, ut aeris, brevitatis temporis) adire non possis. Bonac. l. c. n. 30. ex Suar. Con. etc.

Ad casum 1[m]. Quaenam sit difficultas, de qua A. loquitur, generalis indicat regula: *quodcumque grave incommodum excusat.*

S. Alph. n. 264. refert, iuxta quosdam, excusare distantiam itineris duarum horarum: iuxta quosdam, iter unius leucae: iuxta alios, iter unius horae et quadrantis: iuxta Croix, iudicium ferendum ex circumstantiis, ideo ut imbecillum senem, ratione habita brevis temporis, quo debet celebrare, excusare queat brevis distantia ex g. 60. passuum.

2. Si non adsit nisi ignarus idiomatis, vel carens iurisdictione vel excommunicatus vel non approbatus, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno, vel si habeas peccatum tantum reservatum nec pateat aditus ad superiorem, vel superior semel iterumque per pium Confessarium rogatus negaverit potestatem absolvendi. Tambur. in *Exped. com.* c. 1. §. 6. ex Fag. Limitat autem Dian. p. 9. t. 3. r. 15. si absque gravi nota praetermittere non possis. Ita Sylv. et alii. Requiritur tamen in his etiam casibus contritio et propositum confitendi: imo ex praecepto Trid. Sacerdos, qui in tali casu celebravit, tenetur prima occasione confiteri. * Hic adverte prop. 38. et 39. inter proscriptas ab Alex. VII.* Quod praeceptum extendendum non videtur ad laicos, vel Sacerdotes communicantes tantum, ut contra Nav. et Fagund. docet Sylv. Dian. et Bon. d. 3. q. 6. p. 1.

918. Primae tres hypotheses, quas facit A., clarae sunt: quarta patebit in sect. seq. ubi agemus de *Integritate formali* Confess.: de ultima

heic in fine dicemus. Itaque dicendum de lege *confitendi quamprimum.* Decretum Tridentini sess. 13ª c. 7. quoad Sacerdotem ita est. « Quod si necessitate urgente (celebrandi) sacerdos absque praevia confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur ».

In textu A. indicantur binae falsae interpretationes in duabus propositionibus 38. et. 39., damnatis ab Alexandro VII.

38ª « Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum ».

39ª « Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur ».

Ergo 1° est praeceptum confitendi quamprimum; quod praeceptum esse ecclesiasticum, bene demonstrat Suarez disp. 66. sect. 6., ut ait s. Alph. n. 266. 2° Communis autem DD. doctrina est, illud *quamprimum* ad triduum protendi (vid. s. Alph. n. 266.). Sane similis formula: *quam cito commode poterunt* in c. *Eos qui, de Sent. excomm.* in 6. eandem latitudinem, ex communi sententia DD., admittit. Pariter in l. fin. C. *de Iudic.* et l. fin. C. *de Errore Advoc.* vocabulis *illico*, *ex continenti* triduum aequivalens habetur. Cum igitur haec quoque lex confitendi quam primum sit humana, erit eodem modo accipienda, ut ius canonicum ex iure civili interpretemur. Cf. s. Alph. l. c. Porro haec obligatio intra triduum concluditur, si quidem intra hoc spatium fieri potest; secus enim Sacerdos censebitur manere in eadem necessitate. Hinc (vid. Viva in Prop. 39. Alex. VII. n. 9.) ex iisdem causis excusabitur, quibus (sup. n. 913. seqq.) censetur deesse copia confessarii: quo tamen tempore, nisi necessitas urgeat, a celebrando debet abstinere: secus si eadem ac prius urgeat necessitas.

919. Advertendum est autem 1° ex communi DD. sententia, hoc praeceptum non spectare ad sacerdotem, qui non praemissa confessione celebrat (sacrilege), quando aut non urget necessitas, aut si necessitas urgebat, non deerat tamen copia Confessarii. Vid. Ligor. n. 266. q. 5.

Ratio est, quia hic est alius casus ab eo, quem spectavit Synodus. Nam Tridentinum praeceptum loquitur de iis, qui, urgente necessitate, carentes copia confessarii celebrant, quod praeceptum, ait s. Alph. l. c. ordinatum est ad metum incutiendum iis, qui praetextu necessitatis propter quam celebraverint, differunt confessionem, non autem iis, qui sacrilege celebrant, quibus praeceptum hoc valde raro esset profuturum; illi enim, qui contempto praecepto divino, audent in peccato scienter celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent praeceptum. Neque in hac re valet argumentum a minori ad maius, quo quidam usi sunt;

quia haec argumentatio vim non habet, quando minus in maiore non continetur, prout in nostro casu contingit, in quo praecepta sunt disparata. Aliud est enim dicere: *qui conscientiam peccati mortalis habet et caret copia confessarii, si, urgente necessitate, celebravit etiam contritus, quam primum confiteatur*, aliud, *qui sacrilege celebrat, quam primum confiteatur.*

2° Hoc praecepto obligari etiam sacerdotem, qui celebrans, non praemissa confessione ex necessitate, elicuit actum contritionis. Ratio, quia praeceptum Concilii non distinguit inter sacerdotem contritum et non contritum, sed mere loquitur de sacerdote, qui ex necessitate celebrat. Lugo d. 14. n. 150. quam quidem doctrinam s. Alph. l. c. vult in eo valere, qui non habuit copiam confessarii; nam si habuit, tunc casus praecedens recurrit de eo, qui sine necessitate celebrat vere sacrilege.

3° Quidam (vid. s. Alphons. n. 267.) docuerunt, hoc praecepto confitendi quamprimum teneri sacerdotem qui ante celebrationem (quidam addunt ante communionem in ipsa celebratione) recordetur gravis peccati, quod oblitus fuerit in praemissa confessione, de quo conteratur. Sed, ut inquit s. Alph., merito Croix oppositam sententiam dicit probabilem. Et sic plane decernet, quisquis tenet hominem iustificatum in sacramento poenitentiae non posse dici conscium sibi peccati mortalis, prout diximus sup. n. 912.

920. 4° Quod si agatur de sacerdote, qui recordatur peccati et *non praemiserat* confessionem, s. Alphonsus n. 267. q. 7. decernit, probabile *merito* dici, quod non obligatur hoc praecepto, si recordetur post consecrationem. « Ratio est (inquit), quia in Rubric. tit. *de Defectibus* §. 8. n. 3. dicitur, quod sacerdos, qui ante Missam recordatur peccati et celebrat ex necessitate non habens copiam confessarii tenetur postea confiteri *cum primum* poterit: sed de eo, qui meminit peccati post consecrationem, loquens ibid. n. 4. dicit: *Conteratur cum proposito confitendi*, absque eo quod adiungatur *cum primum* ».

Verum non videtur Rubrica debuisse repetere verba *cum primum poterit*, sed satis se explicasse dicens: *cum proposito confitendi;* intelligitur enim: *quando id fieri debet*, scilicet *quam primum.*

Ceterum nescio, cur s. Alphonsus coarctet id ad tempus *post consecrationem.* Rubrica enim n. 4. dicit: « Si *in ipsa celebratione Missae* Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi ». Celebratio autem Missae non est solum post consecrationem. Ergo si iudice s. Alphonso vi rubricae non ligatur eo praecepto qui recordatur post consecrationem, non ligabitur certe vel qui recordatur ante eam, sed celebrare Missam coepit.

921. In Resol. eadem A. addit casum, quo quis habeat solum peccatum reservatum, nec pateat aditus ad habentem facultatem absolvendi.

Haec vero supponunt doctrinam, quae suo loco traditur de absolutione reservatorum *indirecte* facta, scil. non servata *materiali integritate* (vid. Suar. *de Poenit.* disp. 31. sect. 2.). Et ex ea doctrina haec resolvuntur.

1° Si habeat solum reservatum, non tenetur praemittere confessionem; ratio, quia reservata non sunt materia sacramentalis confessionis apud eum iudicem, qui relate ad ea non habet iurisdictionem atque adeo qui in ea causa non est legitimus iudex: nulla autem alia peccata habet ex hypothesi, quae teneatur confiteri; quia non sunt materia necessaria, si qua levia habeat. Ergo. Monent tamen DD., melius facturum, si confiteatur aliqua venialia aut aliquod peccatum iam alias confessum; quia magis certus erit de sua iustificatione: imo ad hoc tenebitur, si advertat, se habere tantum attritionem, non autem perfectam contritionem.

2° Si vero gravia habeat, partim reservata partim non, *communissima et probabilior*, inquit s. Alph. n. 265., est sententia, ipsum teneri ad confessionem. Quia cum urgeat confessionis praeceptum et materia non desit necessaria, debet sin minus materialiter, saltem formaliter integram praemittere confessionem. Suarez tamen oppositam quoque sententiam dicit probabilem et *merito*, dicit s. Alph. l. c. Sed, ubi *de Sacr. Poenitentiae* agemus, videbimus hanc probabilitatem inniti falsis suppositis.

3° In sententia communi et prorsus tenenda eorum, qui dicunt teneri ad confessionem, duplex rursus est sententia. Nam plures dicunt, hunc teneri ad confitenda etiam reservata, quae sententia aut falsis aut certe infirmis nititur argumentis, ut videbimus agentes *de Poenit.* Alii itidem plures (*forte probabilius*, dicit s. Alph. n. 263. q. II.) dicunt ad reservata confitenda eum non teneri. Ratio, quia nulla apparet ratio confitendi peccata illa, de quibus confessarius nequit esse iudex. S. Alphonsus tamen excipit casum, si v. gr. quis in reservatis sit recidivus, vel sit in occasione proxima peccandi: tunc, inquit, tenebitur haec aperire, ut confessarius de eius dispositione recte iudicare possit. At dispositio ex his proprie non cognoscitur. Et utique damnata est propositio 58. Innoc. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.* Sed ex hac propositione non sequitur, quempiam teneri citra interrogationem confiteri consuetudinem. Sed de his melius ubi de Poenitentia.

922. 4° Si habeat excommunicationem reservatam, communis est sententia, quod si urgeat scandalum aut infamiae nota, possit Eu-

charistiam suscipere, antequam ab ea absolvatur. Ratio est quia praeceptum non sumendi sacramenta nec obligat concurrente praecepto vitandi scandalum nec obligat cum tam gravi incommodo perferendi infamiam.

Porro addenda heic quaestio: num hic possit confiteri peccata non reservata, an vero, praemissa contritione, debeat communicare. Sed non prohiberi excommunicatione, quominus possit sacramentum poenitentiae sumere, probabilior est sententia. Si enim non prohibetur ab Eucharistia, multo minus a poenitentia prohiberi debet, quae ex praecepto praemittenda est Eucharistiae sumptioni (a).

Valide autem absolvi posse a peccato quempiam non praemissa absolutione a censura, facile DD. suadent. Nam intantum excommunicatus invalide reciperet sacramentum poenitentiae, in quantum ob Ecclesiae prohibitionem accederet indispositus: at quando urget necessitas, haec eum eximit a prohibitione Ecclesiae; unde non est indispositus atque adeo valide poenitentiae sacramentum suscipit.

923. Quaerit s. Doctor n. 268., an praeceptum Trid. *confitendi quam primum*, obliget etiam laicos. Respondet, sententiam negantem esse communissimam et satis probabilem; quia Trid. loquitur tantum de sacerdotibus iisque celebrantibus, nec isti duo casus sacerdotis celebrantis et laici communicantis sunt connexi aut aequiparati, et praeterea versamur in odiosis. Sane Trid. in eodem decreto loquens de obligatione praemittendi confessionem, universim loquitur, omnes complectens sive Sacerdotes sive laicos: *nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad s. Eucharistiam accedere audeat.* Subdens vero: *quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur*, satis significat, se hoc praeceptum pro solis celebrantibus ferre.

Articulus II.

De dispositione Corporis.

LXXXI. Resp. 1. Nulla corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiae; cum parum faciat ad bonitatem vel malitiam moralem: potest tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus secutos. Ita commun.

924. Nulla corporalis macula per se continet malitiam moralem atque adeo non arcet a Communione.

Attamen reverentia Sacramenti et aedificatio proximi postulat, ut

---

(a) At cum modo in casu urgentis necessitatis possit quis a qualibet excommunicatione directe absolvi, quemadmodum dicemus in Tr. *de Poenit.*, quaestiones istae inutiles evadunt. E.

accedamus ad Eucharistiam corpore mundo, sine aliqua macula *notabili*, *externa* et *delebili*. Non enim impedire debet, 1° si sit occulta, vel 2° si sit perpetua, uti lepra, fistula etc. Est doctrina communis.

Sacerdos tamen, qui lepra aut alio morbo horrorem afferente laboret, in publico celebrare prohibetur cap. *Tua nos* 4. *de Clerico aegrotante:* « De Sacerdote, inquit Clemens III., qui divino iudicio leprae morbo repercussus, in parochiali ecclesia praelationis officio fungitur, dicimus quod *pro scandalo et abominatione populi* ab administrationis debet officio removeri, ita quod iuxta facultates Ecclesiae sibi necessaria, quandiu vixerit, ministrentur ». Non prohibetur tamen, quominus celebret privatim.

Ad externam reverentiam pertinet, ut miles arma deponat; sed nulla lex id praecipit: imo equites Religiosi militares, accedentes cum armis, ostendunt zelum fidei. Ligor. n. 275.

Unde resolves.

LXXXII. 1. Non impedit pollutio involuntaria, imo nec voluntaria per poenitentiam expiata, nisi effectum malignum, v. gr. turpem recordationem ac delectationem vel distractionem et perturbationem animi relinquat; eo enim casu, uti et semper post culpabilem, praestat ac secundum sententiam communem sub veniali, debet differri, nisi aliud suadeat iusta aliqua causa, v. gr. magnus fructus festivitatis, regula ordinis, vel si a daemone excitata putetur, ad communionis frequentiam impediendam. Sanch. l. 9. *de Matr.* d. 13. Bon. d. 4. q. 6. p. 2. Card. de Lugo d. 15. s. 1.

925. Suarez disp. 68. sect. 2. n. 2.: « Dico igitur primo corporalem maculam (ex pollutione vel aliunde contractam) per se non impedire ex necessitate (h. e. sub gravi culpa) huius sacramenti usum... Ratio est, quia hic defectus externus corporis per se non refert ad honestatem morum, nec pertinet ad bonitatem aut malitiam moralem. Praeterea vel huiusmodi macula est omnino praeterita, vel adhuc durat. Si praeterita est nec impedire poterit nec indecentiam afferre; cum iam non sit. Si enim peccatum mortale et macula eius, quae iam sunt omnino praeterita et ablata, non impediunt ex necessitate, multo minus impediet macula corporalis praeterita, quae iam sit omnino exstincta seu ablata ».

« Si autem haec macula durat, aut est de se perpetua seu diuturna, aut temporalis, quae brevi auferenda speratur. Si sit prioris modi, non est homo privandus aut semper aut multo tempore fructu huius sacramenti, propter eiusmodi defectum innoxium et inculpabilem. Solum ergo pro ratione maculae vel defectus cavendus esset aliorum horror seu scandalum, sicut in cap. *Tua nos* etc. praecipitur etc. ».

« Si vero macula sit posterioris modi, ut aliquam videatur afferre indecentiam, ad reverentiam huius sacramenti pertinebit, prius illam

auferre aut per breve tempus exspectare, donec auferatur et *interdum* poterit esse culpa venialis hoc negligere, mortalis vero non erit, secluso scandalo aut contemptu ». Subdit autem : Et ita intelligendum est, quod dixit Dionysius Alexandrinus... de feminis menstruatis : « Si piae et fideles sunt, non debent sic affectae attingere corpus et sanguinem Domini ; intelligendum est enim, quando commode differre et exspectare possint ».

Ex his verbis putaverunt quidam, ex Suarez sententia, peccare feminam venialiter, si accedat menstruata. Ita Ligor. n. 275. ; sed hoc non dicit disserte : dixerat solum generatim, in his posse *interdum* esse culpam venialem.

926. Ceterum, ut ibid. subdit Ligorius, DD. communius censent, hoc tantum esse de consilio. Et insuper addendum, hanc esse quaestionem prorsus inutilem. Nam nulla ratio permittit, ut confessarius haec scitetur a poenitentibus, aut ut inter tradendum catechismum populo de his sermo iniiciatur ; si autem sermo non iniicitur, plebs christiana per se sponte non agitatur his dubiis atque adeo non interrogabit confessarium. Ergo aut nunquam aut certe vix unquam occasio erit dandi eiusmodi consilium. Adde etiam, quod, si unquam confessarius interrogaretur, rursus vix unquam occurret casus, quo consilium abstinendi praebere debeat ; tum quia fere semper perturbatur ordo domesticus earum personarum, si in alium diem communio differatur, tum quia cum mulieres plerumque associatae ad Ecclesiam veniant, aut certe domesticos monuerint de sacramentis suscipiendis, vix evitari posset aliqua admirationis occasio et interrogatio, quae semper molestae sunt. Porro quaevis vel levissima causa satis esse debet, ut a consilio illo abstineatur, quod vix ulla ratione innititur : cum revocari haec ad *occultas* maculas corporis debeat, quae prohibere non debent.

927. Quod spectat speciatim ad pollutionem quae paulo ante praecessit, supposito, quod culpa gravis, siqua fuerit, sit expiata, haec habet de hac re Lugo *de Euch.* disp. 15. n. 9. : « An et quomodo eiusmodi sordes praecedentes impediant communionem,... *non potest dari regula universalis ;* quia totum hoc pendet ex variis circumstantiis, quas maturo iudicio ponderare debet prudens confessarius. Aliquando enim indecentia erit talis ut absque peccato veniali non possit homo accedere : aliquando poterit quidem absque peccato, sed melius erit abstinere : aliquando melius erit accedere ».

Et ut loquamur primo de pollutione involuntaria : de hac utique interrogari interdum confessarius poterit et haec prae oculis habenda principia.

1° *Per se* non solum est macula corporalis, quae nihil facit ad

honestatem moralem, sed est macula, quae actu non est. Ergo *per se* nihil impedit et solum quaestio esse potest, an impediat ob effectus inde profluentes.

2° Fit interdum, ut quidam, natura se exonerante, in somno pollutionem patiantur idque absque ulla turpi cogitatione vel specie, imo saepius et absque ullo sensu id eis contingat. Hi nullam causam habent, cur de omittenda communione suspicentur, cum non aliter se sentiant dispositos aut devotos, ac si nihil eis contigisset.

3° Interdum fit, ut homo minus inde dispositus inveniatur, vel 1° generatim quia reperitur ineptus ad res spirituales et divinas tractandas utpote mente distractus, gravis, hebes, indevotus etc., vel 2° quia praecedens illusio relinquit animum seu phantasiam variis speciebus gravatam et perturbatam, aut etiam commotione aliqua sensibili adhuc hominem concussum.

Heic autem multa multi dicunt et disputant, quando culpa aliqua venialis intercedat, quando non, quando consultius sit abstinere, quando consultius accedere. Et hoc quidem maxime servandum dicunt, quando, praecedente proposito accedendi ad sacramenta, praesertim devotius vel in magna festivitate, coniici potest, id factum fuisse insidiis diaboli vel ad absterrendum vel ad minuendam devotionem. « Maxime, ait Suarez l. c. n. 4., conferet, causam huius passionis expendere: nam si ex daemonis tentatione oriri intelligatur, multo magis est contemnenda: signum autem huius inter alia esse potest, si eo praesertim die pollutio soleat accidere, quo habet homo propositum vel consuetudinem communicandi; intendit enim daemon illum perturbare et impedire et ideo debet eam negligere et prout poterit, cum reverentia et devotione debita accedere. Et similiter si creditur causa esse mere naturalis, minus impediet: magis autem, si fuerit ex negligentia vel hominis distractione ».

928. Porro collatis omnibus, quae de hac re dicuntur, hoc videtur colligi, certius culpae veniali locum esse, quando non generalis quaedam ineptitudo, sed perturbatio adest secundo loco dicta (3° 2.). Attamen obligatio sub levi est disiunctiva, nempe vel ut abstineas vel ut, si accedere velis, comprimere pravas illas motiones coneris. Idque sive aliqua causa urgeat ad celebrandum aut communicandum, sive ex mera devotione fiat.

Quando vero generatim habetur solum mentis distractio, gravitas, hebetudo, indevotio, difficilius est probabili aliqua ratione decernere, quando intervenire queat venialis culpa, quando res *consilii* solum sit; praesertim cum haec indispositio maior aut minor per plurimos gradus esse possit.

Generatim illud dici poterit, venialem aliquam culpam intercedere posse, quando tanta est mentis distractio et habetudo, ut consequens irreverentia seu defectus reverentiae censeri debeat culpa venialis. Verum et hoc disiunctive accipiendum, sc. veniale erit non abstinere aut non curare devotionem.

Et mallem sane, ut plures DD. de hisce statuerent magis cohaerenter cum principiis communiter admissis. Nam heic demum agitur de indispositione involuntaria atque idcirco comparari hic casus debet cum aliis, quando sive ex corporis habitu sive ex aliquo incidenti animus minus promptus et aptus est ad devotionem. Ex corporis habitu fit, ut torpeat animus aut turbatus exsistat (v. gr. non potuit dormire nocte praecedente, aut cibi concoctio male accidit, aut dolent dentes etc.): ex incidenti contingit, ob scrupulos, ob dissensiones, ob calamitatem, ob molestias ex negotiis etc. Porro quid dicturi essent de hisce casibus hi DD., non constat expresse; quia non vidi has quaestiones agitari: si tamen consentanei sibi esse vellent, decernerent, venialiter peccare eum, qui sic affectus suscipiat Eucharistiam et si vellent uti pari ratione, hanc redderent, quia deest illa devotio, quae tanto sacramento congruit.

Verum ego nescio, e quibus principiis haec deducerent. Habent ne enim mensuram quandam, a qua si deficiat devotionis fervor, irreverentia peccetur? Aut potius qualis est novus hic canon, ut quisquis etiam involuntarie et invite non habet quendam devotionis gradum, hic irreverentiae reus sit? Quid erit de iis, qui dicant cum Psalte: *anima mea sicut terra sine aqua tibi?* His sane suadetur, ut humilitate suppleant id, quod devotionis fervori deest: nec video, cur hoc ipsum valere in casu nostro non debeat.

S. Alph. n. 272. docens pollutionem involuntariam, quae nullam perturbationem relinquit, minime impedire a communione, addit, id valere, etiamsi pollutio provenerit ex causa venialiter culpabili.

929. Nunc de pollutione voluntaria. Quid igitur faciendum, si intercessit fornicatio (fornicationis nomine intelligendo genus peccati cum complice), quae, ut inquit Lugo disp. 15. n. 14., etsi quoad speciem levius peccatum sit, quam pollutio, impedire tamen magis videtur communionem; tum quia plus habet de externo et regulariter plus voluntarietatis et deliberationis ac propensionis ad turpia? Supponitur culpa per sacram. Poenitentiae detersa.

Paucis s. Alph. n. 272. exhibet communem doctrinam: 1° falso dixisse Navarrum, teneri hunc sub gravi ad abstinendum; quam sententiam in posteriori editione idem emendavit. S. Thomas dicit, id *ex quadam congruentia* postulari q. 80. a. 7.

2° Communem esse doctrinam, eum venialiter peccare, si eodem die ad Eucharistiam accedat. Et Lugo disp. 15. n. 4. opinionem oppositam vocat falsam. Atque affertur doctrina s. Thomae in 4. d. 6. q. 1. a. 4. ql. 3. ad 2m. « Non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus et confessus, ad Eucharistiam accederet: sed deberet, nisi magna necessitas urgeat, per aliquod tempus, propter reverentiam, abstinere ». Et s. Gregorius M. (c. 1. dist. 6.), si pollutio fuit graviter culpabilis, consulit, ea die a sacro mysterio abstinere.

3° Id intelligendum, nisi *scandalum* aut alia iusta causa exigat communionem, *prout prudenti confessario videbitur*, inquit s. Alph., ut dicitur in rubricis Missalis tit. 9. *de Defect.* n. 5. Rubricae quidem Missalis eo loco non memorant istam necessitatem vitandi scandali: « Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione, quae sit peccatum mortale..., abstinendum est a communione et celebratione, *nisi aliud Confessario videatur* »: ubi nihil de scandalo. At hic scandali timor, quod complex e. gr. forte passurus intelligatur, poterit esse ratio, cur confessarius iudicet, differendam communionem aut celebrationem.

Cur vero committenda res confessario dicatur, patet, quia eius est, in hac re iudicium ferre, ut ex decreto Innocentii XI. sup. cit. constat.

930. Ceterum, si praxis fidelium consideretur, raro accidit, aliquem accedere ad confessarium, qui eadem die peccaverit: quinimo solent aliquot ante dies magis vigilare ac veluti se praeparare.

Id tamen subinde contingit. Ita 1° si quis alioquin christiane vivat et subita tentatione victus peccaverit ac statim peccati gravitatem sentiens immediate ad confessarium confugiat. In hoc casu, uti patet, vis doloris ea est, ut non expers devotionis sit, nec dici potest adhuc carnalibus cogitationibus demersus et absorptus. Abest igitur illud impedimentum. Et tamen confessarius dispicere potest, utrum tantisper praeparationi fructuosiori studere oporteat, ad maiorem fructum percipiendum.

2° Si quis postquam peccavit, cum de sacramento suscipiendo non cogitaverit, ipse ab aliis impellatur ad Sacramenta suscipienda, quod de puero evenire potest. Sed in hisce casibus plus de dispositione ad absolutionem, quam ad Communionem laborandum erit.

Casus potius habere locum potest, si de presbytero agatur, qui non sola vi doloris moveatur ad confitendum, sed ut possit celebrare, qui neque inscius futurae celebrationis peccavit.

Et hic est casus quo, si nulla necessitas aut iusta causa postulat, confessarius ex adiunctis status poenitentis diiudicare debet, quid con-

sultius sit et num reverentia dilationem postulet, an vero animae dispositio sit talis, ut accedere possit ad celebrationem.

LXXXIII. 2. Neque actus coniugalis impedit, etsi decens et consilii sit, abstinuisse saltem nocte proxime antecedente, si raro communicet. Ita Fill. et Sanch. l. c. Escob. l. 7. c. 6. n. 83. Intellige, si debitum petitum ex necessitate reddidit nec ullam inde animi perturbationem aut affectum ad res venereas patitur: si vero voluptatis causa fecisset, eo die abstinendum esse (praesertim si malignus effectus subsecutus fuisset), docet Regin. l. 29. t. 117. Laym. l. 5. t. 4. c. 6. n. 10. et 16. Mart. Perez. d. 49. s. 3. n. 8. addens esse tantum veniale; imo indecentiam iusta causa posse resarciri.

931. Bene docent heic DD. 1° minus esse obstaculi, quando coniux mere petenti satisfecit; quia est actus iustitiae et virtutis. Id probat s. Franciscus Salesius *Philothea* part. 2. c. 20. et citatur a s. Alph. n. 274.

2° Huic proxime accedere coniugem, qui petat quidem, sed ex fine virtutis, puta ad vitandum incontinentiae periculum, ad coniugii bonum, quod est procreatio prolis, vel ad fomentum caritatis coniugalis etc.

3° Plus esse obstaculi, quando ex mero et magno concupiscentiae motu id factum fuerit; quia tunc animus *praesumitur* minus ad res spirituales dispositus. Quamquam facile haec hypothesis revocabitur ad praecedentem, vitandi nempe periculum incontinentiae.

Et postremo in casu venialem culpam vident in accedente ad communionem coniuge, si mens sit nimis iis cogitationibus et affectibus occupata aut aliquam saltem indecentiam, si mens sit nimis distracta, vel nullam culpam aut indecentiam vident, si idcirco non impediatur a devotione.

Verum haec ad praxim vix unquam conferunt. Nam confessarius nunquam haec debet exquirere. Ergo valebunt solum, si forte interrogetur. Verum hoc raro fiet, vel quia sponte coniuges ex se faciunt, quae confessarius suaderet, abstinent scilicet sponte vel nihil de his cogitant.

932. Interrogabit tamen aliquando poenitens aliquis timoratae conscientiae et maxime mulier. Porro respondendi regula est. 1° Si saepe communicet, reddat quod debet nec ideo abstineat a communione. Si raro communicet, pridie manifestet, se accedere velle ad sacramenta: at si alter coniux non acquiescat, obediat et communicet, *nisi magnam*, inquiunt quidam DD., patiatur distractionem.

Verum isti forte DD. nimis saepe de ista distractione suspicantur. Meminisse enim deberent quod ex s. Gregorio legimus in homilia Dominicae infra octavam Corporis Christi: « Hoc distare, inquit, fratres charissimi, inter delicias corporis et cordis solet: quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accedunt: cum vero

avide eduntur, comendentem protinus in fastidium per satietatem vertunt... In illis appetitus placet, experientia displicet... In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat ».

Adde heic quoque illud valere: « Ab assuetis non fit passio »: quocirca fideles, qui quendam devotionis gradum fovere solent, non solent ab eo hac de causa excidere aut impediri.

LXXXIV. 3. Similiter, etsi decens et consilii sit, sumpta communione, abstinere eo die a copula; licita nihilominus est ex bono fine, v. gr. ex amore prolis, ad evitandum incontinentiae periculum, vel ad debitum reddendum. Tamb. c. 3. §. 6. ex Sanch. l. 9. d. 13. et March.

De hac re iam in praeced. dictum est.

LXXXV. Resp. 2. ex praecepto Ecclesiae tenetur communicaturus, sub mortali, regulariter esse ieiunus ieiunio naturali, idest, ut a medio noctis nihil omnino per modum cibi, potus aut medicinae sumpserit. Ita commun. Et est certum ex Conciliis: quae vide apud Fill. Laym. Card. de Lugo l. c.

933. Ad tria reduci possunt, quae disputanda heic sunt. 1° Quando ieiunium fractum censeatur: 2° quid in dubio agendum: 3° quando quis ab hac lege excusetur.

Iam vero tria ad frangendum ieiunium requiruntur. 1° Primum indicatur apud A. per vocem *sumpserit;* intelligitur enim ab extrinseco, ut in stomachum transmittatur. 2° Ut sumatur per modum comestionis aut potationis. 3° ut quod sumitur habeat rationem cibi vel potus.

Porro omne liquidum, quod in stomachum traiiciatur, rationem potus (nisi etiam nutriat, ut lac et oleum) videtur habere: cibi autem rationem habet quod alterari seu concoqui a stomacho potest et sic in nutrimentum organismi transire. Secunda conditio ut nempe sumatur per actionem, quae sit comestio aut potatio (cf. Lugo disp. 15 n. 28.), quam s. Thomas cum aliis hoc pacto effert, ut sumatur *per modum cibi aut potus*, excludit eam sumptionem, quae fiat per *modum salivae* aut *adspirationis*, quae non ordinatur ad traiiciendum aliquid in stomachum. Tertia conditio, quod sumatur *ab extrinseco*, exponetur cum aliis clarius in resoll.

Unde resolves.

LXXXVI. 1. Etsi parvitas materiae non excuset hic: non obstat tamen communioni 1. reliquias ciborum inter dentes haerentes traiicere casu (negant enim Praepos. Vasquez et alii, si fiat de industria, contra Tann. Conin. q. 80. art. 8. n. 47. et Dian. qui contrarium probabile affirmant), licet eas expuere omnino deceat. Dian. t. 4. *de Sacr.* res. 37. et. p. 4. t. 1. res. 104. Vid. Escob. tr. 7. c. 6. et Card. de Lugo num. 36. ubi notat sententiam istam Tan. et Dian. ad hoc servire, ut studiose dentes ante expurgare, ne quid forte casu decidat, non tenearis. 2. Sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem et guttulam aquae aut vini, casu per ablutionem oris, vel guttulam iusculi, dum sapor exploratur, per

modum salivae, cui mixta est, vel culicem inter respirandum traiicere. Ratio est, quia haec aut non sumuntur, scilicet ab extrinseco, aut non per modum cibi aut potus. Vide Fagund. praec. 3. cap. 5. Card. de Lugo loc. cit. num. 23. 3. Si aromata, vel folium tabaci ex causa ori imponas, mastices vel quid aliud gustes, modo nihil transmittas. Praepos. in 3. par. quaest. 8. a. 8. disp. 1. n. 39. Card. de Lugo *Resp. mor.* l. 1. d. 9. Idem de fumo tabaci docet Gran. in 3. p. c. 6. t. 10. d. 8. num. 4. (licet indecens valde id videatur, nisi iusta ex causa fiat) et Escob. t. 7. c. 6. ubi de eiusdem pulvere per nares attracto idem colligit ex Suar. et Fag. Idem tenet Dian. p. 8. c. 7. r. 3. Card. de Lugo r. mor. t. 1. d. 9.

934. S. Alph. n. 279. vult probabiliorem esse (etsi oppositam dicat non videri improbabilem) et omnino consulendam sententiam, quod frangatur ieiunium, si advertenter et studiose deglutiantur reliquiae cibi, quae inter dentes remanserint. Et affert in eam rem verba s. Thomae q. 80. art. 8. ad 4.: « Reliquiae cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt communionem ». Ergo, inquit s. Alph., impediunt, si transglutiantur ex proposito. Fatendum tamen est, aliter deduci posse ex alio loco in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. q. 2. ad 3., in quo diversum adhibet principium: *Ieiunium naturae* (inquit s. Doctor) *dicitur per privationem actus comestionis... Comestio autem... dicitur a sumptione exterioris cibi, quamvis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, et ulterius ad nutritionem; et ideo quae interius geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere ieiunium naturae nec impedire Eucharistiae perceptionem, sicut deglutio salivae et similiter videtur de his, quae intra dentes remanent et etiam de eructationibus.* Porro principium heic assumptum, illud est, ad ieiunium solvendum opus esse, ut adsit *exterioris cibi sumptio;* quam negat adesse in reliquiis illis traiiciendis. Hoc autem valet, ut patet, tum si casualiter, tum si non casualiter, traiiciantur. Qui quidem sensus elucet etiam ex obiectione, quam ibi s. Doctor solvit. Haec enim est huiusmodi: *Si quae cibi reliquiae in ore remaneant, non impeditur quis a sumptione corporis Christi: quia hoc posset accidere sacerdoti etiam dum est in ipsa celebratione sacramenti... Ergo nec cibus in os missus debet perceptionem huius sacramenti impedire in parva quantitate sumptus.* Porro si s. Doctor putasset, ieiunium solvi per eas reliquias voluntarie in stomachum traiectas, respondere debuisset saltem distinguendo Antecedens, utrum nempe casualiter etc.

Insuper s. Alphonsus advertit lib. 6. n. 279. huic sententiae non repugnare rubricas missalis *de Defect.* n. 3., ubi sic dicitur: *si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.*

Recte tamen idem s. Alphonsus monet, etiam Doctores, qui censent per reliquias istas voluntarie traiectas non solvi ieiunium, tamen consilium praebere, ut expuantur, uti v. gr. Suarez disp. 66. sect. 4. v. tertio;

tum addit, *in hoc non esse scrupulose agendum, ut sapienter advertit Suarez. Unde* (subdit) *libenter sequor sententiam Lugonis* disp. 15. n. 36..., *quod reliquiae a dentibus divulsae, quae sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sunt expuendae: non vero est obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas etiamsi praevideantur deglutiendae, si non extrahantur... ; alias enim haec obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non praesumitur Ecclesia voluisse obligare.* Immo Lugo l. c. addit: *Neque enim debemus eas ex dentibus extractas diligenter intra oris angulos quaerere, ut expuantur; quia omissive nos in iis habere non est comedere, sed permittere, ut cum saliva vel respiratione traiiciantur.* Sed sollicitae istae admonitiones patefaciunt satis, qualemcumque hanc expuendi obligationem, in eam, quam Laymann lib. 5. tr. 4. c. 7. n. 18. melius appellat *decentiam*, recidere. Non facile enim compones, hinc quidem violari ieiunium per traiectas istas reliquias, inde vero prope nullam imponi curam, ne traiiciantur. Et cum cura id saltem expuendi, *quod sensibiliter in lingua percipitur*, scrupulos illos innumeros anxietatesque inducere possit, an illud reipsa vel an totum reiectum fuerit; iam suppetiae quaerendae videbuntur ab alia sententia s. Thomae, quae cum neget, iis reliquiis solvi ieiunium, a quavis molesta sollicitudine eximit (a).

935. *Quoad guttulas aquae vel iusculi* etc. Etiam de his s. Alph. n. 279. dub. 2. dicit omnino affirmandum, frangi ieiunium, si de industria deglutiantur et vult hanc esse mentem s. Thomae, quod et Gury vol. 2. §. 330. q. 2. ingeminat et absolute decernit frangi ieiunium.

Haec autem intellige de eo, qui apposite guttulas illas deglutire velit. Nam licet *vitari non possit*, ut ait s. Thomas 3. q. 84. art. 8. ad 4., quominus haustae guttulae cum saliva permisceantur et *Ecclesia* (utar verbis Card. Lugo *de Euch.* disp. 15. n. 34.) *per hoc praeceptum noluerit prohibere, quod deglutiamus salivam; esset enim durissimum praeceptum et iudaicam superstitionem redolens, si oporteret nihil omnino cum saliva... traiicere: anxiissima enim diligentia opus esset in expuenda millies aqua, ad abluendum os semel accepta, ne aliquid cum saliva remaneret;* at non ideo salivae permixtio immutat

---

(a) Agitur, ut liquet, de reliquiis cibi casu inter dentes haerentibus : in communi existimatione comestio iam completa censetur et eae, si deinde deglutiantur, censentur per modum salivae traiici et ad ea spectare quae ab interiore proveniunt. Aliud profecto foret, si quis, instante media nocte, frustulum carnis in os immitteret, absorpturus post mediam noctem: scilicet quod res sit *ab extrinseco*, conditio est certe cibi aut potus, non vero sumptionis hoc pacto, ut non frangatur ieiunium, nisi cibus sumatur ab extrinseco post mediam noctem: quod ex resol. 3ª manifestum est. E.

naturam actus, potationis scilicet, quando non ad salivam deglutiendam, sed ad iusculum vel aquam traiiciendam animus studiose fertur. Eadem ergo materia (permixtae cum saliva guttulae) idemque traiiciendi actus cum eadem utrobique advertentia franget vel non franget ieiunium, prouti e duobus permixtis elementis aut huius aut illius traiectio studiose intenditur.

Et s. Thom. q. 80. art. 8. ad 4. haec dicit: « Et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, *quod vitari non potest* ».

936. *De eo, quod transglutiatur adspirando.* Generalis est regula, quidquid forte respirando traiiciatur, culex, pulvis, pluvia, floccus nivis, musca, non solvere ieiunium, ut dicunt commun. DD.; quia id non fit per modum comestionis. Nec hisce de causis Ecclesia vult a communione removere. Ligor. n. 280.

De aromatibus vel foliis tabaci, sive menthae sive cinnamomi similiumque rerum. Omnes conveniunt, ut recte dicit Ligor. n. 280., minus decere haec dentibus terere ante communionem, si nulla sit rationabilis causa; secus vero si iusta aliqua causa subsit, sive ratione sanitatis sive ratione purgandi halitum.

Quidam dubitarunt, an liceat; eo quod in his terendis aliquid semper traiiciatur in stomachum. Sed nihilominus plures cum Lugo negant ieiunium per haec solvi; quos vide a Ligorio adductos n. 280. dub. 3. Porro advertendum hoc eos negare, non quia non credant, praeter intentionem aliquod modicum succi, salivae inseparabiliter admixti, deglutiri; sed quia censent, non solvi ieiunium, si quid casu permixtum salivae deglutiatur: id enim non per modum cibi, sed salivae traiicitur. Imo eadem de causa monet Ligorius, non habendum solutum ieiunium ex eo, quod traiiciatur cum saliva aliqua foliorum particula, quae insensibiliter fuerit salivae permixta.

Idipsum communiter DD. dicunt de fumo tabaci, etiamsi voluntarie traiiceretur in stomachum (vid. Lig. n. 280. dub. 2.); ratio est, quia ipse fumus neque est cibus neque potus, neque per modum cibi aut potus sumitur. Salmanticenses tamen (apud Ligor. ibid.) haerebant, suspicantes esse comestionem!!

Nonnulli putarunt, solvi ieiunium etiam per pulverem tabaci, qui sumatur per nares, et de hoc *valde dubitat Collet*, ut inquit Ligor. n. 280. dub. 1. Communiter autem negant solvi DD., idque etiam si aliquid in stomachum traiiciatur: tum quia non sumitur per modum comestionis (neque enim homines manducant per nares), tum etiam quia consuetudo universalis est, ut ante Missam sacerdotes tabaco utantur.

LXXXVII. 2. Probabile est, non impedire communionem, si frustulum ligni, chartae, unguium vel lapillum deglutias; quia non habet rationem cibi vel potus. Dian. loc. cit. r. 38. et tr. de celebr. r. 52. ex Ledesm. et Sanch. contra Henriq. Laymann et alios, quorum sententia tutior est. Vide Card. de Lugo, et Escob.

937. *De Unguibus, capillis* etc. Quidam distinguunt inter ea, quae plane sunt indigestibilia, ut metallum, vitrum, quae alterari nequeunt a stomacho nec proinde nutrimento esse possunt et digestibilia, quae alterari possunt, sive nutrimento deinceps sint sive secus, ut charta, cera ob mixtum aliquid mellis, filum ex lino, palea etc.

Attamen dicit A., *probabile esse*, omnia haec, quae ipse enumeravit, ieiunium non frangere; quia non habent rationem cibi aut potus. Lex autem est, ne sumatur Eucharistia post cibum aut potum et ideo s. Thomas comprehensa censet ea, quae « habent rationem cibi aut potus aut medicinae ». Atque adverte, quod subdit: « nec refert, utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat ». Unde patet, illud in hac quaestione praecipue dispiciendum esse, utrum necne sit cibus aut potus; non utrum nutriat necne, quod identiden quoque aegre definiretur.

A. subdit *tutiorem* esse oppositam sententiam. Sed revocemus principia: heic non agitur de valore sacramenti, sed de actionis honestate. Falsum est autem tutiorem esse partem severiorem. Tutum seu tutius imo tutissimum in his est, quod fit licite et honeste: honeste autem et licite facio quaecumque certa lege non prohibentur, ut in casu.

Haec usui esse possunt, ne removeamus ab Eucharistia eos maxime, qui nisi cum incommodo aut gravi dilatione alias non sumerent Eucharistiam (a).

LXXXVIII. 3. Non licet communicare his casibus. 1. Si saccharum, liquorum glycyrrhizae ore solutum cum saliva traiicias. Si vero dubium sit, num quid deglutiveris, vel an factum sit post duodecimam, probabiliter docet Laymann lib. 1. t. 1. cap. 1. contra Sanchez, Fagund. non impedire communionem vel sacrificium: vide Dian. loc. cit. r. 29. et supra lib. 1. t. 1. cap. 2. d. 3. 2. Si Vesperi decumbens aliquid ori contra raucedinem imposueris, nisi certus sis, post medium noctis te nihil transmisisse. Ita Suar. Fill. Card. de Lugo loc. cit. num. 37. et alii. Licitum autem est, inter horologia dissonantia quodvis sequi, etiam

---

(a) Olim de aqua quoque disputabatur. « Sed de aqua, ait s. Thomas in 4m 1. c. ql. 2. ad 2m, diversa est opinio. Quidam enim dicunt, quod, quia nullo modo nutrit, non solvit neque ieiunium naturae neque ieiunium Ecclesiae. Sed quamvis aqua in se non nutriat; tamen commixta nutrit. In stomacho autem oportet, quod aliis humoribus admisceatur et ideo in nutrimentum cedere potest. Et propter hoc alii *probabilius* et *securius* dicunt, quod etiam post aquae potum Corpus Christi non sumendum est ». Postea vero res certa evasit. Atque idem s. Doctor in Summa 3. p. q. 80. a. 8. ad 4m disserte affirmat; « neque post assumptionem aquae... in quantacumque parva quantitate, licet hoc sacramentum accipere », simul reiiciens principium sententiae oppositae, cum subdit: « Nec refert, utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus ». E.

ultimum, modo non constet errare; quia habet se ut auctor bonus, faciens opinionem probabilem, ut habet Sanchez lib. 2. d. 1. *de Matr.* Fagund. Io. Sancius, Card. de Lugo num. 45. Dian. loc. cit. r. 36. 3. Si aliquid sumpseris, licet mox reieceris. 4. Si tabaci fumum in stomacum traieceris, ut docet Praepos. etsi alii merito dubitent. Tann. t. 4. d. 5. Gran. autem in 3. p. c. 6. t. 10. d. 8. negat. 5. Si Sacerdos nocte Nativitatis in prima Missa ablutionem, vel lambendo digitos modicum aquae aut vini sumpserit. Vide Bonac. d. 4. q. 6. p. 2.

938. Ad n. 1. s. Alph. n. 282. praeiacto principio, quod hoc praeceptum sit negativum, *de non accedendo ad Eucharistiam post sumptum cibum;* non enim praecipitur ieiunium, sed prohibetur, ne quis non ieiunus accedat ad communionem (lib. 1. n. 38.), merito concludit, non esse obligationem abstinendi, quandiu non es certus, ieiunium fuisse solutum: ut enim obligatio adesset, probandum esset factum soluti ieiunii et quandiu non probetur, possidet libertas.

Idem porro s. Doctor, propter eandem rationem l. c. n. 39., dicendum censet, cum quis, certus se comedisse, dubitet an ante vel post mediam noctem comederit.

Utroque in casu id verum erit multo magis, si nullam habeas probabilem rationem, te comedisse aut comedisse post mediam noctem.

Ad 2. *de horologiis dissonis,* quod liceat sequi ultimum, communiter id admittitur, *nisi constet aliquod errare.* Bene autem advertit Ligor. n. 282. 1° physice, et non mortaliter tempus computandum: 2° primo ictu seu pulsu horologii indicari horam expletam; incipit enim pulsare horologium hora completa: 3° Adderem, non obligari aliquem ad expuendum, quod sumpserit: quia comestio impediens includit *sumptionem extrinsecam.*

LXXXIX. 1. Non est peccatum, per se loquendo, cibum sumere vel expuere, Tamb. cap. 1. §. 1. statim a communione, ut ex s. Thoma, docent Azor, Sanch. Bonac. d. 4. q. 6. p. 1. n. 25.: unde eum, qui paulo ante medium noctis coenasset, in Dominica pridie Nativitatis Domini, posse nihilominus statim post mediam noctem celebrare, docent Diana, et alii tres, p. 3. t. 4. r. 44.; etsi ob Sacramenti reverentiam, consilii sit abstinere, donec species sint consumptae: quod saltem intra dimidium quadrantem in laico (in Sacerdote intra quadrantem) fieri certum videtur. Card. de Lugo d. 12. s. 3. n. 54. ex iudicio medicorum a se consultorum. Tamb. autem c. 3. §. 4. ex Io. Sanc. d. 38. notat citius a valido quam debili stomacho, regulariter tamen ab omnibus intra horam consumi refertque infirmum quendam post mediam horam species integras reiecisse.

939. Merito s. Alphonsus venialem aliquam culpam vidit in eo qui *sine causa* cibum sumeret antequam species Eucharistiae consumantur.

Quoad actum expuendi, monet Gury V. 2. §. 333., nullum propterea esse periculum irriverentiae erga sacras species (modo nullum hostiae fragmentum in ore remanserit); quia via, per quam sputa confluunt in

os, non est oesophagus seu via cibi et potus, sed est via respirationis. Congruum est tamen per aliquod tempus abstinere, ne forte aliquod fragmentum dentibus seu faucibus adhaeserit et reiiciatur.

Nota. Auctor habet aliquam confusionem; refert enim ad sumptionem cibi vitandam statim post communionem, casum noctis Nativitatis, qui ad oppositam spectat hypothesim de communione statim post cibum.

De casu quo quis statim a cibo communicet, s. Thom. 3. q. 80. art. 8. ad 5. ait: « Si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eodem die hoc sumere sacramentum: potest vero, si ante mediam noctem. Nec refert, utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, *quantum ad rationem praecepti:* refert autem, quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem vel indigestionem: ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad perceptionem huius sacramenti ». Quibus s. Alphonsus subiicit (n. 299.); « Hoc tamen puto non procedere, si vigilia vel indigestio provenerit ex causa naturali aut rationabili et honesta nec si homo conetur illam turbationem repellere, quantum in se est, ut devote accedat, prout diximus de eo, qui pollutionem est passus ».

940. * Quaeres, cur Ecclesia congruum censuerit praeceptum hoc naturalis ieiunii. Rationes reddit s. Thomas in 4. dist. 8. q. 1. a. 4. gl. « Hoc sacramentum a ieiunis tantum percipi debet, nisi propter necessitatem imminentis mortis... Primo propter ipsam sanctitatem sacramenti, ut os christiani, quo sumendum est, non sit alio cibo imbutum, sed quasi novum et purum ad perceptionem eius reservetur. Secundo propter devotionem, quae exigitur ex parte recipientis et attentionem, quae ex cibis acceptis impediri posset, fumis a stomacho ad caput ascendentibus. Tertio propter periculum vomitus vel alicuius huiusmodi ».

Adverte heic responsum S. C. P. F. 13. Febr. 1806. « Sale a catechumenis in collatione baptismi praegustato, etsi ieiunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est, quin ad sacram communionem, suscepto baptismate, admitti possint, imo vero debeant: ita omnino Ecclesia, in cuius potestate est, a generali lege ieiunii eucharistici, ab ipsamet iis inducta, qui extra mortis periculum, sacram Communionem recipere cupiunt, in peculiaribus casibus dispensare, ita Rituali Romano praescribente, ubi ritum tradit, quo baptismus adultis conferendus est ».

Ex omnibus dictis colligitur, legem ieiunii gravem per se esse nec parvitatem materiae admittere. Subest vero nonnullis exceptionibus. *

XC. Dixi in Respons. *regulariter:* quia non ieiunus licite communicat in sequentibus casibus, si quidem ieiunus non possit sine notabili incommodo, ut monent Con. et Bon. apud Dian. p. 9. c. 6. r. 42.

1. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno, sive ex sententia iudicis. Et quidem in eodem morbo, etsi non tenearis, potes tamen post aliquot, v. gr. sex. septem vel etiam, ut putat Laymann, duos dies (etsi quoad hoc potissimum attendendum esse ad consuetudinem, moneat Card. de Lugo) repetere viaticum non ieiunus, dummodo nequeas ieiunus sumere et periculum mortis recurrat, ut docetur commun. vel etsi maneat, ut contra Vasq. Praep. et alios docent Navarr. Tolet. Regin. Sacr. Card. de Lugo s. 3. n. 65. Imo, etsi non liceat aegro ex sola devotione communicare fracto ieiunio, si tamen morbus esset diuturnus, nec posset dari communio, nisi post medicinam, probabile esse id licere, docent Armilla, Tolet. Con. Reginald. Henriq. Suarez, Escob. etc. quorum aliquid exigunt longum intervallum, verbi gratia 30. dierum, ut Navar. et Villalob. alii 8. vel 10. dies, ut Suar. Henriq. Fagund. alii 7. ut Sylv. alii 6. ut Arm. Zamb. Possev. et Filliuc. quos sequitur Dian. *de Celebr.* r. 77. alii permittunt toties, quoties sano posset dari ieiuno: ita Excob. t. 7. c. 6. ex Hurt. alii denique posse sequenti statim die dari ob iustam causam, ut si propter consuetudinem et desiderium aut devotionem difficulter abstineat et moraliter videatur instare periculum mortis. Sic Laymann lib. 5. t. 4. cap. 6. num. 20. Verum ea in re loci consuetudo spectanda est, quae nunc saltem videtur permittere, ut quando morbus et periculum diu protrahitur, post 7. vel 8. dies iterum detur communio non ieiuno. Vide Card. de Lugo d. 15. s. 3. *de Euch.*

Denique, licet probabile videatur Fill. t. 1. tr. 4. n. 142. et Card. de Lugo id, quod docet Mai. in 4. d. 9. c. 3. Fern. *de Haered.* etc. (Laym. vero l. 5. t. 4. c. 6. n. 21. limitat ae casum necessitatis, quo moriturus aliud Sacramentum suscipere non posset et scandalum cessaret), posse non ieiunum celebrare ad dandum alteri viaticum; eo quod hoc sit iuris divini, ieiunium vero Ecclesiastici tantum: ideoque non tantum posse, sed etiam teneri, dicant Gran. in 3. p. c. 6. t. 19. d. 8. n. 12.: id tamen merito communiter reiicitur; tum quia contrarium probat praxis, tum quia maior est habenda ratio Sacramenti, quam aliqualis necessitatis proximi, tum quia praeceptum viatici non obligat, quando non potest rite dari. Ita Bon. ex Con. Hurt. *de Euch.* d. 9. dif. 17. Suar. Vasq. etc. comm. docetque Card. de Lugo esse probabilius. Vide Dian. t. 1. tr. 4. res. 33. Sacerdos autem morti (sive naturali, sive violentae) vicinus celebrare sine dubio potest non ieiunus, ad dandum sibi viaticum, si illud aliter haberi non potest; quia non plus est celebrare, quam communicare sumpto cibo. Card. de Lugo d. 15. sect. 4. Laymann, Dian. p. 5. t. 3. r. 36.

941. * Viaticum dari posse non ieiunis, certum est. Sunt tamen, qui monent, ut Lugo disp. 15. n. 74., debere infirmum servare ieiunium, quando commode potest. Id vero ad aliud non videtur inservire posse, nisi ad turbandas conscientias. Nonne ad omnes removendas dubitationes potuit Ecclesia generali lege statuere: viaticum posse sumi ab infirmis non ieiunis, seu legem ieiunii non obligare infirmos ad mortem? Atqui ita se gessisse Ecclesia dicenda est. Nam Constantiense Conc. sess. 13. dicit simpliciter, praeceptum ieiunii non obligare infirmos, nulla facta distinctione et Rituale Rom. pariter *de Commun. Infirm.* n. 4. dicit: *Potest viaticum brevi morituris dari non ieiunis.* Ubi ergo lex non distinguit, non est, cur nos velimus distinguere. Haec autem

sunt verba Conc. Constant. *Huiusmodi sacramentum non debet a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso.* *

Porro quoad infirmos notanda doctrina s. Alph. n. 285.: « Quicquid dicant aliqui, vera et communis sententia est, quae affirmat licere communionem iterum ministrare infirmo non ieiuno, etsi viatico iam munitus sit..., et testatur Benedictus XIV., nullum theologum alicuius nominis hanc sententiam negare (unde ipse negat, Vasquez contradicere). Ratio, quia infirmis Eucharistia non datur praecise, ut satisfaciant praecepto sumendi viaticum, sed in praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent ».

Quod dicitur ab A. de distantia 7. aut 8. dierum, communior a s. Alphonso (l. c. dub. 2.) sententia declaratur.

Imo non respuit ceu improbabile, quod alii dicunt, « quod si infirmus assuetus sit saepius ex devotione communicare, bene possit altero die statim post viaticum sumptum suscipere communionem non ieiunus. Idque in singulis diebus plures admittunt et probabile censet Tamburinus ». Ita s. Alph.

Quod vero subdit A. de consuetudine, spectat praesertim ad infirmos, ad quos a parochiali Ecclesia ferenda sit Communio: quod si Missa celebrari domi possit aut agatur de Religiosis ant Collegiis quae domi servant Eucharist., tunc consuetudo nihil facit.

Sacerdos autem, ne infirmus perturbetur, potest probabiliter, ubi opus sit, in dando viatico omittere verba: *Accipe frater viaticum*, ut ait s. Alph. n. 285. dub. 3.: quia ad satisfaciendum praecepto, non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit ponere actum praeceptum nec omnia in Rituali praescripta cadunt sub praecepto, sed quaedam ad decentiam tantum spectant.

942. De sacerdote, *an sine ieiunio celebrare possit ad dandum viaticum* haec advertimus.

1° S. Alphonsus (n. 286.) affirmat, immerito asseri a Busembaum, quod sententia affirmans *communiter* reiiciatur.

2° Plures esse, quam quos Auctor enumerat, qui vel tenent eam sententiam, vel probabilem vocant, licet non praeeligant; inter priores citat s. Alph. Concina, inter alteros Viva, Escobar, Lugo, Filliuccium, Tournely; unde apparet, horum iudicio non esse futiles rationes, quae pro ea afferuntur, nec evidentes aut decretorias esse rationes pro sententia opposita. Sane, aiunt, cum Ecclesia permittat, infirmum communicare non ieiunum, censetur permittere quoque, sacerdotem non ieiunum celebrare, ut ille communicet: lex scilicet ecclesiastica ieiunii nequit esse impedimento communioni infirmi. Tum praferenda est prae-

cepti divini observatio quod iubet communicare morituros, praecepto ecclesiastico ieiunii.

E contrario alii arguunt ex reverentia debita sacramento, quae, stante lege Ecclesiae, ieiunium exigit, cuius reverentiae defectum non excusat necessitas infirmi; tum quia haec necessitas non est tanta, cum non sit sacramentum hoc simpliciter necessarium pro salute, tum quia praeceptum divinum non urget ipsum sacerdotem, qui unico praecepto tenetur, non celebrandi non ieiunum, quod proinde servare debet. Cohaerent haec cum iis, quae superius diximus, non posse latinum sacerdotem celebrare in fermentato, ut det viaticum aut pro eadem causa porrigere calicem deficiente hostia; quia cessat obligatio praecepti etiam divini si ritus tanti momenti nequeant servari. Id ex praxi Ecclesiae et consensu DD. docemur.

3° Ipse s. Alphonsus concludit: « Primam sententiam (affirmativam) probabilem puto; sed haec secunda probabilior mihi videtur, nisi (ut recte dicunt Laymann, Viva et Escobar) moribundus non posset sacramento poenitentiae vel extremae unctionis muniri; nam eo casu eucharistia poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus ». Quam tamen ultimam hypothesim vix possibilem video; quia si Sacerdos potest celebrare Missam, ut det viaticum, cur non poterit absolvere sacramentaliter?

4° Hic casus tamen vix aliquando locum habere poterit, nec difficultas adesset ob scandala, cui facile potest occurri.

XCI. 2. Si periculum sit, ne Eucharistia pereat vel male tractetur, potest sumi a non ieiuno, etiam laico, si alius desit: imo probabiliter potest etiam a praesente Sacerdote laicus accipere, ut docent Card. de Lugo n. 87. Suar. et Vasq. d. 22. n. 48.

943. Quod priore parte dicit A., commune esse ait s. Alph. ibi et ratio est evidens. Alterius partis ratio est; quia quoad hoc perinde est, sive sacerdos sibi non ieiuno sive laico non ieiuno det Eucharistiam. Cf. Lugo l. c.

XCII. 3. Si grave scandalum sit oriturum ex omissione sacrificii vel communionis. Quod tamen quidam putant vix fieri posse, eo quod occurri possit scandalo, dicendo Sacerdotem casu aliquid sumpsisse ideoque impediri.

Dixi, *scandalum;* quia turbationem vel incommodum aliquod secuturum, v. gr. si celebraturus primitias aliquid sumpsisset, non sufficere, notat Praep.

944. S. Alphonsus n. 287. proponit quaestionem an Sacerdos interrumpere missam debeat, si ibi recordetur, se non esse ieiunum.

Et quidem si recordetur post consecrationem, consentiunt omnes, Missam non posse abrumpi. Si vero ante consecrationem, communiter docent AA., debere desistere, nisi obsit periculum infamiae aut scandali. Et s. Bonaventura, quem alii sequuntur, censet, hoc scandalum

nunquam abesse atque adeo nunquam desistendum. Adoptat haec s. Alphonsus, nisi, inquit, « sacerdos esset notae probitatis: sic enim non timendum scandalum ». Id ex Collet scribit. An id satis? Scandalum est ex infirmitate humana et forte s. Alphonsus ex se iudicium tulit de aliis. Generatim teneri potest doctrina s. Bonaventurae; ideo etiam, quod incertus est exitus et tutior via eligenda nec dissentire censeri potest Ecclesia.

Alius sit casus, Sacerdos imprudens post mediam noctem aliquid comedit aut bibit; sed sine populi offensione, est enim, puta, dies festus, sacrum omittere nequit: an ei licet celebrare? Casus, quoad substantiam, non differt reapse a praecedenti: ideoque si heic quoque scandalum merito timetur, diffamatio sacerdotis et irrisiones contra ordinem sacerdotalem; permittunt ei celebrare graves theologi, ut ait Gury, *Casus Conscientiae, de Euchar.* c. 17. atque ita censet Croix *de Euchar.* n. 582.

945. Idem Croix l. c. n. seq. alium proponit casum de novello Sacerdote, qui celebraturus primam Missam, dum experitur prius, inadvertenter hostiam non consecratam comedit.

Titius, ait Croix, diu se probavit pro prima Missa, iterum hoc mane, quo hora octava est celebraturus, se probat et, uti aliis diebus fecerat, incogitanter sumit hostiam non consecratam. Quaeritur, an possit primitias legere non ieiunus. Porro respondet: per se loquendo non potest: possunt tamen adesse circumstantiae, ob quas liceat. Atque ita affirmationem A. limitat s. Alph. citato Croix: *nisi adessent,* ait, *graves circumstantiae.* Exempla talium circumstantiarum ponit Croix: « si Titius sit familiae perhonestae, ad cuius primitias conveniunt cognati multi, pro quibus etiam sit convivium lautum apparatum; item si publice notum vel proclamatum est, eum hodie lecturum primitias et contra error illius in sumenda hostia non consecrata sit occultus: in hoc casu licitum erit ei celebrare, per epikeiam; nam nullus Papa, si adesset vel interrogaretur, vellet hunc casum lege inclusum, tum propter publicum scandalum alias oriturum ». Ita Croix et citat Gobat t. 3. n. 411. *de Missa.* Eodem pacto casum solvit Gury *Casus Conscientiae, de Euchar.* c. 20., qui addit, secus dicendum fore, si ille neosacerdos fuisset homo obscurus vel alienigena aut si non ipse solus sed alii plures fuissent pro prima vice celebraturi (ita scilicet, puto, ut ea inconvenientia superius memorata evitarentur).

946. * Exceptio a lege ieiunii pro infirmis ad mortem (cf. sub §. LXXI.), non valet pro aliis infirmis, qui ex devotione communicant, hi enim ieiuni esse debent. « Ceteris infirmis, ait Rituale Rom. *de Comm. infirm.* n. 4., qui ob devotionem in aegritudine communicant,

danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet ». Neque iis deferre licet sacramentum statim a media nocte, ut ieiuni communicent; nam Rituale Rom. l. c. n. 6. praecipit deferri hoc sanctum sacramentum *ab ecclesia ad privatas domos aegrotantium, manifeste atque honorifice* et n. 10. praescribit, *noctu autem hoc sacramentum deferri* (ab ecclesia ad privatas domus per vias) *non debet, nisi necessitas urgeat.* Romae autem hyemali tempore solet a parochis summo mane deferri s. Eucharistia privatim et occulte, etiam extra tempus paschale, ut fideles ieiuni identidem communicent. Certe eo praecepto Ritualis non comprehenduntur ii infirmi religiosi, qui domi habent ss. Eucharistiam et si quis infirmus in domo parochi iuncta ecclesiae decumbat.

Quid ergo si quis, propter stomachi debilitatem, etsi non decumbens, nunquam posset accedere ad ecclesiam ieiunus? Ecclesiae consuetudo, ait ex communi sententia Gury l. c. c. 18., prohibet ei communionem. Illud proinde ipsi unum est reliquum, ut a Sede Apostolica facultatem petat, communicandi identidem non ieiunus; quae facultas, iustis exsistentibus causis aut meritis, non aegre conceditur. Absurde vero quis postularet, ut iudicium de hac re ipsis fidelibus permitteretur neque expediret ad hoc Episcopos, multo minus parochos aut confessarios deputare; sic enim facile lex ieiunii brevi a praxi exularet.

Dices: lex positiva Ecclesiae non obligat cum gravi incommodo: atqui incommodum grave est, abstinere semper a communione.

Resp. 1° principium verum esse, nisi aliud incommodum altioris ordinis praevaleat incommodo privati fidelis: porro defectus reverentiae debitae sacramento in communione post sumptum cibum aut potum, censetur maius incommodum (extra casum necessitatis) quam illud, quod fidelis cogitur subire. Ita sane sentit Ecclesia.

2° Incommodum istud, situm in iugi abstinentia a s. Communione, quod nonnisi boni et pii fideles experiuntur, compensare ipsi possunt actibus virtutum ac desiderio communionis, quibus actibus gratiae et sanctitatis augmentum mereantur; cum praesertim Deus, qui legem suae Ecclesiae probat, suorum filiorum desideria, quae ipse inspirat, cumulare valeat uberrimis gratiis extra sacramenta non secus ac in sacramentis. Sed illud in primis a se diligentibus Ipse exposcit, ut humiles sint et obedientes.

Ceterum pro huiusmodi hominibus concedunt generatim theologi causam esse sufficientem, ut communio noctu etiam deferatur, cum obligatio urget praecepti paschalis. Cf. Gury V. 2. §. 334. q. 11. Lehmkuhl Vol. 2. n. 161. 2. *

Nostris diebus identidem s. Sedes concedere solet certis infirmis, ut aliquid *per modum potus* sumant ante communionem. Quid vero sibi velit haec formula *per modum potus,* declaravit C. s. O. 4. Iun. 1893. et 7. Sept. 1897. inquiens: « mentem concedentis sub hac formula esse quidem, ut liceat sumere iusculum, caffeum, aliumve cibum liquidum, cui sit permixta substantia aliqua ex. gr. leves farinae pastilli (semolino) aut tenuissima frustula comminuti panis (pan grattato) etc. dummodo quod inde coalescit, non amittat naturam cibi liquidi ». Non ergo licent parvae placentae gummi vel alterius substantiae, quae oris calore solvantur, ut succus deglutiatur; quia non sunt cibus liquidus, nec propter eandem causam licet sorbere ovum. At ovum caffeo dilutum, cum vere liquescat, videtur posse sumi. Ita praeclarus Auctor periodici *Monit. eccl.* Vol. X. p. 1. pag. 22. At non etiam gummi similisve placenta liquescit in ore? An discrimen est, quod haec ad extrinseco adhuc solida sumantur? iudicent peritiores.

XCIII. 4. Si perfectio sacrificii vel communionis urgeat. Quod fieri potest quinque modis. 1. Si pro speciebus vini sumpsit aquam (quam si advertat, dum habet in ore, non est expuenda ob periculum eiiciendi fragmentum hostiae et irreverentiam, sed deglutienda. Tamb. *de Exped. sacrif.* l. 2. c. 3. Card. de Lugo d. 15. sect. 4.; tunc enim tenetur denuo consecrare: quod fieri etiam potest consecrando et offerendo statim, sine nova hostia: Vide apud Suar. Quod si id post Missam conclusam advertas in Sacristia, omittas. Si autem intra Missam post sumptionem, vel etiam ante eam, post consecrationem tamen, dubites, an fuerit vinum, pro vino praesumendum esse et pergendum, ait Tamb. 2. Si celebrans post consecrationem deficiat; tunc enim tenetur alius, etiam non ieiunus, si ieiunus haberi nequeat, perficere. 3. Si post consecrationem etiam unius speciei recordetur, se non esse ieiunum; tenetur enim pergere; imo etiam potest pergere, si ante consecrationem recordetur et absque scandalo et nota non possit desistere, v. gr. in sollemni sacro, ut docent Suar. Con. etc. Si tamen privatim celebret et commode possit abrumpere, tenetur, uti ex s. Thom. q. 73. a. 6. docetur commun. 4. Si post ablutionem sumptam, licet diu communionem distribuerit, sumendae sunt reliquiae etiam grandiores consecratae eodem Sacro: quod addo, quia non licet tunc sumere particulas alterius sacrificii, quae sunt in ciborio, ad illud expurgandum, ut docent Suar. Card. de Lugo l. c. cum communi, licet contrarium probabile dicat Tamb. *de Expedita com.* cap. 2. §. 8. ex March. t. 3. p. 3. c. 3. uti nec eiusdem sacrificii, si illud plane sit absolutum et ab altari recesseris, sed debent servari, donec sumantur a ieiuno. Escob. t. 2. c. 5. Fagund. etc.; quia convivium iam finitum est. Nisi tamen aliud suadeat periculum indecentiae, v. gr. si plures Missae eodem die istic futurae non essent et Sacramentum asservari non soleret; tunc enim minore irreverentia sumeret, quam asservaret. Imo Card. de Lugo d. 14. p. 4. n. 82. et Gran. non damnat Sacerdotem, qui prius quam sacras vestes exuit, particulam inventam absumit; eo quod non sit communio nova, sed complementum praecedentis. Vid. Bon. Card. de Lugo, Excob. ll. cc. 5. Si pars hostiae post ablutionem sumptam, calici, aut palato adhaereat (quae decentius nova ablutione, quam digito propellitur, ut docet Bonac. ex. Fill. et aliis; quamvis Missale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis et sumatur ante ablutionem) quo modo etiam ii excusantur, qui ex devotione hostiam in ore diu retinentes, casu praemittunt ali-

quid ablutionis; sponte tamen id non licet, nisi bona fides et sancta simplicitas excuset. Ratio horum omnium est, quia talis sumptio moraliter censetur completio unius sacrificii. Reg. l. c. n. 123. Bonac. l. 1. d. 4. q. 6. p. 2.

947. * Quae primo, altero et tertio loco dicuntur, declaratione, post iam dicta, non egent. Quarto autem loco A. duo negat: scilicet negat licere *post ablutionem* sumere particulas in alio sacrificio praeconsecratas: quia cum non spectent ad praesens sacrificium, prae illis sacerdos nullo modo est ieiunus: tum particulas quoque eiusdem sacrificii post recessum ab altari, puta in sacristia; quia iam completa est actio sacrificialis. Exceptionem pro utroque casu ponit, nisi reverentia sacramento debita aliud suadeat.

Quoad priorem casum ratio in contrarium esse potest, quod sumptio earum particularum non est nova communio, sed continuatio prioris: secus neque ante ablutionem eas sumere liceret; quia non licet bis communicare. Quousque ergo Sacerdos in altari est et actio sacrificialis durat, quae non est sita in indivisibili, sumptio hostiarum una communio censeri potest, quam ieiunium rite praecessit et sicut ieiunium requisitum non solvitur, etsi post ablutionem sumas partem hostiae vel fragmenta, ut dicemus sub n. 5. huius resolutionis, ita forte nec solvitur, si particulas praeconsecratas sumas. Verum ratio cur id fiat in praxi, alia esse non posse videtur nisi necessitas quaedam, propter reverentiam sacramento debitam; quo in casu facile conceditur id fieri posse.

Quoad secundum casum, haec monet s. Alph. n. 251. primo haec haberi in Rubrica Missalis tit. 7. n. 2. « si deprehendat (sacerdos) post sumptionem Corporis et Sanguinis aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas (hae reliquiae et parvae hostiae esse possunt), eas sumat, sive parvae sint sive magnae; quia ad idem sacrificium spectant ». Deinde monet, id e communi sententia valere, etiamsi iam Sacerdos sit in sacristia, dummodo adhuc indutus vestibus sacris, consentiente Benedicto XIV. *de Sacrif. Missae* l. 3. c. 17. nn. 5. 6. At tertio, si vestibus sacris (omnibus puto) sit exutus, e sententia eiusdem Benedicti XIV. l. c. reliquias has vel reponendas in tabernaculo, vel reservandas esse alteri sacerdoti eodem mane celebraturo: alioquin ab eodem, qui celebravit, esse sumendas. Tandem refert, aliquos censere, Tambur. nempe et March. et probabile putari a Tourn. quod Sacerdos in Sacristia adhuc indutus vestibus sacris possit sumere reliquias quoque alterius sacrificii; quia omnes Missae unum censentur specie sacrificium: id tamen melius communiter negari dicit, nisi tamen adsit periculum irreverentiae. Negatur autem, quia Rubrica superius citata loquitur de reliquiis, quae ad idem sacrificium spectant et sane illae

non pertinent ad perfectionem sacrificii celebrati. Sed si ratio in contrarium allata pro priore casu aliquid valet, conciliabit quoque probabilitatem sententiae Tamburini.

Nihilominus praestat in his, nisi necessitas aliud suggerat, adhaerere presse Rubricis et communi sensui Doctorum. *

948. Quod spectat ad id, quod A. sub n. 5. docet, s. Alphonsus affert doctrinam eorum qui dicunt *aegro* dari posse particulam hostiae cum ablutione, si ob siccitatem nequeat deglutire: licet prius aqua deglutiatur.

At obliti ne tam cito sunt, pro aegris non requiri ieiunium?

Potius quaestio esset de sano, an ablutionem dare liceat, si hostia vel fragmentum in ore haereat. Id vero conceditur, etsi deglutiatur prius; quia lex vult ne cibus aut potus praecedat Eucharistiae sumptionem et heic revera lex servatur. Adde consuetudinem, quae legem explicat. Imo ipsae Rubricae idem Sacerdoti permittunt, *de Defect.* §. 8. « Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat et sumat ante purificationem, *vel infundat vinum et sumat* »: quo in casu fieri nequit, ut aliqua pars vini prius non deglutiatur. Et ait Lugo disp. 15. n. 85. posse iterum vinum infundi, usque dum particula sumatur.

XCIV. Unus casus est, in metu mortis, ad quem evadendum, sicut sine altari vel calice consecrato aut vestibus sacris, ita etiam non ieiunum posse celebrare, docet Dian. cum Sylv. etc. p. 3. t. 6. r. 48. et p. 5. t. 3. r. 39. dummodo celebratio non exigatur in contemptum Religionis, Ecclesiae vel eius praeceptorum.

949. Admittit s. Alph. n. 289. hanc doctrinam quoad omissionem ieiunii: non vero quoad celebrationem sine vestibus, sine altari; quia inquit, « intrinsece malum est, ob irreverentiam quae infertur sacrificio ». Nescio an haec satis cohaereant; nam et ieiunium praecipitur ad reverentiam, non secus ac sacrae vestes etc (a). Ceterum sunt casus confícti.

* Adverte tandem cum Lugo l. c. n. 72. quod et A. docet resol. 1. facultatem communicandi absque ieiunio in mortis periculo non limitari ad aegrotos, sed locum habere in iis etiam, qui iuste vel iniuste interficiendi sunt vel certe sunt in eiusdem mortis periculo. Si ex. gr. periculosum praelium sit committendum, vel instet periculosa navigatio nec possunt commode exspectare, ut sequenti die ieiuni communicent. Cf. eundem Lugo disp. 16. n. 47. et vide heic sub §. LXXI.*.

(a) Sed defectus ieiunii potest esse occultus et certe non ita animos adstantium percellit, sicut defectus omnium vestium sacrarum et altaris, ita ut communis sensus apprehendat quidem, in posteriore casu rem sacram agi profano modo, non vero in priore. Nihilominus Laymann *de Legibus* c. 14. n. 9. id permittit cum Auctore, ut ab morte intentata coactus sacerdos celebret sine sacris vestibus et altari; dummodo non exigatur in contemptum religionis. E.

Articulus III.

De obligatione sumendi Eucharistiam.

XCV. Respond. 1. Sumptio Eucharistiae fidelibus adultis est necessaria necessitate non medii, sud praecepti divini obligantis tum in articulo mortis per modum Viatici, tum etiam saepius in vita, ut docent Suar. Vasq. Laym. Fag. et alii commun. probantque tum ex Scriptura, tum ex Concil. Nicaeno et Trid. sess. 13. c. 6. tum ex praxi Ecclesiae: tum quia Eucharistia est instituta per modum cibi, cuius usus saepius est necessarius. Bon. dist. 4. quaest. 7. p. 1. n. 3.

950. * Conferantur de hac re Theologi dogmatici. Necessitatem non esse *medii* ad salutem consequendam (huc enim spectat, quae dicitur simpliciter necessitas medii), probatur ex eo, quod status gratiae sufficit ad salutem, quem statum sumptio Eucharistiae supponit.

Utique cum Eucharistia sit ad modum cibi nutrientis instituta, eius necessitas ea esse videtur ad vitam spiritualem alendam quae est cibi materialis ad vitam corporalem. Haec porro est quaedam necessitas medii. Eam necessitatem profecto non negamus; cum reapse huc spectent verba Domini: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* Ioan. VI. 53. *Non habebitis*, inquit, h. e. non conservabitis vitam in vobis.

Verum, ut scite advertit Lugo disp. 16. n. 12., haec ipsa necessitas non est ex rei natura; nam gratia sanctificans, semel accepta, conservatur, quandiu non expellitur per peccatum mortale et affert secum ex lege Dei auxilia, quibus vitari potest omne peccatum mortale: quare, si non fuisset praeceptus usus huius sacramenti, posita etiam institutione eiusdem sub ratione cibi, is utilis quidem esset sed non esset necessarius quemadmodum necessarius est cibus corporalis, sine quo vita corporalis nequit conservari. Ut ergo cibus iste spiritualis imitaretur, in necessitate sui usus, cibum corporalem, oportuit ipsum institui una cum positivo praecepto illum sumendi, necessitas ergo eius sumptionis redit ad necessitatem praecepti.

Hoc praeceptum non tangit infantes baptizatos, nondum usum rationis adeptos; quia nequeunt gratiam amittere, sed necessario in eis ipsa conservatur. Sunt tamen eiusdem ipsi capaces; quia gratiam, quam habent, augeri semper potest. Cf. Trid. Syn. sess. 21. cp. 4.

Cum praeceptum divinum sit, sumendi hoc sacramentum tanquam nutritivum vitae supernaturalis, sponte consequitur, praeceptum esse, ut pluries in vita (nisi haec per accidens sit admodum brevis) sumatur, quemadmodum fieri solet de corporali cibo. Hanc esse suo tempore communem et veriorem sententiam dici Lugo l. c. n. 27.

951. Praeceptum quoque creditur esse divinum, ut in periculo mortis accipiatur; cum maxime necessaria est spiritualis confortatio, quam cibus iste affert, contra aggressiones satanae.

Hanc sententiam de praecepto divino obligante fideles communicare in periculo mortis Suarez disp. 69. sect 3. n. 2. defendit tanquam probabilem et piam, Lugo disp. 16. n. 27. ut communem suo tempore et veriorem: s. Alph. n. 285. dub. 2. eam simpliciter affirmat.

Ratio prior, quae a Lugo affertur, desumitur a canone nicaeno 13°, quo praecipitur, ut erga morituros *antiqua lex servetur, nempe ut ultimo et necessario viatico non priventur*. Porro, ait Lugo, non videtur sermo esse de necessitate ex praecepto ecclesiastico; quia lex ipsa ecclesiastica (canon nicaenus) non bene redderet pro ratione necessitatem provenientem ex eadem vel simili lege ecclesiastica: ergo est necessitas aliunde proveniens h. e. ex lege divina. Sed cur nequit Ecclesia legem sua antiquam confirmare, si praesertim quidam contradicant? Adverte necessarium viaticum in canone comprehendere quoque communionem. Integer canon hic est: « De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua et canonica servetur, ut si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico non privetur. Quod si desperatus (cuius certa mors videbatur) aliquis, accepta communione, supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec statutum tempus impleatur (agit scilicet de publice poenitentibus). Generatim vero et nullo excepto, quolibet excedente et Eucharistiam flagitante, Episcopus, cum probatione, impertiatur »; quia scilicet est necessarium viaticum.

Altera ratio, eodem auctore Lugo, est, quia ex ipsa institutione sacramenti tanquam cibi nutrientis colligitur divinitus imposita obligatio sumendi illud, quando necessarium putetur; atqui nunquam potest esse magis necessarium, quam in illo articulo, ex quo pendet ultimo aeternitas et imminet ultima lucta cum hoste, contra quem homo confortandus est et roborandus. Tempus ergo mortis iam per se est determinatum vi divini praecepti nec eget determinatione Ecclesiae, quae nunquam ostendit, censere, posse se ab Eucharistiae sumptione dispensare non legitime impeditum.

952. Christus Dominus iussit quidem fideles, pluries in vita communicare, sed quoties et quando, determinandum reliquit Ecclesiae suae. Haec autem, iuxta diversam temporum et devotionis exigentiam, non eandem frequentiam praescripsit. Errant certe, qui putant, ab initio obligationem vel usum fuisse, quotidie communicandi, cum ea aetate non solerent synaxes, nisi die dominico, celebrari. Et qui tam frequentem primis seculis communionem fidelium esse crediderunt, non

adverterunt, Apostolum hortatum esse fideles sui temporis, ne coniuges se fraudarent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut orationi vacarent 1. Cor. VII. 5.: porro heic oratio, cui fideles vacarent, non est oratio quaelibet, quae singulis instantibus fieri potest, sed communis et publica, cum ad Synaxes conveniebatur, ubi et Corporis Christi participes fideles fiebant. Cf. Estium in h. l. Habes ergo duo e sententia Apostoli: 1° coniuges, propter incontinentiam, sibi reddant debitum semper; nisi 2° identidem, ex mutuo quidem consensu, abstinere velint, ut ad sacram Synaxim et communionem se praeparent. Res est igitur ab eorum consensu tandem pendens: porro ea aetate non adeo erat frequens virginitas: cf. ibid. VII. 2. Nulla ergo erat lex aut consuetudo, ut omnes fideles, cum una convenirent, sacrae mensae participes essent.

Iam vero lex nunc est Ecclesiae, ab Innocentio III. in Conc. Later. lata, ut singuli fideles, qui ad annos discretionis pervenerint, singulis annis in festo Paschatis (quod ex declaratione Eugenii IV. Const. *Fide digna* amplectitur tempus a dominica Palmarum ad dominicam in Albis) communicent. Quam legem Trid. Syn. sess. 13. cn. 9. confirmavit.

953. Huic Ecclesiae legi non fit satis communione sacrilega. Id quidem docti Theologi, ut Suarez disp. 70. sect. 3. n. 2. Lugo disp. 16. nn. 44. 83. tenuerunt eamque Lugo communem sententiam vocat (unde colliges obiter, et sententias, quae communes dicuntur, posse esse falsas), etsi plures contra stetisse simul affirmet n. 82. Porro ea ducebantur ratione, quod finis praecepti non cadit sub praecepto; quod autem praecipitur, est communio sacramentalis, quae ab indigno quoque suscipitur. At damnata ab Innocentio XI. propos. 55. « Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem », patuit, non finem tantum, sed obiectum ecclesiastici praecepti esse communionem, quae sine conscientia peccati accipiatur. Sane praeceptum Ecclesiae non determinat nisi tempus implendi praecepti divini, quod proinde, posita ea determinatione, tunc urget: divinum autem praeceptum exigit communionem dignam, nec sacramentali sola contentum est: quamvis id Lugo sub aliqua distinctione receperit, quam confer sis l. c. n. 85.

954. Sunt qui distinguentes obligationem per se, quae est ex rei natura vel praecepto et obligationem per accidens, quae ex contingenti causa ac privata oritur, dicunt obligari, per accidens quidem, fidelem ad communionem, quando is iudicat, illud medium necessarium ad resistendum tentationi gravi. Cf. Lugo l. c. n. 25. At merito Suarez disp. 69. sect. 3. n. 7. advertit, quod, quamvis hic casus non sit omnino

impossibilis, rarissimus tamen erit et vix moraliter poterit accidere; quia sunt multa alia remedia, oratio, poenitentiae etc., quae de se efficacia sunt, praesertim si otium et occasiones peccandi auferantur et homo, quantum est de se, moralem diligentiam adhibeat. Adde, quod in tentationibus vehementioribus, cuiusmodi sunt carnis, vix poterit adduci fidelis, ut inter eas turpes imagines et commotiones versans, accedat ad sacram mensam. *

Unde resolves.

XCVI. 1. Quisque fidelis in periculo vitae quod praevidet vel merito timet, v. gr. in gravi morbo, ante conflictum vel puerperium, praesertim primum, ante navigationem etc. tenetur sub mortali communicare Suar. Vasq. dub. 214. Nisi tamen paucis, ver. gr. octo diebus ante communicasset; talis enim communio censeretur habere rationem Viatici, ut docent Suarez, Reg. Fill. contra quosdam, ut Gasp. Hurt. d. 10. dif. 2. etc. apud Escob. qui dicunt, eum, qui mane communicavit, si a prandio incurrat periculum vitae, teneri iterum sumere communionem, tanquam viaticum: imo Sà et Sylv. *v. Euch.* Fumus etc. et Caiet. *v. Communio*, putant non esse saltem mortale, communionem omittere, dummodo in Paschate sumpseris.

955. Sententia Caietani communiter reiicitur. Sed quaestio exstitit inter Theologos quoad alium casum, quem Lugo disp. 16. nn. 49. 50. sic proponit: « Utrum debeat vel possit dari viaticum illi, qui eadem die ex devotione communicaverat ». Porro ait: « varii fuerunt in praxi Theologorum sensus; potest autem dupliciter id evenire. Primo, si sacerdos v. g. celebravit mane vel laicus communicavit, cum bene valeret et postea vel morbo subito correptus vel vulnere aut alio casu percussus, in periculo mortis sit eadem die ».

« Secundo, si cum iam aegrotaret, mane non animo sumendi viaticum, sed ex devotione communicavit, postea vero eadem die, morbo ingravescente et morte instante, velit viaticum accipere ».

« Aliqui ergo sentiunt, in utroque casu posse iterum dari Eucharistiam: alii addunt, posse et debere. Alii in primo solum casu id concedunt: alii in eodem primo casu dicunt posse, sed non esse obligationem id faciendi ».

Advertit Lugo pro hac sententia aliquos afferri Doctores, eos tamen ipsam non docere, sed loqui in hypothesi, quod non eadem die, at *praecedenti die* quis communicaverit et concludit, se nullum invenisse auctorem, qui eam sententiam typis mandaverit.

Pergit: « Contrariam sententiam docent vel in communi vel etiam in particulari doctores omnes, qui, dum dicunt, etiam illum, qui paulo ante communicavit, posse postea, adveniente periculo, iterum communicare, addunt exceptionem: *nisi eadem die communicasset.* Sic loquitur Suarez disp. 69. sect. 3. n. 3. aliique ». Et quidem Suarez ibid. ait,

quod si quis eadem die, qua communicavit, viaticum sumat, ob istans periculum mortis, id « non solum contra omnes Doctores, sed etiam contra Ecclesiae consuetudinem esse videtur ».

Ratio huius sententiae est, tum quia vetitum est, bis in die communicare, tum quia, per communionem factam paulo ante mortem, etiam sine periculi aut mortis cogitatione satisfactum est reipsa praecepto communicandi in fine vitae (non enim ad satisfaciendum praecepto necessaria est reflexa intentio satisfaciendi), sicut de facto satisfacit, qui bene valens, sciens se cras occidendum, hodie communicat. Ita Lugo n. 57. Quocirca idem valet, etsi aliqua proxima praecedenti die communicaverit, ut non teneatur scilicet nunc communicare; quia iam communicavit in fine vitae: non negatur tamen in hac hypothesi posse rursus communicare; cum singulis diebus id liceat.

956. Aiebant alii, praecepto divino sumendi viaticum non posse fieri satis, antequam praeceptum ipsum incipiat obligare: non autem obligare incipit ante periculum mortis, praesertim si sit ab extrinseco, puta ex vulnere (nam si ab intrinseco, forte iam erat periculum, etsi ignoraretur): ergo, quamvis mane quis communicaverit, si vespere mortis periculum instat, viaticum est sumendum. Vasquez (cf. Lugo l. c.), qui principium illud propugnavit, negavit tamen hanc consequentiam eo quod desinit obligatio parendi praecepto divino, cum rite nequit fieri iuxta Ecclesiae ordinationes; porro praeceptum Ecclesiae obstat, ne bis in die quis communicet. Lugo vero n. 39. illud ipsum principium universaliter sumptum negavit, quod nempe per actum, ante praecepti obligationem factum, nunquam possit praecepto satisfieri cuius rei declarationem cf. apud ipsum.

S. Alphonsus n. 285. dicit, Lugo distinguere inter morbum naturalem et violentum et hoc morbo affectum posse viaticum sumere, etsi mane communicaverit; quia reapse prius non communicavit in mortis articulo constitutus: secus vero si morbus sit naturalis; quia iam periculum, etsi ignoratum, exstabat. Hanc sententiam probabiliorem sibi videri ait s. Doctor, qui addit, in priore hypothesi non solum posse, sed debere hominem rursus communicare. At Lugo illud proprie non dicit: sed solum affirmat, quod in ea hypothesi apparentius dici posset: quod posset iterum communicare (n. 54.); re tamen vera censet, non posse, ob praeceptum Ecclesiae, ne bis in die communicetur, *donec*, ait *legitima consuetudo contraria contrarium non induxerit* n. 55.

Illud etiam solvit n. 60., quod obiiciunt, hanc sententiam esse nimis rigidam. « Respondeo, inquit, magis rigidam esse contrariam, cum obliget sub peccato mortali ad accipiendam iterum communionem eadem die... Nam quod aliqui, mediam viam sequentes, dicunt, posse

quidem, sed non debere ex obligatione accipi secundam communionem, non videntur satis consequenter dici. Si enim viatici sumendi praeceptum non obligat, non apparet, unde habeatur illa licentia pluries in die communicandi, contra prohibitionem universalem; cum neque ex consuetudine aut ex lege aliqua probari possit ».

Iam vero vel modo contraria inducta est consuetudo vel tanta habetur discrepantia Doctorum (cf. s. Alph. l. c.), ut alterutrum impune liceat ei, qui mane communicavit, si dein mortis periculum aut adveniat aut appareat, scilicet vel rursus eadem die per modum viatici communicare vel non communicare liceatque parocho eam sententiam sequi, quae ei magis arriserit, ut docet Benedictus XIV. *de Syn.* l. 7. c. 11. n. 2.

A. monet, periculum vitae, quo viaticum est sumendum, non occurrere solum propter infirmitatem corporis et quotiescumque verum est, hominem de vita periclitari, obligatione urgeri quoque viatici postulandi. Cf. dicta n. 949. *.

XCVII. 2. Si in aegro esset periculum vomitus, docet Sanctius apud Dian. d. 5. t. 5. r. 55. posse ei parvam particulam dari, quae stomachum alteratura non putetur aut, si de hoc ipso dubium sit, securitatis causa, prius dari particulam non consecratam, quam si reiiciat, nullo modo dandam consecratam; secus si retineat. Si vero independenter a cibo perpetuo evomat, nullo modo dandam, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuisset.

957.* Rituale Rom. *de Comm. Infirm.* n. 4. habet: « Id diligenter curandum est, ne iis (viaticum) tribuatur, a quibus, ob phrenesim, sive ob assiduam tussim aliumve similem morbum, aliqua indecentia, cum iniuria tanti sacramenti, timeri potest ». S. Alph. n. 292. tria advertit.

Primum est, quod tussis per se non impedit communionem, quia via, per quam sputa tussiendo excutiuntur, non est oesophagus, sed trachaea; at nihilominus si tussis assidua prohiberet deglutiri sacras species, qui est casus, quem Rituale spectat, non esset danda communio.

Alterum est, quod in dubio, an infirmus sit sacram particulam revomiturus, probabilius est, non esse dandam communionem; quia reverentia debita sacramento praeferenda est utilitati infirmi.

Tertium est, in casu phrenesis vel delirii, optimam esse praxim, si prius detur infirmo particula non consecrata, ad experiendum, an decenter possit deinde sumere Eucharistiam*.

XCVIII. 3. Pueris doli capacibus, qui sciunt distinguere Eucharistiam ab alio cibo probabilius est in periculo mortis eam esse dandam pro Viatico, ut contra Vasq. insinuat Laym. t. 4. *de Euch.* c. 4. et expresse docet Suar. d. 40. s. 1. confirmatque Card. de Lugo d. 13. s. 4. n. 28. et addit (contra Sanch.) si de capacitate pueri sit dubium, posse nihilominus dari, etsi non sit necesse.

958. Ratio, cur dari debeat ex Lugo disp. 13. n. 87. est, quia Ecclesia determinavit suo praecepto id solum, quod erat indeterminatum;

id vero non spectat ad articulum mortis. Quoad articulum mortis igitur remanet integrum praeceptum divinum. Licet ergo quoad communionem annuam Ecclesia non censeatur includere pueros omnes, sed cum latitudine ad arbitrium *confessarii* (hoc iuxta alios gratis asseritur, quia Synodus Oecumenica Lateranensis IV. aliter decernit cap. *Omnis utriusque sexus*): tamen quoad articulum mortis, nullum est fundamentum eam latitudinem admittendi. Ita et Salmant. cap. 8. n. 13.

Communissima est haec sententia, utilitas autem Eucharistiae tunc maiorem dispositionem non exigit, prout et in adultis vi morbi distractis et impeditis fit.

959. Solent Doctores hoc loco potiusquam de pueris vita periclitantibus, generatim de ipsis inquirere, utrum et quando praecepto sumendae Eucharistiae obligentur.

Cuius quaestionis obvia facilisque solutio prostare sane videbitur in hoc Decreto Oecumenici Concilii Lateran. IV. sub Innocentio III. (cap. *Omnis utriusque sexus*): *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel in anno confiteatur proprio sacerdoti..., suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum.* Eo vel magis, quod ad hanc obligationem firmandam accessit Canon Tridentinus anathemate eos feriens, qui illam negarent. Sic enim s. Synodus sess. 13. can. 9.: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, iuxta praeceptum, s. Matris Ecclesiae, anathema sit.*

De obligatione igitur, quam esse gravem nemo diffitetur, satis constat. Restat inquirendum, quandonam pueri ad annos discretionis pervenire censeantur et quaenam discretio in rem praesentem sit exigenda. Hoc autem duplici ex capite nosse licet.

960. Primo quidem ex sensu Doctorum. E quibus s. Thomas, qui paulo post Synodum Lateranensem floruit, haec scripsit 3. p. q. 80. a. 9. ad 3.: *Quando iam pueri* incipiunt aliqualem usum rationis *habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.* In quibus fac bene advertas illas voces: *incipiunt habere* et *aliqualem usum rationis.* Neque te moveat, quod s. Doctor exigat pueros capaces *devotionis.* Iam enim in corpore articuli dixerat, *aliquam* dumtaxat devotionem exigi. *Aliqui* (ait) *dicuntur non habere usum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt et quia tales possunt* aliquam *devotionem huius sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum.* Ex quibus etiam patet, *aliqualem usum ra-*

tionis perinde esse ac *debilem usum rationis.* Et quidem ex eodem s. Thoma deducta est celebris penes plurimos scriptores regula, pueros tunc huius sacramenti participes fieri posse, cum panem a pane distinguere norunt. Sic enim s. Doctor in 4. dist. 9. q. 1. a. 5. q. 4.: *Dicendum, quod pueris carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem et corporalem, non debet Eucharistia dari... Pueris autem iam incipientibus habere discretionem etiam ante perfectam aetatem... hoc potest dari, si in eis signa discretionis appareant et devotionis.*

Hoc ipsum reperis apud Dominicum Sotum, ubi in 4. dist. 12. art. 9. in fin. scribit: *Quae autem sit legitima aetas, in qua possint parvuli Sacramentum hoc suscipere, nulla est certior regula, quam dum iudicio prudentum et maxime confessarii apparet puer bivium litterae Pythagoricae Y attigisse, ut scilicet discernere possit inter bonum et malum atque adeo inter hunc cibum et alios seculares.*

Et ne plures heic afferantur, satis sit audivisse Mart. Ledesma, qui communem omnium sententiam sic in s. Thom. q. 80. a. 9. dub. 6. expressit: *Dico ex omnium consensu, quod omnibus habentibus usum rationis esto danda Eucharistia, quantumcumque cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer, quid faciat.*

Et accedit Catechismus Romanus *de Euch.* n. 62., qui demum ab Eucharistiae sumendae praecepto eos solummodo excipit, qui carent usu rationis. *Verum* (inquit) *quamvis haec lex Dei et Ecclesiae auctoritate sancita ad omnes fideles pertineat, docendum est, eos tamen excipi, qui nondum rationis usum propter aetatis imbecillitatem habent.*

961. Alterum, e quo innotescat, *quinam sint anni discretionis*, esto communis non Doctorum tantummodo sed omnium hominum sensus. Et sane non solum Doctores, sed omnes homines in hoc consentiunt, *usum rationis* seu *annos discretionis* etiam in puero requiri, ut capax censeatur et reipsa sit 1° peccandi mortaliter, 2° valide nuncupandi vota, quae gravem obligationem inducant, 3° valide (spectato iure naturae) contrahendi, 4° sponsalium vinculo se obstringendi, 5° poenitentiae sacramentum suscipiendi. Et quidem circa haec vix ulla exstat controversia, illud autem unum demum cavetur, ut certa regula, qua de sufficienti rationis usu seu discretione praesumatur, ex communiter contingentibus definiri debeat. Ea porro huc redit, ut valida censenda sint sponsalia a puero octavum annum agente (expleto scilicet septennio), nisi probetur, quempiam praeter ordinarias naturae leges serius rationis usu potitum esse; igitur non apparet, cur tantopere haerere debeamus, ubi de sensu legis in Conciliis Lateranensi et Tridentino latae definiendo agitur.

Et reipsa nihil haesitans ita de hac re definivit s. Antoninus puerumque, ubi peccandi mortaliter capax esset, legi recipiendi sacramenta tum Poenitentiae tum Eucharistiae subditum declaravit. Ita ille part. 3. tit. 14. cap. 12. §. 5.: *Sed cum est doli capax* (puer) *cum scilicet potest peccare mortaliter, tunc obligatur ad praeceptum de Confessione et per consequens de Communione, quae simul dantur.*

962. Undenam igitur (inquies) quorundam dissensio Auctorum, qui cum Ecclesiae Decreta aeque omnes venerentur, quasi tamen ab iis discedunt et tempus accedendi ad Eucharistiam aliquanto protrahunt? Respondeo, tribus de causis id factum videri, quas tamen probari omnibus posse vehementer dubites. Ac primo quidem nonnulli (quod specialibus locorum forte temporumve adiunctis tribuendum dixeris) multo serius, quam fere nunc contingat, rationis usum aliquem advenire sunt opinati. Hinc s. Antoninus part. 2. tit. IX. cap. VIII. §. 2. quaerens, *Quis* (iuxta decretum Lateranense) *dicatur annus discretionis, in quo quis tenetur confiteri* ac praemittens, quod *Glossa super dicto capitulo* Omnis *dicit, annum discretionis esse, quum est doli capax; idem Richardus in 4. et quidam alius in 4. idem sentit dicens, quod doli capax est, quando habet usum rationis et cognoscit peccatum; cuius signum est, quod dat interroganti ordinatas responsiones: Hostiensis autem... dicit, quod tenentur pueri ad confitendum, quum sunt doli capaces, et non aliter;* deinde illos refutat, qui dicebant, annum discretionis esse octavum annum, quia (inquit) *in pluribus octavo anno puer nondum habet usum rationis.* Unde hoc infert: *Certum est autem, quod ante usum rationis nullus peccare potest, nec legibus adstringitur; unde nec talis per consequens confiteri tenetur.* Suam autem sententiam sic subdit: *Et cum pari praecepto quilibet obligetur ad Communionem, sicut ad Confessionem, ut patet per ipsam Decretalem, dicit b. Thomas in 4. Sent., quod pueri circa undecimum vel duodecimum annum, si appareant in eis signa devotionis, ita scilicet quod sciant discernere panem materialem a sacramentali, possunt communicare: quod dicit, quia praesumitur iam eos habere usum rationis, et non antea.* In quem locum ex s. Thomae codice forte minus emendato irrepsit error; textus enim s. Thomae in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 4. non habet *undecimum vel duodecimum*, sed *decimum vel undecimum*, prouti praeter alios legerunt etiam Tabiena (V. *Communicare* n. 6.), et Sylvester (V. *Eucharistia* III. n. 7.). Sed parum hoc est; nam alii (vid. Ledesma l. sup. c.) in pueris ante decimum quartum annum eiusmodi discretionem adhuc desiderari autumarunt.

963. Aliam causam huius quasi discessus a Lateranensi ac Tridentina sanctione reperimus apud Sotum; quippe qui utcumque concedat

in 4. disp. 12. art. 9. in fin., pueros sacrae synaxis capaces esse anno aetatis decimo ac probet sententiam Paludani, qui etiam anno nono (vid. Tabiena V. *Communicare* n. 6.) idoneos illos putat, quin et octavo anno *vivacissimum* puerum a sacra mensa prohiberi non posse statuat, tamen generali quodam principio praestituto, neminem Ecclesiae legibus obligari nisi duodecimo aetatis anno, pueros neque Confessionis neque Communionis praecepto ligari ante hanc aetatem docet. Sic enim ille l. c. art. 11.: *Sed si quaeras, utrum universi christiani isto praecepto* (scil. Later. Synodi) *obligentur, respondetur primum, quod pueri non obligantur usque ad duodecimum annum, quando aliis tenentur ecclesiasticis legibus. Etenim licet paulo ante rationis crepusculum possint illud suscipere, tamen ad obligandum ad sacramentum tam Poenitentiae quam Eucharistiae maior aetas requiritur.* Et post Sotum Valentia tom. 4. disp. 6. q. 8. Punct. 4. id ipsum sic tradit: *Animadvertenda sunt hîc quaedam. Primum est, ante annum duodecimum non obligare id Ecclesiae praeceptum, ut bene notat Sotus. Etsi enim ante quoque aliquibus contingat habere eam discretionem rationis, ut possit quidem eis dari Eucharistia..., non tamen ante illud tempus aetatis habent eam discretionem, ut etiam teneantur recipere Eucharistiam, vel etiam confiteri, inquit Sotus.* Attamen et ipse l. c. punct. 2. concesserat, pueros generatim loquendo ad Eucharistiam decimo anno admitti posse. *Tempus vero* (inquit), *quod ad Eucharistiam admitti possunt pueri illud est, cum eiusmodi pollere incipiunt rationis usu, ut possint satis discernere hunc caelestem cibum a ceteris. Quod ordinarie contingere solet circa decimum aetatis annum, ut notat Sotus.*

964. Tertiam denique causam aliter opinandi, ac ferre lex Lateranensis videatur, cernere licet apud Suarez. Quamvis enim hic sibi probari affirmet opinionem Soti et Valentiae, nimirum pueros idoneos esse posse ad Communionem, non tamen idcirco ad id lege esse adstrictos; verum rationem non petit cum Soto ex generali quopiam principio de ecclesiasticis legibus ante annum duodecimum non obligantibus, sed aliis utitur adminiculis, quibus forte magna ex parte deberi videtur confusio in hanc quaestionem inducta. Praestat ipsum audire (*de Sacr.* disp. 70. sect. 1.): *Addit vero Soto et mihi etiam probatur, non statim ac hi pueri perveniunt ad aetatem, in qua possunt licite communicare, ad id obligari, sed post aliquod tempus, v. gr. post unum vel alterum annum.* Sic porro rationem horum reddit: *Nam et usus Ecclesiae ita videtur hanc legem declarasse et rationi consentaneum est, ut Ecclesia non obliget, cum primum potest: sed facultatem concedat exspectandi per aliquod tempus vel propter maiorem reverentiam Sacramenti vel propter maiorem fructum percipientis, vel ne hi pueri exponantur pe-*

riculo transgressionis: securius autem hoc fiet, si consilio Confessoris fiat; sic enim non discordabitur etiam a verbis legis.

Dixi porro, valde dubitandum, num tres istae dilationis causae probari queant. Et quod ad primam spectat, vel pauca illa, quae superius attigimus circa definiendum annum discretionis, satis superque evincunt, s. Antonini de hac re opinionem communi omnium sensui adversari. Et quidem ex iis, quae communiter traduntur de aetatis ac porro discretionis in paucis sufficientia tum ad contrahendas sive voti sive sponsalium obligationes, tum ad peccandum graviter et Poenitentiae sacramentum recipiendum, a fortiori argui potest quoad sumendae Eucharistiae capacitatem. Quis enim non videt, ad habendum illum *aliquem* (ut ait s. Thomas) devotionis sensum, qui ad digne sumendam Eucharistiam unice requiritur, multo minorem discretionem sufficere, quam aut ad concipiendos affectus sacramento Poenitentiae valide recipiendo necessarios, aut ad vim percipiendam gravis obligationis in votis ac sponsalibus requiratur?

965. Quod vero attinet ad Soti opinionem, quae pueros ligari negat ecclesiasticis legibus ante duodecimum aetatis annum, haec, uti patet, contra se communem habet Doctorum sententiam. Qua de re etiam Suarez *de Poenit.* disp. 36. sect. 2. n. 3. ita habet: *Quidam existimant, eos* (pueros) *non obligari hoc* (Confessionis) *praecepto; quin potius Soto dicit, pueros ante duodecimum annum non obligari hoc praecepto: cuius nullam affert rationem... Dicendum vero est, omnem illum, qui scit peccare mortaliter, obligari hoc praecepto; unde sicut non potest certa aetas designari, in qua homo pervenit ad usum rationis et inter bonum et malum valet discernere, sed alii citius, alii tardius ratione utuntur (quod prudentis viri iudicio discernendum est), ita non potest certa aetas praescribi, in qua homo incipit obligari hoc praecepto. Haec est communis doctrina... Consentiunt etiam Glossa et Canonistae in dict. Cap.* Omnis utriusque sexus, *et idem tandem sentit* Soto D. 18. q. 1. a. 3. in fine. *Probatur ex verbis textus.* Cum ad annos discretionis pervenerit; *anni enim discretionis significant aetatem, in qua homo scit peccare. Secundo, quia isti obligantur praecepto iuris divini; sed hoc praeceptum est determinatio illius praecepti, ut dictum est. Tertio, isti possunt obligari aliis praeceptis Ecclesiae, saltem quoad vim directivam, quidquid Soto dicat; tenentur enim audire Sacrum in festis et abstinere a carnibus in die prohibito: cur ergo non obligabuntur hoc praecepto maxime necessario?* Quod vero ait Suarez, tandem etiam Sotum in hoc convenire, id ad definiendum annum discretionis et obligationem confitendi pertinet. Haec enim l. c. habet Sotus; *De verbo autem illo Decretalis:* Postquam ad annos discretionis

pervenerint, *nil opus est disputare. Haud enim designat certum tempus, ut duodecim aut quatuordecim annorum, sicut ad contrahendum matrimonium, sed cum primum puer fuerit doli capax, sic scilicet, si inter bonum et malum discernere coeperit et prudentium iudicio mortaliter peccet. Et ratio est clara: nam cum necessitas praecepti Confessionis tam divini quam humani ex eius necessitate ad salutem oriatur; cum primum homo necessitatem salutis incurrit, tenetur etiam ad Confessionem tum semel in anno, tum et in articulo mortis. Verum est tamen, quod usque ad annum aetatis duodecimum Ecclesia per censuras neminem ad Confessionem cogeret, licet noverit, etiam ante posse peccare...; nam a septem annis, ubi desinit infantia et incipit pueritia, peccare possunt.* Quae postrema cum iis congruunt, quae superius ex ipso protulimus, nempe puerum vivacem etiam *octavo anno* posse Communionis esse capacem.

966. Demum, ut Suarez opinionem attingamus, enimvero haec forte minus rationabilis, quam praemissae s. Antonini et Soti videri merito poterit. Et sane istae post praestituta ab illis principia, saltem sibi cohaerent. At vero Suarez cum Soto quidem admittit, uno alterove anno expectari posse etiam quando pueri ad recipiendam Eucharistiam iam antea accedere licite possent; attamen rationem non recipit a Soto allatam, pueros videlicet non teneri ad servandas ecclesiasticas leges ante annum duodecimum; quin expresse eam reiicit ac refutat. Quo igitur pacto quave ratione pueros etiam sua sententia ad Communionem idoneos eximit a Communionis obligatione, quam Synodi oecumenicae Lateranensis ac Tridentina adeo manifeste edicunt? Recurrit nempe, ut superius vidimus, 1° ad usum Ecclesiae, 2° ad rei congruentiam: cuius congruentiae triplicem rationem affert, nempe 1° maiorem reverentiam, 2° maiorem percipientis fructum, 3° periculum transgressionis.

Porro ut a postremo hoc exordiamur, si censet, Ecclesiam noluisse pueros ante annum duodecimum obligare ob periculum transgressionis, quia nempe aetas minus matura facile omittet implere praeceptum; cur reiicit doctrinam Soti, qui hac omnino de causa negabat, immaturam illam aetatem obligationis capacem esse? Cur eidem Soto opponit obligationes vel Confessionis, vel abstinentiae a carnibus, vel audiendi Missam, quibus abstringi pueros ante 12^{m} annum contendit? Quinimo siquidem Ecclesia ob hanc causam differt, ut ipse putat, obligationem Communionis, potiori iure differendae aliae obligationes forent; multo enim facilius, ut experientia suadet, pueris transgredi accidet praeceptum audiendi Missam diebus festis, aut carnibus abstinendi.

Quod autem dicitur de maiori reverentia, leve est. Nam aut suf-

ficientem praestare reverentiam censetur puer ante duodecimum annum, aut non. Si sufficientem non affert, cur ipse Suarez concedit, eum etiam tunc posse ad Communionem accedere? Si vero sufficientem praesefert, cur eum a gravi hoc praecepto eximit? Decursu aetatis, inquit, *maior* accedet reverentia. At enim nimis haec ratio probat. Nam pari iure alius opponet, maiorem reverentiam vigesimo, quam duodecimo anno praesto fore. Licebitne idcirco maioris reverentiae praetextu Communionem ad eam usque aetatem, posthabita Ecclesiae lege, differre? S. Thomas, uti superius diximus, *alicuius*, non autem *maioris* devotionis capacem decreto Ecclesiae adstringi docet atque, ut inquit Paludanus (vid. Tabien. V. *Communicare* n. 6.) *ignorantiam in pueris compensat innocentia.*

Ratio vero petita ex maiori percipientis fructu, si Communio differatur, in primis eodem, ac praecedens, vitio laborat et nimis probat. Insuper ideo etiam claudicat, quod supponat quodammodo, fructum maiorem, qui adultiore aetate forte speretur, minori, qui citius percipiatur, quasi impediri. Id autem per se falsum omnino est. Meminisse denique oportet, Eucharistiam accenseri Sacramentis Novae Legis, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato*, quandocumque obicem in suscipiente non reperiunt. Etsi vero coniici forte possit, maiorem aliquem fructum, qui *ex opere operantis* accedat, a minus tenera aetate esse exspectandum, at nonne ab hac ipsa aetate, qua vitia corruptae naturae adolescere incipiunt, timendum erit plus aliquid obicis, quando contra tenerioris innocentia aetatis, ut aiebant veteres DD., ignorantiam compensat? Sed praeterea fac in memoriam revoces singularia huius Sacramenti charismata propriosque fructus et quod ex Christi institutione spiritualis vitae alimentum ac robur sit, peccatorumque ac vitiorum antidotum. Porro praestabitne imaginario maioris cuiusdam fructus obtentu puerilem aetatem eximiis hisce ac simul necessariis praesidiis uberrimaque gratiarum copia, qua praeservetur atque communiatur eius innocentia, privasse?

967. Denique quod obiicitur de communi usu, qui sit legis interpres, si quidem accipiatur pro consuetudine, qua pueri ad Confessionem prius, quam ad Eucharistiae participationem fere admittantur, hoc facile conceditur nec huius consuetudinis iusta ratio deest. Quippe cum ex omnium consensu ad Confessarium maxime spectet iudicium, an pueri sint doli capaces atque adeo ad Sacramentorum perceptionem idonei et simul sic absit periculum, ne incapacibus sacramentum conferatur, utique ad Confessionem in antecessum sapientissime mittuntur. At si intelligatur consuetudo differendi communionem ultra eam aeta-

tem, qua eiusdem capax sit puer, hunc melius abusum tum negligentiae tum praeiudicatae quorumdam opinioni adscribendum dixeris, quam Ecclesiae consuetudinem.

Et sane ipse Suarez cit. disp. 70. sect. 1. haec praemiserat: *Fere omnes in hoc conveniunt, non posse generaliter definiri hanc obligationem per hominum actatis seu annorum numerum... Saepe ante duodecimum aetatis annum sunt multi ita doli capaces atque ita instructi in rebus fidei,* UT SINE DUBIO HOC PRAECEPTO OBLIGENTUR. Et subdit deinde, id *decimo quoque anno, nono scilicet expleto* contingere. At enim si ipso fatente conveniunt fere omnes Doctores (Sotum nempe excipiemus, quem etiam ibidem Suarez confutat), obligationem desumendam ab aetate esse: quorsum nobis obtruditur ceu legitima Ecclesiae consuetudo, eorum abusus, qui ulterius ac aetas exigat, Communionem differunt? Addit ibid., *rationi consentaneum esse, ut Ecclesia non obliget, cum primum potest.* Quae sane egregie dicta fateremur, ubi de mente Ecclesiae indiciis plane incertis coniectandum foret. At postquam mentem suam Ecclesia manifestissime aperiens ad sumendam Eucharistiam non solum obligare potuit, sed reipsa omnes obligavit, quicumque ad annos discretionis pervenissent et insuper hanc obligationem negantes anathemate perculit; quisnam, quaeso, locus dubitandi de hoc iam superest? Aut dicemus Ecclesiam, cum obligavit vix dum potuit obligare, quidpiam minus rationi consentaneum peregisse?

968. Nihil autem opus est quosdam morari, qui post Suarez huc revocant verba illa Lateranensis Decreti: *Nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum:* quasi vero ex his libera fiat confessario potestas eximendi ab obligatione illos qui alioquin sunt capaces et obligantur. Nam utique, ut verbis utar s. Antonini part. 2. c. 9. §. 1. *secundum quod potest Confessor ex confessione eorum percipere de usu rationis eorum maiori vel minori, sic potest et debet eis consulere vel arctare* (scil. obligare) *ad Communionem:* ubi parentes quoque, ac magistros scholarum monet ibid., quod *debent bene eos hortari, si vident eos habere bonam discretionem vel dimittere id iudicio Confessorum suorum:* ac demum illud etiam gravissimum addit: *Retrahendo autem eos solum ex hoc, quod sunt parvi et quia non est de more patriae, quantumcumque habeant usum rationis, quod communicent, graviter peccant.* At aliud est, quod Confessarii iudicio deferatur circa sufficientem usum rationis, aliud quod usum rationis adeptos eximere Confessarius ab obligatione possit. Qui autem spectent citata Innocentii III. verba, obvium est; *quando scilicet,* ut notat

Gonzalez, *in Decret.* lib. V. tit. 38. cap. VII. *Confessarius differt absolutionem, ut experiatur an propositum poenitentis firmum sit, aut quia ipsum absolvere iniustum iudicaverit, donec poenitens occasionem proximam peccandi vitaret: quibus in casibus fidelis non communicans in paschate minime erit reus praecepti ecclesiastici, nec poenas impositas in praesenti textu patietur.* Et pari modo obvium est, ea verba ad pueros non spectare; cum enim dicat Innocentius, *Nisi forte... de consilio Confessarii duxerit abstinendum,* absonum est id de pueris illis intelligere, qui non suo sed alieno arbitratu in his ducuntur.

Ceterum abiecta semel singulari illa Soti opinione de pueris a quavis ecclesiastica lege ante annum duodecimum exemptis et posthabitis aliis ratiunculis, quibus dilationem pueris ex communi sententia obligatis concedi posse contendit Suarez, restat sententia, in quam post s. Thomam communiter, prout affirmat etiam s. Alphonsus lib. 6. n. 301., conveniunt Doctores, pueros decennes *regulariter* et aptos esse ad Eucharistiae participationem et idcirco huius obligationis esse capaces. Quam in rem idem s. Alphonsus, postquam ex Synodo 9ª Mediolanensi retulit monitum s. Caroli, *ut Parochi illos, qui decennium attigerint* (N. B. *attigerint,* non *expleverint*) *accersant, instruant ad cognitionem Eucharistiae doceantque ut quam reverenter ad eam accedant,* rationem sic reddit, cur dictum fuerit *regulariter: Nam* (inquit) *ut advertunt DD., citius possunt obligari pueri, qui ante talem* (scil. decennii) *aetatem perspicaciores conspiciantur. Unde recte Bonacina reprehendit parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem nisi pueros in certa aetate constitutos.*

969. * Quid ergo dicendum de decretis quorundam Episcoporum, in Galliis praesertim, quibus determinatur tum modus admittendi pueros ad primam communionem, ut nempe praemissa communi instructione et piis etiam per plures dies exercitiis, stato die publice et sollemniter coram omni populo fiat, renovatis etiam publice baptismi promissionibus, tum determinatur tempus, quo haec fieri debent atque aetas, videlicet 12. annorum etc.

Respondemus, scopum huius institutionis optimum esse. Si enim christiani primorum seculorum plurimi firmi erant in fide et secundum fidem exigebant mores suos, illud inde etiam repetendum erat, quod plurimi aetate adulta, scientes quid facerent, liberrime, ex animi persuasione, Christo nomen dabant. Simile proinde subsidium christianis nostrae aetatis, qua fides universim frigescit et a parentibus religiosa educatio negligitur, comparari visum est hoc pacto; ut ad primam communionem quam maxime praeparati accederent fideles, vitae chri-

stianae obligationes penitus cognoscentes atque ex integro corde admittentes unaque profitentes publice, se velle Christi esse et Ecclesiae suae adhaerere. Ipsa experientia demonstravit, eos, qui a primis annis cum his sollemnitatibus ad primam communionem accesserunt, etsi deinceps in mala, pro humana fragilitate, proruerint, plerumque recordatione primae communionis sollemniter peractae et propositorum, quae tunc emiserunt, in viam salutis revocatos esse. Haec igitur bona, quae talis institutio gignit, compensare valent profecto damnum, quod ex dilata parumper communione oriri posse videatur.

970. Verum ne quid nimis. Etiamnum, Deo favente, optimas constat haberi familias, quae liberos suos a teneris annis religiosa disciplina sancte imbuunt, foventes in iis castum Christi amorem et etiamnum sunt pueri aut puellae, qui ante annum duodecimum, imo et decimum, bene praeparati reperiuntur ad primam communionem, sive notitiam debitam spectes sive devotionem illamque cum fructu in dies semper incrementa facturo percipere valent. Cur quod desiderant et ad quod ius tandem habent atque Ecclesiae lege statutum est, iis negabis?

Recte ergo Romana Sedes haec omnia composuit. Satis sit duo decreta seu responsa afferre s. C. C. Alterum est datum 15. Mart. 1851. « Nulla canonica lege sancitum est, ne Communio ministretur pueris ante duodecimum annum... Meminerint parochi, se pueris, quos rite dispositos invenerint, diutius denegare non posse panem illum supersubstantialem, qui est animae vita et perpetua sanitas mentis ».

Alterum est datum 21. Iul. 1888.: « An decreta Episcopi Anneciensis (quibus determinabatur modus admittendi pueros ad primam communionem, tempus, quo haec fieri deberet, aetas annorum 12. etc.) sint confirmanda vel infirmanda in casu? » Responsum est: « Attentis locorum et temporis circumstantiis, affirmative ad primam partem, iuxta modum. — Modus est, ne Episcopus parochos prohibeat ab admittendis ad primam communionem (privatam tamen) iis pueris, de quibus certo constat, eos ad discretionis aetatem, iuxta Conciliorum Lateranensis IV. et Tridentini decreta, pervenisse ». Addidimus intra parenthesim : *privatam tamen;* nam ipse « Sanctissimus in audientia diei 23. Iulii iussit declarari : verba *ad primam communionem* esse intelligenda ad exclusionem primae communionis in forma sollemni ».

Quocirca Cardinalis Praefectus hanc explicationem Episcopo transmisit « Parochus potest communionem dare adolescenti, quem putat instructum et discretionem habere, ut intelligat quod agit: verum private absque ulla sollemnitate et publicitate. Si autem agatur de administranda s. Communione in forma publica et sollemni, iuxta morem Ecclesiarum Franciae, tunc observandum est Episcopale decretum ». *

XCIX. 4. 1. Qui post Viaticum sumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuo communicare. Ita Reg. Fill. Card. de Lugo et alii.

971. Quod aliae possint esse causae, cur rursus non afferatur s. Eucharistia, facile admiserim. Sed quod ratio sit, quam quidam (apud s. Alph. n. 293.) afferunt, nullibi scilicet talem obligationem praescribi, non video. Nam eadem lex valere videtur, quae sumptionem viatici praescribit, scilicet necessitas eius praesidii in illo periculo.

C. 5. Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere. Ita Bonac. d. 4. q. 7. p. 1. ex Henriq. Reg. etc.

972. Clara res est; est enim obligatio, quae ad illud tempus est determinata et idcirco, eo transacto, finitur.

CI. 6. Iudex tenetur, per se loquendo, reis concedere tempus communicandi, ut docent Suar. Bon. l. c. et alii communiter, contra Nav.: quod si reus noluerit, potest iudex procedere. Fill. t. 4. c. 8. q. 11. n. 238.

973. Nulla est difficultas: s. Alph. n. 247. ait: « Negat Contenson d. 4. c. 1. spec. 3. posse dari communionem damnatis, nisi diu prius poenitentia sua crimina expiaverint. Sed recte affirmat laudabilius, posse dari disposito per communionem P. Concina, ut usus habet in Italia et Germania (secus in Gallia et Hispania) et etiam una hora ante mortem, si necessitas urgeat. Ex Concilio enim Nicaeno can. 13. Eucharistia est omnibus danda, qui ad exitum vitae veniunt ». Refertur s. Pius V. (v. Roncaglia *de Euch.* c. 6. q. 3.) improbasse consuetudinem negandi Eucharistiam capite damnatis. Cf. n. 949.

De Commun. Paschali.

CII. Respond. 2. Etsi Christus tempus communionis, extra periculum mortis, non praeceperit: Ecclesia tamen pro ea determinavit tempus Paschale, quod communiter numeratur a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; alicubi tamen totam Quadragesimam comprehendit: alibi extenditur ex consuetudine vel indulto, potestque Confessarius ex iusta causa extendere, ut docent Sà et alii. Vide Bonac. d. 4. q. 7. p. 2.

974. S. Alphonsus n. 295. interpretatur verba A., quasi ex praecepto Christi solum in articulo mortis Eucharistia esset sumenda. Sed reipsa A. non hoc dicit; sed solum Christum non determinasse tempus extra articulum mortis et hoc determinatum fuisse ab Ecclesia. Id patet ex Responsione prima huius dubii (XCV.). Potestas confessarii, de qua loquitur A., ea est, quae continetur verbis decreti lateranensis, quae mox afferemus.

Unde resolves.

CIII. 1. Praeceptum hoc impletur etiam per communionem sacrilegam, ut habet communis, contra Durand. et Sylvest. Et patet, quia Ecclesia tantum praecipit actum externum nec finis praecepti cadit super praeceptum. * Verum damnata est recenter haec opinio ab Innocentio XI. uti videre est in propositione 55. * An vero qui non satisfecit, teneatur, postea implere, utrinque probabiliter defenditur, etsi affirmativa videatur probabilior. Bon. ll. cc. Suar. Con. C. de Lugo, etc.

975. Nota in primis doctrinam damnatam de satisfactione per sacrilegam Communionem, prop. 55. ex damn. ab Innoc. XI.: « Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem ». Cf. de hac re quae iam superius praeoccupata sunt n. 953. seq. sub prima Resp.: quocirca doctrina A. in priore parte resolutionis improbanda est.

Quaestio est secundo loco de eo qui non satisfecit, omissa nempe communione paschali vel ea sacrilege peracta: utrum teneatur supplere intra annum. Utique probabilior est sententia, quae docet supplendum post pascha et ita est probabilior, ut merito dubitari possit de probabilitate oppositae.

Ubi notandum, oppositam sententiam traditam fuisse ab AA. qui praecesserunt Concilium Tridentinum, uti sunt s. Antoninus (Henriquez secutus eos est), Victoria, Sotus et innitebantur rationi, quod impletio praecepti alligata sit tempori paschali, non secus ac alligata sit auditio Missae diebus festis, et ieiunium alicui vigiliae. Sicut ergo non tenetur supplere aut Missam aut ieiunium quisquis omisit malitia aut inculpabiliter, ita a pari.

Verum verba Concilii Tridentini nimis aperte indicunt obligationem sumendi singulis annis ita, ut tempus paschale nullo modo intelligi possit fixum ad finiendam obligationem. Inquit enim sess. 13. can. 9.: « Si quis negaverit, omnes et singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, *teneri singulis annis*, *saltem* in paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum s. Matris Ecclesiae, anathema sit ». In quibus apparet primo absoluta obligatio communicandi *singulis annis:* secundo vero additur mentio praecepti Ecclesiae communicandi in Paschate et dicitur: *saltem in paschate:* quasi nempe dicat, praecepto communicandi singulis annis saltem satisfaciendum per communionem, quae ex Ecclesiae praecepto in paschate sumenda est.

Et hic Canon explicat praeterea, si tamen explicatione indigebat, decretum Concilii Lateranensis: « Suscipiens *ad minus* in Pascha Eucharistiae sacramentum »: Dixi *si indigebat:* nam qui dicit *ad minus in Pascha*, satis indicat se absolute praecipere, ut per annum utcumque

sumatur. Idque confirmatur ex seqq. verbis: « Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationalem causam, ad tempus ab eiusmodi susceptione duxerit abstinendum ». Haec enim indicant, non ad finiendam obligationem praeceptum affigi tempori paschali; secus dixisset, quod dici solet de ieiunio v. gr., nempe nisi *excuset* haec vel illa causa.

976. Quocirca argumentum desumptum ex paritate, cum lege ieiunii, auditionis Sacri etc. quod adaequate solutum negat s. Alph. se apud aliquos vidisse n. 207., nullius momenti esse videtur. S. tamen Doctor, propter hoc argumentum, censet, non contemnendam sententiam, quae negat, teneri eo anno ad communionem, qui eam omiserit, sive ex malitia sive ex impotentia, in paschate.

Ergo distingui debet generale praeceptum sumendi saltem semel in anno Eucharistiam, veluti determinatio generalis Christi praecepti de manducanda carne sua, et praeceptum communicandi in Paschate, licet Ecclesia sanxerit, per hoc secundum satisfieri etiam primo. Ita tamen haec determinatio facta est, ut praeceptum hoc Ecclesiae urgeat etiam illos, qui praecepto generali iam satisfecerint per communionem extra tempus paschale (a).

Insuper habetur declaratio Eugenii IV. in Const. *Fide digna* 8. Ian. 1440. iam allegata sub n. 952. « Dicimus expresse non intentionis legislatoris fuisse, animas illaqueare fidelium sub culpa mortali ad communicandum praecise in die Resurrectionis Dominicae, sed terminum statuisse a Pascha ad Pascha ». Ibidem statuitur, paschale tempus, intra quod praeceptum implendum est, a dominica Palmarum initium habere et desinere in Dominica in Albis.

Porro illa Eugenii verba explicant etiam, quomodo computari debeat annus, quo explenda est obligatio: scil. ab tempore paschali ad tempus paschale; quod minus attendisse dicendi sunt, qui hunc annum a kalendis Ianuariis computabant. Verum consuetudo alicubi permittit, ut

---

(a) Aegre, puto, redderetur ratio, cur qui in paschate non satisfecit, communicaverat autem prius in eodem anno, teneatur post pascha adhuc communicare. Nam quae est obligatio, cui facere debet satis? an communicandi in paschate? sed id ei hoc anno est impossibile: an communicandi semel in anno? sed huic iam satisfecit nec differt hac in re communio facta ante pascha ab ea, quae fiat postea.

Scilicet haec difficultas ex falsa hypothesi pendet, tempus nempe annuae obligationis incipere ante pascha, puta Kalendis ianuariis. Nam ut mox B. subdit ex Eugenii IV. Declaratione, tempus annuae obligationis incipit a Paschate sive a Paschate incipit annus, in quo teneris communicare: hoc posito fieri nequit, ut hoc anno, si in paschate non communicaveris, iam satisfeceris obligationi communicandi hoc anno. Restat ergo obligatio communicandi postea.

Una exceptio est: si in paschate communicaveris, sed extra parochiam: tunc valet quod dicitur in textu, etiamsi videaris fecisse satis obligationi communicandi semel in anno imo et in paschate: quia talis impletio praecepti ab Ecclesia non acceptatur, sed facienda est modo ab eadem praescripto. E.

praecepto paschali satisfiat in quadragesima praecedenti et alibi tempus idoneum implendo praecepto permittitur esse totum, quod occurrit a paschate ad pentecosten.

CIV. 2. Non tenetur praevenire, qui praevidet, tempore Paschali se impediendum, ut contra Vasquez, Sylv. et Fagund. probabiliter docet Azor, t. 1. d. 17. cap. 41. Suarez, etc. Qui vero sic praevenisset et postea tolleretur impedimentum, teneretur rursus communicare, secundum Laym. l. 5. t. 4. cap. 5. Card. de Lugo s. 4. num. 78.; quia non satisfecit praecepto obliganti ad communionem et ad illud tempus. Negat tamen Dian. citans Fern. et Suarez.

977. Haec quaestio solvenda ex praecedenti resolutione. Nam certum est per se, communionem vel praecedentem (a) vel subsequentem tempus paschale non satisfacere praecepto, quatenus Ecclesia exigit communionem eo tempore. Ergo ad hanc praecepti circumstantiam implendam nec praevenire quis tenetur, nec postea supplere. At remanet obligatio generalis sumendi saltem in anno: de qua obligatione idem dicendum ac de aliis similibus.

Ergo si quis praevideat, se per totum annum impeditum iri, tenetur implere, cum potest, non secus ac qui praeceptum audiendi Missam implere non potest, nisi audiat v. gr. eam, quae celebratur hora 7ª (sive quia ipse dein impeditur, sive quia non alia celebratur), vel qui praevidet per tempus paschale se impeditum iri in Octava Paschae: tenetur enim sumere praecedenti hebdomada. Alius tamen obiicere posset, hunc non teneri; quia cum annus computari debeat a Pascha ad Pascha, ut vidimus ex Decreto Eugenii IV. sup. n. praec., hinc si quis praevenit, utique bis aut pluries accipiet *praecedenti anno*, sed non intra annum. Hic comparandus erit cum eo, qui die festo non potest Missam audire; cui non imponimus praeceptum, ut audiat die sabbati. Verum cum alicubi mos sit, ut Pascha sumi possit per quadragesimam *ex indulto*, dicendum Eugenii statutum generatim non vigere, atque adeo hanc obiectionem non habere vim (b). Ceterum si impedimentum non sit totius anni, praevenire non tenetur.

* Quid ergo, si quis impedimentum praevidens, communicaverit et postea paschali tempore cesset impedimentum, teneturne rursus hoc tempore communicare? Tamburini negantem sententiam probabilem censet *de 3. Ecclesiae praec.* c. 3. n. 18., in hypothesi quod teneretur praevenire; quia sic iam satisfecit praecepto. Quae sententia probabilis

---

(a) Sed in eodem anno nequit praecedere: vide notam praeced. E.

(b) Scilicet dilatatur tempus idoneum satisfactioni praecepti et anni initium retrotrahitur: sed eadem difficultas manet pro eo, qui praevideat se tempore quadragesimae et paschali impeditum iri; quia, puta, est coniiciendus in carcerem, ubi nullus usus permittitur sacramentorum. E.

certe est seu praesumi merito potest, hanc esse Ecclesiae mentem. Hanc sententiam probat Diana, ut refert S. Alph. n. 297. Et Lugo disp. 16. n. 77.

Lugo e contrario l. c. n. 78. ait, se cum Suarez verius existimare, quod hic teneatur rursus in paschate communicare. Quia, etsi iam satisfecerit praecepto divino communicandi semel in anno, non satisfecit tamen praecepto communionis paschalis. Ponit nempe idem Lugo, obligationem non esse anticipandi communionem paschalem et negat satisfieri praecepto paschali anticipata communione l. c. n. 75. Communio enim, quae fiat ante Pascha fit anno praecedenti, non hoc anno. Solum admittit Lugo obligationem anticipandi, intra annum, communionem, ut praecepto divino fiat satis, si praevideatur, toto deinceps anno impedimentum futurum.

978. Quaerit s. Alph. n. 299. an obligatio sit auferendi impedimenta, quibus quis prohibetur, ne praeceptum impleat annuae communionis. Si sit in sua potestate auferre impedimentum, clara satis videtur responsio affirmativa; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media, quae sunt in sua potestate. Exemplum ponit s. Doctor in duobus, in excommunicato nempe et in incluso carceribus. Quoad priorem, haec est doctrina quam Lugo disp. 16. n. 17. ut certissimam refert: « Excommunicatus peccat etiam contra hoc praeceptum: quia, licet dum est excommunicatus non potest communicare, debet auferre, si potest, illud impedimentum, ut possit servare praeceptum ».

Quoad carcere detentos, probat s. Doctor tanquam probabiliorem doctrinam Salmanticensium, qui volunt, teneri illos ad quaerendam libertatem, ut possint communicare. At dimittetur ne quis a carcere eo ipso, quod id petat? Id valebit pro iis e. gr. qui ob debita sint in carcere et curare eorum solutionem possint et sic a carcere dimitti.

Iidem Salmanticenses l. c. a s. Alph. h. e. *de Censuris* c. 3. n. 74. distinguunt inter praeceptum divinum communionis et praeceptum Ecclesiae puta audiendi Missam et aiunt: vi praeceptorum Ecclesiae non teneri excommunicatum tollere impedimentum, obtenta absolutione; teneri autem vi praecepti divini. Ratio discriminis est, quia Ecclesia ad praecepta sua servanda non obligat impeditos, saltem non creditur haec esse eius intentio, ut negligentes (dummodo id non faciant in contemptum praeceptorum Ecclesiae) absolutionem censurae obtinere ideo peccent, quia Missam non audiunt. Hanc esse sententiam communem DD. ait s. Alph. l. 7. n. 161. ideoque hoc pacto licet interpretari Ecclesiae legem. Si autem agatur de praecepto divino, tunc obligatio adest impedimenti tollendi (cum fieri potest), ut illud observetur; nulla est enim causa, cur credamus, Deum, praecipientem aliquid, non simul

praecipere, ut, cum fieri potest, impedimentum tollatur eius observationi. Cf. dicenda in Tr. *de Censuris.*

979. Sunt qui dicunt, qui non communicavit in paschate teneri *quam primum* communicare: at advertenda est doctrina, quam tradit Lugo, disp. 16. n. 69., nimirum ulteriorem dilationem non afferre novam culpam; dummodo enim eo ipso anno communices, quovis die id fiat, semper eodem pacto facies satis praecepto divino, quod solum manet, communicandi semel in anno. At si hoc anno nunquam communicaveris, non teneris anno seq. bis communicare; quia obligationi prioris anni non potest amplius ullo modo fieri satis et restat solum poenitentia agenda de ea omissione. *

CV. Resp. 3. Tenetur quivis communionem Paschalem sumere in Parochia a Pastore suo, nisi huius licentia, privilegio aut consuetudine eximatur, Navar. Suar. d. 72. s. 2. etc.

980. * « Nemo est, qui ignorat (ait Benedictus XIV. Constit. *Magno cum animi,* anno 1751.), praeceptum hoc (communionis paschalis) in propria parochiali ecclesia adimplendum esse aut in alia ecclesia, cum proprii episcopi vel parochi licentia. Nequit idcirco in cathedrali impleri: s. C. EE. et RR. 21. Ian. 1848. Neque in ecclesiis Regularium: s. C. C. 31. Ian. 1692., ut idcirco, in iuris parochorum aliquam protestationem, prohibeantur Regulares die Paschatis communionem fidelibus distribuere in suis ecclesiis: Benedictus XIV. l. c. Ex licentia vero Episcopi eiusve vicarii potest alibi praeceptum hoc impleri.

Notat Croix n. 634., quod quamvis per se, ad communicandum alibi in Paschate, sufficiat licentia Parochi praesumpta rationabiliter; tamen, ut monet Lugo disp. 18. n. 51., nequit ea facile praesumi nec semper sufficere, nosse, quod certe parochus daturus eam esset, si peteretur. Nam, si peteretur, iam hoc ipso recognosceretur ut pastor et ipse aliquo modo cognosceret ovem suam: si autem non petatur, manet rationabiliter invitus quoad modum et substantiam; habet enim ius, ut aliquo modo recognoscatur et ipse vicissim recognoscat oves suas. Idcirco quaedam certitudo moralis requiritur, quod parochus non sit invitus, ut ait s. Alph. n. 300.

Qui in sua parochia communicavit sacrilege, tenetur utique rursus communicare, sed potest alibi communicare; quia subiectioni, quam debet pastori suo, iam fecit satis. Croix n. 630.

Qui vero in sua parochia non communicavit, tenetur eam ibi etiam post paschale tempus recipere; quia finis legis idem manet.

981. Quaerit Gury Vol. 1. §. 482. an peccet graviter, qui differt communionem ad primam vel secundam diem post elapsum tempus statutum et respondet *affirmative, per se.* Quia, licet huiusmodi dilatio

videatur in se parva, respectu tamen rei praeceptae est notabilis. Ipse enim extra pascha communicat, non secus ac qui mensem differt. *

Nec excusandos ait a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt *indispositi* ultima die temporis paschalis, ita ut a confessario ad aliud tempus remitti debeant. Haec autem vera sunt, si *indispositos* intelligas eos, qui, licet ad confessarium accedant, scienter tamen peccato adhaerent nec habent ullam voluntatem praestandi ea, quae reconciliationi cum Deo sint necessaria. Et hi quidem facto ipso declarant, se nolle praecepto sumendi paschatis satisfacere, ut idcirco perinde sit sive ultima die sive ante eam accedant. At si *indispositos* eos dicas, qui non carent quidem bona voluntate, causam tamen aliquam praebent, cur communio in aliud tempus remittatur, valebit quoad istos exceptio, quam ipsa lex expresse apponit c. *Omnis utriusque sexus* per ea verba: *Nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

Unde resolves.

CVI. 1. Sacerdos, ubivis celebrando, satisfacit. Bon. d. 4. q. 7. p. 2.

982. Ratio est, quia lex loquitur de fidelibus, qui ab alio communionem accipiunt. C. Lugo disp. 17. n. 31.

Unde Theologi, ait idem Lugo, supponunt, quod sacerdos non celebrans obligaretur etiam tunc praecepto communicandi de manu parochi; quia ut laicus communicaret. Nihilominus certam legem, id sacerdoti in paschate non celebranti praecipientem, haud video; cum lex de sacerdotibus proprie non loquatur.

CVII. 2. Eximuntur peregrini et vagi, qui parochiam non habent aut ab ea absunt. Bon. l. c.

983. * Addit s. Alph. heic, « si ita a parochia sua absunt, ut commode ad illam accedere nequeant. Neque, subdit, tunc tenentur communicare in ecclesia matrice oppidi illius neque in parochia, in qua transeunter commorantur, ut docet Sanchez *de Matrim.* l. 3. disp. 23. n. 17. deinceps ». Ratio autem proprie non ea est, quod peregrini et vagi non teneantur legibus loci, ubi sunt; nam heic agitur de lege universali seu iure communi: sed quia ipsis est impossibilis observatio huius specialis praecepti, ut paschalis communio fiat in parochia: quocirca restat solum praeceptum communicandi in paschate, quod in qualibet ecclesia fieri potest nec est aliqua ecclesiastica lex hanc limitans libertatem. *

CVIII. 3. Non eximuntur laici inservientes religiosis, ut habet Sà *v. Euch.* nisi, ut dicit Bon., degant in monasteriis aliisque locis a cura Parochorum exemptis. Vide Sanch. *de Matr.* d. 32. n. 12.

984. Nisi sint familiares, qui actu inserviunt et intra Regularium septa ac domos resident sub eorumque obedientia vivunt (Trid. Syn. sess. 24. c. 11.), ut dictum est hoc cap. II. dub. 1. art. 1. resol. 10.

CIX. 4. Non satisfacit huic praecepto, qui in Paschate extra Parochiam, sine consensu Pastoris, communicat, ut habent Nav. Azor, et alii commun.: nisi tamen communicet in Cathedrali Ecclesia; hunc enim satisfacere praecepto censet Bonac. l. c. sed negat Card. de Lugo l. 1. *Res. mor.*, nisi Episcopus expresse vel tacite consentiat. V. supra c. 2. d. 1. art. 1.: et c. 2. et 6. Bonac. l. c. Vide supra c. 2. d. 1. a. 1. cas. 7. 8. et 9.

Dixi, *sine consensu Pastoris;* quia cum consensu summi Pontificis vel Episcopi sive Ordinarii aut eius Vicarii generalis vel Parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine Pastoris) extra Parochiam communicando satisfieri praecepto Doctores concedunt. Et quidem sufficere consensum interpretativum sive praesumptum, notat Tamb. de *Exp. com.* c. 4. §. 4. imo Bauny in *Theol. moral.* p. 1. t. 5. q. 19. Beia et quidam alii apud Tamb. l. c. et Card. de Lugo d. 18. s. 2. n. 49. item Dian. p. 2. t. 14. r. 73. et p. 6. tr. 7. r. 58. putant posse satisfieri praecepto communionis Paschalis (praesertim extra diem Paschae) apud Mendicantes ex privilegio Nicolai V. Pii V. et Pauli IV. certis concesso, quod ceteri participent. Verum hoc alii communiter negant. Vide Avers. q. 10. s. 4.

985. * Cf. dicta n. 980. Docet Gury Vol. 1. §. 483., quod etsi Episcopus dare licentiam possit, ut extra parochiam communio paschalis fiat; si tamen ab eo communionem extra parochiam accipis, ipso non advertente aut non probante, non satisfacis praecepto.

Adverte, censere Tamburini *de 3. Praec. Ecclesiae* c. 4. n. 2. praeceptum hoc de suscipienda Eucharistia de manu parochi admittere parvitatem materiae, quatenus, si, absque contemptu, quis semel aut iterum, quamvis sine causa, communicet in aliena parochia, non peccet mortaliter: praesertim si pluries in anno pastorem suum recognoverit, communicando in sua parochia.

Verum illud obstat, quod Ecclesia satis declaravit, non satisfacere praecepto, qui non communicat in parochia; nulla autem apparet ratio, cur id pro singulis vicibus non valeat: qui vero praecepto non satisfacit, peccat mortaliter.

986. Finge, tuum parochum quodam paschali die in aliena ecclesia celebrare Missam et te ab eo una cum aliis communionem recipere: an satisfecisti praecepto?*

Tamburini l. c. n. 1. ait, se nullum invenire in sacris canonibus praeceptum, ut quis paschalem communionem peragat in Ecclesia parochiali, sed solum imponi, ut communio suscipiatur e manibus sui pastoris. Quocirca propositae quaestioni respondet affirmative.

Reapse in c. *Omnis utriusque sexus* sermo non est de communione

in parochia facienda, imo, saltem clare, nec de communione a suo parocho accipienda. Nihilominus lex huius cp. ita deinde in Ecclesia intellecta est et haec interpretatio responsis Romanae Sedis confirmata (cf. n. 980. et editionem Conc. Trid. cum declarationibus, auctore Ios. Petella ad sess. 13. c. 9.) et est universalis DD. persuasio ac communis fidelium sensus, oportere in parochia sua praeceptum paschale implere. Advertendum est tamen, in responsis Romanae Sedis aequivalentes haberi has formulas: communionem paschalem recipiendam esse *in parochia* et recipiendam esse *de manu parochi:* cf. inter declarationes citatas ad sess. 13^{m} declar. 7^{m}. Et sane hoc praeceptum in favorem parochorum factum esse dicitur, ut idcirco eorum licentia sufficiat ad communicandum extra parochiam.

His tamen non obstantibus, dubito sane, an in casu proposito satisfeceris praecepto, nisi parochus advertens id probaverit. Nam parochus in aliena parochia communionem distribuens, non sua auctoritate agit, sed Rectoris eius ecclesiae; non ergo, cum communio ab eo (nisi advertens probaverit) recipitur, eius auctoritas recognoscitur, quemadmodum fit, cum in eius ecclesia ab eo vel ab iis, qui eo probante celebrant, communio accipitur: atqui hic est sensus huius legis, ut pastorem suum oves recognoscant, ei nempe se subiiciant. Quocirca nec puto sufficere, si parochus, in aliena ecclesia communionem distribuens, advertat quidem parochianum suum accedere, id tamen non probet: nam sic non renuntiat iuri suo, ut eius auctoritas (quam tunc non exercet) recognoscatur.

Illud tandem ex Fagnano (in libr. 5. decret. tit. 38. n. 46.) operae pretium est advertere, s. C. C. respondisse, esse in potestate Episcopi, prorogare tempus paschale.

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA, UT EST SACRIFICIUM.

DUB. I.

Quid sit Missa et quae obligatio Sacerdotum circa illam.

CX. Respond. Missa est Sacrificium consistens in consecratione panis et vini estque actus latriae, qui fit in recognitionem supremi dominii Dei et signum nostrae servitutis. Quod non obstat, quin secundario possit etiam ad alium finem partialem offerri, ut ad agendas gratias, vel impetrationem beneficii, ad remissionem peccatorum, ad sanctos honorandos etc. Principalis fructus Missae, ex opere operato, est independens a probitate Sacerdotis, a quo pro omnibus, seu vivis seu defunctis, etiam accepto stipendio, applicabilis est estque actu tam intensive quam extensive finitus; etsi enim hostia ipsa et principalis offerens, id est Christus, infinite sit Deo gratus atque ita Deus per hoc sacrificium infinito honore afficiatur: videtur tamen Christi esse voluntas, ut offeratur et prosit tantum ad certum et finitum effectum. Quod etiam patet ex usu et sensu Ecclesiae, dum Missae pro eadem re repetuntur: quod signum est, non habere infinitum effectum. V. Bonac. d. 4. q. ult. p. 4.

987. * Plura heic A. brevissimo sermone complectitur. Loquitur enim 1° de essentia huius sacrificii: 2° de fine et fructibus eius: 3° de eius efficacia: 4° de stipendio, quod pro eius celebratione datur.

Quod spectat ad 1^m^, advertendum est, quod cum A. dicit, *Missam esse sacrificium* etc., definit eam secundum id, quod est in ea praecipuum; nam per se Missa est ea ceremonia sacra pluribus constans partibus, qua sacrificium incruentum peragitur. Hinc ratio loquendi magis exacta ad professionem fidei haec est, ut dicatur, *in Missa offerri sacrificium.* Cf. Trid. Syn. sess. 22. cn. 1. et professionem Fidei a Pio IV. praescriptam. Nequis ergo putet, perinde esse, assistere sacrificio, quod sola consecratione, ut mox A. dicit, continetur et assistere Missae.

In quo sita sit essentia huius sacrificii disputatur inter Doctores. Et quidem repraesentationem sacrificii crucis in eo esse, quod vi verborum seorsim ponuntur corpus et sanguis, convenit inter omnes: verum et illud satis constat, hanc repraesentationem seu commemorationem non sufficere, ut vere dicatur Eucharistia esse sacrificium (cf. Lugo disp. 19. n. 57.): commemoratio enim rei non est res commemorata. Eucharistia vero non est sola commemoratio sacrificii crucis, sed est *sacrificium commemorativum;* ut utraque ratio ei vere competere debeat. Verum sane sacrificium exstat etiamnum et perdurat in Ecclesia, institutum a Christo in ultima coena: hoc porro est Eucharistia; oportet ergo, ut aliqua ratio absoluta sacrificii ei competat.

Per consecrationem sub specie panis non solum ponitur corpus Christi, sed ponitur in statu cibi et sub specie vini ponitur sanguis in statu potus: *caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* Ioan. VI. 56. Habetur ergo per consecrationem positio victimae eiusque moralis destructio (cf. Lugo disp. 19. sect. 5.). Quocirca plurium est sententia, in consecratione sitam esse essentiam sacrificii. Alii perpendentes per sumptionem victimam consummari seu desinere (non quidem corpus Christi, sed hoc totum, nempe corpus sub specie panis, corpus in forma cibi), in ea sumptione essentiam sacrificii constituerunt. Alii e contrario considerantes sacrificium esse oblationem, voluerunt et sacrificium altaris in oblatione esse situm, non quae fit ante consecrationem, sed quae fit postea, iam exsistente victima. Lugo censuit, essentiam quidem sacrificii iam totam esse in consecratione, consummationem tamen ad integritatem eius substantialem pertinere; quemadmodum in holocausto non solum mactatio victimae habebatur sed et eiusdem totalis consumptio per ignem. Cf. s. Alph. n. 305.

Diversitas opinionum debetur etiam collationi institutae sacrificiorum veteris legis. Nam in pluribus saltem, actio sacerdotis tunc interveniebat, cum victima iam a privato homine non solum oblata erat sed et mactata. Mactanda quidem erat ante altare, praesente sacerdote, sed mactabatur ab ipso privato offerente: qua mactatione facta, sacerdotis erat sanguinem circa altare fundere, victimam super altare offerre atque adolere. Cf. Levitic. cc. 1. et 2.

At in Nova lege fideles afferunt quidem materiam remotam, panem et vinum: sed ipsa adductio victimae eiusque positio in statu victimae seu cuiusdam moralis destructionis, in statu nempe cibi et potus, est actio certe sacerdotalis; cum sacerdotes ad hoc ordinentur, ut possint consecrare. Utique cum panis et vinum destruantur, non immerito dici possunt et ipsa sacrificari: sed non in hac destructione situm est sacrificium eucharisticum, cuius victima eadem est ac ea, quae fuit in cruce (Bellarm. *de Sacram. Euch.* c. 27. prop. 1. Suarez disp. 75. sect. 1.).

Haec innuisse satis est, quorum plena explicatio et demonstratio ad dogmaticos pertinet. Advertimus tantum quoad sententiam Lugo, qui vult consummationem spectare ad integritatem substantialem sacrificii, demonstrationem ab eo petitam ex comparatione cum sacrificiis V. L., in quibus victima non solum mactabatur, sed et vel tota vel ex parte comburebatur, plus forte probare quam ipse vellet. Nam crematio victimae in his sacrificiis, quae a sacerdote fiebat, erat essentialis ipsis sacrificiis nec sane holocaustum dici poterat nisi exsistente crematione. Huiusmodi proinde comparationes cum discretione sunt adhibendae; quia alia et alia esse potest ratio sacrificii. *

988. S. Alphonsus l. c. relatis tribus sententiis, quas memoravimus, adhaesit doctrinae, quae etiam consummationem essentialem esse statuit: non tamen sectatores aut rationes habet, ut haec sententia dicatur *probabilior,* prouti ipse vult.

* Perpendenti sane rationes ab eo allatas n. 305. patet, ipsum non advertisse, in ipsa consecratione destructionem victimae haberi, quae ad sacrificium requiritur et sufficit, quatenus corpus Christi fit cibus et sanguis fit potus, quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium; fieri enim comestibile quod tale non erat et ita fieri, ut iam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi, maior mutatio est, quam plures aliae, quae ex communi hominum sensu sufficiunt ad verum sacrificium. Quid ergo est, quod ait s. Doctor, quod si sacrificium essentialiter in sola consecratione consistit, sacrificium fieret in caelo? *

Ex solutione huius quaestionis pendet solutio illius practicae quaestionis, an qui ad ecclesiam venit, consecratione peracta, teneatur, vi praecepti, assistere reliquae Missae. Cf. Vol. II. n. 780.

989. Potius ad praxim spectat alia quaestio, utrum de sacrificii essentia sit consecratio utriusque speciei.

Et certe communior et probabilior est sententia affirmans; licet non videatur sua probabilitas et alteri sententiae neganda.

* Ratio sententiae affirmantis est, quod ex Christi institutione sacrificium hoc est essentialiter commemorativum seu repraesentativum sacrificii cruenti seu mortis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem: mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* repraesentatur autem Domini mors, quatenus vi verborum Corpus et sanguis seorsim ponuntur. Hinc, ut iam superius ex Lugo audivimus, si quis intenderet unam tantum speciem consecrare, non haberet intentionem faciendi quod Christus instituit ideoque efficeret nihil, iuxta ipsum Lugo: quod tamen alii negant.

Argumentum sententiae negantis esse potest, quod ratio sacrificii absoluti, quae Eucharistiae competit, sufficienter reperitur et in consecratione unius speciei; eo ipso enim quod Christus ponitur in statu et conditione cibi, habetur ea mutatio victimae, quae in sacrificio postulatur. Praeterea eo ipso, quod sub specie vini ex. gr. ponitur sanguis vi verborum: etsi non clare, aliquo tamen modo significatur separatio eius a corpore et ita Christi mors repraesentatur. Cf. Lugo disp. 19. sect. 8. n. 109.

Illud vero certum est, quod, si sacerdos, habens intentionem faciendi quod Christus instituit, nequeat, consecrato pane, perficere sacrificium, eo quod desit vinum, vere panem consecravit, atque, si vera est sententia, qua ratio sacrificii absoluti explicatur a Lugo, certum quoque

esse debet, quod ibi haec ratio ex parte saltem non deest; quia, ut diximus, vere iam Christus exsistit in statu cibi. Nec improbabile prorsus est, repraesentationem mortis Christi aliquo modo ibi quoque haberi, eo quod vi verborum ex intentione celebrantis, ibi ponatur solum corpus, non sanguis.

Illud praeterea certum est, nunquam licere, alteram speciem sine altera consecrare; Christus enim potestatem dedit faciendi quod ipse fecit et ita iussit fieri. *

990. Porro haec dupliciter faciunt ad praxim. Nam 1° si alterutra materia desit, non licet ullo modo celebrare et si defectus in alterutra inveniatur post consecrationem, alia quaerenda est, ut sacrificium perficiatur.

2° Si perfici sacrificium non potest, sive quia non adest materia, sive quia defectus eius animadvertitur, quando res non patitur, ut suppleatur, puta post plures menses: tunc dubium exoritur, an satisfactum sit obligationi celebrandi pro eo, qui dedit stipendium. Et heic quidem valere debere videtur *generatim* axioma, quod certo debito non satisfit per incertam solutionem: quocirca praxis est, ut si quando plura sacrificia imperfecta remansisse deinceps constet; recurri soleat pro remedio ad Sedem Apostolicam. Veruntamen cum hinc quidem probabile sit, sacrificium valere: inde vero stipendium non sit pretium Missae, sed oblatio ad sustentationem sacerdotis; videtur, non absurde praesumi posse, quod eleemosynam tribuens nihil ulterius exigat. Id enim aequitati, maxime si sacerdos est pauper, congruum est.

991. * Quaedam dicenda de offerentibus et de fructibus sacrificii atque de iis, pro quibus offerri potest, ut morales deinde quaestiones clarius expediantur.

1° Sacrificii finis proprius est Dei honor et cultus, et cum sit protestatio supremi dominii, quod Deus habet in vitam et mortem singulorum, soli Deo potest offerri. Ita actio sacrificii est *latreutica.*

Cum eo fine alii quoque componuntur. Offertur enim sacrificium tum in gratiarum actionem et dicitur *eucharisticum:* tum pro beneficiis obtinendis et dicitur *impetratorium:* tum pro remissione peccatorum seu pro placando Deo et dicitur *propitiatorum.* In lege veteri pro his diversis finibus obtinendis diversa erant a Domino instituta sacrificia: sed et unum sacrificium ad omnes hos fines ordinari potest et reapse sacrificium N. L., unum cum sit, aequivalet omnibus sacrificiis V. L. eisque excellit. « Haec est oblatio illa munda, ait Trid. Syn. sess. 22. c. 1., quae per varios sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur ». Est ergo

Missae sacrificium, *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium*, *propitiatorium*. Fructus autem, qui nobis ex eo proveniunt, continentur impetratione et propitiatione.

2° Sacerdos in Missae celebratione, cum sacrificium conficit, minister est Christi eiusque personam gerit atque eius auctoritate operatur, a quo per characterem sacerdotalem ad hoc ministerium assumptus est sibique unitus. Minister est quoque Ecclesiae; quatenus est persona publica, deputata ab Ecclesia, ut pro ipsa divinis beneficiis indigente, oret et sacrificet atque preces, quas fundit in sacra liturgia, sive praevertente sive consequente sacrificium, non tantum in sua, sed in totius Ecclesiae persona proferat. Omnis enim pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia. Hebr. V. 1. Non desinit tamen sacerdos esse persona privata, quae pro se orat et sacrificat, specialem fructum ex propria actione consecuturus.

992. 3° Princeps offerens in hoc sacrificio est Christus; est enim, ut ait Trid. Syn. l. c. c. 2., « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit ». Est autem primus offerens, non tantum quatenus ipse est sacrificii institutor atque sua merita applicavit eidem voluitque illud in sui memoriam celebrari, id enim satis non esset, ut Christus nunc diceretur offerre; sed quia praeterea sacerdos ex Christi institutione offert nomine Christi, qui conferens ei potestatem sacrificandi eumque sibi associans, eum sibi ut legatum substituit, qui suo nomine exhibeat Deo hunc actum cultus, qui in oblatione sacrificii consistit: quo fit ut haec oblatio censeatur moraliter actio Christi colentis Deum per suum ministrum; quemadmodum reverentia, quam legatus regius exhibet Pontifici, est moraliter reverentia regis erga Pontificem.

Nec ut haec dignitas Christo asseratur, opus est, Christum physice concurrere ad actionem oblationis (etsi hic concursus reipsa adsit) neque nunc habere voluntatem actualem offerendi, cum sacrificium offertur; huiusmodi namque concursus non requiritur, ut rex dicatur honorem praestare Pontifici, dum eum praestat legatus ab ipso missus. Cf. Lugo disp. 19. nn. 91. 93.

Itaque sacerdos et nomine Christi et nomine Ecclesiae sacrificat: nomine Christi institutoris tum sacrificii tum sacerdotii atque principalis offerentis; nomine Ecclesiae delegantis, supposita Christi institutione et ex auctoritate ab ea accepta, publicam personam, ut pro se egente divinis beneficiis oret et sacrificet, ministerium suum exhibens Christo. In qua sacrificiali actione, sicut et in sacramentis conficiendis, sacerdos, non Ecclesiae sed Christi instrumentum est seu causa ministerialis.

4° Illud vero tenendum est, Christum nunc neque mereri neque satisfacere; utrumque enim statui suo non congruit: sed merita sua suasque satisfactiones sacrificio alligasse iam, sicut et Sacramentis, eaque semper Patri repraesentare. Quo pacto dici potest et debet, quod Christus etiam nunc pro nobis oret et impetret; semper enim vivit ad interpellandum pro nobis Hebr. VII. 25.: non quidem quatenus oratio infert defectum potestatis in eo, qui orat; data est namque Christo omnis potestas in caelo et in terra, sed quatenus ipse repraesentat Deo suam voluntatem circa ea, quae vult hominibus concedi. Lugo l. c. n. 130.

993. 5° Cum sacrificium sit actio, oblatio nempe; ut eius vis et valor cognoscatur, non tam hostiae oblatae quam personae offerentis eiusque dignitatis habenda est ratio: hinc est enim quod quaelibet actio Christi, quantumvis in se minima, fuerit infiniti valoris et oblatio, qua b. Virgo Filium suum in templo obtulit, fuerit finiti valoris, etsi res oblata infiniti esset pretii. Lugo h. c. n. 254.

6° Praeter Christum et sacerdotem celebrantem, alii sunt, qui cum eo offerre dicuntur. Nimirum offerens est tota Ecclesia, quae sacerdotem designat per suos Praelatos; offerentes sunt ii, qui ad altare ministrant, sunt qui celebrationi assistunt: sunt qui stipem dant sacerdoti vel alio modo concurrunt ad oblationem sacrificii, Lugo l. c. n. 230. Offerre enim sacrificium est aliquid latius quam sacrificium facere illudque sacerdotalem ordinem non requirit, sed satis ei est moralis quaedam coniunctio cum actione sacerdotali: quae coniunctio maior et minor esse potest. Maior est in ministrantibus ad altare quam in meris assistentibus, maior in his, quam in fidelibus absentibus, qui prout unum sunt cum Ecclesia, cuius nomine sacerdos celebrat, et id offerre dicuntur.

Licet materialiter iidem esse possint ac frequenter sint, formaliter tamen discernuntur ii qui offerunt (quicumque sint) et ii, pro quibus offertur sacrificium; nam hi possunt esse non offerentes, ut cum sacerdos offert pro aliquo infideli aut pro animabus purgatorii.

994. Nuc speciatim de fructibus sacrificii, qui vel ad offerentes spectant vel ad eos, pro quibus offertur.

Et 1° quidem hoc sacrificium, non secus ac quaelibet actio sancta, meritum gignit: quaeritur autem quis mereatur. Profecto primus offerens, qui est Christus, non meretur; quia non amplius est in statu merendi, quamvis per singula sacrificia applicet merita iam parta in vita sua mortali. Neque Ecclesia, cuius nomine quoque ut diximus, sacrificium offertur, meretur; quia, quum sacrificia offeruntur, ipsa nihil agit: nemo autem meretur nisi cum actu operatur. Restat idcirco, ut

sacerdos offerens et alii cum eo immediate offerentes, qui nempe ministrant vel assistunt, mereantur atque hi sive de condigno sive de congruo, prout vel sunt in statu gratiae, vel poenitentes. Hoc autem meritum ex oblatione procedens est ex opere operantis: dignitas enim meriti tota fundatur in actionis perfectione et personae dignitate.

995. 2° Sacrificium est, ut diximus, impetratorium: quaeritur autem quis impetret, quid impetrari possit: an impetratio sit ex opere operato et infallibilis.

Dubitandum non est, Christum, principem offerentem, impetrare, non quidem sibi, sed nobis, quemadmodum iam diximus n. praec. 4.

Ecclesia quoque delegans sacerdotem, ut pro se offerat et cuius nomine sacerdos offert, dicenda est impetrare; nam ut quis impetret, sufficit, quod vel per se vel per alium sibi substitutum oret; quemadmodum rex orat per legatum a se missum.

Sacerdotes et alios offerentes impetrare non est dubium, cum offerendo orent et orationis effectus sit impetratio. Atque hic effectus impetrationis ex opere operantis offerentium maior erit, quo ipsi sunt Deo acceptiores.

Ii quoque impetrant, pro quibus specialiter sacrificium offertur, participant enim fructus sacrificii, inter quos est impetratio.

Quidquid autem oratione impetrari potest, iuxta Christi promissionem illud et sacrificio potest impetrari; est enim perfectissima oratio. Bona ergo tum spiritualia, tum etiam temporalia hoc sacrificio impetramus.

996. Porro ut tertiae quaestioni faciamus satis: cum impetratio effectus sit oblationis tantae victimae, distinguenda est oblatio, prout est a diversis offerentibus. Omnes enim opere suo impetrant; at quod prae quibusdam offerentibus est opus operantis, prae aliis esse potest opus operatum, ut dicemus.

Itaque quatenus oblatio est actio sacerdotis vel aliorum fidelium cum eo offerentium, impetratio eam consequens est ex opere operantis atque haec maior etiam vel minor pro dignitate et devotione offerentium.

Prout oblatio ab Ecclesia est, impetratio est quidem independens a meritis et dignitate ministri, non tamen a meritis et dignitate Ecclesiae; ut idcirco quo maior est Ecclesiae sanctitas, valor quoque impetrationis possit esse maior, Lugo l. c. nn. 125. 126. Quapropter, prout oblatio ab Ecclesia est et ipsa impetrat, adhuc est ex opere operantis.

Tandem prout Christus, principalis offerens, impetrat nobis, utique opere suo et propter dignitatem suae personae impetrat. Est proinde haec impetratio ex opere operantis Christi: sed quia Christus non sibi sed nobis vel Ecclesiae suae impetrat, spectanda est haec impetratio,

quatenus utilis est iis, pro quibus valet. Atqui respectu eorum est impetratio ex opere operato; nam non ratione suorum meritorum ac dignitatis hoc pacto impetrant, sed ultra valorem suorum actuum, praecisione ab iis facta, consequuntur beneficia eo ipso quod Christus in altari se offert.

Idem cum proportione dicendum de impetratione Ecclesiae respectu fidelium; eius enim impetratio in oblatione et universa liturgia efficax est, etsi sacerdos offerens sit prorsus indignus.

At estne infallibilis impetratio Christi? Profecto oratio Christi, cum absolute orat, exauditur semper Ioan. XI. 42. Matth. XXVI. 53. at non exinde sequitur, nos semper per Christum se offerentem super altare illud impetrare quod petimus. Nam plerumque fieri potest, ut quod petimus non probetur Christo, qui idcirco non vult suam voluntatem de ea re repraesentare Patri; sed ne frustra sit nostra petitio, aliquid aliud nobis, iuxta divinae Providentiae ordinem, utilius impetrabit.

Ut ergo nostra oblatio infallibiliter per Christum se offerentem impetret, quod petimus, habeat oportet eas conditiones, quas Christus pro oratione postulavit, cui infallibilis quoque effectus promissus est.

997. 3° Sacrificium est propitiatorium seu satisfactorium. Certum est Theologis sacrificium nostrum ex se et immediate nec remittere peccata mortalia nec gratiae augmentum conferre. Talis enim effectio est propria sacramentorum. Cf. Lugo disp. 19. nn. 137. 150.

Quatenus sane impetratorium est, impetrare ipsum valet gratias actuales, quibus peccatores ad poenitentiam atque iustificationem disponantur; ut idcirco causa sit remissionis peccatorum mortalium, quatenus, impetratis auxiliis, pios motus in animo excitat, quibus praeparamur ad reconciliationem.

At non tantum quatenus impetratorium est, sed etiam, ut bene monet Lugo disp. 19. n. 140., ut propitiatorium est, confert ad talem obtinendam remissionem peccatorum: nempe quatenus valet reddere Deum erga peccatores placatum, ne eos puniat, sed ad poenitentiam admittat et reconciliationem. Formaliter sane differunt *impetrare* et *placare:* aliud scilicet est movere Deum, ut concedat bona, aliud placare, ne inferat mala: cum placatur autem Deus hoc sacrificio, ipsum gerit munus propitiatorii. « Huius oblatione (ait Trid. Syn. sess. 22. cp. 2. dum probat ipsum esse propitiatorium) placatus Dominus et gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ».

Talis porro placatio conditiones quasdam requirit, quemadmodum diximus de impetratione et fit iuxta certam mensuram, quam Christus instituit; neque enim una oblatione obtinetur frequenter, ne Deus iratus

inferat mala. Intra huiusmodi limites placatio infallibilis credenda est sicut impetratio.

998. Quaeritur, utrum conferat ad remissionem venialium. Profecto prout impetratorium est, impetrando auxilia ad pios motus, quibus remissio culpae venialis obtinetur et prout placat Deum ne puniat et ut reconcilietur, certum est, conferre sacrificium ad remissionem venialium.

Utrum vero immediate ea deleat, disputant Theologi (Lugo l. c. n. 152.): at sententia communior negat et sane affirmans difficilis est. An delet omnia. Id profecto esset nimis: quae ergo delentur? ea puto, contra quae detestatio quaedam seu formalis seu saltem virtualis concipiatur; at gratiam sanctificantem non confert: delebit ergo sacrificium haec peccata, quatenus per obtenta auxilia pios motus excitat in animo ideoque mediate.

999. Constat ex dictis remissionem poenae aeternae non esse effectum sacrificii, quae nonnisi deleto peccato mortali remittitur: restat proinde poena temporalis atque huius immediata remissio, secundum certam mensuram a Deo statutam, ratione etiam habita dispositionum hominis, est, iuxta communem Theologorum doctrinam, effectus, quem ex opere operato sacrificium producit et qui est eius veluti proprius.

Est enim sacrificium propitiatorium, cuius indolem explicat Trid. Syn. sess. 22. cp. 2. « Docet s. Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno ». Misericordia, quae contritis et poenitentibus, ideoque iam iustificatis, conceditur, est remissio poenae, quae reliqua est. Subdit s. Synodus: « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offertur ». Pro defunctis vero non restat, nisi poena expianda, quam ex opere operato huius sacrificii expiari apertius testatur eadem Synodus sess. 25. decreto *de Purgatorio*, iis verbis, quibus docet. « Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, iuvari ». Iam vero ut cum Lugo argumentemur l. c. n. 153., certum est apud omnes, animas iuvari vivorum suffragiis non solum per modum impetrationis et mediate, sed immediate, quatenus satisfactio operi correspondens applicatur illis: porro si animae iuvantur *potissimum* hoc sacrificio, certius esse debet ipsas per illud, quam per alia pia opera iuvari: ergo et huius sacrificii satisfactio immediate ipsis applicatur; secus certius per alia pia opera iuvarentur. Si autem talis est efficacia pro defunctis, eadem erit et

pro vivis. Atque huc spectat, quod Trid. Syn. sess. 22. cp. 1. affirmat, hoc sacrificio cruenti sacrificii salutarem virtutem in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicari »: quod de immediata remissione, non quidem culparum venialium, sed poenae iis debitae (cum culpae reatus deletus est) intelligunt Doctores.

Convenit sane, hoc propitiatorium sacrificium aliquem effectum in nobis producere ex opere operato; cum id et sacrificiis veteribus conveniret: cum ergo institutum sit *in remissionem peccatorum* (cf. verba institutionis in textu originali: *hic calix..., qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum* Luc. XXII. 20.): culpam autem immediate non deleat (n. 997.) nec poenam aeternam; restat, ut immediate remissionem efficiat poenae temporalis. Cf. Suarez disp. 79. sect. 6.

Porro hic fructus sacrificii ex opere operato maior aut minor erit iuxta dispositiones subiecti, quemadmodum se habet quoque effectus sacramentorum. Cf. s. Thom. q. 77. a. 5. et a. 7. ad 2^{m}. Et de fructibus sacrificii ista ἐν τύπῳ dicta sufficiant.

1000. De his breviter nunc, quibus fructus sacrificii applicatur. Et in primis quaelibet Missa pro omnibus catholicae Apostolicae fidei celebratur cultoribus, ut habetur in canone, sive pro omnibus fidelibus christianis, ut in offertorio dicitur. Unde patet, quod sacerdos non solum potest sed debet pro omnibus offerre sacrificium, iuxta Ecclesiae voluntatem et quia haec est oratio communis neque licet a communibus quemlibet excludere, peccaret sacerdos, si quem positive excluderet.

Hic est fructus generalis seu communis, quem omnes, dummodo obicem non ponant, participant et situs est saltem in impetratione, ita ut pro singulis fidelibus aliquid impetret quaelibet Missa. Dico *saltem in impetratione;* quia quoad propitiationem non omnes conveniunt. Nam Suarez e. gr. disp. 78. sect. 2. n. 3. primo advertit, ut satisfiat obligationi, quam Ecclesia imponit, offerendi pro omnibus, satis esse si omnibus fructus impetrationis applicetur; deinde, cum fructus satisfactionis finitus sit (ut ipse censet), si omnibus fidelibus communicetur, vix aliquid superfuturum; quod pro aliquo speciali applicari possit. Haec tamen ratio non admodum urget; nam etsi fructus cuiuslibet sacrificii finitus sit, intra latitudinem tamen finiti potest esse tanta quantitas ut omnibus sufficiat atque talis potest a Deo participatio fructus esse ordinata ut quaedam pars sit pro iis, quibus in communi applicatur, prout membra sunt Ecclesiae, alia pro iis, quibus applicatur speciatim. Sane pro omnibus defunctis quoque in purgatorio exsistentibus celebratur Missa, ut ex offertorio apparet, quibus, puto, fructus applicatur propitiatorius: quamvis tamen eae animae in magna sint multitudine, id non impedit fructum respondentem applicationi speciali.

Ceterum, si pro singulis fidelibus valet hoc sacrificium ad impetrandum a Deo, cur non valebit ad placandum pro eisdem Deum? atqui hic est effectus sacrificii, prout est propitiatorium.

Alter est fructus specialis, quem obtinet is, dummodo obicem non ponat, pro quo determinate Missa celebratur. Cf. hac de re propositionem 30^{m} Synodi Pistoriensis damnatam a Pio VI. et art. 19. Ioannis Wicklephi damnatum in Conc. Constantiensi. Tertius est specialissimus, qui proprius est ipsius offerentis.

1001. Quaeritur, an Missa celebrari possit pro infideli, pro excommunicato, pro catechumeno, pro infantibus. Distingue in sacerdote offerente duplicem personam; prout nempe est hic aut ille h. e. privata persona et prout est persona publica, nomine totius Ecclesiae offerens. 1° Prout sacerdos privata persona est (idque valet et in assistentibus) potest fructum saltem impetrationis cuilibet homini viatori applicare, sicut potest pro quolibet orare et fructum propitiationis iis omnibus, qui eius capaces sint, cuiusmodi non sunt infantes.

2° Prout vero sacerdos agit tanquam persona publica et Ecclesiae minister (idque exercet certe preces et cetera recitans, quae in sacra actione, ex Ecclesiae praescripto, continentur) potest offerre sacrificium, prout impetratorium est, pro catechumenis; quod ex praxi Ecclesiae patet, quae in liturgia preces pro iis quoque olim praescripserat. Et sane hi etsi nondum nati, in utero tamen Ecclesiae iam gestantur, ut cum Augustino loquamur: non est ergo, cur credamus, alienum a ministro Ecclesiae, eius nomine agente, impetrare pro illis.

3° Etiam pro infidelibus, saltem directe intendendo dilatationem Ecclesiae, sacrificium impetratorium offerri potest; nam tunc pro Ecclesia ipsa sacrificium offertur et Apostolus 1. Tim. II. 1. 2. consulit, obsecrationes, orationes etc. fieri pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, quique tunc ethnici erant, ut quietam et tranquillam vitam agat Ecclesia. Et sane in oblatione calicis dicitur offerri sacrificium *pro totius mundi salute*. Quod cum a sacerdote proferatur non tantum suo sed et Ecclesiae nomine, patet, Ecclesiam pro infidelibus quoque orare.

Sane interrogata s. C. P. F. an possit Missionarius recipere eleemosynam Missae eamque applicare ad mentem seu intentionem viri gentilis seu pagani offerentis, qui vult impetrari liberationem a morbo vel a carcere vel a poena capitis, quae imminet, respondet 11. Mart. 1848.: *Affirmative*. Sacra autem Inq. interrogata, an liceat Sacerdotibus Missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione et ab iis eleemosynas pro Missae applicatione accipere, respondit 12. Iulii 1865. *Affirmative, dummodo non adsit scandalum ac nihil in Missa*

specialiter addatur, et quoad intentionem constet nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse. Cf. Instructionem s. O. 14. Mart. 1879. (Acta s. S. Vol. 25. p. 443.).

4° Pro his, nempe catechumenis et infidelibus, sacrificium offerri non posse dicitur prout propitiatorium est; quia huius fructus hi non sunt capaces. Nihilominus 1° etsi non sint capaces expiationis poenae temporalis, tamen capaces sunt illius propitiationis, quae sita est in eo, ut Deus erga illos placetur. 2° Si cathechumeni per caritatem aut contritionem sint iustificati, non video cur capaces non sint fructus sacrificii expiatorii poenae, si pro illis sacrificium offerre licet.

5° Pro infantibus baptizatis nihil obstat quominus a ministro Ecclesiae sacrificium, prout impetratorium est, offeratur, cum Ecclesiae membra sint et plura pro illis orari possint bona.

1002. 6° Pro excommunicatis vitandis quemadmodum nequeunt sollemnes vel publicae exsequiae fieri, ita nequit publice pro ipsis Missa offerri, ita ut appareat in ipsorum suffragium, vel utilitatem offerri; hoc enim Ecclesia prohibet. Si tamen privatim sacerdos pro his offerret etiam defunctis, qui forte in gratia mortui sunt, non constat, eum illicite acturum: quia tandem pro omnibus licet offerre pro quibus Christus mortuus est, nec constat quoad hoc ulla prohibitio Ecclesiae. Cf. Oietti *Synopsis* etc. v. *sacrificium*.

7° Si autem agitur de excommunicatis toleratis, controvertitur. Alii negant; quia Ecclesia eos tolerat in gratiam fidelium tantum, nullum commodum eis concedere intendens, praecisione facta a necessitate aut utilitate fidelium et quia Ecclesia permisit fidelibus communicare cum excommunicatis, at non ideo permisit publice orare et offerre pro illis; quia hoc aliquid amplius est, quam cum illis simpliciter communicare.

Hinc vero Lugo argumentum ducit, ut satis probabilem ostendat oppositam aliorum sententiam disp. c. nn. 187. seqq. Quia reipsa Ecclesia concedit huiusmodi excommunicatum (exceptis haereticis notoriis) sepeliri in loco sacro, quod non potest fieri quin preces et suffragia pro eo offerantur et quia generatim excommunicati tolerati communibus suffragiis non privantur. Cf. s. Alph. l. 7. n. 164.

Gregorius XVI. improbavit tanquam adversam Ecclesiae regulis obligationem susceptam celebrandi in publico funere sacrificium etiam pro iis, qui ad sectam acatholicam pertinuerant 9. Iul. 1842. litteris datis ad praesidem monachorum de Scheyern.

8° Certum est offerri posse pro animabus Purgatorii et est ab Ecclesia definita doctrina. Pro Sanctis vero offertur sacrificium, prout est sacrificium laudis et gratiarum actionis Deo pro gratiis et gloria

quas ipsis contulit, ex qua ratione offerendi honor redundat in Sanctos; ideoque in eorum honorem dicitur offerri, quemadmodum in eundem finem erigimus templa et altaria.

1003. Quaeritur, quae dispositio requiratur, ut quis percipiat fructum sibi applicatum sacrificii propitiatorii h. e. poenae temporalis remissionem.

Cum remissionem poenae temporalis nequeat assequi qui in statu peccati est, debitor exsistens poenae aeternae; patet statum gratiae requiri. Difficultas solum est, an is, qui in statu peccati erat, cum pro eo oblatum est sacrificium, si postea removeat obicem peccati, fructum illum expiationis consequatur.

Communior est doctrina negans, quam Lugo omnino veram censet disp. cit. n. 195.; quia sicut Eucharistia ut sacramentum non reviviscit, ita nulla est ratio cur reviviscat ut sacrificium, tum propter absurdum, quod sequeretur, quod apud ipsum doctorem conferri potest.

1004. Sequitur quaestio: quantus sit fructus, qui ex quolibet sacrificio percipi potest. *

Licet A. videatur, voluisse cavere a quaestione de *valore,* finitusne dicendus sit an infinitus, tamen quid ipse sentiat, non dissimulat.

Sciendum ergo, distingui valorem a fructu sacrificii, *valor* dicitur vis et efficacia ex dignitate offerentis et victimae; *fructus* dicitur bonum, quod intuitu sacrificii Deus confert. Differunt ergo instar causae et effectus.

His praenotatis alii DD. tenuerunt, sacrificium actu habere valorem *finitum* tum *intensive* tum *extensive:* quia, inquiunt, licet in se Missa sit valoris infiniti, determinatum tamen effectum *ex Christi instituentis voluntate* habet. Idcirco Missa applicata pluribus, minus prodest, quam si uni tantum applicetur.

Alii vero dicunt, negantes eam determinatam mensuram ex voluntate Christi, valorem Missae tam *intensive* quam *extensive* esse infinitum, licet quoad *intensionem* causet maiorem fructum aut minorem pro dispositione hominis. Quoad *extensionem* vero idcirco putant, non minus prodesse multis, quam si applicaretur uni tantum. Quemadmodum fit in iis sive pluribus sive paucis, qui Missae adsistunt.

Videri possunt rationes apud Ligorium n. 312., qui posteriorem sententiam penes recentiores dicit merito communissimam.

Et ibid. s. Alph. refert responsa facienda obiectionibus: scil. 1° non obstare, quod Ecclesia vetet, ne uno sacrificio satisfaciat presbyter pluribus obligationibus, ne plura accipiat stipendia. Nam merito *una* sustentatio praescribitur.

2° Non obstare, quod plura pro eadem re sacrificia offerantur;

quia fructus percipitur iuxta dispositionem, atque adeo mensura quadam.

Concludit tamen s. Alph.. quod cum opposita sententia non careat omnino probabilitate, licet haec secunda sit probabilior, non debet Sacerdos, dum accepto stipendio, pro quopiam offert, applicare etiam aliis, nisi conditionate, sc. modo non fraudetur, qui dat stipendium (a).

(a) Valor Missae nobis applicatus et impetratorius est et propitiatorius. Si mensura valoris sumitur simpliciter ex dignitate victimae atque offerentis principalis, qui est Christus, nulla dubitatio, quin infinitus sit valor et intensive et extensive neque id negant illi, qui contrariam sententiam amplectuntur ab ea, quam s. Alph. probabiliorem censuit. Illi autem valorem constituunt in effectu producendo.

Quaestio porro non est proprie de possibilitate (cf. Lugo disp. 19. n. 255.), sed potius de facto: h. e. non quaeritur, quantum effectum possit ex se sacrificium hoc producere: sed ad quantum effectum producendum, sit ex Christi institutione seu Dei voluntate ordinatum. Hic est valor, quem actu obtinet sacrificium et hoc pacto re intellecta, dissensus esse potest et reapse est inter DD. circa valorem sacrificii eucharistici. Oportet autem distinctius declarare sententiam, quam Ball. non probat: nam plures habet partes neque in omnibus discedit ab opposita sententia et argumenta eius non satis plene sunt proposita.

Supponendum est ex dictis (227. 4°). Christum nunc nec mereri nec satisfacere, bene vero impetrare atque merita et satisfactiones tota vita sua mortali iam partas nobis applicare. Loquentes ergo de valore impetrationis Christi in sacrificio, concedunt hi auctores, eum esse infinitum, non quidem simpliciter, h. e. eo sensu, quod per hoc sacrificium impetremus a Deo per Christum sive Christus impetret nobis aliquid infinitum simpliciter; cum enim nunquam Deus producat tale infinitum, non potest etiam impetrari de facto. « Potest tamen dici infinitum secundum quid seu syncategorematice ad impetrandum, quatenus nunquam possumus aliquid petere, quo non possimus aliquid maius nec unquam pro tot, quin possimus pro pluribus et ad totum datur valor ex parte ipsius sacrificii ». Est igitur valor impetrationis tum intensive tum extensive infinitus secundum quid. Ita Lugo disp. 19. n. 242. Suarez disp. 79. sect. 11. n. 4. Advertit tamen Lugo, impetrationem hanc non esse infallibilem nisi eo pacto, quod superius ex eodem indicavimus n. 996.

Porro si agitur de valore sacrificii, prout est propitiatorium, quo debitum poenae nobis remittitur ex opere operato: hic effectus utique augeri potest iuxta dispositiones eius, pro quo offertur sacrificium: quocirca et heic datur quaedam infinitas valoris syncategorematica; potest enim crescere effectus semper ex meliore dispositione offerentis vel illius, pro quo offertur: cum ergo devotio semper possit crescere, poterit eodem modo crescere valor syncategorematice. Dictum est *quaedam infinitas syncategorematica;* quia limitem apponit ipsum debitum, quod, cum sit finitum, pluribus remissionibus tandem exhauriri potest, nisi et ipsum continue augeatur aliis supervenientibus debitis.

Verum quaestio est, an ex se et independenter a meliori dispositione subiecti hic valor sit infinitus simpliciter.

Certum est primo, ait Lugo l. c. n. 244., non esse infinitum intensive, cum singulis applicatur; quia non remittitur debitum poenae infinitae, sed finitae, cuiusmodi est poena temporalis.

Quaestio ergo superest de valore extensivo: « an scilicet oblata Missa pro quatuor habeat maiorem effectum remissionis poenae extensive, quam si offeratur pro uno, an vero inter illos quatuor dividatur ille effectus, qui tribueretur uni ». Ita Lugo l. c. Heic apparet dissensus realis inter DD.; quidam enim affirmant cum s. Alphonso, Missam aeque prodesse pluribus applicatam ac si applicaretur uni: non minui proinde remissionem uni debitam propter applicationem Missae, eo quod eadem Missa aliis quoque applicetur: alii e contrario primum distinguunt inter offerentes (qui nempe sacrificio assistunt et cum sacerdote offerunt) et eos pro quibus Missa applicatur, tum id quod priores affirmant, concedunt quidem quoad offerentes, negant vero quoad eos, pro quibus solum Missa offertur. Suarez disp. cit. sect. 12. nn. 4. 7. non bene a s. Alph. pro sua sententia citatus et Lugo l. c. n. 246. seqq., quem s. Doctor maluit praeterire.

Prior pars huius doctrinae manifesta est. Neque enim ex eo, quod alii mecum Missae

Unde resolves.

CXI. 1. Sacerdotes ordinarie peccant graviter, si non aliquoties in anno, saltem ter vel quater, sollemnioribus festis celebrent, nisi legitime sint impediti. Ita Sylv. Regin. Suar. Con. et alii comm. contra Aug. Bon. Dian. p. 2. t. 14. r. 19. item Card. de Lugo, et Tamb. l. 1. *Exped. com.* c. 6. qui excusant saltem a mortali, dummodo communicent in Paschate absitque contemptus et scandalum: imo ubi Tridentinum est receptum, tenentur ex mandato Episcopi sub gravi culpa celebrare saltem Dominicis et festis; excusantur tamen, si Episcopi nullum mandatum exstet.

1005. Duplicem sententiam adesse satis innuit A. Et quidem certum est, improbandum plane morem sacerdotis, qui ab celebrando absti-

---

assistunt, minuendus est fructus, qui mihi debetur et cum in singulis sit eadem ratio, quia nempe offerunt: fructus oblationi respondens debet in singulis multiplicari. Habes enim actum cultus singulis proprium, cui fructus debetur.

Demonstratio alterius partis duplici elemento constat: primo scilicet ostenditur, necesse haud esse ex eo quod dignitas offerentis principalis atque victimae sit infinita, infinitum esse de facto valorem sacrificii extensive: deinde ostenditur a posteriori, reapse hunc valorem esse finitum, ut pluribus eius effectus applicatus minor sit in singulis, quam si uni applicaretur.

Et 1. quod spectat ad principalem offerentem qui est Christus, is nunc non satisfacit, sed solum satisfactiones iam peractas huic sacrificio applicat. Cum haec applicatio libera sit, potuit totaliter vel partialiter eas applicare, ut nempe vel vim omnem suam exererent vel pro determinato effectu seu certa quantitate remittendae poenae. Quemadmodum et in sacramentis virtus passionis Christi continetur, ordinata tamen ad certum et limitatum effectum producendum.

Quod spectat ad infinitum valorem sacrificii, respondet Lugo n. 254., id parum referre ad arguendum infinitum valorem in oblatione: oblatio enim non tam sumit valorem ex re oblata, quam ex offerente (cf. dicta n. 993.). Et quamvis ipse offerens sit infiniti valoris, is nunc non satisfacit, sed applicat satisfactiones suas praeteritas. Sane valor satisfactorius victimae eucharisticae non est novus, sed est fructus sacrificii crucis, qui per sacrificium altaris applicatur nec est opus, ut diximus, quod cum sacramentis vel alteri actioni sacrae adnectitur fructus sacrificii crucis, secundum infinitatem suam adnectatur.

2. Ratio a posteriori demonstrans, non haberi in quodlibet sacrificio valorem infinitum extensive, petitur ex sensu et praxi Ecclesiae. Nam eo posito, 1° frustra applicaretur sacrificium pro aliquo defuncto particulari: si enim prodest tantum omnibus et singulis, quantum si pro uno tantum applicatur, satius esset semper applicare Missam pro omnibus defunctis, imo una simul pro omnibus vivis et defunctis. Haec sane deberet esse in Ecclesia praxis, ut omnium necessitatibus uberius et adeo facilius consuleretur, si valor sacrificii est extensive infinitus. Atqui alia est Ecclesiae praxis, ut patet.

2° Qui Missam applicat pro offerente stipendium, posset eandem Missam eodem pacto pro pluribus aliis applicare, quin stipendium danti iniuriam faceret et illi alii, saltem quantum est ex vi applicationis sacerdotis, non minus lucrarentur, quam ille qui stipendium dedit.

Item qui voto vel praecepto superioris applicare pro aliquo tenetur, posset pro eadem Missa alteri applicanda stipendium accipere.

Haec autem in praxi absurda sunt.

3. Nec apparet, quid Ecclesia conferat, cum addit quibusdam Missis privilegiatis Indulgentiam plenariam pro liberatione animae e purgatorio: quid enim infinito iam exsistenti valori et applicabili a sacerdote addi potest? Non ergo Ecclesia censet, talem esse valorem Missae.

Ita s. Thomas in 4. dist. 45. de suffragiis loquens, quae in Ecclesia per sacrificium Eucharistiae fiunt, ait q. 2. a. 4. ql. 3. ad 2°; « Quamvis virtus Christi, quae continetur sub sacramento Eucharistiae sit infinita: tamen determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum *ordinatur* ». Ordinatio ad determinatum effectum nequit esse a dispositione

neat: at simul sincere fatendum est, efficaces rationes, quibus evincatur, lege aliqua obligari, non adesse. Ratio s. Thomae q. 82. a. 10. est: « Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2. Cor. VI. 1. *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi attenditur... principaliter per comparationem ad Deum, cui sacrificium offertur ». Sed Apostolus l. c. loquitur de gratia gratum faciente, non gratis data, qualis est character sacerdotalis.

S. Alph. n. 313. dicit, se subscribere priori sententiae, quae gravis peccati damnat, nisi ter aut quater per annum celebretur, utpote probabiliori *ac tutiori*, tanto magis (inquit), quia sacerdos eiusmodi, fatente Lugo, aegre excusabitur ratione scandali; quia hoc esset signum malae conscientiae et hanc quidem circumstantiam etiam A. excipit.

Verum 1° pertinebit ad confessarium inspicere, an hoc scandalum reipsa adsit; nam fieri posset interdum, ut id non malae conscientiae, sed ingenio hominis tribuatur (in angustiis versanti, scrupuloso etc.).

2° Si absit scandalum et reipsa lex, quae ad celebrandum adigat, non profertur, nescio cur dicatur *probabilior* sententia obligans. Multo minus apparet, cur dicatur *tutior*. Etsi enim tutius sit celebrare; id tamen non perinde est ac asserere, tutiorem esse sententiam, quae obligationem imponit. Sane ubi agitur de mera obligatione atque honestate actionis, ipse s. Alphonsus multoties inculcat, tutissimum esse et oppositam partem amplecti; quod enim certe licitum est, plane est tutissimum.

1006. « Sententia, ait Lugo disp. 20. n. 1., satis communis affirmat, sacerdotem esse obligatum ad celebrandum. Hanc docent Durandus... et multi recentiores, quibus favet s. Thomas 3. p. q. 82. a. 10 et in 4^{m} dist. 12. q. 3. a. 2. ql. 1. Alii negant, secluso scandalo et obligatione proveniente ex beneficio, cappellania, praebenda etc. sacerdotem praecise ex sua ordinatione obligari ad celebrandum. Hanc tenent Menander, Bonaventura, Caietanus et alii, quos refert Suarez disp. 80. sect. 2., qui eam sententiam probabilem dicit et nullum argumentum contra illam urgere; quibus adde Victoriam et Bonacinam quos sequitur Diana. Et ego fateor, pro prima sententia me nullum argumen-

---

subiecti, sed est a Deo institutore sacramenti: ex dispositione sane subiecti potius provenit limitatio vel carentia effectus, ad quem sacramentum *ordinatur*. Itaque virtus Christi in Eucharistia est per se infiniti valoris; at Eucharistia non est ordinata ad infinitum effectum sed limitatum.

Hinc idem s. Doctor ibid. art. 4. ql. 2. dixerat in arg. *sed contra*. « Si suffragium pro multis factum tantum valeret pro singulis, ac si pro uno tantum fieret: videtur quod Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singulariter Missa vel oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis; quod patet esse falsum ».

Itaque concedendum videtur in sententiam, quae negat infinitatem extensivam. E.

tum convincens adhuc invenire, saltem ut eam obligationem sub peccato mortali agnoscamus ».

3° Auctor innuit etiam communiorem DD. affirmantium sententiam, quae *ter* aut *quater* saltem obligat. Eam in rem s. Alphonsus meminit decreti s. C. Concilii an. 1696. mense Novembri editi et relati a Monacelli, quod est eiusmodi: « Qui sine iusta causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter et poterit ab Episcopo puniri ». Quae tamen responsio non est efficax ad dirimendam generatim hanc controversiam; quia responsiones istae non habent hanc vim ut videre est apud eund. Ligor. lib. 1. n. 106.

Quod postremo dicit A., teneri sacerdotes ex mandato Episcopi ad celebrandum singulis festis, explicatione indiget.

Nam Tridentium ita habet sess. 23. cap. 14. *de Reform.:* « Curet Episcopus, ut ii (presbyteri) saltem diebus dominicis et festis sollemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent ».

Quae verba prioris partis (nam in altera sermo est de habentibus curam animarum) non edicunt obligationem presbyteri, sed munus Episcopi: ad summum eruitur, teneri presbyterum, si Episcopus praecipiat. Quantum autem possit *praecipere*, non est locus heic disputandi.

CXII. 2. Etsi in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et Conventualibus (ubi est competens Sacerdotum numerus) quotidie debeat una saltem Missa privata celebrari et altera cantari peccentque mortaliter dictarum Ecclesiarum Rectores, si in hoc deficiant, Suar. Conin. Laym. March. etc.: non esse tamen mortale (praescindendo a peculiari obligatione talis Ecclesiae) semel vel bis in hebdomada omittere alterutrum, docet Tamb. l. 1. c. 6. uti neque si in Ecclesiis Collegiatis die festo cadente in feriam privilegiatam, v. gr. Vigiliae, quatuor Temporum, Quadragesimae, vel Rogationum, Missa sollemnis de feria post Nonam canenda semel omittatur. ibid. ex Abbat. March. etc.

1007. Cum Benedictus XIV. in Constit. *Cum semper oblatas* 19. Augusti 1744. edixerit, « ut Missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum Ecclesiarum, pro earundem benefactoribus quotidie applicetur, respiciendo benefactores in genere »: hinc exceptiones, de quibus A., non debent admitti. Sunt autem excusandi AA., qui ante Benedictum XIV. id affirmarunt, quia haec est instar novae legis, quae praeterea dispensat ab applicanda secunda Missa, ubi erat mos et concedit, ut satis sit commemoratio in *memento pro defunctis*.

CXIII. Peccat graviter, qui tenetur pro alio offerre Missam, fructum tamen principalem applicat aliis: quia id alii est fraudi in re gravi.

1008. Ad rei claritatem adverte, triplicem distingui fructum: 1° *generalem*, qui profluit in omnes fideles vivos ac defunctos: 2° *specialem*

(qui ab aliis dicitur *medius* vel *ministerialis*) et iis provenit, pro quibus applicatur Missa, sicut etiam assistentibus, ministrantibus, dantibus paramenta, hostiam, vinum etc. 3° *specialissimum*, qui obvenit sacerdoti celebranti.

Inde clara resolutio A. sed cf. dicenda sub seq. dub. II.

CXIV. 4. Graviter peccat, 1. qui ad Sacrum ex iustitia obligatus, illud diu differt: quia magno fructu alterum privat. Sylv. Regin. l. 23. num. 236. Fernand. etc. multoque magis, si plane omittit teneturque hoc casu ad stipendi restitutionem. Tamb. *de Exped. sacrif.* lib. 3. c. 1. §. 8. 2. Si quis accipiat plura stipendia, quibus non nisi post longum tempus possit satisfacere. Ratio eadem est. Sylv. Regin. Fernand. p. 3. c. 5. 3. Qui Sacrum animo se obligandi promisit et non praestat. Bonac. d. ult. p. 8. etsi probabile sit, hoc non esse mortale, ut habet Sanch. *de Matr.* l. 1. d. 5. Vide Dian. tr. 3. mis. res. 9. item p. 4. t. 4. res. 196. et p. 6. t. 6. res. 6. p. 5. t. 14. res. 81. ubi citat Caiet. Vasq. Hurt. etc. affirmantes, quod qui pluribus Missam gratis promisit, possit unica satisfacere: quod tamen alii communiter negant.

1009. Incipit A. agere de obligatione celebrandi propter stipendium. Stipendium iustum lex Episcopi in singulis dioecesibus statuit vel ea deficiente, consuetudo. S. C. C. 15. Nov. 1698. interrogata: « Quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium » respondit: « Attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit: sin minus, statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem, eius arbitrio (utique rationabili) ». Cf. Bened. XIV. *de Syn.* l. 5. c. 8.

Hoc est iustum stipendium, quod *exigi potest*, supra quod vero *aliquid exigi nequit* absque iniustitia; quia nullus est titulus: at gratis datum acceptare licet.

In hac re praesupponenda est doctrina s. Thomae 2. 2. q. 10. a. 2. ad 2. « Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiae aut Missae decantandae; hoc enim esset simoniacum: sed quasi stipendium suae sustentationis ». Ita 1. Cor. IX. 13. *Qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt et qui altari deserviunt, cum altari participant.*

Pactum quod fiat, circa stipendium, si de iusto stipendio agatur, quatenus vel est secundum taxam vel a certis circumstantiis postulatur, pactum, inquam, licitum est: quod enim iure exigis, si aliquid facias, potes deducere in pactum.

Si autem sacerdos ultra iustum stipendium exigat sine causa aliquid vel id paciscatur, peccabit exigens id, ad quod ius non habet, tum peccabit contra legem statuentem taxam, tum propter scandalum; at peccatum simoniae non erit; quia abest obiectum proprium simoniae (nisi ex perversa voluntate intendat sacerdos sacrificium vendere) et vitium est in indebito excessu eius quod recte fieri potest. Praesumitur tamen simoniacus, qui ita se gerat. Cf. Tr. VI. de Praec. n. 282.

1010. Iam vero quod spectat ad dilationem, de qua A. primo loco loquitur, Innocentius XII. In Constit. *Nuper* 23. Nov. 1697. decreta confirmavit edita Urbani VIII. auctoritate, ubi et referuntur. In rem nostram hae faciunt: « Cum saepe contingat, in quibusdam ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur indeque fiat, ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus caritatis operibus retrahantur » (addit, id fieri spe reductionis...) et dein de re nostra sic decernit: « Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis ».

Et proposito circa hoc decretum sequenti dubio (est n. 11.): « An hoc decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis nondum satisfecerunt et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere? » a s. C. C. responsum est: « Ad undecimum respondit, non prohibere absolute ac propterea etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo *infra modicum* tempus possint omnibus satisfacere ».

Propositio autem alio dubio n. 12.: « Quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit? » Responsum est: Ad 12^{m}: « Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis iuxta benefactoris consensum celebrandis ».

1011. Disputatum est autem a DD., quale censeri possit modicum tempus. Et plures consentiunt, modicum tempus dici posse, si infra duos menses Missa celebretur, ut videre est apud s. Alph. n. 317.

Ipse tamen s. Alph. memorat responsionem s. Congregat. Concilii, de qua Benedictus XIV. Instit. 56. n. 14.: « Sacra Concilii Congregatio die 17. Iulii an. 1755. ità respondit: Cum in declaratione *Undecimi* super decretis de celebratione Missarum permittatur receptio aliorum onerum Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus

possit omnibus satisfieri, hodie nonnulli Superiores Regulares pro conscientiarum, ut inquiunt, quiete denuo quaerunt, an dictum modicum tempus reputetur tempus duorum vel trium mensium. Sacra Congregatio etc. respondit: modicum tempus intelligi *infra mensem* ». Verum iam alibi diximus, has decisiones non habere vim legis.

Notandum tamen 1° Missas pro defunctis celebrandas quantocius fieri possit; tum quia haec est intentio dantium eleemosynam, tum quia dilatio suffragiorum est nimis gravis defunctis.

2° Non posse differri Missas pro defunctis celebrandas necessitate, v. gr. felici partu, evadendo periculo morbi vel navigationis, vincendae litis etc. Et si tempus elapsum fuerit, sacerdos debet restituere stipendium, etiamsi postea Missam celebravit, inquit Roncaglia.

3° Si data sit eleemosyna, ut celebres hac festivitate, debes eo die celebrare, licet admittant quidam, in crastinum reiici posse.

1012. Quod spectat ad omissionem Missae, sententia A. plana est, graviter peccare sacerdotem, qui omittat Missam, pro qua accepit stipendium. Accepto stipendio obligatio iustitiae oritur, non quatenus contractus permutationis fiat inter stipendium et Missam; sed quatenus dans stipendium intendit sacerdotem obligare, si velit et hic acceptat obligationem et utrinque intelligitur obligatio ex iustitia, ut reddendum sit stipendium, si obligationi non fiat satis et iniuria fiat danti, si Missa non celebretur. Est scilicet contractus: *do, ut facias.* A. censet obligationem vel pro una Missa esse gravem, ut eius omissio, pro qua acceptum est stipendium, sit mortale peccatum. Ratio, quia gravitas violationis contractus diiudicatur ex valore rei per contractum onerosum debitae, quae non redditur. Atque ita plures censent. Porro sicut grave peccatum est omissio, ita, cum debita proportione, grave peccatum erit et indebita dilatio.

Quidam tamen (vid. Ligor. n. 317. quaest. 3.) censuerunt, leviter peccari, si stipendium non sit materia gravis. Cui sententiae *non deest sua probabilitas tum intrinseca tum extrinseca;* licet *probabilior* (non certa) visa sit s. Alphonso sententia A. S. Alph. l. c. ait: « Graviter peccari negat prima sententia et hanc tenent Palaus, Sporer, Renzius et Salmanticenses cum Henriquez (est Herincx), Pellizzario, Sanchez, Fagundez etc. » idest Antonio a Sp. S.

Nec plures affert s. Alph. pro affirmante. Ergo adhibeatur canon a s. Alph. inculcatus, nempe non damnandum de mortali, nisi certo constet. Profecto gravitas desumi non potest a *gravitate materiae* in stipendio ». Ratio Gury post s. Alphonsum et alios, *quod grave damnum spirituale* patiatur ille, qui dedit stipendium, nimis probat: non enim in contractibus pensanda est utilitas alterutrius, quae maxima esse

potest, sed etiam *quanta* sit in altero obligatio eam utilitatem praestandi: secus idem erit ratiocinium, si de obligatione *mere fidelitatis* aut *merae caritatis* agatur, qua hanc utilitatem proximo afferre quis debere dicatur (a).

Tandem si agatur de omissione Missae gratis promissae, probabile est omnino, leve esse peccatum, nisi se voluerit sub gravi obligare atque id certo constet; secus praesumetur voluntas obligationis levis. V. s. Alph. n. 317. in fin.

CXV. 5. Si quis det iustum stipendium (id a consuetudine vel lege taxatum esse debet aut, si non est, secundum Sotum et Caiet. est frugalis victus unius diei, quod Suarez, Laym. et alii reprobant putantque sufficere mediam vel tertiam partem sustentationis diei) ut pro se dicatur Missa, non potest secundum accipi ab alio et pro duobus una tantum Missa dici, Card. de Lugo dist. 19. n. 259. * Quod sane certissimum est ex damnat. Proposit. 10. inter proscriptas ab Alexand. VII. * Secus, si ambo dimidium tantum iusti darent; uti contra Vasquez, Regin. et alios probabiliter docent Sotus, Henriq. Fill. Coninc. Card. de Lugo l. c.: quod tamen iam est prohibitum per Bullam Urbani Octavi. Vide Bonac. Dian. t. 14. r. 7.

1013. Alexander VII. damnavit hanc propos. n. 8.: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. ».

Itemque aliam n. 10.: « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam cum iuramento danti stipendium, quod pro nullo alio offeram ».

(a) Ceterum si obligatio, vel pro una Missa suscepta, talis sit, ut sacerdos eam omittens graviter peccet; obligatio gravis quoque erit eleemosynam restituendi, ut reparetur damnum, quatenus qui eleemosynam dedit, ea recepta, possit Missam ab alio sibi comparare. Per se autem obligatio restituendi unam libellam vel scutatum nequit esse gravis; res est enim diiudicanda secundum doctrinam de materia gravi in furto.

Hinc vero apparet difficultas, quam non video distincte ab Auctoribus tractari. Nam si, ut quidam dicunt, dum stipendium est materia levis, leviter peccet sacerdos, omittens celebrare; leve peccatum erit, si viginti quinque libellis acceptis pro totidem Missis, has omittat, retento stipendio (Tr. VIII. p. 2. n. 66.): quod videtur satis alienum a sensu fidelium et Ecclesiae, quae adeo urget celebrationem Missarum ex accepta eleemosyna.

E contrario si omissio unius Missae, debitae propter stipendium per se materiam levem, sit grave peccatum; erit etiam obligatio gravis restituendi stipendii: hoc autem identidem saltem, nimium videtur. Fac divitem dedisse stipendium duas libellas et deinceps certiorem fieri, sacerdotem nec celebrasse nec velle celebrare. Potest dives duabus aliis libellis alteri sacerdoti traditis Missam obtinere. Quodnam ergo est damnum, quod dives patitur? Huc tandem redit, ut sit amissio duarum libellarum. At hoc non est damnum grave: cur ergo graviter peccat ille sacerdos, negans restitutionem?

Forte, his particularibus difficultatibus praetermissis, obligatio gravis vel pro una Missa celebranda pro consueto stipendio, deduci potest ex Ecclesiae voluntate (per tot decreta nunc saltem manifestata) obligantis hoc pacto sacerdotes, propter commune bonum et ut grave fidelium scandalum caveatur.

Abstractione autem facta a gravitate vel levitate peccati, obligationem esse restituendi eleemosynam, ex eo patet, quod nullus sit titulus, cur eam tibi retineas. E.

Quoad A. dicit damnatum ab Urbano VIII., unico sacrificio satisfacere duobus, qui dimidium stipendium dederint, ita plane intelligendum, *si pro dimidio stipendio utrique unam Missam petenti promiserim;* secus, si duobus concurrentibus ex dimidio ad unum stipendium efficiendum.

Et sane decretum Urbani VIII. sic se habet: « Ubi PRO PLURIBUS Missis celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua atque exigua sive ab una sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferantur in futurum... Sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerunt ». Supponuntur ergo *plures* impositae Missae et acceptatae.

CXVI. 6. Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo celebret aut fieri curet, per se loquendo, potest curare Missam per alium bonum Sacerdotem dici, minus dando, quam accepit. * Considera tamen hac in re Proposit. 9. inter damnatas ab Alex. VII. *

Dixi 1. *Per se;* quia Urb. VIII. ob speciem turpis quaestus id fieri vetuit.

Dixi 2. *Bonum:* quia, si per malum curet, perditur fructus, qui est ex opere operantis. Vide Card. de Lugo l. c.

1014. Decretum Urbani VIII. ab A. memoratum ita est: « Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat ».

Huc facit Prop. 9. damnata ab Alex. VII.: « Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta ».

Benedictus autem XIV. In Const. *Quanta cura* die 30. Iunii 1741. contrafacientes, laicum quidem poena excommunicationis, clericum suspensionis ipso facto incurrendae plectit, et quidem reservatis Romano Pontifici.

Nota tamen, has poenas esse solum contra colligentes stipendia; ita enim loquitur Benedictus XIV. cit. Const. « Quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, *colligens*, Missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit; laicum quidem seu secularem, praeter alias arbitrio vestro (ad Episcopos scribit) irrogandas poenas, excommunicationis poenam, Clericum vero sive quemcumque sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos seu Rom. Pontif. pro tempore exsistentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis* serie 2. inter excommunicationes Romano Pontifici reservatas, sed non speciali modo, plectit pariter *colligentes*, nullo tamen facto discrimine inter laicos et clericos n. 12. *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Suspensio autem Benedicti XIV. sublata est.

1015. Excipiuntur tamen 1° casus, quo maior eleemosyna data sit non Missae intuitu, sed amicitiae, paupertatis, propinquitatis, gratitudinis etc., quando ex circumstantiis moraliter id colligi potest. Cf. responsum s. C. C. paulo infra citandum.

2° Si sacerdos, cui datur celebranda Missa, *liberaliter et sponte sua excessum condonet.* Nihilominus, ut monet s. Alph. n. 321., si indicato maiori stipendio, alium roges condonationem vel quaeris, an consentiat, nequis retinere condonatum; quia hic tanquam *execrabilis abusus* a Romanis Pontificibus non semel damnatus est, ut refert ipse Benedictus in Const. cit., qui propterea rursus illum abusum proscribit. Refert enim a suis Praedecessoribus hunc execrabilem abusum detestantibus decreto s. C. Inq. et s. C. C. « decretum fuisse; a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti Missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti, se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset ». Si *execrabilis abusus* est, profecto non licet. Facile liquet, cur id sit prohibitum: ut omnis nempe damnabilis quaestus et avaritiae occasio removeretur.

3° Beneficiarius potest per alium Missis debitis satisfacere dando tantummodo eleemosynam congruam pro more loci. Quod constat etiam ex Respons. seu declaratione 8ª in decretis Urbani VIII.

Scilicet: « An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii ». Responsum est: « Non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit ».

4° Idem valet et in cappellaniis. S. C. C. 15. Mart. 1745. respondit: « licere cappellano amovibili retinere partem stipendii, modo *pro cappellania* certi reditus sint annuatim constituti: secus vero, si huiusmodi cappellano *pro qualibet Missa* celebranda certa detur eleemosyna ».

Item eadem s. C. C. 14. Apr. 1725. responderat: « Cappellani pro

aliqua die cuiuslibet hebdomadae legitime impediti qui Missarum celebrationi per alium sacerdotem satisfaciunt, non tenentur huic sacerdoti persolvere stipendium pro cappellanis statutum, sed solum eleemosynam manualem ».

1016. Ex quibus patet decreta Urbani VIII. et Innocentii XII. hac in re ad solas Missas, ut dicitur, *manuales* spectare hasque esse, cum quivis titulus in iis deest a celebratione distinctus, cuius intuitu eleemosynae dominium acquiratur: in hoc scilicet sitam esse *manualitatis* rationem, cum unice titulo celebrationis traditur eleemosyna. Cf. Acta s. S. V. 4. p. 40.

Perpende quoque responsum s. C. C. 25. Iul. 1874. quoad Missas ipsas manuales. « Integra eleemosyna solvenda (a parochis, qui Missas manuales legendas acceperint): nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu ipsius parochi ».

* Ad clariorem notitiam distinctionis inter Missas manuales et alias non manuales iuverit referre et haec responsa s. C. C. 3. Aug. 1638. « Testator reliquit ecclesiae N. 500. scutata, ut ex reditibus quotannis tot Missae celebrarentur, quot celebrari possent, eleemosyna data trium libellarum pro unaquaque.

Quaeritur, an praedicta ecclesia possit dare celebranti unam libellam (haec erat taxa stipendii), aliis duabus sibi retentis? » Responsum est: « Deberi sacerdoti celebranti solitam eleemosynam tantum: reliquum vero cedere ad commodum ecclesiae ». Missas scilicet debebat ecclesia propter annuos reditus et legatum est institutum nec iusserat testator tantam eleemosynam (tres libellas) dari: sed tot Missas celebrari quot ex reditibus possent, si ex his tres libellae pro singulis Missis darentur. Potest autem fundator vel testator prohibere, ne quid stipendii retineatur (Acta s. S. l. c. p. 41.). Cf. citatam declarationem decreti Urbani VIII.

Item quaedam Catharina de Saccharo imposuit heredibus celebrationem tot missarum annuarum in perpetuum, trium libellarum eleemosyna pro unaquaque, quot fructibus hereditatis celebrari possent. Harum pars contigit Seminario, quod petiit a s. C. C., an posset pro unaquaque Missa dare unam libellam. Responsum fuit « affirmative ». 18. Iul. 1699.

E contrario si testator certam summam, sive semel sive quotannis, distribuendam reliquit in stipendia Missarum ita, ut fundatio exsistat solum ad celebrandum quotannis certum numerum Missarum, taxato quidem stipendio, sed non assignato sacerdote vel ecclesia, cui favere testator voluerit: nulla stipendii pars potest retineri. Sunt enim Missae manuales atque id firmatur Responso Cong. c. 18. Iulii, 1868. apud Acta s. Sedis V. 4. p. 39.-41.

Manualia censenda sunt ea Missarum stipendia, quae ipsi legatarii tenentur tradere ad Missas celebrandas: ita responsum esse Archiepiscopo Coloniensi 25. Iul. 1873. refert Lehmkuhl V. 2. n. 204.

Itaque procurator vel exsecutor testamenti, si Missas sibi cum determinato stipendio commissas faciat celebrare alibi, ubi taxa sit minor nequit sibi retinere excessum stipendii; quia Missae sunt manuales et subsunt decretis Urbani VIII. ac Innocentii XII. et reapse nullus est titulus, cur id lucretur. Tamburini, apud s. Alph. n. 322. dub. 2. affert titulum industriae: sed haec est industria vetita, sive hoc lucrum turpe vocatur in Constitutionibus s. Sedis.

S. Alph. n. 331. in fine docet stipendii partem licite retinere illum, cui commissa sit celebratio Missae perpetuae, illum quoque, cui commissa sit celebratio ex pingui legato ad vitam ei relicto, cum onere Missarum. Ratio est, ait, quia decreta loquuntur solum de Missis manualibus.

Notat Croix n. 121. ex Gobat, ecclesiam vel locum, cui relinquitur Missa perpetua, si proprios sacerdotes non habeat, debere eligere cappellanum, qui celebret, tributo ipsi toto proventu huius fundationis; nam eo ipso quod ecclesia careat sacerdotibus, censetur electa ut exsecutor aut procurator. *

1017. S. Alph. adhaeret doctrinae; quae docet, sacerdotem, qui sibi retineat partem stipendii, teneri ex iustitia ad restitutionem, quae, probabilius, ut inquit, facienda esset sacerdoti, cui committitur Missa celebranda.

Re per se spectata, non videtur deesse probabilitas sententiae neganti hanc obligationem. S. Alph. sane n. 322. ad quaestionem, *an teneatur ad restitutionem* sic respondet: « Prima sententia negat et hanc tenent Suarez et Bonacina cum Sà, Navarro, Vasquez, Filliuccio, Possevino, Roderico, Reginaldo et aliis eamque probabilitate non carere dicit Viva. Ratio, quia accipiens stipendium iam acquirit illius dominium et licet acquirat cum onere dicendi Missam, huic tamen bene per alium satisfacit ». Et reipsa in ceteris omnibus negotiis haec regula valet, sc. non imponi onus personale ita ut si aeque bene per alium quis suas partes impleat, alter inquirere debeat, num minori pretio per alium satisfaciat. Quid, si quis gratis se offerat ad onus implendum?

Arguitur in contrarium 1° ex propositione 9. damnata ab Alexandro VII. (cf. n. 1014.), hoc pacto. Contradictoria eius propositionis est, quod non possit satisfacere obligationi susceptae, si per alium celebrat, retenta parte stipendii: atqui satisfactio est actus iustitiae: qui autem iustitiae obligationi non facit satis, tenetur restituere; ergo.

2° Etsi sacerdos, accipiens stipendium pro celebranda Missa, acquirat statim eius dominium, acquirit tamen, saltem vi existentis legis Ecclesiae, sub conditione, quod ipse celebret; conditione ergo non impleta, nihil retinere potest.

Sane Benedictus XIV. Cons. *Quanta cura* sup. cit. de collectoribus agens partem stipendii sibi retinentibus, ait: « Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam *a furti crimine, unde restitutioni subiaceat, non immune*, in causa est, ut bonorum quam plurimi etc. ».

1018. Ad vitanda incommoda Sacerdotes excogitarunt aliam viam, mutandi scil. intentionem. V. gr. qui accepit scutatum pro Missa hodie celebranda, rogat alium sacerdotem, ut hodie pro se celebret, promittens, se crastina die pro eo celebraturum.

Solus est Concina, qui negat id licere, cuius sententia placuit et s. Alph. n. 322. dub. 4. Improbat vero id Concina; quia speciem praefert turpis mercimonii: veruntamen, hac turpi specie non obstante, non audet id damnare de peccato gravi atque hanc modestiam laudat s. Doctor, qui idcirco solum peccatum veniale hac in re videt, propter illam speciem turpem. Quantum licuit mihi consuetudinem nosse, pauci morem gesserunt Concina; nam citra notam et scrupulum id usuvenit et locum habet, sive quia urget obligatio celebrandi sive quia notae Missarum commodius et exactius servantur. Concedunt Croix, Mazzotta ecc.; quia hoc non est retinere partem pretii, quod Romani Pontifices damnarunt; permutare enim Missam et diem, aliud ab eo per se formaliter est. Utique stipendium pro Missa non ei datur, qui eam legit: at, si opus est, adest tacita et spontanea utrinque condonatio. In summa heic cupiditas turpis lucri vera non apparet, quae est ratio prohibitionis in legibus citatis.

Illud sane mirum, neminem, ante Concina, hanc turpitudinem vidisse et improbasse huiusmodi intentionum permutationem. Ceterum plures, ut innuimus, subesse possunt causae huius permutationis et voluntas retinendi maioris stipendii non est per se turpis, sed honestissimos fines habere potest.

1019. Denique licetne in aliquibus casibus detrahere aliquid eleemosynae pro paramentis, utensilibus etc.

Hac de re exstant haec decreta. 1° Ex declarationibus ad decreta Urbani VIII. (n. 7.): « Permittendum non esse, ut loca pia seu illarum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam minimam portionem retineant, ratione expensarum in Missarum celebratione, nisi non habeant reditus et tunc nullatenus debere excedere

valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessariae sunt subeundae et nihilominus eo etiam casu CURANDUM esse, ut ex pecuniis quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas ».

Dicit, *esse curandum, ut* etc., non dicit autem *absolute* tot Missas *esse celebrandas*. Fac v. gr. periissse reditus Ecclesiae, adeo ut ex stipendio expensae eius detrahi debeant et mensura stipendii statuti non patiatur imminutionem. Quis celebrabit? Recurrendum igitur pro *Reductione*.

Porro prohibitio ea declaratione contenta respicit *Missas manuales*, non autem legata aliasque perpetuas fundationes, a quibus integrum est, utensilium expensas praelevare, ut plures s. C. C. in casibus particularibus respondit. Cf. Acta s. S. V. 21. p. 301.

Hinc illud decretum eiusdem, S. C. 6. Iulii 1726. relatum a Benedicto XIV. (*Instruct.* 56. n. 13.), quo decernitur: « Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis, qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii vel cappellaniae. Quoad Missas vero adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari ; nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes ».

1020. * Quoniam in hac resol. mentionem fecimus de collectoribus eleemosynarum pro Missis celebrandis et de decretis Romanorum Pontificum in hac re, operae pretium erit et quaedam responsa subnectere ss. Congregationum circa quandam specialem classem collectorum.

Quaesitum est 1°, an turpe mercimonium sapiat ideoque improbanda et poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis incitamentis et praemiis vel alio quocumque modo, Missarum eleemosynas colligunt et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependant?

2° An haec agendi ratio ita cohonestari valeat, vel quia nulla facta immutatione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus, subvenitur?

3° An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

4° An turpi mercimonio concurrant ideoque improbandi atque

etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, sive recipiant sive non recipiant quidquam ab iisdem, praemii nomine?

5° An turpi mercimonio concurrant ideoque improbandi et coercendi ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro?

6° An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt, loco stipendii, libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie?

7° An liceat Episcopis, sine specialis s. Sedis venia, ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant?

8° An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum seu breve tempus absolvi queant?

9° An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae singulis sacerdotibus sive quae ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committantur, accurate et fideliter persolvantur?

S. C. C. 25. Iulii 1884. respondit.

Ad 1^{m} affirmative.

Ad 2^{m} negative.

Ad 3^{m} affirmative.

Ad 4^{m} affirmative.

Ad 5^{m} affirmative.

Ad 6^{m} negative.

Ad 7^{m} negative nisi de consensu oblatorum.

Ad 8^{m} et 9^{m} standum constitutionibus Apostolicis et decretis alias datis.

Has resolutiones adprobavit et confirmavit Pius IX. iussitque transmitti ad Episcopos 31. Aug. 1874.

1021. Rursus eadem s. C. C., cum eius responsa quidam Episcopus nimis rigide esset interpretatus, alias declarationes dedit, quibus status quaestionis pressius definitur. Sciscitatus erat Episcopus Calataniasadensis.

1° An illicite agant, ii, qui cum neque bibliopolae sint neque mercatores vel aliter Missarum celebrandarum quaesitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus eleemosynae Missarum traduntur, quique, ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda, eas celebrandas

offerunt sacerdotibus, ut inde hi, stipendii loco, accipiant libros vel ephemerides?

2° An illicite agant huiusmodi sacerdotes, qui vel eis oblatas a supradictis ecclesiasticis Missas acceptant vel ipsi eas petunt celebrandas, ut inde queant pro Missis iam celebratis, earum stipendii loco, libros vel diaria acceptare vel petere, cum ipsi aliunde sciant aut sibi persuadeant, aliter non obtenturos easdem Missas pro effectiva eleemosyna celebrandas?

3° An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu.

S. C. C. 24. April. 1875. respondit ad 1^m et 2^m « negative in omnibus ad utrumque ».

Ad 3^m « Negative: dummodo nihil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum et docto, cui de iure, de sequuta Missarum celebratione: facto verbo cum SS. Cf. Acta s. S. V. 8. pag. 107.-109. pag. 650.-660.

Affertur et responsum s. Poenitentiariae 6. Oct. 1862. Quaesitum fuit a cuiusdam diarii religiosi moderatore: « utrum tuta conscientia suum diarium dare possit sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio, quod ab aliis pro diario solvitur? »

Responsum est: « Praefato dubio mature perpenso: affirmative dummodo Missae celebrentur ».

1022. Iam vero ex his patet, id, a quo s. Sedes abhorret et quod vetat, esse turpis lucri studium, negotiationem, quae per Missarum eleemosynas vel propter eas corrogandas exerceatur: illud nempe, quod in talium eleemosynarum collectoribus detestati sunt et poenis cohibuerunt Benedictus XIV. Const. *Quanta cura* et Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis.*

Ex hac sane bibliopolarum vel mercatorum agendi ratione facile consequeretur monopolium missarum, quo eleemosynarum copia ab hoc vel illo intercepta, Sacerdotes adigerentur ad collectorem recurrere ab eorumque arbitrio pendere. Quod sane turpissimum foret.

Nota, in decreto C. C. sermonem quidem directe fieri de bibliopolis et mercatoribus, sed subinde ad 4. nominari etiam alios Missarum collectores, cuiusmodi esse possent directores ephemeridum seu diariorum.

Illud etiam s. Sedes sollicite cavit, ne in hac collectione et trans-

missione stipendiorum, fundatorum voluntati quidquam detraheretur circa locum, tempus aliasve circumstantias Missarum celebrandarum. *

Et sane in hac praxi habenda est ratio incommodorum, quae subesse vel abesse possunt. Ut enim in hisce discutiendis animadvertendum fuit, in primis non negligenda est intentio eorum, qui Missarum stipendia offerunt. Certe si fideles, Missarum stipendia offerentes, facultatem facerent, ut per sacerdotes Diariis nomen daturos celebrari illae possent, dubitandum non esset, Diariorum moderatores licite agere. Offerentium enim est praescribere non solum celebrationem, sed etiam celebrationis tempus, locum et personas: facultatem autem concedere, ut per alios sacra peragantur, sine limitatione temporis vel locorum, ii tantum possunt qui Missas adventitias tradunt. Sed non raro accidit, ut ad Diariorum Moderatores tradantur etiam Missae perpetuae atque etiam ex dissitis regionibus: quo in casu, nisi qui eas fundarunt vel legarunt, permiserint, ut eae quovis tempore et loco litentur, qui transmittunt, ea facultate omnino carent. Alioquin vero piorum fundatorum mens, quorum plerumque pietas erga aliquod Sanctuarium vel Ecclesiam fertur, nisi expressa fuerit, non est facile praesumenda. Ex quibus apparet, quantopere dedeceat, ut Diariorum Moderatores, propria auctoritate, cui, quo loco et quo tempore ipsis placuerit, Missas celebrandas committant, quasi eleemosynarum sint domini, qui eas pro lubito erogare valeant. Et magis adhuc improbanda videbitur haec agendi ratio, si animadvertatur, Moderatores hosce, ut petentibus satisfacere possint, non exiguum quendam Missarum numerum, sed ingentem earum cumulum necessario congerere sibi debere, contra mentem Benedicti XIV., qui in Apostolica Constitutione, quae incipit *Quanta Cura,* huiusmodi Missarum collectiones improbat, cum innumera ex iis incommoda evenire possint: inter quae illud prae caeteris adnotandum, fieri non posse, ut tot susceptis obligationibus intra breve tempus satisfiat.

1023. * Decretum recitatum C. C. instauratum ab eadem Congr. fuit 25. Maii 1893. decreto *Vigilanti:* quo poenae additae huiusmodi collectoribus. Scilicet sacerdotes collectores plectuntur suspensione a divinis s. Sedi reservata, ipso facto incurrenda: clerici nondum aucti sacerdotio eadem suspensione quoad susceptos ordines atque inhabilitate ad ordines superiores, laici vero excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata. Cum s. Congr. sacerdotes quoque hoc crimen admittere posse supponit, satis significat, decreta sua non ad solos proprie dictos bibliopolas aut mercatores spectare, sed ad omnes veri nominis collectores.

Accedit censura contra huiusmodi colligentes decreta in Const. *Apostolicae Sedis*, de qua cf. Vol. VII. ubi ea Const. data opera declaratur.

Addere iuvat responsum Benedicti XIV. ad quoddam postulatum Missionariorum. Missionarii et Pastores catholici in Hollandia aliisque regionibus haereticorum, notitia accepta Constitutionis Benedicti XIV. *Quanta cura*, anno 1742. 6. Apr. exposuerunt s. Sedi, quod sequitur.

« Quoniam in iis regionibus nulla adsunt beneficia ecclesiastica seu certi reditus ad vitae sustentationem, Pastoribus et Missionariis catholicis a piis fidelibus dari solent pinguia stipendia Missarum et eleemosynae pro earundem Missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis et eleemosynis sustentationem recipiant, in defectu, ut supra, beneficiorum sive certorum redituum ecclesiasticorum. Quandoque vero eadem stipendia et eleemosynae dantur ratione quidem particularis affectionis vel gratitudinis erga illos Missionarios vel Pastores, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem, multoties etiam praecipue in exsequiis, anniversariis et maioribus festis supradicta stipendia dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacramentorum Poenitentiae et sacrae Communionis, ex pia devotione, fideles conferre solent. Quae cum ita sint, Pastores et Missionarii nullum habuerunt scrupulum, retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et eleemosynarum et demandare aliis sacerdotibus indigentibus celebrationem Missarum cum portione dicti stipendii (heic textus est minus completus: sed ex iis, quae sequuntur, hic sensus eruitur) ».

Responsum est: « SS. D. N. Benedictus XIV. vivae vocis oraculo benigne declaravit, in prohibitione contenta in superius enunciato Brevi non comprehendi praedictos casus. Et insuper mandavit, hanc suae mentis declarationem praedictis oratoribus aliisque, quibus opus fuerit, per Officium s. Poenitentiariae esse significandam ».

1024. Auctor vult, ut sacerdos acceptam eleemosynam alteri tradens, tradat bono sacerdoti, non malo; ne fructus, qui est ex opere operantis, a dante eleemosynam perdatur. Quid si ipse, qui eleemosynam accedit esset malus atque id notum fuisset danti eleemosynam? nonne hic iam renuntiasset illi beneficio?

Paulo aliter Croix n. 132.: « Cui datur stipendium pinguius, quia putatur devotius celebrare, secundum Pasqualigum q. 976. non potest Missam alteri committere, etiamsi huic det totum stipendium, nisi impedimentum vel iusta causa excuset; quia devotio ipsius quasi in contractum deducta est. Si tamen committeret aeque devoto, non videtur peccaturus: at si etiam alteri non aeque devoto, non esset obligatio restituendi nec facile erit mortale; quia hic excessus devotionis non est tanti ». Hoc ultimum probat s. Alph. n. 321. in fine, addens, « aliquando bene posse accidere, aliquem graviter ferre, quod Missa per alium celebretur et tunc (si ille, puto, rationabiliter sit graviter

invitus) erit mortale ». Qua in re s. Doctor a rigidissimo Concina discedit, qui generatim affirmaverat, non videri esse mortale, si accepta eleemosyna detur minus devoto.

Et sane difficultas erit semper in praxi. Quis tenetur, putare se esse alio devotiorem aut magis Deo acceptum sive alium esse minus devotum ac sanctum? Quo quis sanctior est, eo magis se parvi pendit et alios habet in existimatione. Profecto si a Petro dante eleemosynam est electa persona, ut nonnisi ab hoc presbytero ille velit Missam celebrari et presbyter acceptet atque se obliget, nequit hic alteri committere Missam, etiamsi integrum stipendium reddat; at si nihilominus alteri dederit et hic celebraverit et bonus sacerdos reputetur, non apparet certa ratio, cur ille prior obligetur ad restitutionem eleemosynae Petro; quia opus commissum, quoad substantiam, praestitum fuit et forte melius, quam si ille celebrasset.

At si acceptans eleemosynam, tradat eam deinceps presbytero manifeste indigno, puta publico concubinario, an ille graviter peccavit et tenetur eleemosynam restituere danti, eo quod causa fuit damni, siti in amissione fructus ex opere operantis, quem dans eleemosynam intendebat? Verum cuiusmodi est haec intentio? Quod fideles desiderent ac curent fructus quoque ex opere operantis participes esse ideoque optent, ut a piis sacerdotibus Missae celebrentur, pro quibus eleemosynam praestant, facile intelligitur, sed tandem hic fructus operantis est quid secundarium Missa, nunquam est plene certus et qui sanctus hactenus fuit, potest cras, Missam quam pro te legit, in peccato mortali celebrare. An tenebitur is novo peccato, quia intentionem tuam fraudavit, qui elegeras personam et eleemosynam debebit restituere?

Scilicet non est cur putemus, talem esse intentionem dantium eleemosynam, etiam cum pios sacerdotes quaerunt, ut velint piam celebrationem ideoque fructum quoque ex opere operantis esse conditionem necessariam ut obligationi susceptae fiat satis: fieri utique potest, ut quis singularem hanc intentionem significet et tunc secundum id, in quod uterque, dans et accipiens eleemosynam, consenserit, rei iudicium ferendum erit: at generatim id non usuvenit et si ita est, patet solutio propositae quaestionis. *

CXVII. 7. Beneficiati, etiam Curati, ad Missas obligati, possunt pro iis accipere stipendium et applicare, cui volunt, quia non semper habent obligationem applicandi ad certam intentionem: nisi tamen contrarium constet, ut de Missa Conventuali docet Bonac. Ita Card. de Lugo disp. 21. n. 21. ex Suar. Vasq. etc. contra Gav. Barb. et Dian. qui negant de Parocho refertque Dian. p. 4. t. 4. res. 232. determinasse Congregationem Cardd. quod ei non licet pro Missa accipere eleemosynam manualem, quando tenetur celebrare: de Missa tamen Conventuali, contra Bonac. etc. ipse affirmat p. 5. t. 13. ex aliis 3.

1025. Quoad Missam conventualem superius retulimus declarationem Bened. XIV., sc. applicandam pro benefactoribus (sup. sub § CXII.).

Quod spectat ad beneficiatos etc. habetur decretum Urbani VIII. in 4. Declaratione sic: « Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione *beneficii* seu *cappellae, legati* aut *salarii,* si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere ». Verum exceptioni est locus: declaravit enim S. Congreg. Concilii die 13. Iul. 1630. (cf. s. Alph. n. 324.), id non valere, si expresse in fundatione beneficii relinquatur libera applicatio. Sic apud Benedictum XIV. Inst. 56. n. 8. ex Gavanto: « Quando in fundatione beneficii seu cappellae expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium et unica Missa satisfacere obligationi beneficii seu cappellae et item danti novum stipendium ».

1026. Aliam declarationem datam 18. mart. 1688. refert ead. Instructio 56. n. 9. de casu, quo nihil cautum expresse in fundatione fuerit: Casus propositus fuit iste: « ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam Cappellania cum onere cappellano pro tempore sacrum faciendi singulis dominicis, aliisque festivis diebus, nulla adiecta declaratione, ad cuius suffragium applicandum esset sacrificium: ideo Episcopus Attinen. supplicat, per s. Congregationem declarari, an huiusmodi sacrificium applicandum sit pro anima testatoris, an vero ad libitum Cappellani, uti hactenus factum esse comperit ». S. Congregatio respondit: « *applicandum esse suffragium pro anima testatoris* ».

S. Alphons. n. 324. dum refert hanc declarationem decreti Urbani VIII. dicit intra parenthesim; « Quidquid respondeat Lugo disp. 21. n. 22. » Lugo nempe de decreto seu declaratione Urbani VIII. agit quam vidit, non de ista post eius obitum edita. Porro sententia, quam Lugo defendit et communem dicit, agit de sacerdote, qui ratione beneficii etc. tenetur quidem celebrare sed non tenetur applicare: quae proinde dicit, non adversantur ultimis declarationibus. « Supponimus, inquit, n. 23., aliquem expresse dicere: ego volo, ut possis recipere stipendium ab alio et offerre pro illo, perinde ac si a me nihil accepisses et te liberum manere ab omni onere restituendi. Quae omnia implicite dicuntur, quoties Cappellano datur aliquid, solum ut celebret in tali loco, relicta ipsi facultate applicandi Missam alteri, a quo accipiat stipendium... Et certe in iis, qui dant eleemosynas manuales pro Missis dicendis, *semper praesumitur haec voluntas* quod applicetur sacrificium pro ipsis, sicut etiam in eo, qui *instituit cappellaniam*, nisi contrarium explicetur. In beneficiis vero vel in aliis, in quibus obligatur

sacerdos ad celebrandum SOLUM ob commoditatem eorum, qui tali hora audituri sunt Missam, facilius potest existimari, quod non exigatur applicatio Sacrificii, sed circa hoc relinquatur sacerdoti libertas, ut possit, cui voluerit, applicare ».

1027. Subdit ibid. s. Alphonsus, idem declaratum esse de cappellanis confraternitatum, qui celebrant pro Confraternitatibus, pro Monialibus etc. qui ob solam commoditatem audiendi Missam vocari solent ut nempe in iis quoque valeat, quod in responso ad Epic. Attinensem s. C. C. declaravit atque additur quaedam epistola Cardinalis Paulutii: pro quibus s. Alph. remittit ad Benedictum XIV. *Inst.* 56. n. 8.

Sane describitur ibi decretum, s. C. C. 13. Iul. 1630. relatum a Gavanto quod dedimus n. 1025. Tum subditur aliud, 9. Ianuarii et 6. Februarii 1627. relatum a Diana *Controv.* l. 3. *cont.* 5. n. 55. « An sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus vel Monasteriis Monialium celebrant, quam pro ornatu Ecclesiae vel ut confratres vel moniales satisfaciant praecepto audiendi Missam, possint ultra stipendium, quod recipiunt a confraternitatibus vel monialibus, aliud stipendium recipere ». S. C. C. respondit « non posse ».

Porro Card. Paulutius ad Episcopum quendam scribens, affirmat, responso 13. Iul. 1630. non esse abrogatam sententiam 9. Ian. 1627. Quod facile intelligitur; quia reapse casus est diversus: in hoc enim agitur de *duplici stipendio*, de quo non est sermo in altero.

Nihilominus Benedictus XIV. his recitatis, subdit ibid. n. 9. « Attamen experientia compertum habemus, in errorem non semel eos adduci, qui ss. Congregationum sententias usurpant: eos pariter plane novimus, qui in hoc negotio periti existimari debent. Quamobrem cum tot annis quibus s. Congregationis Concilii Secretarium egimus, nulla unquam nobis occurrerit sententia ex iis, quae ab utraque parte feruntur, ut pateat, an sacerdoti ad celebrandum unice addicto liceat duplex stipendium recipere pro celebratione atque applicatione, cum nullum pariter huius rei documentum habeatur in notis ac decretis, quae nos maximo studio, diligentia et incredibili labore collegimus: hanc quaestionem non diremptam relinquemus, donec magis tuta monumenta deprehendantur. Neque enim res ita facilis ad iudicandum videri potest ».

1028. S. Alph. monet, decreto s. C. C. 7. Iun. 1686. declaratum esse, Cappellanos et Beneficiatos, celebrantes pro Fundatore Cappellaniae seu Beneficii, non teneri Missas celebrare eo tempore, quo capitale dotis assignatae est otiosum et infructiferum, sine eorum culpa. Addit novissime id confirmatum fuisse 8. Aug. 1705. Cf. dicta in casu simili Tr. praec. *de Clericis* n. 345.

De obligatione Parochorum et aliorum curam animarum habentium, applicandi Missa pro suis ovibus, iam dictum est Tr. praec. c. 2. nn. 330. seqq.

CXVIII. 8. Qui stipendium pro Sacro accepit, tenetur dicere Missam pro defunctis, vel votivam, vel in hoc aut isto altari, prout pecuniam offerens petivit (quantum tamen rubricae permittunt, quibus neglectis, Ecclesiae ordinem invertere, ob alterius devotionem, non convenit); quia ob eius devotionem et speciales orationes, maior fructus provenire solet. Si tamen aliter faciat, non erit grave, imo nullum, si fiat iusta de causa. Vid. Dian. *de Celebrat. Miss.* 31. Card. de Lugo l. c. n. 35.

CXIX. 9. Is, qui quoad locum, tempus, intentionem, qualitatem Missae, non satisfacit, sine iusta causa, voluntati fundatoris, peccat et quidem graviter, si saepe faciat, esto consentiant heredes; cum ii in hoc voluntati testatoris non possint derogare, ut docent Sylv. Navar. Azor, etc. Episcopus tamen potest in hoc dispensare ex causa, ut habent Henriq. Sylv. et Tamb. Quod si quis quoad locum impediatur, tenetur in alio, ut habet Azor t. 1. l. 10. c. 14. et Sà, verb. *Missa* Dian. loc. cit. res. 29. ubi docet ex Nav. Rodriq. Fag. et Azor esse mortale celebrare in alio templo vel altari, quam quis tenetur: quod negat Card. de Lugo, si raro et ex causa fiat l. c. n. 36. imo nec esse veniale, si obligatus quotidie celebrare, raro et ex rationabili causa celebret alibi. Similiter Tamb. *de Exped. sacr.* l. 3. c. 2. excusat a mortali eum, qui uno alterove die singulis mensibus alibi celebrat, nisi tamen teneatur celebrare in altari privilegiato notatque posse Sacerdotem contra hoc onus Missarum, v. g. certum earum numerum, praescribere annis 30. si adsit possessio, titulus et bona fides.

1029. *Cum sacerdos stipendio accepto Missam quidem legit sed non plane id omne praestat, quod dans eleemosynam intendit et ad quod ipse se obligavit, illud primo generatim tenendum: si res per se spectetur, principalem obligationem qualibet Missa exstingui; nihilominus ex intentione dantis eleemosynam etiam accidentalem modum aeque principaliter in obligationem deduci posse, ut sacerdos, qui ad eum, accepto stipendio, se obligavit, teneatur sub gravi defectum supplere et quidem, si aliter nequeat, rursus celebrata Missa eo modo, quem dans eleemosynam intendit.

Itaque, ut cum Lehmkuhl loquamur V. 2. n. 201.: « circumstantia qualitatis Missae ex se levem obligationem tantum afferre videtur, nisi forte eum, qui stipendium dedit, propter peculiarem causam, graviter offensum iri, praevideatur. Ceterum, nisi contrarium expresse petatur vel aliunde a datore stipendii intendi cognoscatur, Missa *de Sancto* dici potest loco Missae *de Requie* pro defuncto (nisi ratio privilegii altaris lucrandi obstet) et e contrario Missa *de Requie*, si Missa applicanda est pro vivis. S. C. Indulg. interrogata: « utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cuiuscumque sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex ». Respondit 11. Apr. 1840. *Affirmative.* (Collectio Authentica Indulgg. n. 281.).

Item quaesitum fuit: 1° « An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de requie, ut satisfaciant obligationi celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis necne. » 2° « An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de requie, ut satisfaciant obligationi celebrandi pro vivis ».

S. C. P. F. 13. Octob. 1856. rescripsit s. R. Congregationem respondisse ad 1^m *affirmative :* ad 2^m *affirmative, modo non diverse praescripserit qui dedit eleemosynam.* Cf. et responsum s. R. C. 12. Septembris 1840. Brugen. ad 7^m.

Et adverte doctrinam s. Thomae in 4. dist. 45. q. 2. a. 3. ul. 1. ad 5. « Ex parte sacrificii oblati, Missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque (sive de aliquo sancto sive de Requie Missa) dicatur et hoc est praecipuum, quod fit in Missa. Sed ex parte orationum, magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae. *Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem vel eius, qui dicit Missam vel eius, qui facit dici vel iterum per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.* »

Etsi olim s. Sedes voluerit, ut, cum peteretur Missa *in honorem alicuius Sancti*, si dies impeditus esset, transferretur potius Missa in alium diem, quo eius Sancti Missa votiva legi posset, quam ut Missa diei currentis legeretur cum intentione alterum Sanctum honorandi ; tamen recentius 15. Apr. 1876. S. R. C. quibusdam concessit, ut si qui stipendium dedit, solum in genere petierit Missam sive in honorem alicuius Sancti sive pro defunctis, non intendens ipsam votivam Missam aut de Requie, in utroque casu satisfieret per Missam diei currentis.

Intentio ergo offerentis eleemosynam indaganda est; quod si directe et immediate non potest fieri, spectetur, quid soleant communiter homines loci illius intendere et talis intentio offerentis praesumatur. *

1030. Quod spectat ad locum et tempus a fundatore constitutum : s. Alph. n. 329. ait peccare mortaliter sacerdotem, si celebrat in alia ecclesia vel altari vel alia hora, quam a fundatore est constitutum. Addit tamen limitationes. Nempe 1° si *id faciat saepius;* nam si raro puta bis in mense, peccabit venialiter. 2° si faciat *sine iusta causa;* nam secus, minime peccabit, ut si altare sit exsecratum; si egressus e sacristia viderit altare ab alio occupatum. 3° Si id faciat *sine dispensatione;* nam bene potest Episcopus dispensare, ait, ut celebretur in alio loco, ex rationabili causa et communem hanc sententiam ait dici a Mazzotta.

Rationes, cur Episcopus dispensare potest, sunt utilitas propriae ecclesiae, applicatio studii, infirmitas, negotium, nimia molestia adeundi ecclesiam et similia. Ratio, quia in tali dispositione voluntas testatoris in accidentalibus tantum omittitur et altiori bono compensatur... quod excedere non videtur auctoritatem Episcopi.

Excipitur tamen, si specialis quaedam ratio testatori fuerit decernendi ut in eo altari vel ecclesia vel ea hora Missa celebraretur v. gr. commoditas populi, cultus et honor alicuius Sancti, commodum familiae etc. In huiusmodi casibus nequit Episcopus derogare voluntati fundatoris.

Si tamen rursus non de aliqua temporanea translatione Missae ab aliquo altari vel templo ad aliud, sed de perpetua ageretur: constat, id fieri non posse sine facultate Sedis Apostolicae, ut s. Congr. Concil. declaravit, nec sufficere indultum Nuntii Apostolici aut consensum heredum seu exsecutorum testamenti. Ita Ferraris. V. *Cappellania* n. 14.

1031. * Si autem Missa altaris privilegiati petatur, haec responsa ss. CC. habenda sunt prae oculis.

« Qui quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucratur, non potest satisfacere, applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat ». S. C. Indulg. 2. Maii 1852. Modificanda ergo videtur doctrina a s. Alph. tradita n. 329. *notandum* 2.

Attamen istud quoque antea responsum fuerat: « Qui diebus permissis non celebravit in paramentis nigri coloris, in altari privilegiato, ad acquirendam indulgentiam plenariam, debet lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missae fructus applicuit, toties, quoties, diebus non impeditis, usus non est indumentis nigri coloris ». S. C. Indulg. 22. Feb. 1847. Animadversum deinceps est ab eadem S. C., oppositionem non esse inter haec duo responsa; quia hoc altero (quod tempore fuit prius) solum quaedam gratia aliquibus ex rationabili causa fuit concessa 24. Iul. 1885.

Porro « ut fruatur sacerdos altari privilegiato, diebus non impeditis, celebrare debet Missam defunctorum et in paramentis nigris vel, ex rationabili causa, violaceis. » S. R. C. 16. Feb. 1852.

« Sacerdos celebrans in altari privilegiato, legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam vel de feria non privilegiata sive ratione expositionis ss. Sacramenti sive stationis Ecclesiae sive alterius sollemnitatis, fruitur privilegio, ac si legeret Missam de Requie per rubricas eo die permissam. S. C. Indulg. 20. Feb. 1864.

« Sacerdos habens privilegium altaris privilegiati, satisfacit oneri suscepto celebrandi in altari privilegiato, licet in altari celebret non

privilegiato ». S. C. Indulg. 16. Feb. 1852. cf. alia in sect. V. *de Sacr. poenitentiae* in Append. *de Indulgentiis* §. 3. art. 4.

CXX. 10. Beneficiatus ex iustitia obligatur sub mortali et poena compensationis, ad eum numerum Missarum, per se vel (prout mens fundatoris ex verbis colligenda permittit) saltem per alium, quem numerum litterae fundationis requirunt; cum vero numerum ex iuxta causa, v. g. si reditus iam non sufficientes respondeant, potest minuere Episcopus in Synodo: quam potestatem Bon. restringit ad Missas Defunctorum et quidem post Trid. impositas. Vid. Bonac. d. 4. q. ult. p. 8.

1032. In decreto Urbani VIII. confirmato ab Innoc. XII. Const. *Nuper*, decernitur, non posse tum Generales Ordinum et Abbates in suis Capitulis, tum Episcopos in sua Synodo dioecesana has Missarum reductiones facere.

Ita enim decretum: « Ac primo districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis Generalibus vel alias quomodolibent reducant onera ulla Missarum celebrandarum aut post idem Concilium (Trid.) imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes et commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit ». Ex quibus tamen verbis apparet, non ademptam fuisse Episcopis facultatem reducendi Missas relictas ante Concil. Trident. dummodo non impositae fuerint in limine fundationis: prouti facultatem hanc Episcopis fecerat Synod. Tridentina sess. 25. cap. 4. *de Reform.* (a), inquiens: « Contingit saepe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum

---

(a) Facultas, ait s. Alph. n. 321. data per Tridentinum Episcopis et aliis, sess. 25. c. 4. *de Reform.* tantum fuit pro reducendis Missis ante Concilium relictis et non impositis in limine fundationis (quia, ut hoc alterum explicat Anacletus l. 3. tit. 5. n. 115., Concilium concedens Episcopis facultatem reducendi onera Missarum ad minorem numerum, loquitur solum *de magno Missarum celebrandarum numero ex variis defunctorum relictis imposito*, uti sunt Missae et anniversaria defunctorum; non autem de Missis impositis Beneficio seu Cappellaniae, in limine fundationis, antequam scilicet pia legata hunc in finem relicta agnoscantur et acceptentur). Porro non solum potestas a Concilio facta Episcopis valebat pro reductione tantum Missarum, quae iam ante ipsum Concilium fuerant relictae, sed eadem ab iisdem Episcopis una vice in prima Synodo ab ipsis convocanda, exercenda erat. Quod probat Lucidi *de Visit. ss. Lim.* c. 7. §, 1. n. 78. ex decreto s. C. C. in Mediolan. (ut legitur l. 5. decret. p. 38.). « Dubio per manus delato ac mature perpenso, s. C. censuit, facultatem reducendi onera Missarum, tributam Episcopis ex decreto c 4. sess. 25. *de Reform.*, intelligi tantum de prima Synodo post idem concilium celebrata ac de oneribus Missarum celebrandarum ante idem Concilium impositis ». Quam interpretationem adeo firmam, tectam sartamque voluit, ut in Florentina 15. Dec. 1629. (lib. 14. decret. p. 206.) secretario S. C. mandaverit: « dare hoc decretum omnibus petentibus, absque eo, quod amplius fiat verbum in Congr. ». Consulatur Benedictus XIV. *de Syn.* l. 13. c. ult. n. 18., ubi haec omnia narrat. Itaque potestas a Concilio facta Episcopis quoad Missas ante Concilium relictas unico actu exhausta est: nihil ergo postea reliquum ipsis fuit. E.

Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, a testatoribus praescriptis, nequeat satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subiicere; unde depereunt piae testantium voluntates et eorum conscientias, ad quos praedicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus cupiens haec ad pios usus relicta, quo plenius et utilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo dioecesana itemque Abbatibus et Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in praedictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa haec quidquid magis ad Dei honorem et cultum atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat etc. ».

1033. Quaeritur an necesse sit recurrere ad Sedem Apostolicam pro reductione, quando ob eleemosynae tenuitatem non est, qui suscipiat onus.

Resp. Dubium (n. 1.) iam fuit propositum Congregationi et Urbanus VIII. respondit: « Etsi legatum sit adeo tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, nihilominus pro reductione oneris... ab iis ad quos spectat, Sedem Apostolicam esse adeundam etc. ».

Veruntamen DD. duplicem causam distinguunt, cur tenue sit legatum prae imposito onere. Videlicet fieri id potest, vel quia stipendium olim assignatum evasit tenue in comparatione stipendii, quod tribui deinde decursu temporis consuevit: vel tenue est, quia licet assignatum stipendium sit congruum, deperierunt tamen reditus ita, ut non sufficiant amplius.

In primo casu consentiunt, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, propter responsum ad dub. 1. in citato decreto Urbani VIII.

In altero autem casu facultatem faciunt non modo Episcopo moderandi, sed etiam Beneficiato, qui certe non tenetur, si reditus aut penitus aut ex parte *citra culpam suam* perierunt, ad onus implendum. Cf. dicta ex s. Alph. n. 1028. Monent tamen, ad cavendum periculum hallucinationis, expedire, ut id non fiat sine consilio saltem viri docti. Cuius sententiae ratio, ut s. Alph. n. 331. dub. 2. refert, ea est; quia in hoc casu non est proprie reductio aut moderatio stabilis onerum, quam Sedes Apostolica sibi reservat, sed est cessatio de iure obligationis pro rata redituum deficientium. Subdit s. Doctor: « an autem haec opinio sit probabilis, iudicio sapientiorum remitto ».

Cum reditus cuiusdam legati essent diminuti, quaesivit Parochus, qui eo fruebatur, utrum teneretur Missam quotidianam celebrare cum reductione eleemosynae, an potius reducere numerum Missarum cele-

brandarum cum eleemosyna duarum libellarum, quam praescripserat fundator. S. C. C. 1894. 16. Iun. respondit: « Iuxta exposita heredes teneri ad supplementum (legatum scilicet relictum fuerat *demonstrative*): quatenus vero id haberi non possit, ad propositum dubium *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam ».

Addit vero idem ex Tamburini, quod si admittatur haec sententia, Cappellanus tenebitur supplere Missas, si forte annis praecedentibus reditus excesserint onus impositum. Verum id non videtur verum. Nam consuetum est testatoribus, ut legata relinquant excedentia onus impositum: cum autem pateat, voluisse liberaliter haec tribuere, non aeque patet, iuste eos exigere onus, quando reditus non sufficiunt; quod esset contra aequitatem.

1034. Quaerit ibid. s. Doctor, an Episcopus possit, moderari officia, preces et eleemosynas anniversariis annexas. Affirmari id ait a Pasqualigo; quia prohibitio non loquitur de his, sed tantum de Missarum reductione, uti etiam non loquitur de illis Missis, ad quas aliquis sacerdos se obligasset sine congruo stipendio (cum aliquo stipendio tamen). Cuius doctrinae s. Doctor hoc ultimum tantum reiicit, inquiens: « Sed hoc ultimum nullo modo admittendum; quia esset contra decreta ». Cf. responsum ad dub. 1^{m} relatum n. praeced.

CXXI. 11. Qui ratione Beneficii tenetur quotidie celebrare, tenetur etiam Missam pro fundatore (nisi de huius intentione contraria constet) applicare: Bon. et alii cum Dian. p. 6. t. 6. r. 13., qui tamen concedit posse eum pro seipso quater aut sexies in anno et in die commemorationis omnium Defunctorum pro particulari defuncto celebrare: item quavis hebdomada unam Missam omittere devotionis et reverentiae causa idque ex praesumpta intentione fundatoris: quod Tamb. lib. 3. *Exped. sacrif.* c. 3. §. 1. ex Gavant. p. 3. t. 12. limitat, nisi de contraria fundatoris voluntate constet, vel sit onus Ecclesiae aut Monasterii, curare Missam quotidianam. Vid. Tambur. l. c. Dian. p. 2. t. 14. r. 28. p. 4. t. 4. r. 86. et p. 5. t. 5. r. 23. st t. 13. r. 15. Idipsum limitat Card. de Lugo *Resp. Mor.* l. 5. d. 9. si obligatio dirigatur ad ipsum Sacerdotem, v. gr. si dicatur (qui debet quotidie celebrare) quo casu concedit: si vero dirigatur ad celebrationem in tali loco, v. gr. Volo, ut in tali Ecclesia celebretur quotidie Missa, teneri cum pro se alium substituere eo die, quo ipse non celebret.

1035. 1° DD. concedunt, posse quater vel sexies in anno beneficiatum istum celebrare non solum pro se, sed etiam pro valde sibi coniuncto, amicissimo, benefactore etc.; quia praesumitur consensio fundatoris: dummodo non accipiatur stipendium. Ita s. Alph. heic. Sed cf. responsa, quae subdimus n. seq.

2° Communiter admittitur explicatio Card. De Lugo, qua explicat limitationem obligationis secundo loco positam ab A., posse nempe quavis hebdomada Missam semel omitti, devotionis et reverentiae causa: quam quidem explicationem ipse Lugo ex aliorum sententia refert. Admittitur, inquam, haec explicatio communiter, ut possit bene-

ficiatus uti ea facultate, semel in hebdomada abstinendo a celebratione, *si obligatio ad cappellanum ipsum dirigitur:* dummodo tamen, dum obligatio ad sacerdotem dirigitur, expresse non caveatur, ut *per se* vel *per alium* impleat, ut dicit Bonacina ex quadam declaratione s. Congr. Concilii, apud Ligor. n. 332. Cf. n. seq. Quod tamen rursum limitandum videtur, nisi scil. quod dicitur *per se* vel *per alium*, referatur ad meram libertatem beneficiato factam, potius quam ad voluntatem quotidianae absolutae celebrationis.

Quaesitum fuit: « 1° An Sacerdotes, obligati ratione beneficii, cappellaniae, legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare ».

2° « Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint ».

Responsum est: « Ad 1^m^ et 2^m^ affirmative, concurrente aliqua rationabili causa ».

Ergo toties vacare possunt, quoties talis causa concurrit.

3° « An diebus licitae vacationis possint Missam pro se ipsis vel aliis, praeterquam pro fundatoribus celebrare? et quatenus affirmative ».

4° « An pro aliis celebrando, possint stipendium pro huiusmodi celebratione recipere? »

5° « An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari facere iuxta intentionem fundatorum ».

6° « An Sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare ».

Responsum est: « ad 3^m^ 4^m^ 6^m^ negative. Ad 5^m^ dilata responsio. Ita s. C. C. 18. Sept. 1683 ».

Verum sub die 13. Nov. eiusdem anni responsum est ad 5^m^: *quod dabitur resolutio in casibus particularibus.* Inde colligitur (apud Acta s. Sedis Vol. 7. p. 182.). 1° si beneficiatus non tenetur per se ipsum celebrare, sive si onus non sit personale, debet, cum non celebrat, aliis committere celebrationem.

2° Idem valere, cum licet teneatur per se ipsum celebrare, dispositum tamen sit in fundatione, ut, si per se non possit celebrare, faciat celebrare per alium. Cf. n. seq. in fine.

CXXII. 12. Qui non potest fundationi satisfacere propter morbum, non tenetur, si brevis sit (v. g. 15. dierum, ut docet Bon. aut etiam unius alteriusve mensis, ut probabiliter docet Card. de Lugo n. 36.) substituere alium aut compensare; cum tam stricte nec domini quidem honesti cum famulis agant: secus tamen, si sit diuturnus morbus, nisi reditus sint nimis tenues aut in morbum absumantur, ut contra Sylv. et Azor, docet Bonac. Rodriq. Impeditus vero aliis negotiis, licet iustis (cum haec non debeant obesse fundatori) debet satisfacere per alium, vel compensare postea, praesertim si fiat saepius. Ita Bonac. d. 4. q. ult. p. 7.

1036. Infirmitatem excusare a celebratione, constat ex c. *Significatum, de Praebendis* et ibi quidem nulla temporis limitatio apponitur. Theologi tamen tempus breve postulant, quamvis non consentiant in eo definiendo. S. Alphonso probabilis sententia videtur n. 333., quae excusat infirmum, etiamsi ad duos menses infirmitas producatur.

Giraldi in *Exposit. Iuris Pontif.* 1. part. tit. 1. *de Praebendis* sect. 3366. c. 11. monet s. C. C. in *Romana, de Celebr. Missar.* 17. Nov. 1695. amplexam esse sententiam, quae excusat infirmum, si eius infirmitas quindecim dies perduret.

Hanc s. Congr. resolutionem refert et Ferraris v. *Cappellanus* n. 15., qui addit decretum cuiusdem Conc. Mediolanensis, concedentis integrum Mensem.

Per se sententia s. C. C. non adversatur doctrinae s. Alphonsi; nam non est exclusiva et quamvis eam nosset s. Doctor (n. 333.), non dubitavit dicere, et alias sententias videri probabiles.

Nota clausulam A.: *nisi reditus in morbum absumantur.* Nam quomodo alioquin supplere per alium possit, qui nihil habet? neque enim ipsi pereundum est fame.

Quocirca et Giraldi l. c. notat: « Si vero Cappellanus ob aliquam infirmitatem redditus esset omnino impotens et aliunde non haberet, unde viveret ac ordinatus fuisset ad titulum Cappellaniae: tunc, durante impotentia, neque per alium teneri satisfacere declaravit eadem C. C. *in Pistoriensi* 5. Febr. 1630. quemadmodum ex iisdem circumstantiis exemit similem Cappellanum *in Patavina* 24. Apr. 1655. ». Cum ratio sit impotentia, non est necessaria, puto, ultima circumstantia, quod nempe Cappellania sit titulus ordinationis.

Addit Ferraris l. c. n. 17. Sacerdotem, qui, eo quod per alium celebrare potest, nunquam excusatur a celebratione (decreto mox allato n. 6.) excusari tamen a celebratione etiam per alium tempore infirmitatis, saltem per 15. dies, iuxta responsa eiusdem C. c. citata a Giraldi.

Dub. II.

Cuius sit applicare fructum sacrificii.

CXXIII. Respond. Solus Sacerdos offerens valide id facit, per suam intentionem; quia est actus potestatis sacerdotalis. Ita commun. Suar. Card. de Lugo d. 19. s. 10. n. 211. etc.

1037. Certum est Theologis, Sacerdotem, quemadmodum a Christo habet potestatem sacrificandi, ab eodem pariter habere potestatem applicandi fructum sacrificii. Sane haec altera quoque potestas, est potestas sacerdotalis, quae una proinde cum priore in ordinatione confertur: *accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis et defunctis.*

Sicut enim sacerdotis est offerre, ita offerre pro aliis et quibuslibet indigentibus: *omnis namque pontifex pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum.* Hebr. v. 1.: offerre autem pro aliis est ipsis applicare fructus sacrificii.

Quocirca distinguendum est exercitium huius potestatis tum validum tum licitum: ut licitum sit, poterit pendere a voluntate Ecclesiae vel Praelati, quemadmodum et exercitium potestatis consecrandi: at ut validum sit, h. e. ut valida sit applicatio et a Deo acceptetur, satis est, ut sacerdos velit et applicet, sicut satis est, Sacerdotem velle consecrare materiam idoneam, ut vere consecret. In his scilicet vis et valor est a Christi delegatione, qui ministrum sibi adscivit, qui nomine suo offerret et fructum oblationis applicaret. Cf. prop. 30. Syn. Pistoriensis.

Aliis verbis, potestas valide applicandi sacrificium quod offeratur, inest ipsi characteri sacerdotali. Cf. Lugo l. c. *

Iam vero in qualibet actione sacrificiali sacerdos pro omnibus tum vivis tum defunctis offert, nec licet ipsi aliquem excludere, quod foret contra praeceptum caritatis, ne a communibus precibus aliquem excludamus et contra Ecclesiae voluntatem, quae se prodit satis in *Offertorio* et initio *Canonis*. Porro qui censent fructum satisfactionis in quolibet sacrificio esse finitum, putant quoque satis esse, si omnibus fructus impetrationis applicetur, non opus esse, ut satisfactio inter omnes dividatur. Ille enim fructus non minuitur, quotquot sint quibus applicatur; hunc necesse est minui, ut forte idcirco parum vel poene nihil singulis obveniret. Lugo disp. 19. n. 221.

Verum aliam sententiam de infinitate valoris diximus probabiliorem atque admissa quoque alia sententia, quod finitum est potest esse in ingenti magnitudine, ut omnes et singuli ex eo non parum assequantur atque credere licet, determinationem fructus pro singulis Missis a Deo factam, aliam esse quae respondet applicationi generali, aliam quae speciali.

Unde resolves.

CXXIV. 1. Is valide applicat, etsi peccet sacrificando, vel applicet contra voluntatem superiorum. Ita Suar. Laym. Dian. Card. de Lugo loc. cit. contra Navar. Ledesma, et alios, quorum sententiam probabilem dicit Dian. t. 1. res. 72.

1038. Communiter reiicitur singularis quorundam opinio, invalide applicare, qui applicat contra voluntatem superioris, qui potestatem habeat irritandi eius actus, ut est e. gr. superior religiosus. Nam huic potestati Praelati, qualiscumque sit, non subsunt quoad validitatem ii actus subditi quorum valor a charactere pendet. Secus Ecclesia irritare posset ordinationes haereticorum et schismaticorum, quod tamen se non posse semper credidit.

* Hinc Ecclesiae quidem voluntas est, ut sacrificium a quolibet sacerdote pro omnibus offeratur, patet ex verbis *Offertorii* et *Canonis* ab initio (hic est fructus generalis): at si sacerdos aliquem excludat, peccat quidem, agens contra Ecclesiae praeceptum, imo et praeceptum caritatis, ut diximus: at probabilius est, factum tenere, h. e. exclusum a Sacerdote non frui eo communi beneficio. Id sequitur ex notione data potestatis applicandi. Cf. Lugo l. c. n. 224.

Pariter, etsi sacerdos teneatur ex iustitia aut promissione alteri applicare fructum specialem seu ministerialem: si tamen non applicat, nihil fit. *

CXXV. 2. Sacrificium, quod neque formaliter neque virtualiter ulli applicatum est, vel ante vel in ipsa consecratione, saltem secundae speciei, non potest postea ulli applicari saltem adaequate; quia producit effectum, quando exsistit neque is suspenditur: ideoque nec licet accipere stipendium pro Missa praeterita. Vide Laym.

Dixi, *vel ante;* quia non requiritur, ut applicatio fiat in ipso sacrificio sufficitque si pridie facta sit, etsi ipso die de ea non cogites. Bonac. q. 3. p. 2. ex Suar. Dian. l. c., res. 47. contra Vasq.

1039. Quaeritur, quando sit facienda applicatio. Non solum sufficit pridie fecisse applicationem, sed ex communi et vera sententia, ut inquit s. Alph. n. 335. sufficit generatim applicatio habitualis, videlicet aliquando habita et non revocata. Quia applicatio est instar donationis, quae semel facta permanet, nisi revocetur. Hinc qui suscepit v. gr. 30. Missas celebrandas et incipit cum voluntate seqq. diebus implendi illud onus, implet, etiamsi sequentibus diebus distractus nihil de ea re cogitet.

Addit heic Ligorius, non valere quidem intentionem celebrandi indeterminate pro aliqua ex Missis, quae supersunt celebrandae. Valet tamen celebratio in confuso, ut si v. gr. habens decem Missas celebrandas, velis per decem dies applicare pro omnibus simul: fructus enim saltem partialiter decies singulis obvenit. Dixi saltem partialiter, quia iuxta probabiliorem integer fructus obveniet. Vid. sup. n. 1004. (a).

1040. * Fuerunt, ait Suarez, disp. 79. sect. 9. n. 6., qui dicerent, posse sacerdotem applicare sacrificium, postquam illud peregerit, quod fortasse censuerunt; quia sacerdos, offerendo sacrificium, acquisivit ius et fecit quodammodo suam illam satisfactionem et ideo videtur manere semper in potestate eius, illam applicare. Verum subdit, hoc difficile esse creditu: « alias posset sacerdos etiam ex instituto et directa intentione suspendere tunc effectum et reservare illum, ut alio tempore fiat arbitrio suo et consequenter, si ipse est in peccato, posset fructum

(a) Et confer. notam ibi adiectam. E.

seu applicationem eius suspendere, donec sit in gratia, ut possit, si velit, sibi applicare et idem posset respectu alterius. Item qui non habet stipendium, potest dicere Sacrum et reservare applicationem et postea, accepto stipendio, satisfacere, applicando sacrificium prius oblatum ei qui stipendium dedit. Haec autem et similia sunt inaudita in Ecclesia et valde absurda ».

Scilicet, sicut sacramentum solum est in potestate ministri pro tempore et momento, quo conficitur, tunc ex opere operato effectum producens qui nequit a ministro suspendi: ita et sacrificium est sub potestate et intentione ministri, quandiu offertur et tunc applicari debet et habere effectum expiationis ex opere operato, qui non est suspendendus ad arbitrium ministri: quia non est institutum, ut operetur, nisi cum fit. Et quamvis ad impetrandum, possimus nova prece revocare veluti in memoriam Dei sacrificia iam peracta, sicut cetera opera bona praeterita; id tamen pro applicatione effectus ex opere operato causae iam praeteritae non valet. Porro expiatio poenae temporalis effectus est sacrificii ex opere operato.

Satis autem esse, quod applicatio fiat inter priorem et alteram consecrationem (posito quod in consecratione essentia sacrificii consistat), s. Alph., probare videtur, qui nihil contra A. doctrinam advertit: idem docet Gury Vol. 2. §. 355. Nam aiunt, adhuc dici potest applicatio fieri dum sacrificium conficitur: sed certe haec applicatio non influit in consecrationem iam peractam ideoque in totum sacrificium dum fit. *

CXXVI. 3. Si nulli applicetur vel incapaci, fructus manet in thesauro Ecclesiae, ut docet Suar. vel cedit ipsi Sacerdoti vel illis, pro quibus tenetur specialiter offerre; quod ita implicite censeatur intendisse. Ita Laym. t. 5. c. 2. Vid. Card. de Lugo n. 225.

1041. Quando subesse possit suspicio, an capax sit applicationis ille cui applicatur, sub conditione applicari potest: licet haec conditio fere implicita semper habeatur. Nam cum sacrificii fructus non applicetur nisi secundum capacitatem, hinc non potest offerri pro alio nisi secundum capacitatem eius.

Distinguenda porro incapacitas intrinseca, ut ita dicam, et extrinseca. Extrinsecam dico incapacitatem, quae profluit ab praecepto Ecclesiae, ne pro aliquo sacrificium offeratur: intrinseca vero incapacitas dicetur, cum quis vel totaliter vel partialiter iuvari non potest fructu sacrificii, v. gr. damnatus ad inferos aut diabolus.

Ut autem omnia breviter complectamur, cum quisquis capax sit fructus impetratorii, sit etiam capax alicuius fructus Missae, per se offerri pro eo potest.

Excipiuntur tantummodo excommunicati vitandi, cuiusmodi sunt notorii percussores clericorum et nominatim denuntiati seu in particulari

nominatim excommunicati et ut tales publice declarati; pro quibus vetitum est offerre directe et publice sacrificium Missae, licet prohibitum non sit privatim et nomine privato pro iis orare etiam in Missa, et probabiliter etiam per Missam (n. 1002.). V. Croix a n. 24. et Struggl. a n. 75. ubi etiam de divisione fructus sacrificii a n. 69.

1042. * In alia hypothesi quod nulli applicetur fructus (sermo est de fructu speciali; nam generalis in ipsa actione liturgica sufficienter applicatur), quaeritur, ait Lugo disp. cit. n. 225., quid fiat de illo fructu. Suarez disp. 78. sect. 5., putat nemini eum fructum dari, sed refundi in thesaurum Ecclesiae, seu potius ab eo non extrahi. Lugo distinguit inter fructum impetrationis et satisfactionis. Quod spectat ad priorem fructum; utique, si sacerdos pro nemine specialiter orat neque pro seipso, is nulli impetrabit impetratione illa, quae est propria orationis et sacrificii prout est impetratorium.

Quamvis enim cuilibet actui bono quaedam competat virtualis impetratio, formalis tamen impetratio propria est orationis: idcirco si sacerdos sacrificium offerens nec pro se nec pro aliquo oret h. e. illud applicet, nemini, ex opere operantis, impetrabit. Hypothesis tamen est difficilis; nam intentio quaedam confusa, pro se saltem impetrandi et implicita in ipsa intentione sacrificandi, si pie offertur sacrificium, nunquam deerit: ea autem intentio sufficit, ut vera habeatur oratio, cum ponitur actio, quae habet etiam formalitatem verae orationis, ut est sacrificium. Certe Christus in quolibet sacrificio impetrat pro offerente et aliis generatim: huius autem impetrationis applicationem sibi et aliis vult sacerdos, cum pro omnibus offert, *ut mihi et illis proficiat ad salutem*. Impetrationis ergo fructum illius, quae est ex ipsius sacrificii vi seu ex opere operato, etsi nulli alii specialiter, sibi tamen sacerdos obtinebit.

Quod spectat vero ad fructum satisfactorium, censet Lugo, 1° probabile esse, quod cum nulli applicatur, cedat ipsi offerenti. Nam ut actio a me posita sit pro me satisfactoria, non est opus, ut hunc effectum intendam; satis est, quod in se hunc valorem habeat, propter quem remissio cuiusdam poenae mihi debeatur.

Verum 2° advertit, id valere quidem pro satisfactione, quae est ex opere operantis, non pro ea, quae est ex opere operato, quae respondet meritis Christi principalis offerentis: cuius applicationem Christus quidem reliquit in arbitrio sacerdotis, ita tamen, ut alicui, vel sibi vel alii, applicet.

Porro 3° monet applicationem hanc videri semper habere locum: quia non videtur deesse intentio saltem generalis, ut sibi et omnibus, quantum potest, sacrificium prosit: quod ex ipsis verbis Offertorii patet.

Ergo, etsi nulli alii speciatim sacerdos applicet sacrificium, applicatio tamen generalis pro omnibus et specialis pro se censeri potest nunquam deesse. Fructus ergo specialis ad ipsum offerentem pertinebit. *

CXXVII. 4. Applicatio sub conditione iam impleta est valida, verb. gr. ad intentionem, quam habuit hodie superior, non autem sub conditione futura contingente; v. gr. applico illi, cui Titius interrogatus voluerit vel ei, qui prius morietur vel qui primo stipendium offeret. Ita Suarez in 3. p. tom. 3. d. 79. s. 9. Laym. l. c. Dian. l. c. res. 15. Card. de Lugo d. 19. num. 209. contra Bon. q. ult. p. 7. §. 5. qui tamen ipse in praxi dissuadet.

1043. Statuunt DD., ut applicatio valeat, requiri in eo, pro quo offertur, indigentiam actualem.

Nam, ut ait Lugo l. c. n. 209., sicut indulgentiae non acquiruntur pro peccatis futuris nec satisfactio sacramentalis tollit reatum poenae pro peccatis postea committendis, sic neque hoc sacrificium debuit solvere pro poena nondum debita. Hoc enim esset dare quandam impunitatem peccandi et solutio ex natura sua supponit debitum ».

Et refert decretum s. C. C. prohibens scandalosum usum contrarium vetustissimo Ecclesiae mori, applicandi nempe Missam his, qui postea essent petituri.

Qua de re s. Alph. n. 337. scribit: Dicunt de Lugo *de Poenit.* disp. 13. n. 137. et Palaus... applicationem Missae factam pro primo offerente esse validam, sed illicitam ex prohibitione Clementis VIII... qui vetuit hanc consuetudinem tanquam *pluribus nominibus periculosam* etc. At probabilius (ut recte ait Croix n. 222.) talis applicatio non solum erit illicita, sed saepe invalida etc. ».

Hac in re Croix decepit s. Alphonsum ; ubi sibi contrarium finxit Lugo, qui eandem tamen cum eo doctrinam tradit. En verba Lugo l. c.: « De applicatione Missae sub illa conditione (sc. pro eo, quem Deus nunc iam praevidet ipsi oblaturum primum stipendium etc.) sunt duae sententiae satis communes, altera concedens esse validam, altera negans... Posteriorem sequitur Diana cum aliis..., quorum tamen plures non loquuntur de illo casu, sed de applicatione anticipata Missae pro eo, qui postea primus venerit, non referendo conditionem ad scientiam Dei iam praesentem. Et quidem si prior sententia intelligatur cum moderatione quadam, scilicet, quod sacerdos applicet Sacrum hodiernum, non indifferenter pro quocumque primo venturo et oblaturo stipendium, sed pro primo, quem Deus iam videt oblaturum stipendium ad Sacrum faciendum *pro necessitate* aliqua *iam tunc exsistente* e. gr. *pro aliquo iam tunc defuncto,* non pro necessitate postea futura; tunc speculative loquendo nihil est, quod impediat valorem talis applicationis, ut fateri videntur ipsi adversarii.

Porro hoc ipsum est, quod Croix l. c. referens ex Vasquez, Aversa et Raymundo, non respuit et s. Alph. n. 337. in fin. non reiicit: dummodo scil. causa exsistat.

Imo cum Lugo cit. disp. 13. n. 138. et 139. censeat, sub prohibitione Clementis seu potius Pauli V. cadere etiam casum, quo ipse putat validam obligationem, et alia incommoda ipse in eiusmodi anticipata applicatione reperiat, forte est strictior, quam Croix n. 222. et s. Alph., qui in fine exceptionem praedictam admittit.

CXXVIII. 5. Non satisfecit, qui te mortuum putans, Missas, quas pro defuncto teneretur, celebravit.

1044. Sequi videtur ex doctrina praecedentis resolutionis. Nihilominus advertendum est, quod satisfactorius sacrificii fructus non solum vivo prodesse potest, sed hoc ipso eum eximere a purgatorii poenis. Et exinde est quorundam usus, qui hoc praesidium sibi sollicite quaerentes, praestitutas a se Missas, vel omnes vel magna ex parte, praemittere satagant, dum in vivis agunt.

CXXIX. 6. Sacerdotes Societatis non satisfaciunt, celebrando pro defunctis per anticipationem, nisi tamen iam mortui sint, etsi postea promulgentur. Laym. l. c.

1045. Nota. Sacerdotes Societatis tenentur celebrare, sed non sub obligatione, cuius violatio inducat culpam.

CXXX. 7. Non omnes Sacerdotes tenentur die animarum applicare Missam pro omnibus defunctis. Tambur. l. 3. *Exp. sacr.* c. 3. §. 2. contra Fraxin. et Gav. p. 4. tr. 15.

1046. Quod Sacerdotes non teneantur applicare pro omnibus defunctis, Merati apud s. Alph. n. 338. refert hoc decretum S. C.: « In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scil. vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum ».

Unde possunt recipere stipendium.

CXXXI. 8. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non suffragatur illis nec satisfit indulto, nisi sit de Requie. Dian. p. 4. t. 4. res. 233. ex declar. Cardd. et p. 9. t. 2. r. 8.

1047. Intellige non suffragari privilegium, si ea die liceat celebrare *Missam de Requie*. Si vero rubricae non permittant Missam *de Requie*, vel quia aut festum duplex aut octava privilegiata id prohibet, utique privilegium suffragatur.

Decreta in hanc rem, occasione analogae quaestionis dedimus n. 1011.

Refert s. Alph. n. 339. q. 2. morem esse, ut in concessione altaris privilegiati facta ecclesiae ad aliquod tempus, apponatur conditio, quod septem vel quinque Missae quotidie in ea ecclesia celebrentur. Porro s. C. C. 11. Septemb. 1694. decreto approbato ab Innocentio XI. de-

claravit: *celebrationem Missarum Iudultis praefatis praefinitarum omnino necessariam esse singulis diebus in eadem ecclesia.* At si Missae non legantur ob sacerdotum infirmitatem vel quia Religiosi, occasione festivitatis vel funerum, alibi celebrare debeant ex iussu Praelati, dummodo id raro fiat, Indulgentias adhuc valere declaratum est: cf. Benedictum XIV. Notif. 56. Hac hypothesi seposita, Indulgentiae non pereunt quidem, si numerus Missarum deest, sed suspenduntur, s. C. C. 30. Iul. 1706.

Clemens XIII. ex voto s. C. C. 19. Maii 1759. indulsit omnibus ecclesiis parochialibus altare privilegiatum quotidianum ad septennium, quo expleto, confirmatio privilegii rursus petenda erat.

Quae vero in his et similibus nostra aetate sit praxis, consule versatos in Rituum sacrorum historia.

1048. * Frequenter nunc mentio fieri solet *secundae intentionis,* in Missae applicatione. Ea dupliciter accipitur: 1° ut sit quaedam *substitutio conditionata:* si nempe is, cui primo Missa applicetur, eius fructu non egeat aut incapax sit, fructus alteri prosit. 2° Ut absolute alteri, praeter eum, cui Missa applicatur, quidam fructus Missae obveniat. Quomodo vero id intelligendum? Non quidem hoc sensu, ut pars quaedam fructus, quae primo debetur decidatur et alteri detur. Ita intendens sacerdos tantundem ageret ac si duobus fructum Missae applicaret, quam debet applicare uni. Verum praeter hunc fructum, non alius esse videtur in potestate offerentis. Itaque, ut quidam explicant (cf. Lehmkuhl v. 2. n. 186.) huc redire videtur secunda intentio, ut non proprie applicatio, sed potius impetratio sit: exoratur nimirum Deus, ut, non obstante concessione fructus ei facta, pro quo primarie Missa offertur, velit Deus simul ei quem secundo vel tertio loco intendo, intuitu Missae sacrificii, certam gratiam largiri. Tali exorationi locum esse, patet ex duplici *Memento* in Canone. Quocirca secunda intentio redire videtur ad specialem commemorationem seu peculiarem exorationem τοῦ *Memento.* *

Dub. III.

Quando et quoties liceat celebrare.

CXXXII. Resp. 1. Ordinarie non licet celebrare post meridiem, sed debet inchoari ante duodecimam nec ante auroram, quam ante Solis ortum Regin. quadrantem horae, Henriquez, et Conin. mediam horam, Azor horam cum quadrante, Suarez et Fernand. et Possev. sesquihoram comprehendere dicunt et consequenter, cum, secundum Henriquez, Suarez et alios, Missa possit inchoari tanto ante auroram, ut sub eius initium finiatur, licet duabus horis ante solis ortum incipere. Ita Rodriq. et alii. Unde ulterius inferunt quidam cum Suar., Religiosis habentibus privilegium celebrandi hora ante diem, licere tribus horis ante ortum Solis incipere: quod Card. de Lugo disp. 2. sess. 1. n. 82. non improbat, etsi Laym. tantum permittat horis duabus cum dimidio, Diana vero horis duabus post mediam noctem. Card. de Lugo loc. cit. Quacumque autem hora licite (sive ex, sive sine privilegio) celebrent, eadem etiam (atque adeo in Missa, quae nocte Nativitatis ceterisque, quae post illam celebrantur) licere iis Eucharistiam aliis ministrare, contra Bordon, docet Dian. parl. 9. tr. 7. res- 43.

Dixi, *ordinarie:* quia antevertere licet sequentibus casibus, in quibus etiam paulo post meridiem, v. g. uno vel altero quadrante, inchoari potest, uti etiam secundum Sotum et Palud. ex quavis rationabili causa, v. g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem, ob funus Principis, vel quia Sacerdos die festo propter iter fuit impeditus, quo casu etiam integra hora post licere inchoare dicunt. V. Laym. l. c. Fer. hic c. 3.

1. In necessitate, ver. gr. ut morituro detur Viaticum, quo casu licere media nocte celebrare, ait Dian. p. 1. t. 14. r. 33. ex Laym. etc.

2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire sacrum. Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 3. ex Nav. etc. (V. Dian. p. 2. t. 14. r. 33.): non tamen idcirco post meridiem licebit.

3. Ex privilegio, de quo supra.

4. In nocte Nativitatis, in qua omnes tres Missas ante auroram dici posse, probabiliter docent Suar. Con. Laym. Dian. p. 4. t. 4. r. 226. contra Sylv. Fernand. et alios.

1049. A. agit de hora, qua Missa celebrari potest. Missale Romanum §. 15. id tantum habet: « Missa privata, saltem post matutinum et laudes, *quacumque hora ab aurora usque ad meridiem* dici potest ».

Non licet igitur, ait s. Alph. n. 341., celebrare ante auroram. Quando vero incipit aurora?

S. Alphonsus refert tanquam magis probandam regulam, quam Croix, Collet et Card. Lambertinius in *Instr.* 12. n. 12. tradunt, quod v. gr. mense martio aurora incipiat solum hora cum quadrante ante ortum solis, mense Septembri et Februario hora cum dimidio etc.

Haec obsoleta sunt et tabulam habemus melioribus calculis confectam et ecclesiastica auctoritate probatam heic Romae.

Regula est, crepuscula vespertina durare, quousque sol octodecim gradus percurrerit infra orizontem et incipere viceversa crepuscula

matutina, cum idem stadium 18. graduum sol ingreditur. Porro cum pro diverso anni tempore trames seu cursus sit magis minusve obliquus, proinde non idem tempus pro quolibet anni parte statui debet. Exinde falsa colligitur tum theoria s. Alph., tum aliorum veterum, qui initium aurorae computandum dicebant *duabus horis ante ortum solis.*

Nota. Ex communi doctrina satis est, ut Missa finiatur post initium aurorae et inchoetur paulo ante meridiem. Et edictum contrarium Clementis XI. sustulit Benedictus XIII. V. s. Alph. n. 341.

1050. Laymann concedit, privilegii vim esse, ut Regulares possint celebrare hora ante vel post illud tempus, quo aliis communiter licet, *de Sacrif. Miss.* cap. 4. n. 3. Tamen putat, tres horas ante ortum solis (nam initium aurorae computabat duabus horis ante solis ortum), nimis esse, ratione habita praesertim temporis aestivi *in locis septemtrionalibus.* At consequenter deberet dicere, esse parum tempore hyemali. Sequamur leges nec nostro sensui nimis indulgeamus: secus infinitis quaestionibus molestis locus dabitur. Nonne haec norant Pontifices, dum privilegia dederunt?

Quod vero A. dicit ex Diana, licere duabus horis post mediam noctem, id refertur ad quoddam privilegium concessum ab Alex. VI. Benedictinis, quod deinde per communicationem extenditur ad alios Regulares. Cf. Lugo disp. 20. n. 27. Non ergo significatur ibi, non posse inchoari Missam ante illud tempus; sed per totum annum licere ea hora Missam celebrare.

Porro s. Alphonsus n. 342. censet illud simul cum aliis privilegiis revocatum fuisse a Concilio Tridentino. (In decreto subiecto Canonibus *de Missae Sacrificio* sess. 22. cum titulo: *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae*), et allegat ipsa verba: « Ordinarii caveant ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent..., non obstantibus privilegiis quibuscumque ».

Verum verba Decreti sic habent: « Postremo ne superstitionis locus aliquis detur, edicto et poenis propositis caveant (Ordinarii), ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent; neve ritus alios aut alias ceremonias ac preces in Missarum celebratione adhibeant etc. ». Et in fine Decreti subditur: « Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut... etiam ut delegati Sedis Apostolicae prohibeant, mandent, corrigant, statuant etc..., non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque ».

Etsi ergo verba non *obstantibus privilegiis* etc. spectarent ad rem nostram; attamen 1° probandum foret, agi de celebratione facta *ob superstitionem:* 2° expectandum esset edictum Ordinarii cum poenis propositis.

S. Alph. n. 342. subdit, oppositam sententiam omnino esse tenendam, ob decretum Clementis XI. editum 15. Dec. 1703., quod legitur apud Croix lib. 6. p. 2. n. 258. Sed reipsa in eo decreto, quod inutile est heic recitare, nihil est omnino, unde colligi haec revocatio aut prohibitio possit; cum totum versetur circa abusum celebrandi in oratoriis privatis et altari portatili, locis et diebus non permissis etc. Et solum prohibet, ne quis in *oratoriis privatis* celebret post meridiem, sicut prohibet, ne dicta una Missa, altera celebrari possit etiam ab Episcopo.

Ergo plures, quos idem s. Alph. refert, merito tenent, nullam exsistere eiusmodi revocationem.

Nota, non idem quod de celebratione dicitur, valere pro distributione s. Communionis: haec enim graviter prohibetur solum in extrema diei parte, tum ob scandalum seu admirationem vitandam populi tum ob hodiernam consuetudinem: eadem summo mane dari potest. Scavini *de Euch. Sacram.* ed. 10. n. 153.

1051. *De rationabili causa ob opifices.* Merito Laymann advertit, hac in re servari posse consuetudines, maxime pro iis locis, quibus hyemali tempore serius sol exoritur ac propterea multis horis ante ortum solis opifices et famuli aggredi suum opus debent, quibus si velis ferialibus diebus solatium Missae concedere, oportet, ut ante auroram Missam celebres.

Causas ab A. recensitas, admittunt fere DD. et alias quoque addunt. Itaque licet serius celebrare.

1° In magna festivitate post Missam sollemnem, quae protrahatur ad horam et ultra post meridiem, et etiam ad duas horas, ne populus careat Missa.

2° Ex causa itineris, ut habet etiam A.

3° In funere magni magnatis, vel occasione concionis, vel publicae supplicationis, vel collationis Ordinum, aut ex alia causa simili.

Episcopus praeterea potest, iustis de causis dispensare tam secum, quam cum aliis, ad celebrandum post meridiem. S. Alph. *de Privil.* n. 61. Ergo et ante auroram.

1052. * Quod A. dicit de Missis in nocte Nativitatis celebratis emendatione indiget. Haec enim sunt decreta. « An liceat in nocte Nativitatis post cantatam primam Missam, alias duas immediate celebrare et communicare fideles? » Resp. « Nullo modo licere, sed omnino prohibendum ». S. R. C. 20. Apr. 1641. 7. Dec. 23. Mart. 1686. Cf. s. Alph. n. 343.

« An in nocte nativitatis D. N. I. Ch. liceat cuicumque Sacerdoti

ante auroram celebrare Missam privatam, absque indulto Apostolicae Sedis in casu? Et quatenus negative, an contraria praxis, ubi introduci vellet vel iam esset introducta, declaranda sit abusus et directe oppositа legibus Ecclesiae ita ut per Episcopum sit abscindenda? » Responsum est:

Ad 1^m « Non licere ».

Ad 2^m « Contrariam consuetudinem esse abusum et Episcopus curet abscindi ». S. R. C. 18. Sept. 1781.

Gury V. 2. §. 384. dicit Episcopum ex iusta causa posse ad id licentiam dare.

Priore decreto dicitur illicitum, privatas Missas ea nocte celebrare ante auroram et communicare fideles; at non hoc ipso dicitur, quod si fiat potestas ea nocte privatas Missas celebrandi, non tamen liceat communicare saltem ministrum.

Adde decretum S. R. C. apud Gardellini n. 1007. « Quoad regiones carentes aurora (puta, ubi sol per plures dies super orizontem manet) intelligitur Rubrica moraliter de tempore, quod aequivalet et correspondet aurorae h. e. de exordio diei civilis moralis et usualis in quo homines diluculo surgere solent ad opera, iuxta receptas et approbatas regionum consuetudines ». Et eadem regula sequenda erit pro definienda meridie.

1053. Quaesitum est, an si quis pro sacerdote qui post consecrationem defecerit, sacrum perfecerit, possit aliud sacrum celebrare. Re matura discussa in s. R. C. negativum prodiit responsum, imo Leo XII. iussit decretum prohibens expediri 1823. 16. Dec.

Itaque in festo Nativitatis Domini ea absolutio Missae ab alio inceptae valebit pro una Missa ex tribus.

Unde resolves.

CXXXIII. 1. Graviter peccat, qui sine aliqua harum, aut saltem iusta causa citius mane vel serius post prandium celebrat, ubi Azor, tertiam horae partem, Laym. mediam horam, Bonac. tres quadrantes, Sylvius horam requirit, ut differendo peccet mortaliter. Vide Dian. t. 14. res. 34. ubi notat. Religiosos ex suis privilegiis posse celebrare usque ad tres horas post meridiem, post tertiam vero nullo modo. Vide Bon. l. c.

1054. DD. admittunt: ut s. Alph. dicit n. 346., parvitatem materiae. Communior et probabilior Sylvii sententia est, non esse materiam gravem, nisi incipiatur hora ante auroram, vel hora post meridiem. Hoc intellige, ubi nulla est causa et aliunde adverte, levem causam sufficere ad excusandum a gravi culpa. Cf. Lugo disp. 20 nn. 37. seqq.

CXXXIV. 2. Non est peccatum, celebrare ante dictam Primam, vel etsi ob infirmitatem non possis Horas dicere, vel etiam ante Matutinum, si causa subsit, sine qua erit veniale, ut docent Fill. Laym. et alii videturque sententia tuta, contra multos dicentes esse mortale.

1055. Communior et probabilior, inquit s. Alph. n. 347., est sententia, quae contra aliquos negat esse mortale et contra alios negat carere omni culpa, qui id tenebant, eo quod nulla lex appareat, id praecipiens sub culpa et Rubrica sit de consilio, non de praecepto. His opponitur, quod omissio matutini ponitur inter *defectus*. Verum cf. heic n. 405., ubi haec quaestio pertractata est.

Addunt DD., ab hac culpa excusare quamlibet mediocrem causam rationabilem, v. gr. inquit s. Alph. l. c. si dans eleemosynam petat, ut statim celebretur, si exspectet populus, aut persona aliqua gravis si Superior praecipiat, vel instet commoditas studii, itineris, negotiorum etc.

Heic nota falsam doctrinam eorum qui dicunt, teneri quempiam ad recitandum matutinum pridie, si sciat, se mane non posse illud recitare ante missam. Qui hoc dicunt, se maxime rudes produnt in primis scientiae elementis quae statuunt, *neminem teneri uti privilegio*.

CXXXV. Resp. 2. Per se loquendo, quotidie licet celebrare. Dico, per se; quia praecepto obligante sub mortali prohibemur feria sexta in Parasceve, non tamen Eucharistiam sumere vel aliis praebere, ut habent Hurt. *de Sacrif.* d. 4. dis. 3. Quintan. ex Suar. Vasq. Tann. etc. licet suppositis Declarationibus Cardin., non licere ministrare, nisi solis infirmis, velit Dian. p. 4. t. 4. res. 237. p. 6. t. 6. res. 19. et p. 9. t. 9. res. 24. ex Barb. Gavant. etc. In Coena Domini vero, etsi ex consuetudine, uno celebrante, reliqui communicare debeant; plures tamen ex causa licite privatim celebrant non tamen post finitam Missam sollemnem et sacrarium reconditum, ut vult Palaus; licet alii id non admittant, apud Dian. p. 9. t. 6. r. 24. Sabbato sancto alii negant licere, ut Vasquez etc. alii probabilius affirmant, ut Suar. Fagund. Dian. Gasp. Hurt. d. 4. dis. 3. Palaus (qui non vult fieri ante inchoatam Missam sollemnem) et Card. de Lugo s. 1. n. 13. qui addit, non esse tunc legendas prophetias, qui non sunt pars Missae neque benedictionem cerei, imo nec Litanias; quia est ratio eadem. V. loc. cit. num. 20. et Bonacin. p. 2. nisi notat, quod usus id vix habeat. Vide etiam Dian. p. 4. t. 4. res. 237. ubi cum Mercero, contra alios, permittit eo die ante Missam sollemnem celebrare de Sancto incidente, vel votivam.

1056. * Succedit quaestio: quibus diebus liceat privatam Missam celebrare et respondet A., quotidie celebrationem licere, excepta feria sexta hebdomadae sanctae et, ut quidam affirmant, Sabbato sancto: in die autem Coenae Domini videtur credere quod liceat.

Haec sunt paululum impedita et opus est posteriora decreta recolere.

Itaque 1° quoad feriam sextam maioris hebdomadae certa est doctrina A.; cum nec sollemnis Missa proprie celebretur, sed solum ex praesanctificatis.

2° Quoad alios duos dies, haec prostant decreta s. R. C.

Feria 5ª in Coena Domini, praeter Missam sollemnem; aliam celebrare non licet s. R. C. 19. Dec. 1654.

In ruralibus ecclesiis, in quibus ne forma quidem servari potest parvi Ritualis Benedicti XIII. nec ullae peragi functiones, possunt nihilominus parochi (quotannis ab Episcopo petita venia) dicere Missam sine cantu in Coena Domini et Sabbato sancto, antequam in ecclesia cathedrali seu principali functiones agantur. S. R. C. decreto confirmato a Pio VII. 31. Iul. 1821. Gardellini n. 4583.

Neque celebrari potest Missa lecta in iis ecclesiis, in quibus non peraguntur reliquae functiones. 31. Aug. 1839.

Potest Episcopus Regularibus concedere unam Missam lectam pro infirmis, qui nequeunt interesse sollemni. 27. Mart. 1773.

Potest superior regularis Missam celebrare in privato oratorio vel, si desit, in ecclesia, ianuis clausis, ut suos subditos communicet pro praecepto paschali: si nempe apud ipsos non agantur functiones consuetae hebdomadae sanctae. 31. Aug. 1839.

Celebranda non est Missa, pro asservanda sacra Hostia in sepulcro, illis in ecclesiis, in quibus non asservatur sanctissimum Sacramentum. 14. Ian. 1659.

Si in parochiis ruralibus haberi possunt saltem tres vel quatuor Clerici, persolvendae sunt functiones hebdomadae maioris, servata forma parvi Ritualis editi iussu Benedicti XIII. 31. Iul. 1831.

Omnes de clero feria 5ª in Coena Domini tenentur communicare de manu celebrantis. S. R. C. 22. Sept. 1837.

Prohibentur Missae privatae in Sabbato sancto, iuxta priscam Ecclesiae praxim et doctrinam. S. R. C. 26. Apr. 1692. 11. Febr. 1690. 13. Iul. 1697. 28. Iul. 1821. 22. Iul. 1848. (Cf. Bucceroni *Enchir. Morale* etc. edit. 2. p. 136.). Cf. exceptionem superius memoratam pro parochis.

« Sententia igitur (ait cl. Lehmkuhl Vol. 2. n. 311.), quam antea gravissimi Scriptores tuebantur, tum feria 5ª in Coena Domini tum Sabbato sancto privatas Missas non absolute interdici, nunc post plura s. R. C. decreta prorsus relinquenda est neque tuta conscientia pro norma practica haberi potest ».

Nihilominus si in feria 5ª in Coena Domini incidit festum de praecepto, ut Annunt. b. M. V., s. Iosephi vel principalis Patroni, Episcopus curare debet, ut *tot Missae in ecclesiis dicantur*, quot sufficiant, ut populus praecepto audiendae Missae satisfacere possit neque transfertur festum pro foro. Si autem festa alicubi non amplius *de praecepto* in foro celebrantur, etiam locum non esse dispositioni, qua plures Missas celebrare liceat, s. R. C. declaravit 27. Sept. 1868. in Viglev. Gardellini n. 5405.

At si urgeat necessitas viatici conficiendi, Sabbato quoque sancto imo et feria sexta praecedente licet Missam celebrare et tunc celebranda esset Missa *de Passione*, ait idem Lehmkuhl l. c.

1057. Dubitatur an Episcopus, qui in ecclesia sua celebrare nequit, puta quia est absens (cum privilegium habeat, ut in seq. dubio dicemus, oratorii privati, in quo celebrare potest et iis diebus, qui excipi solent in concessione Oratorii privati; concessum est enim a Bonifacio VIII. hoc privilegium *de Privil.* c. *Quoniam* in 6., eo quod non deceat Episcopos, absque rationabili causa, transire *ullam diem* absque celebratione Missae), dubitatur, inquam, an Episcopus in oratorio suo privato possit feria 5ª in Coena Domini privatim celebrare. Affirmandum videtur; nam privilegium datum est, ut possint Episcopi nullam diem (utique liturgicam) transigere absque celebratione. Tum prohibitio hac die celebrandi, praeter Missam sollemnem, fit sacerdotibus: at in odiosis Episcopi non veniunt nomine Sacerdotum. Nulla autem est lex, id disserte interdicens Episcopis. Communicare certe possunt: non autem eos decet communionem cum clero suscipere, praesertim a simplici presbytero; ergo.

1058. Quaesitum fuit, an s. Communio ministrari possit in Missa Sabbati sancti? Responsum est « negative, nisi adsit consuetudo », s. R. C. 22. Sept. 1837., quam servari posse responderat 22. Martii 1806.

Extra Missam vero, licere post Missam respondit eadem R. C. Septemb. 1850. vel, si id ferat consuetudo, post cantatum *Gloria* 13. Ian. 1882.

Quoad communionem vero in feria 6ª in Parasceve, Innocentius XI. in decreto *de frequenti Communione* 12. feb. 1679. ait: « Curent Episcopi, ut circa communionem in feria 6ª Parasceve, Missalis Rubricae ac Romanae Ecclesiae usus servetur ». Porro Rubricae Missalis in feria 5ª in Coena Domini, iubent celebrantem tum consecrare duas Hostias, quarum altera pro sequenti die asservetur, tum reservare aliquas particulas consecratas, *si opus fuerint, pro infirmis*. Unde colligitur e mente Rubricae, solos infirmos die sequenti posse communicare. Id pluribus decretis statutum affirmat Scavini (*de Euchar. Sacram.* edit. 10. n. 153.). At Benedictus XIV. *de Sacrif. Missae* lib. 3. c. 18. refert decretum s. C. R. prohibens aliis, quam infirmis, communionem dare feria 6ª Parasceve, quod decretum prodiit 19. Februarii 1622. licet, ut subdit, in Registris non reperiatur.

S. Alph. vero n. 349. non dubitat asserere, nunc communionem privatam in Parasceve esse graviter prohibitam. *

CXXXVI. Resp. 3. Saepius in die celebrare non licet ordinarie; quod addo, quia, si sis ieiunus, licitum est sequentibus casibus, bis vel etiam ter, requisito tamen, si facile haberi possit, Episcopi iudicio, praeterquam in primo.

1. Nocte Nativitatis: qua tamen non tenetur, ne Parochus quidem, celebrare tres Missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere. Dian. p. 4. t. 4. r. 236. Neque ter communicare, vel semel communicare et bis celebrare, p. 8. t. 1. r. 87.

2. Si Pastor habeat duas Parochias dissitas. Filliuc. Card. de Lugo d. 20. n. 45.

3. Si concursus populi sit tantus, ut Ecclesia non capiat, ut habet Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 6. Vid. Card. de Lugo l. c. etsi tunc potius expediat celebrare extra.

4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo et suam iam hostiam sumpserit nec sit alius Sacerdos. Sylv. Navar. Sed casum esse metaphysicum, dicit Card. de Lugo d. 20. n. 44.

5. Si die festo adveniant personae, quas non deceat sacrum omittere, v. g. Rex aut Princeps: quamvis hic ultimus dicatur non esse in usu. Vide Bon. d. 4. q. ult. p. 7. n. 9. Card. de Lugo l. c. et Laym. t. 5. c. 4. Conin. Dian. p. 2. t. 14. r. 56. ubi recte monet, in his omnibus attendendum ad loci consuetudinem, quae fere omnes nunc sustulerit.

1059. * Cum facultas, ut dicitur, binandi, non adeo infrequenter hac nostra aetate nedum in missionibus inter infideles sed et in veteri Europa nostraque Italia videatur necessaria, quid de ea sentiat Romana Sedes paucis explicandum est ex Instructione s. C. P. F. hac super re 24. Maii 1810.

1° Cum a s. Sede facultas fit celebrandi bis in die, non licet, etsi graves videantur concurrere causae, ultra duas Missas celebrare.

2° Unicus titulus, cur a lege adeo generali et constanti unius Missae a quolibet singulis diebus celebrandae dispensetur, est *necessitas*, utique moralis, quae « non est desumenda ex parte inopiae sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et caritate (insufficienti numero) sacerdotum ». Ibid. nn. 3. 4.

3° Casus communior, quo iuxta unanimem Theologorum consensum permittitur Sacerdoti iteratio Missae in die, ille est, cum Sacerdos « duas parochias obtineat vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam ». Alter casus est, « quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur et ad quam simul universus populus convenire non potest », sive quia est angusta nimis sive quia non omnes eodem tempore possunt convenire, ut declaratur in Constit. Benedicti XIV. *Declarasti Nobis.* Instr. cit. n. 10.

In his casibus iterari Missa potest etiam ab his, qui facultate non sunt donati per formulas, quae concedi solent per s. C. P. F.; cum id concedat ipsum ius: semper tamen dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet, tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi ferre sententiam. Imo, ut advertit Benedictus XIV., concors

est Theologorum opinio, in casu unius Parochi cum duabus paroeciis, « parochum nedum posse, sed plane teneri, bis eodem die Missam celebrare » *de Syn. dioeces.* l. 6. c. 8 n. 2. *Instr.* cit. n. 11. Et idcirco si quis tres parochias habeat, ter celebrare ex iure poterit et debebit, ut rite colligit Collector *Actorum s. Sedis* v. 6. p. 568.

Novimus, ante aliquot annos singulare indultum a Leone XIII. concessum esse Mexicanis propter populi necessitatem, ut etiam tres Missae a singulis sacerdotibus, diebus dominicis et de praecepto festivis, in diversis locis celebrarentur.

1060. 4° Praeter hos sunt alii casus « qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die » itemque alii « in quibus vel ob locorum distantiam vel ob paucitatem Sacerdotum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari ». Idem *de Sacr. Sacrif. Missae* l. 3. c. 5. n. 4. « Indultum proinde a s. C. P. F. factum non coercetur ad popoli indigentias diebus festivis, sed quum generalibus terminis contineatur, comprehendit quoque alios casus, de quibus agitur, quemadmodum esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in utraque paroecia et in huiusmodi aliis casibus ». *Instr.* cit. n. 11.

5° Quantus vero sit sufficiens numerus fidelium, qui Missa carerent, ut Missa iteretur, id tandem relinquitur conscientiae et iudicio Episcopi seu Praefecti Missionis, quos « cavere oportet a nimia anxietate in diiudicando, ne frustra concessa aut poene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur ». Ibid. nn. 14. 16. Exemplo sit, quod s. C. P. F. anno 1688. censuit sufficere numerum 10. 12. servorum, qui aliter Missa carerent. In litteris 13. Mart. 1828. datis a Leone XII. ad Episcopum s. Ludovici, sufficiens numerus habetur 30. 50. fidelium qui exponantur periculo non satisfaciendi praecepto. Cf. et Acta s. Sedis vol. 18. p. 547.

6° Sacerdotem iterantem Missam debere esse ieiunum, manifestum est.

Praeceptum etiam aliquando fuit, ut Sacerdos in utraque Missa eodem uteretur calice: verum quia identidem huius decreti exsecutio haud levibus difficultatibus erat obnoxia, in huiusmodi casibus rescriptum est: « usum duorum calicum in casu permitti posse ». Instr. cit n. 19.

1061. 7° Lex manet prohibens, ne pro altera Missa stipendium accipiatur: quod quidem non prohibetur quasi intrinsece malum sed ob extrinsecas rationabiles causas. Hinc aliquando in favorem piae causae dispensatum est h. e. potestas facta Episcopo permittendi presbyteris,

ut pro secunda Missa eleemosynam acciperent, ea tamen lege, ut eam Episcopo traderent in subsidium adolescentium ad sacerdotium adspirantium. In causa Trevir. 15. Febr. 1868.

Huiusmodi tamen facultas aliis est negata s. C. C. 21. Mart. 1863.

Quod A. dicit, causam binandi sufficientem esse necessitatem administrandi Viatici, liquet etiam ex heic modo relatis sub n. 4° et iam superius indicavimus, docentes, quando liceat Sacerdoti, celebrare non ieiunum.

Quod vero A. dicit sub n. 5., non satis cohaeret cum lege vigente, quod sola necessitas spiritualis populi (non dignitas alicuius personae) sit causa sufficiens binandi. Ceterum nunc hic esset vere casus metaphysicus. *

CXXXVII. Quaeres. An aliquando liceat interrumpere Missam?

Resp. Etsi abrumpere essentialiter, sive unam tantum speciem consecrare, nullo casu liceat, ut dictum est supra c. 1. d. 2., accidentaliter tamen abrumpere vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his casibus.

1. Ob concionem post Evangelium, vel processionem excipiendam.

2. In gratiam supervenientis Principis, vel turbae peregrinorum die festo, qua alias Missam audire non possent, vel simili iusta causa; ex qua, si non sit facta oblatio, posse incipere de novo, ut totum Sacrum audiant, etsi non teneantur, docent varii Auctores cum Sà, apud Bonacin. d. 4. q. ult. p. 7. n. 9. qui bene monet, consuetudini locorum standum. Henriq. autem docet, id tantum licere finita Epistola, vel Evangelio. Tamb. plane improbat.

3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicuius impedimenti, v. g. se non esse ieiunum vel in gratia, vel irregularem et excommunicatum: vel excommunicatus non toleratus praesumat interesse nec possit expelli.

4. Si urgeat gravis necessitas, vel propria ver. grat. morbus, vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus. Trull. Dian. p. 2. t. 3. res. 20. In aliis tamen Sacramentis non ita necessariis, non decet inter consecrationem et sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo nec opus esset vestes exuere, vel nisi poenitentiae Sacramentum ob phrenesim suscipere non possit Layman. Tambur. lib. 2. *Exped. sacrif.* cap. 7. Revertens autem ad sacrificium Sacerdos, si fuerit ante facta consecratio, incipiet, ubi desierit; uti, etsi facta non fuerit et parva mora intercesserit. v. g. minor, quam unius horae; si autem longior, ordietur ab initio. Tambur. l. c. *Exped. sacrif.* c. 8. §. 7.

1062. * Notat s. Alph. ad 2^m^, idem quod permittitur in adventu Principis, fieri posse in adventu Episcopi, Cardinalis, processionis populi.

Ad 3^m^ addit priori parti « modo possit relinqui Missa sine scandalo aut gravi nota, ut bene advertunt Salmanticenses etc. » et a nobis iam dictum est c. 2. sub dub. 2. art. 1. In casu excommunicati non tolerati volentis interesse, quid faciendum docet heic breviter A. at dicetur plenius in tr. de Censuris.

Ad 4^m^ monet, quod si sacerdos deficiat ante consecrationem, nihil

est ab alio supplendum: si post consecrationem vel unius speciei supplendum esse ab alio Sacerdote, etiam non ieiuno, etiam excommunicato aut irregulari, si alii desint et is possit sine gravissimo incommodo. At si Sacerdos deficiat post sumptum ss. Corpus, quidam censent, calicem sumi posse in alia Missa; id tamen communius, ait, negatur, sed ab alio sumendus est calix, ut idem sacrificium absolvatur. Si tamen per integram horam frustra quaereretur alius Sacerdos, probabilius esse censet, cessare hanc obligationem, eo quod non videretur amplius continuatio unius sacrificii (cur non, cum ratio unitatis sit a parte rei?): at si ipse qui consecravit, convalescat, etiam post plures horas, sumere poterit, quamvis non ieiunus. Perdurat ergo ratio sacrificii, quod compleri adhuc potest et complendum est: secus non est cur possit non ieiunus communicare.

Dub. IV.

Quo loco celebrandum sit.

CXXXVIII. Respond. Communiter non licet celebrare, nisi in Ecclesia eaque consecrata vel saltem benedicta et non violata vel exsecrata, nec interdicta. Patet ex Trid. sess. 21.

Dixi *communiter:* quia in decenti loco et altari portatili (quod semper sub mortali requiritur) cum licentia Episcopi, si adsit, vel sine ea, si absit, licet sequentibus casibus: extra quos si fiat, esse mortale, docent Filliuc. Laym. et alii commun. contra Sotum et Sà.

Primo, si sit necessitas, qualis esse censetur, 1. Si ecclesiae dirutae sint: 2. si populum in sollemni festo templum non capit. 3. In castris pro exercitu; sed festis tantum diebus. Fag. Card. de Lugo, etc. licet Pasqual. apud Dian. p. 9. t. 1. res. 44. etiam non festis censeat posse permitti Generalibus et primariis Ducibus, in suis tentoriis. 4. In portu pro appulsu navis, non tamen in flumine vel mari, propter periculum effusionis Sanguinis, ut commun. docetur apud Bon. Contrarium tamen dicitur iam habere praxis Lusitanorum, euntium in Indiam, ex permissione Clement. VIII. et Pauli V. ex qua licite nunc fieri docet Fagund. Gran. nec improbat Card. de Lugo l. c. Limitat autem Dian. p. 5. t. 3. res. 40. cum Hurt. Mercer. Trull. etc., si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio adsitque praeter celebrantem sacerdos alius, qui post consecrationem firmiter teneat calicem. Cum qua cautione etiam Episcopum posse ad hoc concedere facultatem in necessitate (v. gr. ne magna multitudo non audiat Sacrum, vel moribundus decedat sine viatico) docet Gran. apud Dian. l. c. contra Con. et Tur. qui soli Papae eam reservatam volunt, ut etiam Dian. p. 9. t. 1. res. 45. ubi adducit declarationem Cardinalium, qua iubentur Episcopi id prohibere.

Secundo ex dispensatione Episcoporum, ob rationabilem causam, etsi in Trid. sess. 12. id permittere prohibeantur, nisi ex iusta causa, in oratoriis privatis divino cultui destinatis, licet non benedictis. Verum etiam hanc potestatem illis nunc esse ademptam, docet Gavant. loc. cit. et Dian. p. 9. t. 9. res. 42.: eo tamen non obstante, posse eos in aliquo casu particulari ex iusta causa permittere, ut celebretur extra ecclesiam, in altari portatili, docet idem Dian. loc. cit. r. 43. ex March. Garc. Hurt. Card. de Lugo, Aversa Persic. etc.

Tertio. Ex privilegio, quale dicuntur habere Minores et qui cum iis participant;

quod esse revocatum a Trid. sess. 22. c. 8. licet multi velint, negant tamen Dian. p. 3. t. 2. res. 80. et p. 4. t. 4. r. 106. Ioan. Salas, Rodriq. etc. Idque secundum Card. de Lugo d. 20. s. 2. n. 51. probabiliter et Tamb. *de Exped. celebr.* l. 1. c. 3. §. 1. probabilius. V. Barbos. in Trid. l. c. Item Religiosi Societatis, a Gregor. XIII. ut possint tum in missionibus, cum facultate Superioris, in quovis loco decenti, tum in domibus suis in loco honesto, a Provinciali designato, Missas dicere, in quo idem licebit aliis.

1063. * Adverte responsum s. R. C. 22. Iul. 1855. « *Ecclesia* intelligitur, quae eo potissimum fine aedificatur, ut publico fidelis populi usui deserviat. *Cappella publica* vero, quae licet ingressum habeat in publica via, attamen non tam fidelis populi libero usui destinata videtur, quam alicuius familiae vel Collegii commoditati ». Non raro vero contingere potest, ut Cappellae, praesertim communitatum, ad utrumque finem aeque immediate sint destinatae. Illud vero nunc tenendum, publicas Cappellas, quae et oratoria publica vocantur, prorsus secerni ab Oratoriis quae in privatorum aedibus exstructa sint, de quibus sermo habitus est tr. VI. sub 3º Praecepto: et haec sunt oratoria simpliciter *privata*. In publicis sane Oratoriis de licentia Episcopi erectis et benedictis omni die etiam sollemniore celebrare licet, ibique Missae praecepto satisfieri: cf. s. Alph. n. 359. §. *Ex quo*, citantem decretum s. R. C. 3. Sept. 1671.: quocirca, quod spectat ad celebrationem Missarum talia oratoria Ecclesiis comparantur.

Oratoria vero publica dupliciter dicuntur vel *per se* vel *ad instar*. Per se publica sunt *ratione situs*, quorum ianua publicae adiacet viae; sed etsi oratorium sit in mediis agris vel in aedibus privatorum positum sit, publicum habebitur, si ex via publica per agrum vel atrium domus, ad illud pateat aditus, vel, ut pateat, dominus agri vel aedium *illius situs dominio ac iuri efficaciter renuntiaverit*.

Instar publici est oratorium *ratione personarum*, quod exstat in domibus Episcoporum, Cardinalium atque Regularium. Haec in iis, quae ad sacrum faciendum, seu audiendum pertinent, ecclesiarum iure censentur. Cf. d'Annibale *Summa* p. 3. n. 5.

Nunc ex decreto s. R. C. 23. Ian. 1899. probato a R. P. addere licet tertium membrum inter oratoria *publica* et oratoria *privata*, nempe oratoria *semipublica*. « Huius generis (verba sunt decreti) sunt Oratoria, quae pertinent ad Seminaria, et collegia ecclesiastica, ad pia Instituta et Societates votorum simplicium aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis, ad domus spiritualibus exercitiis addictas, ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata, ad nosocomia, orphanotrofia nec non ad arces et carceres, atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent cappellae in coemeterio

rite erectae, dummodo in Missae celebratione, non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat ». Porro rite erectae sunt cappellae, quae auctoritate Episcopi erectae sunt: « In his (ait decretum) sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi sacrum satisfacere valent ».

1064. Triplicem refert A. causam, propter quam extra ecclesiam celebrare licet, nempe *necessitatem*, *dispensationem*, *privilegium*, ita tamen, ut celebretur *decenti in loco* atque *altari portatili*. Explicandum proinde in primis videtur, quid sit *altare portatile*.

Altare dupliciter dicitur, *sensu liturgico* et *sensu vulgari*. Sensu liturgico est tabula lapidea consecrata, supra quam sacrificium offertur. Haec est duplex, *fixa* vel *mobilis*. Fixa est ampla tabula seu mensa quae adhaeret suppositae structurae seu basi, columnis etc. Hoc est altare *fixum* sensu liturgico. Mobilis est parva tabula, quae in medio mensae ex lapide, ligno aut alia materia confectae collocari solet, eius magnitudinis ut calicem et hostiam recipere valeat: atque transferri potest de loco ad locum. Hoc est altare *mobile* seu *portatile* seu *viaticum* sensu liturgico.

Altare sensu vulgari est universa structura cum mensa super quam offertur sacrificium, in cuius mensae medio, si non est ex integro consecrata, ponitur tabula portatilis. Huiusmodi altare *fixum* est quod adhaeret parieti vel solo, *mobile*, cum tota structura adiacet tantummodo parieti vel solo.

Porro alterutro modo altare fixum, etsi tota structura avellatur a pariete vel solo, dummodo integritatem suam servet: non amittit consecrationem (Ferraris, Altare n. 71.). Altare *privilegiatum* pro indulgentia debet esse fixum: ad hoc autem sufficit altare sensu vulgari acceptum, stabile et inamovibile in cuius medio lapis consecratus etiam amovibilis ponatur (ex rescripto Pii IX. 26. Mart. 1867.). Privilegium indulgentiae vero non parvo lapidi in media mensa posito sed ipsi altari annexum est (Beringer *les Indulgences* Vol. I. pag. 447.).

Cum privilegium conceditur altaris portatilis, hoc privilegium huc redit, ut celebrare liceat extra locum sacrum, super illum parvum lapidem consecratum, inserendum alicui mensae; nam in ecclesia super huiusmodi altari celebrare, absque ullo privilegio, licet. Lehmk. l. c.

1065. Itaque ait A., licere celebrationem extra ecclesiam propter necessitatem, quemadmodum in c. *Sicut de Consecr.* d. 1. praecipitur quidem, ut in sacratis locis Missae celebrentur, sed una subditur: « nisi summa coegerit necessitas; quoniam necessitas non habet legem ».

Verum, quoniam requiritur pro huiusmodi celebratione *altare via-*

ticum seu (ut dicitur l. c. c. *Concedimus*) *tabula consecrata*, nunc autem usus altaris portatilis seu licentia Missam celebrandi extra locum sacrum ab Apostolica Sede sola ordinarie conceditur; cum Episcopi eam dare non possint, nisi cum magnae et urgentes causae adsunt et solum per modum actus transeuntis, ut respondit s. C. C. 20. Dec. 1855.: hinc causa haec primo loco enumerata ab Auctore redit ad dispensationem, eam tamen quae ex quadam necessitate, non ex simplici favore fiat.

Causam quam primo loco ponit A. confirmat s. Alph. ex c. *Concedimus* cit. ubi idem dicitur. Pro altera causa citat idem s. Doctor Benedictum XIV. *de Sacrif. Missae* l. 3. c. 6. Lugo pluresque alios Theologos itemque pro tertia. Pro quarta ratio est, ait s. Doctor, ne navigantes, qui navem deserere nequeunt, Missa priventur in die festo et quamvis haec non videatur summa necessitas, de qua Canones loquuntur, ait, DD. advertere, quod ex consuetudine inductum sit, ut minor necessitas sufficiat.

Porro c. cit. *Concedimus* permittit quoque, pro iter agentibus celebrari Missarum sollemnia sub dio vel in tentoriis, dummodo tabula sacrata ceteraque necessaria habeantur.

Quapropter in his et similibus casibus ratio est quaedam, cur facultas celebrandi extra locum sacrum detur, quae facultas et ab Episcopo dari poterit, cum magna et urgens causa occurrat, non tamen per modum habitus seu rei permanentis. Imo si subita urgeat necessitas, ut si ecclesia corruat et instet dies festivus, nec recursus pateat ad Episcopum, licebit per epikeiam celebrare sub dio *.

Specialis difficultas erat quoad celebrationem in mari, propter periculum effusionis calicis. Sed et haec facultas solet a s. Sede concedi: conceditur tamen sub his conditionibus: 1° ut navis valde a littore distet, 2° ut mare sit tranquillum, 3° ut adsit sacerdos vel diaconus, qui calicem firmum teneat, si motus concitatur. Ligor. n. 356.

A. negat, licere in flumine et quidem nisi sint ingentia flumina longa percurrenda navigatione et labentia per deserta loca, nulla apparet necessitas: si vero talia sint flumina, idem est casus ac itinerantium de quo c. *Concedimus* cit. et cum nullum appareat periculum, facilius, puto, facultas concedetur (a).

(a) Quaesitum fuit; an haberi possint tanquam *causae magnae et urgentes*, pro quibus diximus Episcopos dispensare posse, sequentes. 1° Cum propter tristitiam temporum, mariti, patres, filii quoque non permittunt deferri viaticum ab ecclesia ad infirmos, ut hi cogantur mori absque viatico: qui idcirco instanter petunt, ut in eorum domo, super altari portatili decenter ornato Missa celebretur, unde eis communio tribuatur. 2° Quando Sacerdotes morbo chronico laborantes nec valentes e domo pedem efferre, flagitant in-

1066. Nunc de dispensatione, quae ex favore, propter rationabilem ubique causam, conceditur.

Olim, ait s. Alph. n. 357. Episcopi poterant licentiam dare celebrandi extra Ecclesiam ubique. Constat ex cap. *Missarum de Consecr.* d. 1. « Missarum sollemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis (aut, ut nunc sufficit, benedictis) vel *ubi ipse permiserit,* celebranda esse censemus ». Sed Trid. Syn. sess. 22. *decreto de observandis etc. in celebr. Missa* circumscripsisse dicitur hanc Episcoporum potestatem. « Neve patiantur (Ordinarii), privatis in domibus, atque omnino, extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a secularibus aut regularibus quibuscumque peragi ac nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse ».

Porro hoc decreto inhibitum volunt DD. communiter Episcopis, ne licentiam possint dare celebrandi Missam in privatis Oratoriis, quae scil. non habeant ingressum per viam publicam. Fateor sincere, nec verba Tridentini, nec decretum Clementis XI. apud Croix lib. 6. p. 2. n. 258. nec decisiones aut responsa relata vel a Fagnano in 5. libr. Decret. tit. 33. cap. *In his* n. 17., vel a Ferraris (V. *Oratoria*) apparere satis clara. Qui sane dicit: *non patiantur fieri,* potestatem per se non adimit, sed eius exercitium moderatur. Quidquid sit, id communior DD. tenet et haec est sententia Romanorum Congregg. « An possit Episcopus concedere licentiam erigendi oratoria privata, cum facultate in iis celebrandi Missae sacrificium? » Respondit s. C. C. « Non licere Episcopo huiusmodi licentias quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem mere transeunte: hanc facultatem esse soli Rom. Pontifici reservatam ». 23. Ian. 1847. Cf. tamen responsum eiusdem Congr. sub n. 1065. citatum.

Quamvis ergo dicat s. Alph. n. 359. communiter DD. sentire, hoc esse intelligendum de licentia perpetuo celebrandi *per modum habitus,* minime vero esse eis vetitum huiusmodi licentiam concedere per modum actus pro aliquo tempore, si iusta adsit causa videlicet, uti inquit Suarez cum Barbosa, Laymann, per modum dispensationis, v. gr. si

---

stanter facultatem celebrandi in oratorio privato, semel saltem in mense et in magnis sollemnitatibus, tum ut communicent, tum ut lucrentur indulgentias. 3° Quando vigeat immemorabilis consuetudo, ut Episcopus, occurrente morte personae notabilis facultatem concedat celebrandi Missas domi, praesente cadavere et speciatim si difficile admodum sit, absque gravibus inconvenientibus, hanc consuetudinem abolere. S. C. C. mature perpenso dubio: « An et in quibus ex expositis casibus Episcopus possit facultatem concedere celebrandi in privato Oratorio », respondit 6. Sept. 1890. « Non proposita ». E.

persona nobilis ratione senectutis vel infirmitatis non possit adire ecclesiam ut audiat Missam et Eucharistiam recipiat; quia non est praesumendum, abstulisse Concilium Episcopis facultatem rationabiliter dispensandi et quia haec potestas utilis est Ecclesiae et eadem de causa posset Episcopus concedere Sacerdoti, iisdem impedimentis laboranti, ut celebrare in oratorio privato valeat: haec tamen cum allato Responso s. C. non cohaerent. Hanc scilicet facultatem nunc Apostolica Sedes, exceptis magnis et urgentibus causis, sibi reservavit.

Atque haec de Oratoriis privatis, de quibus cf. dicta tr. VI. sect. 3. n. 119. seqq.

1067. * Ex ipsis verbis mox allatis Trid. Syn. colligit s. Alph. n. 357. non esse Episcopi facultatem ademptam erigendi oratoria in domibus Regularium vel alterius communitatis, ut in Hospitalibus, Seminariis, Conservatoriis ibique potestatem concedendi, ut Missa celebretur. Quia hae non dicuntur domus privatae. Cf. recens decretum sub n. 1063.

Hinc Fagnanus in c. *In his, de Priv.* n. 23. refert s. Congr. pluries declarasse, huiusmodi Oratoria *Carcerum, Confraternitatum, Hospitalium* et *Communitatum* non comprehendi in prohibitione Concilii; quia haec sunt Oratoria fixe ad divinum cultum dedicata.

Unde s. Doctor concludit, in his ab omnibus satisfieri praecepto audiendi Missam.

Episcopis tamen integrum manet privilegium iis concessum a Bonifacio VIII. cp. fin. *de Privil.* in 6. ut non solum in domo sua episcopali sed in quavis alia domo, etiam extra dioecesim, diversentur, possint ibi, quandiu ibi manent, oratorium privatum erigere ibique celebrare ac facere celebrari, praesentibus ipsis, ait s. Alph.; quia est privilegium personale. Non licet autem ipsis e sua domo vel hospitio egressis in aliena domo, amicitiae e. g. causa, celebrare. Const. Clementis IX. 15. Dec. 1703. iuxta declarationem Innocentii XIII. 3. Mai 1723. quae referuntur a Benedicto XIV. Const. *Magno cum animi* §§. 6. 7., 2. Iun. an. 1751. In eadem hic Pontifex dictum privilegium Episcoporum integrum vigere confirmat.

1068. Tandem et haec iuvat recolere. Quaesitum est: « Cum ss. Eucharistiae sacramentum a christianis infirmis expetitur, quaeritur 1° an Missionariis, in praedictorum infirmorum domibus, sacrificium Missae celebrare liceat. 2° An hoc procedat etiam, cum mortis periculum urget, sed viaticum, saltem occulte, deferri potest. 3° An licitum sit saltem, quando neque occulte deferri potest ». Respondit s. C. P. F. « Ad 1^{m} non licere. Ad 2^{m} non licere. Ad 3^{m} tali casu licere vel in domo infirmi vel saltem in viciniore domo, si locus decens sit, ne infirmus Viatico privetur ». 14. Dec. 1688.

Item « Parochus novit ss. Viaticum difficillime porrigi posse infirmo morti proximo, nisi possit a privato Oratorio ss. Sacramentum deferre. Et quatenus affirmative, utrum in tali casu celebrare possit, etiam Indultario precario absente ». Responsum est a s. R. C. « Affirmative, etiam Indultario absente ». 27 Aug. 1836.

Illud quoque pro oratoriis meminisse iuvabit; nempe 1° non licet dormitorium habere super cappellam, in qua Missa celebratur s. R. C. 11. Maii 1641. 2° Nequit celebrari in cappellis sub cubiculis (camere da letto), nisi super altare habeatur baldacchinum aut duplex concameratio (doppia volta) s. R. C. 12. Sept. 1840. 3° Imo licet adsit baldacchinum removeatur, si fieri potest, custodia ss. Sacramenti s. R. C. 12. Mart. 1836.*

1069. Nunc de tertia causa, h. e. privilegiis Regularium.

Disputatum diu fuit, an privilegium, de quo A. heic, revocatum fuerit per Concil. Tridentinum. Litem diremit Clemens XI. in decreto saepius memorato (apud Croix ut 6. p. 2. n. 285): « Privilegia concessa nonnullis Regularibus *(sc. Fratribus Minoribus et Dominicanis)* in cap. *Id his* 30. *de Privileg.* et per aliquos summos Pontifices communicata aliis Regularibus utendi dicto altari portatili in eoque celebrandi sine Ordinariorum licentia in locis, in quibus degant, omnino revocata sunt per idem Concilium Tridentinum ». Vide et Bullam Benedict. XIV. iam citatam.

Hoc decretum non afficit per se domos Religiosorum; de quibus tamen habetur decretum Innocenti XIII. In Bull. *Apostolici Ministerii* 13. Maii 1723., in qua sic: « Circa Missarum celebrationem in privatis Oratoriis iuxta Clementis XI. decretum, episcopi debent operam dare, ut omnia ibidem statuta ubique serventur; ADDITA etiam prohibitione, ne in privatis REGULARIUM cellis seu cubiculis erigatur altare pro re sacra facienda..., remota quacumque in contrarium consuetudine ». Cf. c. 1. *de Statu religioso* n. 272. 5°.

1070. Quoniam de altari sive ara portatili locuti sumus, iuvat et hanc addere quaestionem, quae torquere solet animos sacerdotum qui sint paulum scrupulosi. Nimirum quoniam ara haec parva recipere debet calicem et hostiam, eo enim spectat, ut super eam sacrificium fiat, identidem vero solent huiusmodi esse plus quam par foret exiguae, quaeritur 1° quid faciendum, si impar sit tabula consecrata continendis una calici et hostiae: 2° an opus est sacerdotem investigare sub mappis, quanta sit amplitudo lapidis consecrati, ne periclitetur collocare vasa extra illum?

Ad 1^m^ Responsio communis est, satis esse, si calix et hostia ex parte saltem lapidem teneant. Ad 2^m^ respondet doctiss. Auctor periodici

menstrui (il *Monitore eccles.* vol. 6. p. 2. pag. 186. seg.) rubricas Missalis id solum postulare, ut sacerdos celebraturus, cum ad altare ascenderit, statuat calicem in medio altaris. Extrahat, dicit rubrica, corporale de bursa, quod extendit in medio altaris et super illud calicem velo coopertum collocet ». Sacerdos ergo id praestans ad nihil aliud tenetur. Quae responsio non satis idonea videtur, nisi cum priore copuletur. Utique rubrica contenta est dicere, *in medio altaris* collocandum esse calicem, sed ipsa certe supponit, ibi adesse aram consecratam; haec est enim lex Ecclesiae, quam rubrica non contemnit: ideoque phrasis *in medio altaris* aequivalet huic: *in medio arae consecratae,* sive ea magna sit, sive parva. Nihilominus quia non raro arae portatiles, quae Romae distribuuntur, frequenter sunt exiguae, dicendus est illa facere satis exigenti aram consecratam pro sacrificio, qui calicem in medio altaris ita sistit, ut tum calix tum hostia ex parte saltem eidem insideant.

CXXXIX. Dixi 2. *non violata;* quia in Ecclesia interius violata, nisi prius reconcilietur, non licet sub gravi peccato, ut Laym. l. 5. t. 5. c. 5. n. 7. ex Navar. Suar. Con. etc., nisi in necessitate, cum venia Episcopi (si is adiri possit: alioqui sine ea, ut habet Card. de Lugo l. c. n. 63.) celebrare aut mortuos sepelire.

Addo 1. *Ecclesia:* quia Oratoria, etsi deputata ad cultum divinum, cum tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis exstet altare ad facienda divina, ut Bonac. *de Matr.* q. 4. res. ult. v. 9., non sunt capacia violationum. Quod etiam consequenter de hospitalibus docent Navar. Sotus etc., sed probabilius contrarium docent alii, cum Card. de Lugo l. c.

Addo 2. *Interius;* quia quod fit in turri, sacristia, supra tectum vel fornicem, in crypta, sub pavimento, nisi sit sepultura aut singulariter benedicta, non violat Ecclesiam.

Addo 3. *Nisi reconcilietur;* quod fieri debet ab Episcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papae (quale Superiores Regularium pro suis templis habere, ex Avila notat Dian. p. 4. t. 4. r. 91.) si fuit consecrata, quod praesumendum est, si celebretur festum Dedicationis: si vero tantum fuerit benedicta, potest fieri reconciliatio a simplici Sacerdote, aspersione aquae benedictae, cum facultate Episcopi, vel sine ea, secundum Dian. p. 4. t. 4. res. 91. Censeri etiam reconciliatam, si sacrificium in ea peractum fuerit, docet Tamb. l. c. §. 4. ex Henr., Sà et Dian. esse probabile: negat autem Card. de Lugo *de Euch.* d. 20. s. 2.

1071. De ecclesiae violatione seu pollutione sermo habitus est Vol. II. a n. 393. deinceps, ubi de sacrilegio locali.

Quidam contra celebrantem in ecclesia polluta, antequam reconcilietur, praeter peccatum grave, putaverunt addi poenam interdicti ab ingressu ecclesiae; quia haec est poena celebrantium in loco interdicto. Atqui in huiusmodi a causa ad causam non valet illatio; quocirca ea opinio communiter reiicitur. S. Alph. n. 361.

Quod de necessitate dicitur, id habet locum ex. gr. si populus nullam aliam ecclesiam habeat, ubi Missam audiat. Ita s. Alph. heic.

Porro DD. tenent, quod si ecclesia polluatur incoepto canone, sacerdos Missam prosequi debet. Atque ita s. Alph. ibid.

* Subdit A. se de *ecclesia* loqui, quia pollutionis huiusmodi qua celebratio divinorum officiorum impeditur, capacia non sunt nisi *loca sacra* seu consecrata seu benedicta: ideoque oratoria privata, quae benedictione carent, non polluuntur nec video, quid referat, ibi esse altare ad facienda divina; nam non hoc ipso oratorium privatum fit locus sacer. Cf. l. sup. cit. ex Vol. II. Et Suarez disp. 81. sect. 4. n. 6.: « Hi casus (pollutionis) non habent locum in oratoriis vel similibus locis, quae nec consecrata sunt nec benedicta; quia iura loquuntur tantum de ecclesiis: ecclesiae autem nomine solum significatur templum consecratum aut benedictum ». Cf. Lugo disp. 20. n. 58. qui n. 59. censet, eremitoria, hospitalia et similia nec consecrata nec benedicta, sed solum deputata ab Episcopo, ut ibi publice celebretur, non esse loca sacra. Atque ita Suarez: cf. l. c.

Quod A. addit *interius*, iam l. c. declaratum est.

1072. Quod spectat ad *reconciliationem*, perpende casum propositum s. R. C. « Num ecclesia consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali Romano praescripta ». Responsum est: « Ad cautelam esse reconciliandam ». 27. Febr. 1847.

Ecclesia consecrata si polluitur, est ab Episcopo reconcilianda vel ab habente privilegium ab Apostolica Sede (cf. Lugo l. c. n. 61.): secus non valet. Quod si commode nequit cito fieri, interim Episcopus dispensare poterit, ut ibi celebretur (Schmalzgr. 1. infr. cit. n. 65.) vel, quod alii clarius dicunt, ut a presbytero benedicatur, donec ipse consecret.

Si erat tantum benedicta, reconciliari potest a simplici sacerdote, aqua a se benedicta, quemadmodum habetur in Rituali. « Quod, licet (ait Lugo l. c. cf. c. fin. *de Consecr. eccles.* et Benedictum XIV. *de Syn.* l. 3. c. 15. n. 2.) de iure communi possit fieri absque alia licentia, solet tamen ex decentia, quando fieri potest, significari Episcopo ». At Rituale Rom. simpliciter dicit: « Ecclesiae violatae reconciliatio per *sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat* ».

De sententia relata ab A. in fine haec habet Lugo l. c. n. 62. « Addunt aliqui, si sacerdos bona fide celebrat in ecclesia, eo ipso manere iam reconciliatam per Missae celebrationem... Alii tamen eam limitationem reiiciunt et merito, quos refert et sequitur Laymann; quia in nullo iure fundatur »: quae est ratio satis urgens; nam heic tandem versamur in iure positivo. Addit: « neque etiam ratione. Si enim sacrificii dignitas id habet, ut sanctificet locum absque alia reconciliatione: sequitur primo, etiamsi sacerdos mala fide celebret, manere reconciliatam ecclesiam; cum eadem sit sacrificii virtus. Secundo, si

ex Episcopi dispensatione in necessitate celebretur, idem dicendum esset. Tertio, si sacerdos, inchoato iam canone postea polluta ecclesia, prosequitur et consecrat, eadem esset virtus sacrificii. Quarto, eodem modo, si ecclesia nondum fuisset consecrata et benedicta, dici posset, semel celebrata Missa, non indigere alia consecratione aut benedictione; quia sicut dignitas sacrificii aequivalet reconciliationi, aequivalet etiam et praeponderat consecrationi aut benedictioni ». Ita et Schmalzgrueber lib. 3. tit. 40. n. 85. Cf. dicenda sub n. 1088.

CXL. Porro Ecclesia, uti et coemeterium violantur, seu polluuntur sequentibus casibus, non tamen, nisi postquam res evulgata fuerit. Laym. l. 5. t. 6. c. 5.

1. Per factum in ea homicidium mortaliter malum seu iniuriosum, saltem immunitati Ecclesiae; quale etiam est, quod alias iustum esset per sententiam iudicis; nisi tamen Reip. perturbator aliter capi non posset. Non est autem tale 1. quod fit casu, vel ab amente, 2. quod in sui defensionem, 3. cuius causa data est extra Ecclesiam; quia requiritur, ut vulnus, sive causa physica fiat intra Ecclesiam. V. Card. de Lugo d. 20. s. 2.

2. Per mortaliter malam effusionem proprii, vel alterius sanguinis, vel seminis, causatam vel factam in templo, licet non in templum. Unde non violat 1. si pauculae guttae effluant; quia non est effusio, 2. si ex percussione vel vulnere levi, v. gr. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat. 3. si fiat ex sectione venae: 4. Actus coniugalis, quando excusatur a sacrilegio: 5. Fornicatio facta ab amente: 6. Pollutio inculpata. V. Card. de Lugo d. 20. n. 54. et 55.

3. Per sepulturam excommunicati non tolerati, vel infidelis, (quo nomine hic non comprehendi haereticum docet C. de Lugo l. c. n. 57.) etiam infantis, ut ex c. *Ecclesiam, de Consecr.* docet Praepos. Quamvis, si pueri parentes sint fideles, neget Sayr. V. Bonac. *de Euch. et matr.* d. 4. q. 4. p. ult.

4. Per destructionem Ecclesiae ex toto vel maiore parte, quanquam eo casu dicatur potius exsecrari, quam pollui; non autem si solum tectum, vel si successive per partes modicas destruatur et reficiatur, neque etiam per desolationem, exercitium haereticum, spurcitias hominum, vel animalium istic stabulatorium etc.: etsi deceat et praxis habeat, ut per Episcopum, vel saltem Sacerdotem, cum aliqua ceremonia reconcilientur et abluantur: quod in simili casu intellige de altari. Laym. l. 5. t. 5. c. 5.

Cf. dicta Tr. VI. l. c.

CXLI. Quaeres, Quid sit et quando fiat exsecratio, seu resecratio?

Resp. Exsecratio dicitur, cum res sacra perdit suam consecrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit, quando ita destruitur, ut formam et usum suum perdat.

1073. Exsecratio ergo alia est a violatione seu pollutione et in sola amissione consecrationis (seu benedictionis) consistit, ut idcirco rursus res sit consecranda (vel benedicenda). Quomodo amittatur consecratio A. clare docet.

Unde resolves.

CXLII. 1. Polluta Ecclesia, polluta etiam sunt altaria eius fixa: non tamen exsecrata Ecclesia, exsecrantur altaria, nec contra.

1074. * Haec spectat ad praeced. quaestionem de violatione seu pollutione ecclesiae. Polluta ecclesia, et coemeterium ei annexum polluitur; quia accessorium sequitur principale: non vero e contrario. Suarez l. c.

Reconciliata vero ecclesia, hoc ipso alia loca reconciliantur. Altaria in ecclesia polluta et ipsa censentur polluta; eo quod nequeat ibi sacrum fieri, donec ecclesia reconcilietur. * Non tamen exsecrata ecclesia, exsecrantur altaria; quia exsecratio est amissio consecrationis, quae semper manet, manente subiecto integro. *

CXLIII. 2. Ecclesia exsecratur, si parietes secundum maiorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta aut maior saltem pars simul auferatur. Secus autem, si una post alteram. (V. Lugo d. 20. n. 65.): non autem si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus. V. Laym. l. c.

1075. * Ecclesia duobus modis exsecratur, aiebant DD. (cf. Schmalzgr. l. c. n. 23.). 1° Quando incendio ita exuritur, ut parietum, etiam non corruentium, crusta interior (parietis scilicet a parte interiori, non exteriori templi) maiori ex parte tollatur et abradatur; quia consecratio consistit in exteriore parte seu superficie parietum qui chrismate liniuntur et in quibus crucis signum apponitur: ideoque ex horum combustione vel notabili abrasione violatur consecratio, etiamsi parietes non corruerint. 2° Multo magis exsecratur ecclesia, quando corruunt ipsi parietes vel ex toto vel saltem ex maiori sua parte. Aliud est, si tectum solummodo corruat, integris et illaesis remanentibus parietibus ».

Verum ecce s. R. C. interrogata, an ecclesiae consecratae, e quarum parietibus crusta (vulgo intonaco) magna ex parte deciderit, tanquam exsecratae sint habendae, ideoque nova indigeant consecratione, respondit 1894. 11. Ian. *Negative ad utramque partem.* Cur vero? puto quia parietes ipsi seu templum consecratur. Nihilominus calix rursus inauratus est rursus consecrandus: cf. n. 1077.

Adverte quod idem Schmalzgr. dicit ibid. n. 16. « Inter benedictionem et consecrationem ecclesiae hoc discrimen interiacet, quod consecratio adhaereat parietibus, benedictio pavimento: hinc dirutis parietibus, perit consecratio, non autem benedictio, sed manet: modo ecclesiae aedificium destructum non sit auctoritate superioris et sine spe reaedificationis ».

Porro Ecclesia a simplici sacerdote benedicta, potest deinde ab Episcopo consecrari: imo id faciendum est, iuxta Rituale Rom. post ritum Benedictionis novae ecclesiae. *

CXLIV. 3. Altare exsecratur. 1. si, cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiore structura: 2. si ita frangatur, sive fixum sive portatile sit, ut in nulla eius integra parte calix cum patena possit consistere: 3. si spolietur sepulcrum: quod tamen quidam negant, ut Lugo, Tamb. l. 1. c. 5.

1076. Exsecratur ara portatilis, si vel enormiter fracta fuerit aut violatum Reliquiarum sepulcrum: exsecratur vero altare fixum (sensu liturgico, cf. n. 1064.) etiamsi, sine violatione sepulcri, vel solus lapis a stipite amoveatur. Gardellini ad n. 4562.

Sepulcrum dicitur loculus, in quo reliquiae reconduntur. An exsecretur altare portatile per violationem sepulcri vel subtractionem reliquiarum, videtur A. dubitare: id vero affirmavit et statuit s. C. R., cuius aliquas decisiones refert s. Alph. n. 369. Ita 5. Mart. 1603. « Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repositorium reliquiarum ».

Sed et minor violatio sufficit. 31. Aug. 1867. propositum est dubium. « Aliqua altaria portatilia, licet sepulcrum non fuerit violatum nec enormis fractura adsit, tenui scissura laborant, quae per medium integrum lapidem decurrit. Quaeritur, an per huiusmodi tenuem scissuram ad instar fili, altare exsecratum censendum sit? ». Responsum est: « affirmative ». Nimirum s. C. (interpretatur Lehmkuhl n. 236.) hanc pro fractura enormi in casu habuit; siquidem ea intersecante integrum medium lapidem, hic in duos divisus poterat censeri.

Sepulcrum autem, ut ritus necessarius Ecclesiae servetur, debet obserari lapillo, non cera, gypso etc. *

CXLV. 4. Calix exsecratur, si notabiliter frangatur vel ita, ut fiat inutilis ad usum sacrificii, v. g. si foramen sit in fundo, licet minutissimum; vel si figura destruatur: non tamen si in tornatili pes separetur a cuppa; quia in tornatili consecratur sola cuppa. Bonac. d. 4. c. ult. p. 9. ex Suar. etc. Neque exsecratur, si pereat inauratio. Unde, licet communiter calix et patena, post novam inaurationem, quoad eam partem, qua Christi Corpus vel Sanguinem contingunt, denuo consecrentur; id tamen necessarium non esse, docent Duran. Con. et alii, contra Suar. Bonac. et alios: etsi deceat, ut abluantur aqua benedicta. Ita Dian. t. 1. misc. res. 3. et Laym. hic. Item Lugo d. 20. l. 4. n. 94.

1077. Quod dicit A., non tolli consecrationem, si pereat inauratio, nec necessariam esse denuo consecrationem, si rursus inauratur, etiam s. Alphonsus fassus est prius esse probabilius n. 370. dub. 1. et 2. Tamen dein in fin. dub. 2. dicit, re perpensa, iudicare se, indigere nova consecratione post novam inaurationem. Quia cum denuo inauratur, intervenit aurum de novo additum, immediate species tangens, quod

non est consecratum. Et quamvis totum vas consecretur, videtur tamen quemadmodum de ecclesiis diximus, consecratio in superficie haerere.

* Haec videtur sententia modo tenenda, quam s. R. C. confirmavit 14. Iun. 1845. Apud Gardellini n. 5011. « Quum Reverendissimus Leodiensis Episcopus s. R. Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur: Utrum Calix et Patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem et sic indigeant nova consecratione: Sacra eadem Congr. ad Vaticanum, subsignata die, in ordinariis comitiis coadunata, ad relationem mei Secretarii, rescripsit ». Affirmative: amittere nimirum et indigere iuxta exposita. 14. Iun. 1845.

Quae praeterea habet heic A. de exsecratione calicis, clara sunt et absque controversia. Notant quidam, quod si foramen sit in superiore parte cuppae, non exsecratur ideo calix. *

Quaesitum est, an calices aliaque vasa, sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda, debeant a sacerdote exsecrari. Respondit s. R. C. 1822. 20. Apr. *Negative.*

CXLVI. 5. Vestes sacrae exsecrantur, quando ita destruuntur, ut perdant suum usum, ut si cinguli parte te non amplius cingere possis: vel si manica ab alba separetur, etiamsi postea reparetur. Non perdunt autem, etsi attritis pars aliqua assuatur, vel cinguli parti aptae adhuc ad cingendum altera annectatur; quia tunc accessorium sequitur principale. Lugo, Tamb. *de Exped. sacrif.* l. 1. c. 3. §. 2. Similiter, si stola, vel casula duplicata, facili separatione, fiant duae, quarum utraque apta sit ad Sacrificium, non perdunt benedictionem. Tambur. l. c.

1078. * Sicut in aliis rebus artificialibus, ut sic, essentialis forma est ipsa figura, ita in his vestimentis: quapropter si illa notabiliter varietur vel destruatur, non erunt vestimenta sacerdotalia... Si ita (vestimenta) dissolvantur, ut figura amittatur vel inepta sint ad sacrum usum, amittitur benedictio ». Suarez disp. 81. sect. 2. n. 6.

Quod ultimo loco dicit A. sic explicat Suarez ibid. « Si hae vestes duplices sint idest ex duplici parte, interiore et exteriore, constantes singulae partes benedictae manent, etiamsi inter se separentur; quia utraque per se est integra casula vel stola etc.: constat enim sufficiente materia et habet integram formam et ideo ita benedicuntur, ac si essent plures casulae vel stolae, quae simul possunt una benedictione benedici ». Id communissime teneri, ait s. Alph. heic.

Cetera clara sunt et communiter admissa. Addit ibid. s. Alph., corporale tunc amittere benedictionem, cum diminutione vel fractione redditur ineptum ad decenter continendum calicem cum patena hostiae supposita.

Iuverit et hoc advertere cum Lugo l. c. n. 99., si manicae non

assutae albae essent, sed globulis vel funiculis connexae, ita ut facile possent separari et connecti, non amitterent separatione benedictionem. *

CXLVII. 6. Partes avulsae a re consecrata, destructa eius forma, desinunt esse sacrae, verbi gratia ligna et lapides Ecclesiae dirutae, vel altaris: ob respectum tamen ad rem sacram, cuius sunt reliquiae, non possunt applicari ad usus profanos aut divendi, sine licentia Papae. Statuae autem sacrae et imagines templi destructi debent in alio collocari et in loco Ecclesiae Crux erigi. Lacera etiam paramenta aut vetustate consumpta debent igne absumi et non adhiberi ad usus profanos, ut habetur in c. *Altaris, de Consecr.* dist. 1. Vide Suar. et Sà v. *Missa* et Laym. l. c. cap. 6. Tambur. tamen l. 1. *de Exped. sacrif.* c. 2. §. 3. ex Palao, item Dian. p. 5. t. 13. res. 76. docet, probabile esse, quod non sit saltem mortale, si mutata forma ad profanos usus applicentur, v. g. calix confractus alba dissoluta, frustula corporalis etc. V. supra l. 3. tr. 1. c. 2. d. 2.

1079. Circa id, quod ultimo loco ex Tambur. dicit A., cf. dicta Vol. II. n. 427. ubi et doctrina s. Alph. allata est, ad quam ipse heic reiicit lectores.

Dub. V.

Quae sint requisita ad Missam.

CXLVIII. Respond. Haec sequentia. 1. Et quidem sub gravi sacrilegio, altare consecratum ab Episcopo, vel Abbate (hunc enim altaria, calices et campanas posse consecrare, etiam ad usum alienarum Ecclesiarum docet Dian. l. 3. tr. 2. res. 15. cum Barbos. et alii 4. ex declaratione Cardin. et privilegio Innocent. III.) vel Sacerdote privilegiato, stabile, vel portatile: utrumque tamen ex integro lapide, quantum ad superiorem mensam quae consecratur debetque esse tanta, ut possit capere calicem cum patena. Non sufficit autem, Hostias esse in ara consecrata, dum consecrantur: verum etiam debent tam parvae quam magnae in eadem relinqui tempore sacrificii et non alibi, licet supra aliud corporale, deponi verbi gratia propter loci angustias; quia omnes sunt unica victima et per modum unius offeruntur. Quapropter rubricae Missalis eas supra corporale, ante vel post calicem poni volunt. Hinc etiam minus recte faciunt, qui consecratione facta, mox hostias minores a se consecratas dant alteri Sacerdoti distribuendas populo; quia, sicut Sacerdos non debet de sua hostia dare, priusquam ipse sumpserit, sic nec de aliis, cum sint una victima et hostia omnesque orationes, oblationes et benedictiones sequentes non minus spectent ad parvas hostias, quam ad magnam neque ante sumptionem Sacerdotis perfecte et integre sacrificata sit victima. Card. de Lugo q. 20. s. 2. n. 69. Eum tamen, qui contrarium fecerit, a peccato saltem mortali, imo, si necessitas fuit expediendi communionem populi, ab omni excusat Tamb. l. 5. *Exped. sacrif.* c. 5.

1080. * Quod spectat ad ius assertum ab A. Abbatibus, recolenda est responsio s. R. C. die 16. Mai 1744. (apud Gardellini sub n. 4159.). Quaesitum est 1° « An liceat Abbatibus aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus benedicere campanas, vasa sacra et alia, quae sacro chrismate liniuntur necnon vestes sacras et alia in quorum benedictionibus Chrismatis unctio non requiritur ».

2° An hoc eis liceat etiam pro ecclesiis sibi pleno iure non subiectis.

3° An Regularium Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii superiores possint explere benedictiones omnes, in quibus s. Chrisma non requiritur.

4° An Episcopus, utendo ordinaria facultate possit aliis in dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi sacra indumenta et alia, in quibus, iuxta Rituale Romanum, sacrum Chrisma non adhibetur nec non hanc delegationem ampliare etiam ad Campanarum benedictionem.

Resp. s. R. C. Ad 1^{m} quod primam partem non licere, nisi habeant s. Sedis privilegium : quoad secundam partem, licere.

Ad 2^{m} Hoc eis licere tantum pro usu suarum ecclesiarum vel monasteriorum.

Ad 3^{m} Posse pro suis ecclesiis, supposito s. Sedis privilegio.

Ad 4^{m} Non posse.

Cuius postremi responsi rationem reddit s. Alph. n. 378. quia huiusmodi benedictiones sunt de potestate ordinis scilicet iure ecclesiastico sunt annexae ordini, quemadmodum consecratio ecclesiarum, virginum etc.; potestas autem ordinis propria, ut est haec, decet ut delegetur ex auctoritate supremi principis.

Hinc multo minus potest Episcopus delegare eas benedictiones in quibus usus sacri chrismatis occurrit, quae consecrationes dicuntur, neque eas Vicario generali delegare valet. Ita s. R. C. 1703. 22. Septembris.

Cetera apud A. clara sunt, et habenda est ratio gravis admonitionis factae sacerdotibus parvas hostias consecrantibus.

CXLIX. 2. Mappa linea triplex; etsi enim secundum quosdam una duplicata, imo secundum Sà, Angel. Azor c. 28. q. 7. et Laym. l. 5. t. 5. c. 6. n. 17. una simplex sufficiat in necessitate; Missale tamen Romanum, auctoritate Clement. VIII. et Pii V. editum expresse tres requirit *tit. de defect.* uti et Gavant. V. Card. de Lugo. Ut ea benedicta sit, non est omnino necessarium, ut habet Sylv. Unde in necessitate vulgaris adhiberi potest et aliis usibus reddi. Laym. l. c.

1081. * De materia, ex qua Mappae, seu Tobaleae conficiendae sunt, dicemus sub n. seq. referentes decretum s. C. R.

Quoad numerum earum et benedictionem, haec sunt verba Rubricae generalis tit. 20. « Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel ab alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus vel una duplicata ». Verum tantae longitudini prioris mappae consuetudo Romae quoque praescripsit.

Qui negant necesse esse benedicere mappas, aiunt, id nullo iure praecipi nec consuetudine observari. Ita Suarez disp. 81. sect. 6. n. 2.

Verum Rubricae Missalis id praecipiunt et haec Rubrica, quae simul praecipit, altare esse consecratum, non est directiva tantum sed praeceptiva.

Nihilominus dubitatur, an omnia, quae de Mappis heic dicuntur, sint vere praecepta aut praeceptum adhuc vigeat; nam et quod superior mappa debeat esse adeo longa et quod debeant esse tres, sunt qui putent non esse in praecepto. S. Alph., quod spectat ad numerum Mapparum, putat non esse a Rubrica recedendum et quoad necessitatem benedictionis, adhaeret magis sententiae affirmanti illam, propter auctoritatem Rubricae. Probabile vero habet, defectum benedictionis non excedere culpam venialem et si causa rationabilis sit eis utendi, quamvis non benedictis, nullum esse peccatum. Idemque censet, si non sint tres mappae, quod solum sit venialis transgressio huius legis. Mortale autem putat celebrare absque ulla mappa; quod si ex necessitate fiet, nulla culpa erit, n. 375. *

CL. 3. Sub gravi sacrilegio, vestes sacrae hoc est benedictae ab Episcopo, vel Sacerdote habente privilegium, ut habent Mendicantium saltem Superiores sive Praelati. V. Tambur. t. 1. c. 3. §. 2. *Exped. sacr.* quarum tamen colores non esse praecepti, sed directionis, notat Homob. apud Dian. p. 2. t. 14. r. 57. In gravi autem necessitate, etsi praestet, si sine scandalo fieri possit, Missam, cuius audiendi, vel faciendi obligatio tunc cessat, omittere, licere celebrare sine stola, vel manipulo, vel etiam uti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere, vel stola pro manipulo et manipulo pro stola, docet Laymann l. 5. t. 5. c. 6. Dian. p. 1. r. 57. et 67. contra Fill. t. 1. l. 5. c. 5., qui tamen concedit, in necessitate sine una vel altera ex minoribus, v. g. stola vel cingulo celebrare, non esse mortale. Vide Dian. p. 5. t. 5. r. 62. ubi contra Fill. ex Henr. et aliis sex, docet esse probabile, quod ex parvitate materiae excusari possit a mortali, qui (secluso scandalo et contemptu) aliquam harum citra necessitatem omittit, v. g. qui celebrat cum cingulo non benedicto, vel eius loco utitur alia re. Denique metu mortis aut gravissimi damni, licere aliquando celebrare sine sacris vestibus et altari, dummodo non fiat in contemptum Religionis, ex Azor t. 1. l. 1. c. 11. q. 11. docet Escob. c. 2. cap. 2. Navarr. Hurtad. etc. Limitat autem Tamb. *de Exped. sacrif.* l. 1. c. 5. §. 1. ita ut permittat sine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri, ob scandalum et irreverentiam. V. Dian. p. 3. t. 6. r. 48. et p. 5. t. 3. r. 39. Porro huiusmodi sacras vestes conficere ex profanis v. gr. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitum. Suar. Palaus, Tamb. *Exped. sacr.* l. 1. c. 2. §. 4. qui monet l. c. §. 1. cavendum esse, ne sint valde attritae, ut et ne reliqua supellex sacra sit valde immunda, in quo graviter peccari potest. Suar. Laym. Tamb. l. c.

1082. * Quod spectat ad materiam, unde plures vestes sint conficiendae, iam s. R. C. sub die 15. Mart. 1664. reprobaverat morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi *amictus*, *albas*, *tobaleas altarium* necnon *corporalia* et *pallas* ex tela quadam composita ex lino et gossipio (bambagia, cotone) subtilissimo. Tum 18. Maii 1819. decrevit, ut ab antiquo more, quovis praetextu, ne recedatur; ideoque haec omnia « sacra indumenta ac suppellectilia (inter quae et purificatoria

recenset, conficienda sint ex *lino* aut *cannabe,* non autem ex alia quacumque materia, etsi munditia, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante ». Quod decretum summus Pontifex probavit et publicari mandavit.

Quaesitum est, utrum cingula ex lana adhiberi licite valeant in celebratione Missae. Responsum est: « Nihil obstare, quominus haec cingula adhiberi possint ». S. R. C. 23. Dec. 1862.

Item, an planetae ex lana permittantur. Responsum est: « Usus ecclesiarum laneas casulas non admittit ». S. R. C. 18. Dec. 1877. 15. Apr. 1880.

Rursus eadem s. C. 28. Iul. 1881. declarationem dedit ad Episcopos his verbis: « S. R. C. saepe illicitum declaravit usum casularum aliorumque similium paramentorum ex tela gossipii aut lini aut etiam lanae confectorum ». Cf. Acta s. Sedis. V. 14. p. 144.

Porro paramenta similia *casulae* sunt *stola* et *manipulum* (item *pluviale*). Iam vero de iis conficiendis positiva decreta certam materiam praescribentia, non exstant: decet tamen ex serico aliave materia pretiosa esse confecta. Non tamen iis paramentis uti licet, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento: ut respondit s. R. C. 11. Sept. 1847. Gardellini n. 5099.

1083. Vestes sacrae habent certam materiam certamque formam, secundum quas etiam mysticas significationes gerunt atque a profanis vestibus secernuntur et habent praeterea benedictionem episcopalem, per quam sacrae evadunt. Porro certum est, ait s. Alph., apud omnes, mortale peccatum esse celebrare sine ulla veste sacra; esset enim magna irreverentia.

At in hac re admittitur parvitas materiae. Itaque grave peccatum esse conceditur, si celebretur sine *casula* vel *alba:* grave quoque si simul *stola* et *manipulum* omittantur: verum si alterutrum ex his desit, s. Alph. quidem *verius* existimat, peccari mortaliter: at reapse certum id esse dici nequit; cum non appareat ibi magna inordinatio, nec grave scandalum seu gravis admiratio gigni possit.

Absque amictu et cingulo celebrare leve esse censet s. Alph. atque idcirco nullum esse peccatum sine iis celebrare, si adsit aliqua causa rationabilis celebrandi, cuiusmodi esse dicit fervorem devotionis vel opportunitatem eleemosynae pro sacerdote non divite.

Quemadmodum peccatum est grave vel leve sine aliquibus vestibus sacerdotalibus celebrare, ita et celebrare cum iis quidem sed non benedictis; per benedictionem enim sacrae fiunt ideoque ipsa sub gravi praecipitur. Paramenta omnia benedicenda esse ab Episcopo vel ab alio hanc habente facultatem, constat ex Rubricis Missalis p. 2. c. 1. n. 1.

1084. Hactenus dicta valent extra casum necessitatis. Nam gravis necessitas, puta ut viaticum administretur, excusat celebrantem absque stola vel manipulo et probabiliter, puto, etiam sine utroque, multo magis sine amictu et cingulo. Sine omnibus vestibus vero celebrare ob metum mortis, licitum dixit A. superius sub Dub. 2. art. 2. in fine et heic quoque dicit, sed s. Alph. ibid. id negare audivimus: qui proinde negaret et id licere in minori necessitate, cuiusmodi esset administratio viatici. At ob eandem causam nempe metum mortis, secluso utique contemptu, licere celebrare sine aliqua ex maioribus vestibus, cuiusmodi certe sunt alba et casula, putat s. Doctor non improbabile; quia tandem agitur de praecepto positivo et necessitas irreverentiam abolet.

Forte necessitas administrandi viatici vel evitandae perturbationis in aliquo die festo, si Missa omitteretur, aut in casu simili, etsi non excuset ab omissione vel omnium vel praecipuarum vestium, excusabit tamen ab usu harum vestium non benedictarum; cum nulla appareat irreverentia nullumque scandalum gignatur.

Monet s. Alph. n. 376. quod « uti vestibus sacris etiam attritis ad usus profanos est mortale, ut dicunt Suarez, Sporer etc. Et affertur c. 43. *de Consecr.* d. l. « Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; quia non licet ea, quae in sacrario fuerint, male tractari, sed incendio universa tradantur ».

Gravis certe videtur irreverentia, si vestes et alia, quae proxime attingunt sacrificium, in profanos usus convertantur: sed de candelabris, quae nec benedicuntur, non eadem est ratio neque constat quanta sit auctoritas huius canonis neque idem culpam gravem dicit esse in eo abusu.

Quoad munditiem cf. dicenda n. 1092.

1085. Quaesitum est, an liceat ubique terrarum in fimbriis et manicis Albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubeum mittere, vel an sit privilegium peculiare Italiae, Hispaniae etc. Responsum est « Negative ». S. R. C. 17. Aug. 1833. Sed nunc, ut audio, permittitur, at in manicis tantum.

Cum quidam sacerdos Gallus proposuerit s. R. C., in multis ecclesiis albas pro celebratione adhibitas, confectas esse ex lino in parte superiore et manicis, at ex bombycio (vulgo cotone) in tota reliqua et multo certe maiore parte, nempe etiam a pectore usque ad pedes ac interrogasset, an sibi liceret eis uti; s. R. C. respondit: « Orator acquiescat sententiae sui Episcopi ». 8. Mart. 1879.

Rubrica tit. 20. n. 2. praescribit celebranti vestem talarem: obligatio

tamen gravis non videtur, ut idcirco quaevis rationabilis causa ab ea excuset.

Praescribit quoque Rubrica ibidem, ut sacerdos sit calceatus: ad hoc autem sufficit, ait s. Alph. n. 402., si sit indutus crepidis vulgo *pianelle* seu *pantofole,* ut communis usus habet.

1086. S. Alphonsus innixus principio sibi probato, quod omnes rubricae tractantes de rebus, quae Missam concomitantur, sint praeceptivae; censet tanquam probabilius, quod color vestium sit de praecepto: non tamen sub gravi, sed levi, nisi scandalum adsit et probat Sporer dicentem, quod omnis causa rationabilis a praecepto excusat, ut si concursui Sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris.

En quaedam responsa s. R. C. « An sacra paramenta coloris aurei servire possint pro coloribus albo, viridi et rubro ». Resp. « Negative ». 29. Mart. 1851.

« An paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quovis colore, nigro excepto? »

Resp. « Negative ».

« Num paramenta confecta ex serico et aliis coloribus floribusque intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari valeant mixtim pro albo, rubro et viridi? »

Resp. « Negative ».

« Num planetae, stolae et manipula possint confici ex tela linea vel gossipio vulgo *percallo*, coloribus praescriptis tincta aut depicta? »

Resp. Serventur Rubricae et usus omnium ecclesiarum, quae huiusmodi casulas non admittunt. Ita s. R. C. 22. Sept. 1837.

« Color flavus cum sericus tum ex auro contextus potest ne adhiberi pro albo, viridi, rubro ac violaceo, praesertim in ecclesiis pauperioribus, paramenta singulorum colorum a Rubrica praescriptorum facere non valentibus? »

Resp. « Quoad paramenta coloris flavi, negative: quoad paramenta ex auro contexta, affirmative, excluso tamen colore violaceo ». S. R. C. 5. Dec. 1868. ».

« Potestne permitti tela argentea pro paramentis albi coloris? »

Resp. « Affirmative ». S. R. C. 20. Nov. 1885.

Quaesitum est a quodam sacerdote civitatis Taurinensis: « An usus coloris caerulei in sacris paramentis permitti possit pro colore albo ut fieri solet in Missis b. V. M. vel potius violaceo? »

Resp. « Negative in omnibus et usum caerulei coloris veluti abusum, eliminandum ». S. R. C. 23. Febr. 1839. et 16. Mart. 1833.

1087. Ad quaestionem de vestibus hanc quoque revocemus. An sacerdoti celebranti assistens presbyter stolam induere possit?

Gury V. 2. §. 409. negat, vel si assistat sacerdoti primitias offerenti. Verum proposito dubio: « An presbyter assistens primae Missae neo-Sacerdotis, uti debeat stola a principio Missae usque ad finem, ut assolent nonnulli, vel an eam assumere debeat a principio canonis usque ad consummationem tantum? » s. R. C. respondit: « servetur consuetudo » 11. Iun. 1880. Vides in quaestione supponi deferendam esse stolam, vel licere deferre, quam suppositionem responsio Congr. confirmat. *

CLI. 4. Sub mortali requiritur calix et patena consecrata: si tamen in nondum consecratis aliquis bona, imo, addunt Bordon. et Tambur., mala fide celebrasset, licet sic celebrando peccasset mortaliter, probabile esse, quod hoc ipso censeantur consecrata liceatque in iis celebrare, contra de Lugo et Laym. docet Dian. p. 2. t. 14. p. 5. t. 13. r. 60. et p. 9. t. 6. r. 18. ex aliis octo. Idemque de sacris vestibus, item de corporali, pyxide etc. quae immediate tangunt species, censet Tambur. *de Exp. sacr.* l. 1. c. 3. §. 1. Ac licet decens sit, ut etiam pyxis sive ciborium et luna seu sphaerula hierothecae et quodcumque vas continens et immediate tangens Eucharistiam, uti etiam secundum Laym. l. 5. t. 5. c. 6. vasculum chrisma continens benedicatur (benedicere autem praeter ea, in quibus unctio adhibetur, potest idem, qui cetera ornamenta) cum in Rituali Romano propria sit pyxidis benedictio, id tamen necesse esse, negant Suar. Hurt. Lugo, Tambur. l. 1. *Exped. sacrif.* c. 1. §. 6. nec esse necesse imponere pyxidi vas lineum benedictum benedictione corporalis. Porro calix et patena confecta esse debent ex auro, argento vel stamno, saltem quoad cuppam (admittunt etiam aliqui ex plumbo) sed non ex aere, *Ut calix, de Cons.* d. 1.: quamvis Tambur. l. 1. *Exped. sacrif.* cap. 1. cum Hurt. Fag. et Gavant. admittat etiam ex gemma, quae aeque pretiosa sit, ac aurum, vel argentum, modo species non imbibat nec sit periculum, ne effringatur. Ac, licet Rubrica praescribat, ut saltem cuppa et superior pars patenae sit deaurata: eam tamen non obligare sub mortali Gran., imo nec sub veniali, propter usum contrarium, vult Tambur. l. c.

1088. * S. Alph. n. 380. censet non recedendum a sententia Salmanticensium, negantium, ipso usu consecrari vasa sacra, calices nempe et patenas.

Quam sententiam negantem tuetur et Lugo disp. 20. n. 92. reprobans aliquorum sententiam quam ab omnibus aliis reiici affirmat, nimirum si bona fide (putans id licere vel credens esse consecrata) semel aliquis in calice et patena celebraverit nondum consecratis, non indigere haec alia consecratione. Et ait, quod « licet admitteretur, calicem semel consecratum, si polluatur, reconciliari posse per sacrificium in eo bona fide oblatum, non deberet concedi, calicem non consecratum ea ratione consecrari; plus enim requiritur ad consecrationem inducendam in materiam profanam, quam ad purgandam materiam iam consecratam ». Quibus verbis reprobat argumentum a se contra similem sententiam productum quarto loco (cf. heic n. 1072.).

Et quidem Tamburini, apud s. Alp. l. c., ex eo quod detur, consecrari vasa sacra ipso usu, si bona fide in iis celebretur, infert, idem

valere, etsi mala fide celebretur; quia ratio, cur vasa usu consecrentur, eadem est in utroque casu, nempe conctactus ss. Corporis et Sanguinis. Quae ratio s. Alphonso difficilis est; neque enim si hostia in pavimentum decidat, pavimentum consecratur. Neque pyxis ex contactu ss. Corporis consecrata censetur; sola enim benedictione dedicari dicitur cultui sacro. Et haec est huius rei solida ratio, quia nempe consecratio non est ex iure divino, sed ex iure et institutione Ecclesiae: ubi ergo desit quod Ecclesia instituit, nulla consecratio haberi potest. A. probabile dicit, sententiam Tamburini et in vestibus sacris valere: at non censemus ullam ei inesse probabilitatem.

1089. Quaesitum est: « An et quando benedicenda sint Pyxis, Ostensoria vel saltem lunula, quae immediate inserviunt Sacramento plusquam alia, quae habent in Missali propriam formam benedictionis ». Responsum est: « Servandas esse Rubricas ». S. R. C. 16. Novemb. 1649.

Itaque quoad pyxidem, constat ipsam non egere consecratione; quia in eius forma benedictionis, quae prostat tum in Pontificali tum in Rituali, mentio haud fit sacri chrismatis.

Benedicendam vero esse, patet ex Rubrica Missalis p. 2. tit. 2. n. 3. « Si (sacerdos) est consecraturus plures hostias pro communione facienda, quae ob quantitatem super patena manere non possint, locet eas super corporali ante calicem aut in aliquo calice consecrato vel vase mundo benedicto etc. ». Et sane hoc valde rationi congruit, ait s. Alph. n. 385., si enim corporale benedicendum est, in quo sacrae species modico tempore manent, cur non pyxis, in qua diu noctuque eaedem servantur?

Est utique ratio specialis pro corporali; quia in eo sacrificium offertur, et valet certe et ratio, quam affert s. Thomas q. 82. a. 2. quod propter reverentiam hoc sacramentum a nulla re contingitur nisi consecrata seu benedicta.

Iam vero s. Alph. idem, quod de pyxide, dicendum ait de circulo seu lunula, ubi ponitur hostia consecrata, dum exponitur in ostensorio.

1090. Quod spectat ad materiam ex qua calices (idem dic de patena) conficiendi sunt, habes Rubricam p. 2. c. 1. n. 1. dicentem: « qui (calix) saltem debet esse vel aureus vel argenteus aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam ». Verum et alia materia licita est. Nam eadem Rubrica *de Defectibus* tit. 10. n. 1. ait de calice, « cuius cuppa aurea debet esse vel argentea vel stannea, non aerea vel vitrea ». Et Benedictus XIV. Const. *Etsi Pastoralis* 26 Maii 1742. §. 6. n. 20. « Unusquisque sacerdos (tum graecus tum latinus) in aureo vel argenteo solum aut saltem stanneo calice sacrificet »: cuius

profecto cuppa, quemadmodum de argentea praescribit Rubrica, debet esse intus inaurata.

Pius vero IX. permisit calices et patenas confectas ex alluminio commixto aliis metallis (vulgo *aes alluminii*), sub certis conditionibus, quas videre est apud Acta s. Sedis Vol. 6. p. 590.; quibus inter alia, statuitur proportio inter aes et alluminium et praecipitur, ut calices et patenae in tota superficie argento obducantur et cuppa intus deauretur.

Quaesitum est: « 1° An fabricari possint calices pro s. sacrificio Missae, quorum cuppae sint ex metallo, auricalcho vel cupro confectae. 2° An huiusmodi cuppae inauratae licite consecrari queant ab Episcopo. 3° An tolerari possit, quod Ecclesiae, quae praedictos calices habent, eorundem usum valeant retinere. 4° An in ministranda fidelibus s. Communione, liceat, loco tobalearum linearum, uti tabellis ex metallo vel huiusmodi usus tolerari possit in iis dioecesibus, in quibus fuit introductus ».

Responsum est: Ad 1^{m} « serventur Rubricae ».

Ad 2^{m} « provisum in 1° ».

Ad 3^{m} Abusum esse interdicendum, congruit tamen assignato tempore, ut de aliis calicibus provideatur ».

Ad 4^{m} « Non esse interloquendum: nihilominus significetur Episcopo, non esse improbandum usum tobalearum linearum. Atque ita decrevit et servari mandavit » s. R. C. 16. Mart. 1876. Item 28. Maii 1877.

Nota tamen, quod cum simul quaereretur: an permitti possit ciborium seu sacra pyxis ex cupro deaurato: item monstrantia et lunula: responsum est « affirmative ». 31. Aug. 1867. Gardellini 5386.

1091. Si quaestio fiat, quae culpa sit, uti cuppa argentea vel stannea non deaurata: s. Alph. n. 370. ait: « alii dicunt non eximi a culpa veniali celebrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset et hoc videtur probabilius ». Cessante ergo causa excusante, culpa est venialis tantum e sententia s. Doctoris. Utique s. C. R. semper urget obligationem servandae Rubricae: at hoc ipso non novam obligationem imponit, sed eam, quae est ex Rubrica; in hac vero plures obligationem sub gravi non viderunt nec perinde est, aliquid praecipere et praecipere sub reatu culpae mortalis.

Nota: cum Rubrica priore loco citato dicit, *vel argenteus vel saltem habens cuppam argenteam intus inauratam,* non vult dicere, quod solum in hac postrema hypothesi cuppa debeat esse intus deaurata: cur enim huius calicis et non illius qui pedem quoque argenteum habeat, cuppa deauranda est, cum ratione habita cuppae, in qua sola deauratio exigitur, pares prorsus sint? sed per verba illa *vel saltem* distinguitur a calice ex toto argenteo calix habens solam cuppam

argenteam; id saltem requiritur: cuppa vero argentea *intus inaurata* de utroque praedicatur.

CLII. 5. Corporale lineum, saltem quoad eam partem, qua hostiam vel calicem tangit, c. *Consulto, de Consecr.* d. 1. (nam in extremitatibus potest esse sericum vel auro elaboratum) et benedictum ab Episcopo, vel privilegiato. V. Comp. privil. Soc. IESU, v. *Bened.* non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur. S. Thom. Sylv. Bon. d. 4. q. ult. p. 9. Lugo d. 20. sect. 2. n. 76. et Gavant. p. 2. t. 1. ubi addit Sà (et dicit esse communem) peccare mortaliter, qui utitur notabiliter immundo.

1092. * Corporale ex lino esse debere vel ex cannabe, constat ex decreto allato n. 1082. Benedictio corporalis per Episcopum vel alium habentem a s. Sede facultatem, postulatur a Rubrica *de Defect.* tit. 10. n. 1.

S. Alph. ait, certum esse apud omnes, quod celebrare sine corporali vel cum non benedicto, nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi.

Idem s. Doctor ad 3. resolutionem n. 376. notat ex Croix, Suarez aliisque, esse tantum veniale, uti corporali et aliis paramentis non enormiter immundis, imo nullum esse peccatum, si alia haberi non possint. Et refert, tacite probans, addere Tournely, non peccare, qui uteretur corporali etiam notabiliter immundo, in necessitate, nempe si ipse vel alii deberent alias omittere sacrum de praecepto.

CLIII. 6. Palla item linea, qua parte calicem tegit (superiore enim parte potest auro constare, vel serico), quae cum habeat communem cum corporali benedictionem, utpote cuius pars antiquitus fuit, pro eodem servire posse, docet idem Lugo l. c. si sit satis capax.

1093. De materia pallae eiusque benedictione iam dictum n. 1082. Etsi quidam probabiliter, ut ait s. Alph. n. 388., putent, peccatum esse mortale celebrare sine palla aut cum palla non benedicta; idem s. Doctor aeque probabile censet, haud esse mortale, celebrare sine palla benedicta; quia cum modo sit distincta a corporali (cuius olim pars erat) nec tangat sacras species, levis est irreverentia in usu pallae non benedictae.

« Quamquam Pallae, ait Lehmkuhl V. 2. n. 229. per se et ex usu Romano integre ex lino consistere debent: tamen ut panno serico coopertae vel auro in superiore parte contextae essent — quod antea s. R. C. reiecerat — postea permisit 10. Ian. 1852. *Annal. Iuris. Pontif.* ser. 1. cl. 1429.) ».*

CLIV. 7. Purificatorium item lineum, non tamen necessario benedictum, ut contra Laymann docent. Suar. Gavant. et Lugo; neque ulla reperitur in Ritualibus eius benedictio.

1094. * Quoad eius materiam cf. n. 1082. Quaesitum est: an purificatorium benedici debeat. Responsum est: « Negative ». S. R. C. 7. Sept. 1816.

Quaeritur, quibus liceat tangere vasa sacra, corporalia aut vestes. Corporalia coniungimus cum vasis sacris quod enim de tactu horum dicitur, ratio postulat paritatis, ut et de illis dicatur. S. Alph. n. 382. versus finem.

1° Certum est, non peccare laicos tangentes vestes sacras aut alia non attingentia immediate sacras species: s. Alph. c. 2°. Nemo dubitat, quin, exceptis Sacerdotibus et Diaconis, sit aliis mortale tangere vasa sacra, dum continet Eucharistiam; ait s. Alph. ibid. Affertur c. 41. *de Consecr.* d. 1. tributus Sixto Papae. « In sancta hac Apostolica Sede statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quam a sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quaecumque sint, humanis usibus serviant aut ab aliis, quam a Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris: ne pro talibus praesumptionibus iratus Dominus plagas imponat populo suo ». Hic tamen canon de qualibet contrectatione vasorum sacrorum loquitur. Ratio, cur peccatum mortale censeatur, si quis, nec Sacerdos nec Diaconus, tangat seu, melius, contrectet vasa sacra continentia species consecratas (quod quidem rarissime continget), debet esse irreverentia magna, quae Christo praesenti adhibetur: ab huiusmodi tamen irreverentiae crimine vel ignorantia vel inadvertentia plerumque excusabit et, nisi contemptus aliquis habeat locum, difficile, puto, peccabitur mortaliter. Nam tandem, per se ex natura rei, nec laicis interdictum est contingere quod immediate sacras species continet imo ipsas sacras species: cum olim eas a sacerdote manibus propriis in lino mundo susciperent seque ipsi domi communicarent et etiamnum, in necessitate liceat laico deferre alteri Eucharistiam et sibi ministrare.

3° Cum vero vasa sacra consecratas species non continent, communissima et verior sententia est, ait ibid. s. Alph., peccare laicos ea tangentes, sed non plus quam venialiter: clericos vero quoslibet, etiam solos tonsuratos, absque ullo peccato eadem contingere.

Praeterea privilegium concessum est laicis regularibus sacristis a Callisto III. et Sixto IV. vasa sacra contingere; quod ex communicatione privilegiorum, etiam monialibus sacristis competit. S. Alph. ibid.

Imo, ait idem s. Doctor. « hodie potest dici, ex consuetudine hoc licere etiam laicis oblatis congregationum sacerdotum secularium sacristis et omnibus, qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt... quia dum officium sacristae exercent, semper adest aliqua necessitas vasa sacra tangendi ». Quae ratio valet et pro iis laicis sacristis, qui habitu clericali ordinarie non utantur.

1095. Specialis quidam contractus habetur in lotione corporalium, pallarum et purificatoriorum. In c. *Nemo de Consecr.* d. 1. qui canon

tribuitur Clementi Papae, statuitur § 1. « Pallas... Diaconi cum humilibus ministris lavent, non eiicientes (lotionis aquam scilicet) foras e sacrario... pelvis nova comparetur...: pallae altaris solae in ea laventur ». Nomine pallarum venire non solum corporalia, sed et purificatoria, censet cum Suarez s. Alph.: sane etiam pro his eadem pene ratio ac pro illis occurrit.

Prima ergo lotio horum utensilium facienda est a persona sacra et, ut communiter docent DD. imo Pontificale Romanum in admonitione praemissa ordinationi subdiaconi, hoc est peculiare officium subdiaconi. Nihilominus, ait s. Alph., probabiliter dici a Croix, quod ea a quolibet clerico vel tantum tonsurato fieri possit; nam et eis permittitur vasa sacra tangere.

Si vero laicus hanc primam lotionem faceret, peccaret utique, sed nonnisi venialiter et si iusta causa subsit, nullo modo.

Altera vero et tertia lotio fieri possunt a laicis absque ullo peccato.

Aqua tandem lotionis in sacrarium proiicienda est, ut cit. c. *Nemo* praescribit. Haec s. Alph. n. 387. *

CLV. 8. Sub gravi peccato Missale, Canonem saltem continens, ut habet Bon. et alii commun.; etsi Ledesm. et Laymann doceant, in gravi necessitate licitum esse celebrare sine libro ei, qui moraliter sit certus se non erraturum et sic Lugo l. c. cum Dian. etc. probabiliter excusat eum, qui propter visus debilitatem legere non potest.

1096. * Refert Benedictus XIV. Inst. 34. 52. in more esse s. C. C., cum concedit sacerdoti caecutienti facultatem legendi in festis duplicibus Missam *de b. Maria* et in aliis diebus Missam *de Requie,* hanc clausulam apponere: *quod non sit omnino caecus et memoriter non recitet.* Nihilominus, ait s. Alph., sententia communissima probabiliter dicit, posse quandoque sacerdotem celebrare sine Missali, si hoc facile nequeat haberi et ob praeteritam experientiam absit morale periculum errandi. Nec clausula s. C. C. probabilitatem detrahit huic sententiae, si credimus s. Alphonso, qui tamen subdit, tutius semper esse hanc facultatem petere a s. C. C. Certe et Sacerdoti penitus caeco celebratio subinde permittitur, ut novimus factum cum Illustrissimo Domino Gustavo De Segur.

Postulatur tamen assistentia alterius sacerdotis certe pro caeco, ut ibid. Benedictus testatur; hoc enim exigit reverentia sacramento debita. *

CLVI. 9. Minister, secundum Nav. Fag. Zerol. sub mortali et quidem masculus: in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi vel dandi viaticum, posset quis sibi respondere, inquit Sà, Bonac. et Dian. tr. 14. res. 43. ex aliis. In quo casu etiam feminam adhiberi posse docet Nug. a. 6. d. 1. et Sylv. idque quibusdam Belgii partibus per consuetudinem inductum esse docet March. R. part. c. 5. contra communem, apud Laym. Fern. et Dia. l. c. Tamburin. l. c. et March. de ord. t. 3. c. c. 15. ubi vult id esse mortale. Ministrante tamen -

circa altare viro, qui nesciat respondere, Moniales ex choro respondere, non esse prohibitum notat Card. de Lugo, et Tambur. l. c. ubi etiam cum Enriq. et Hurtad. permittit celebranti Missam coeptam prosequi sine ministro, si hic forte abiit et aliquantulum exspectatus non revertatur.

1097. * Ministrum Rubrica postulat *de Defectib.* tit. 10. n. 1. et ipse ordo celebrationis Missae, prout in liturgia praescribitur. Minister et in Missa privata « gerit personam totius populi catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet», ait s. Thomas q. 84. a. 5. ad 12^{m}.

Hinc absque necessitate (et seposito privilegio) celebrare sine ministro censetur communiter mortale, ait s. Alph. n. 391.

Et citatur c. *Proposuit, de Filiis presbyt.*, ubi dicitur: « Non enim solus presbyter Missarum sollemnia vel alia divina officia potest, sine ministri suffragio, celebrare ». Haec tamen phrasis *Missarum sollemnia*, non improbante l. c. paulo post eodem s. Alph., explicantur in alio simili canone de *Missa sollemni*, quae opponitur *privatae*. Quidquid sit, satis nobis est communis sensus Doctorum et ipsa liturgia.

At una communiter DD. docent, licitum esse, absque ministro celebrare, urgente aliqua necessitate, puta administrandi viaticum, vel praecepti de audienda Missa; quod et Diana l. c. permittit, ut vel ipse solus Sacerdos satisfaciat praecepto.

Feminae sub mortali prohibentur ministrare ad altare: at si necessitas sit, possunt respondere, praesertim moniales. Absente necessitate, si sacerdos celebret, respondente femina non tamen ministrante, peccatum ese tantummodo leve, communiter tenetur. Ita s. Alph. n. 392. Et quod ultimo loco dicit A. probat idem s. Doctor. *

CLVII. 10. Crucifixus, nisi sit expositum venerabile Sacramentum, non tamen sub obligatione gravi: idem est de velo. Lugo d. 20. s. 2. n. 7. Gavant.

1098. * Benedictus XIV. Const. *Accepimus* 1746. 25. Iul. decretum edidit, apud s. Alph. n. 393. « Ut nullo modo fiat sacrificium nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos ac populus eundem Crucifixum facile et commode intueri possit et imago non sit ita tenuis et exigua, ut ipsius Sacerdotis et populi oculos paene effugiat ».

S. R. C. respondit 11. Ian. 1663. *parvam crucem*, cum imagine Crucifixi, positam super tabernaculum, non esse sufficientem, dum celebratur Missa, sed ponendam esse aliam crucem in medio candelabrorum. Si autem in altari adest magna statua ss. Crucifixi, hanc sufficere nec opus esse alia cruce.

Eadem s. C. edixit, reprobandum esse abusum collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandae inter can-

delabra, ut rubrica praescribit. 17. Sept. 1822. Atque addit ibid. « quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux inter candelabra, alia tempore sacrificii apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti, quam populo ».

Cum ss. Sacramentum expositum est, integrum est sive apponere sive omittere crucem. S. Rit. C. 2. Sept. 1741. ad dub. 5.

Eadem s. C. R. ad quaesitum, an crux altaris seu processionis sit benedicenda de praecepto, respondit: « Negative ». 12. Iul. 1704.

Communissime vero tenetur, non esse nisi veniale celebrare absque cruce atque, rationabili exsistente causa, posse sine ea celebrari. S. Alphonsus ibid.

CLVIII. 11. Candela accensa duplex, ex cera et quidem, secundum Fag. Regin. Vasq. et alios, sub mortali, contra Nugn. et March. In necessitate tamen, praeciso scandalo, sufficit una, etiam ex sevo vel lucerna aut lampas ex oleo. Vide Dian. l. c. Laym. c. 16. n. 17. Azor c. 28. q. 15. Sine omni autem lumine celebrare nunquam licet, Lugo d. 30. s. 2.: adeo ut si exstingueretur ante consecrationem et aliud haberi non posset, Missam esse relinquendam, etiam in necessitate consecrandi pro moribundo viaticum, dicat Fagund. p. 22. c. 22. et Quintanad. t. 4. sect. 1.

1099. * Quae habet A. de necessitate candelae accensae probat s. Alph. n. 394., qui communem esse dicit doctrinam, peccatum esse mortale celebrare absque ullo lumine, ut id neque liceat pro administrando viatico (quando tamen non sit, ut ordinarie non est, extremae necessitatis). Nunquam sane Eucharistia sine lumine esse debet. Idem s. Doctor ut communius et probabilius habet, peccatum esse tantum veniale, celebrare cum uno lumine: a quo proinde peccato quaevis causa rationabilis, etiam solius devotionis, secluso scandalo, excusat.

Quoad qualitatem luminis, praeceptum quidem est sub gravi candelas esse ex cera, prout communiter DD. tradunt: at in necessitate licitum esse celebrare cum candelis ex sevo, vel cum lumine ex oleo, communiter ac probabiliter dici affirmat s. Alph. ibid.

Porro « praeter candelas ex cera tolerari non potest, ut habeatur (super altare) etiam illuminatio ex gaz: usus hic prohiberi debet ». S. R. C. 13. Apr. 1883. Idem dicendum videtur de luce electrica.

Neque pro ornatu altaris candelae stearinae permittuntur. S. R. C. 4. Sept. 1875.

Quidam sacerdos ex Gallia exposuerat s. R. Congregationi « usum sat generalem in Galliis vigere, ut candelae, quae pro recitanda vel cantanda Missa accenduntur, non sint ex cera, nisi pro minima parte v. gr. quinta vel sexta » et quaesierat, an cum praedictis cereis celebrare posset. Respondit s. C. « Orator acquiescat sententiae sui Episcopi ». 8. Mart. 1879.

Quoad numerum, solis Episcopis licet in Missa privata plures quam duas candelas accensas habere. Quaesitum sane fuit: an Vicarii in Missis privatis possint uti quatuor candelis et duobus ministris cum cotta, saltem quando sint Protonotarii. S. C. R. respondit: « Non convenire ». 7. Aug. 1627. Neque in Missa parochiali id licere declaratum est ab eadem s. C. rursus 7. Sept. 1850.

Neque iis licet in Missa privata, qui ceteroquin usum habent Pontificalium Const. Pii VII. *Decet Romanos* 1823. 4. nonas iulias, qua confirmatur decretum s. R. C. ubi art. 24. id prohibetur. Cf. et s. Alph. heic sub finem n. 394. *

CLIX. 12. Requiritur etiam antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; sed non benedicta: et si quis ex his desit, ex profanis congruenter mundis mutuo accipi et deinde priori usui reddi potest: Tamb. l. 5. c. 3. §. 3.

1100. * Recte, ait s. Doctor n. 395., dici ab A. quod haec non benedicantur; quia ad decentiam solum requiruntur. Antipendium seu pallium (palliotto) Rubrica requirit p. l. tit. 20. n. 1.: sed non est gravis obligatio et excipienda ait s. Doctor, sunt altaria ex marmore, vel illa quae dicuntur *alla Paolina*, quorum usus communissime hodie invaluit.

Accipe responsum s. R. C. quoad usum *cochlearis* pro infundenda aqua in calicem. « Utrum verba: *servandam esse rubricam*, intelligenda sint eo sensu, ut usus cochlearis prohibeatur? » Responsum est: « Negative seu usum cochlearis parvi non esse prohibitum ». 6. Feb. 1858. *

CLX. 13. Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate, sine licentia, ut docent Fagund. Laym. Dian. r. 58. et quidem summi Pontificis, ut ex Declaratione Cardinalium notat Gav. de Tamb. *de Exped. sacrif.* l. 1. licet Laym. et Sco. Episcopis, et cum Regularibus eorum Praelatis permittant. Quod Tambur. loc. cit. recte limitat ad casum necessitatis, in quo ad Papam difficilis sit recursus. Qui tamen sine venia faceret, eum non peccare mortaliter, secluso contemptu et scandalo, vult Ledesm. et Tambur. loc. cit Quod. Dian. p. 2. t. 14. r. 58. censet probabile, si tempus Canonis excipiatur.

1101. * Exstat decretum Urbani VIII. in ipso Missali Romano appositum: « Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missae, sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque consuetudine ». Id praesertim valet pro tempore currente a praefatione ad ablutionem, quando et Episcopus caput detegit. Porro pileolo comparatur capillitium fictum (parrucca) ut et pro illo gestando, cum celebratur, Sedis Apostolicae licentia requiratur. Ita decreto Innocentii XI. promulgato, ut ait s. Alphonsus n. 398. Coloniae 21. Mart. 1689. quo statutum est, *non posse Episcopos et Nuntios Apostolicos concedere licentiam sacerdotibus eiusmodi comas in actu celebrationis gestandi* et praescribitur *ut altari Dei nonnisi detecto capite ac nudato sacerdotes assistere praesumant, sub poena suspensionis a divinis officiis.* Verum,

ait Gury, haec prohibitio pluribus in locis in desuetudinem abiit, ut in Gallia, quemadmodum patet ex consuetudine contraria.

Monet s. Alph. praecepto celebrandi detecto capite non teneri Chinenses (dum nempe suis in locis celebrant); quid apud eos detegere caput est irreverentia et tegere est honoris signum.

Quaeritur cuiusmodi sit peccatum celebrare tecto capite et s. Doctor censet probabile esse, quod mortale quidem sit totam Missam operto capite celebrare; veniale vero, si tantum usque ad canonem, secluso contemptu et scandalo. Consequenter probabile quoque censet, licere, absque dispensatione, celebrare cum pileolo (excepto tempore canonis et praeciso scandalo, quod aberit, si abstantibus iusta causa sit manifesta), si ex rationabili causa celebretur in loco privato. Idque ait probari Benedicto XIV. *de Sacram. Missae* l. 1. cc. 7. et 9., saltem pro eo, qui graviore morbo laborat et eundem Benedictum addere censendum haud esse, quod Sedis Apostolica in casu extremo ac morbo minime diuturno id voluerit illicitum declarare. *

CLXI. Plura de his omnibus vide apud Auctores citatos Gavant. Dian. Laym. Bonac. Card. de Lugo d. 92. s. 4. Escob. E. 11. ubi notat, etsi gravis sit obligatio servandi ritum celebrandi praescriptum in Rubricis Missalis, ideoque grave sit omittere ver. gr. oblationem hostiae, vel calicis, vel infusionem modicae aquae (Tambur. *de Exped. sacrif.* l. 2. c. 5.): nihilominus levitatem materiae saepe excusare a culpa mortali omissionem, etiam intra Canonem, monet Escob. l. c.

1102. * Movet heic quaestionem s. Alph. n. 399., an Rubricae Missalis sint tantum directivae sive ex consilio ad instruendum, vel sint praeceptivae, obligantes sub culpa. Praemittit verba Pii V. in fronte Missalis: « Mandantes et districte omnibus et singulis praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ut ceteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis Missalibus in posterum penitus omissis, Missam iuxta ritum, modum ac normam, quae per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant. Neque in Missae celebratione alias ceremonias vel preces, quam, quae in hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant ».

Tum quatuor opinionibus recitatis, quartam s. Doctor sequitur in hoc sitam, quod Rubricae intra Missam sive quae praescribunt ea, quae in ipsa actione Missae habenda vel agenda sunt, sint praeceptivae, extra Missam directivae. Quod Rubricae cadant sub praecepto, satis patet ex citatis verbis Pii V.; quod autem praeceptivae et idcirco obligantes sub culpa sint eae tantum, quae sunt intra Missam, facile colligi potest ex iisdem verbis Pii V., quae profecto non aliud postulant, ut vim suam exerant.

Et sane praeceptum Pontificis versatur solum circa *ritum, modum et normam decantandi ac legendi Missam* et circa *ceremonias et preces*

in ipsa Missae celebratione. Cetera cum non memoraverit Pontifex, nostrum certe haud est, ad illa extendere praeceptum, quae Pontifex praeterivit et quae potuisset certe, si voluisset, nominare; nam *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*, ut habet reg. 57. in 6.

Affert praeterea s. Doctor verba Trid. sess. 7. c. 13. *Si quis dixerit approbatos Ecclesiae ritus, in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a Ministris omitti pro libito aut in novos alios mutari posse: a. s.* Porro, ait, celebratio Missae spectat ad sollemnem administrationem seu confectionem sacramenti Eucharistiae: iis autem verbis Trid. non commendari tantum sed et praecipi observantiam rituum, dubitare haud licet.

1103. Dari rubricas solum directivas non praeceptivas, facile convenit inter Doctores. Ita Lugo disp. 20. n. 106. quaerens, an sit mortale omittere orationes, quae dici solent, dum sacerdos sacris vestibus se induit, ait, melius negare Laymann, Fagundez et alios *multos;* quia *illa non est materia praecepti, sed instructionis et directionis.* Item cum Suarez disp. 84. sect. 2. Filliuccius *de Eucharist.* n. 158. praeceptum urgent, de solis ritibus loquuntur, qui in ipsa actione sacra seu celebratione Missae praescripti sunt. Pariter Gobat *de septem Sacram.* Tr. 3. n. 737. ait: « Tamburini aperte negat *et utique recte,* rubricas, quae sunt *de consilio,* seu, ut superius vocavit, *directivae,* obligare ad ullum peccatum. Idem negant *complures* alii ».

Iuxta hunc sensum s. C. Indulg. 5. Feb. 1841. respondit: nullam esse Indulgentiam plenariam concessam in articulo mortis, omissa formula praescripta, ob deficientiam libri; *quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva.* (Collectio authent. n. 286.).

Ergone omissio aliarum rubricarum quae sunt extra Missam, nullum erit peccatum? id profecto non dicimus: sed putamus hanc quaestionem eodem pacto solvendam, quo similis solet, cum nempe agitur de transgressione regularum Ordinum religiosorum, quae non obligant sub culpa. Cf. dicta in tr. praeced. c. I. n. 59.

Advertit Suarez disp. 83. sect. 3. n. 2.: « aliud esse mutilare ordinem Missae, omittendo aliquid eorum quae dicenda sunt, aliud vero dicere Missam alterius diei seu de alia re, quam in Missali praescribatur. In posteriori mutatione non semper est culpa, dummodo in ea Missa, quae dicitur, integer ritus servetur; quia tunc in rigore non praetermittitur ritus dicendi Missam. Neque videtur esse latum praeceptum proprie et in rigore de Missa dicenda de feria aut de festo; nam, cum sacerdos absolute non teneatur hodie v. g. Missam dicere, non est, cur obligetur ad dicendam hanc determinatam, si Missam vult

dicere ». Idem habet Filliuccius l. c. n. 154. Sed cf. dicenda in fine sub n. 1108.

1104. Occasione huius quaestionis, progreditur s. Alph. n. 406. ad reprehendendos eos presbyteros, qui nimia cum festinatione breviori tempore quam par est, Missae celebrationem absolvunt. Ideo statuit, *difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi Missa sit ex brevioribus*. Idque duplici ex capite: 1° quia fieri nequit, ut tam celeriter absolvens Missam, plures ritus aut plura verba quae sub praecepto cadunt non omittat aut pervertat et sic peccet graviter contra Rubricas praeceptivas: 2° propter scandalum fidelium, qui gravem irreverentiam in tali celebratione apprehenderent.

Alia addit s. Doctor n. 402. quae identidem usui esse possunt. Probat nimirum quod Croix docet, eum, qui nequeat sine baculo celebrare, licite eo uti, in privata, puto, non publica celebratione (cf. dicenda *de Irregularitate* Dub. 5.). Item, si nequeat sacerdos celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, privatim celebrare ei licet: publice vero, dummodo populi admiratio evitetur, rursus ei licet: secus peccabit venialiter. Qui vero non potest elevare Hostiam, potest tamen reliqua, licite celebrat etiam publice vel ex sola devotione, dummodo moneatur populus impedimentum. *

CLXII. Unde veniale tantum erit 1. omittere orationes dici solitas, dum Sacerdos se induit, ut contra Nav. Sylv. et Azor, docent Laym. Fag. Dian. r. 24. etc. Lotionem autem manum ante vel post Missam, etsi facile omitti non debeat, non videri sufficientem materiam rigorosi Praecepti, tenent Suar. et Tamb. §. 6.

Nihil addendum.

CLXIII. 2. Omittere Gloria vel Credo vel in Canone nomen alicuius Sancti vel ea quae tempore Paschali interponuntur inter Communicantes, aut infra actionem. Dian. p. 2. t. 14. r. 49. et 89. Fill. Quintan. etc. In Missa autem, quae canitur, non legere Evangelium submissa voce, Dian. loc. cit. res. 4. negat esse peccatum, ex Sanch. et aliis 10.; quod rubrica sit tantum directiva. Si quis autem in Missa advertat aliquid a se omissum, regulariter non esse repetendum, ait Suar. et Tambur. *de Exped. sacrif.* l. 2. c. 5. Dicit *regulariter;* quia 1. si sit de substantia, v. g. aliquid pertinens ad consecrationem, certum est debere repeti. 2. Si dum secreto orat, post pauca verba certo advertat, se aliquid notabile omisisse, ver. gr. die Paschae *Communicantes,* paululum regrediendum esse et repetendum, censet Tambur. l. c. ita Filliuc. Dian. res. 59. Escob.

1105. * Distinguit merito s. Alph. n. 404. partes *ordinarias* Missae et *extraordinarias:* hae sunt, quae non in omni Missa dicuntur. Atque has omittere, cum dicendae sunt, docet esse solum veniale idque ait communiter tradi, nisi, quod aliqui addunt, tot partes omittantur, quae simul sumptae constituant materiam notabilem. Quid ergo si in Missa dominicae Palmarum, omissa lectione Passionis, sola ultima pars lege-

retur, quae instar Evangelii soliti legitur? Per se est materia non modica; sed respectu Missae, quae quoad ipsam integritatem nulla parte privatur, non videtur dicenda notabilis: ideoque cum omissio videatur solum venialis, gravi exsistente causa et secluso scandalo licite omittetur.

Quoad partes *ordinarias* censet s. Alph. mortale esse, omittere quamlibet orationem in Canone vel eius verba ita mutare, ut sensus varietur vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua sensu careant: item omittere *Pater noster* vel *Agnus Dei*. Veniale vero esse omittere *Kyrie:* item omittere unam vel alteram crucem super oblata: item si in purificatione calicis sola aqua adhibeatur. Omittere autem purificationem patenae, nisi constet nulla fragmenta ibi esse, erit mortale. Putat quoque mortalem esse omissionem decem nominum Sanctorum in Canone. Et cf. similes casus apud eundem nn. 405.-406.

Maioris momenti est quaestio, quam agit n. 410. d. 5. An sit mortale, celebrare cum notabili voluntaria distractione. Ait autem se potius adhaerere sententiae affirmanti, si distractio sit quoad ea, quae recitantur in canone et signanter sub consecratione et communione. S. Doctor hanc sententiam non affirmat absolute, sed significat eam sibi probari magis, eo quod in actione adeo religiosa, qua Deus colitur, talis distractio videatur gravis irreverentia. *

CLXIV. 3. Ex devotione leve aliquid in Missa, etiam dum secreto orat, addere, ver. gr. orationem Dominicam vel Psalmum aliquem: vel in Canone nominibus Sanctorum nomen Patroni loci. Tamb. l. 5. *Exped. sacr.* c. 5. Dixi leve; quia notabiliter addere, esse mortale vult idem Tambur. loc. cit. ex Bonac. art. 4. quaest. ult.

1106. * Notat s. Alph. n. 411. mortale esse aliquid addere animo introducendi novum ritum. Si vero ex alia causa plures etiam collectae ex Missali, aut *Gloria, Pater*, *Ave* vel quid simile addatur: non excedet peccatum veniale. Quid si addatur *Gloria* et *Credo* in Missa de *Requie?* Rationabiliter dici putat, esse mortale; quia videtur gravis inordinatio. Utique si intentio sit introducendi novum ritum: secus tanta inordinatio non constat.

Addit probabile esse, quod non sit vetitum addere, ex aliqua iusta causa vel ex devotione, unam collectam. S. R. C. quidem 12. Aug. 1854. respondit: non licere in Missis ad *libitum sacerdotis* orationes addere, praeter a Rubricis assignatas vel permissas. Sed *addere ad libitum* amplius patet, quam addere ex iusta causa vel devotione. *

CLXV. 4. Celebrare ante dictum Matutinum, ut contra Azor et Regin. docent Sylv. Valent. Suar. Vasq. Less. Fag. Laym. etc. quorum plerique tamen cum Palao dicunt, esse veniale si fiat sine causa: licet et hoc Tamb. l. 1. art. 7. §. 1. *de Exped. sacr.* in dubium vocet.

De hac re iam actum est.

CLXVI. 5. Quae alta voce dicenda praescribuntur, adeo submissa dicere, ut adstantes audire non possint. Tamb. *de Exped. sacr.* l. 1. c. 9. quidquid dicat Nav. apud Sà v. *Missa.* Imo notat idem Tamb. ex Card. de Lugo d. 22. sect. 2. a timoratis passim sine scrupulo voce depressa legi.

1107. Peccatum veniale hac in re locum habere censet s. Doctor, mortale negat, nisi in quadam hypothesi, quam moraliter possibilem non credit.

CLXVII. 6. Mutare Missam et die Dominico vel festo duplici vel iis diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, ver. gr. intra octavas Epiphaniae, Paschatis etc. Feria IV. Cinerum, infra hebdomadam maiorem, Vigilia Nativitatis Domini, sine gravi causa, legere votivam vel pro defunctis vel de alio Sancto in numerum Sanctorum relato, Suar. Dian. Card. de Lugo l. c. Esc. contra Quint. qui t. 7. s. 40. putat in hebdomada sancta licere legere votivam: quod refutant. Gav. Dian. p. 9. t. 8. r. 53. ex declarat. Cardin.

Dixi 1. *Sine gravi causa:* talis autem censetur, 1. quae spectat ad bonum Reipublicae vel Principis, v. gr. necessitas pluviae, ingruentis belli vel pestis vel similis mali universalis: item sollemnis gratiarum actio, sollemnis expositio Eucharistiae v. g. diebus Antecineralibus in oratione 40. horarum Tambur. l. 2. cap. 6. 2. Quando cadaver praesens est in ecclesia, ubi usus obtinuit. Gavant. p. 1. t. 5. 3. Si quis celebret in ecclesia, in qua agitur dies festus loci proprius; hunc enim non tantum posse, sed debere ex congruitate conformare se loco, notat Gavant. Vide Tamb. l. 2. c. 6. qui §. 2. et 4. addit, etiamsi Sacerdos, accepto stipendio, homini promiserit votivam vel pro defunctis, etiam in altari privilegiato, non solum posse, sed debere celebrare Missam currentem diebus, quibus istae prohibentur. Imo etsi Deo per votum tales Missas promiserit, non tamen ad eas obligari istis diebus; eo quod votum non obliget, quando impedit bonum maius, quale esse dicit conformitatem officii cum Missa: secus diebus aliis.

Dixi 2. *in numerum Sanctorum relato:* quia si sit beatificatus tantum, de quo certis Sacerdotibus, v. g. quorum Ordinis fuit, concessum sit Missam legere, docet Gran. 2. cont. 2. c. 7. d. 4. s. 2. n. 2. et Escob. contra Palaum, non licere aliis Sacerdotibus, etsi nullum aliud sit festum, de eo legere; eo quod sic expresse determinavit Sacra Rituum Congregat. apud Gavant. Vid. Escob. n. 32. et Tamb. l. c. c. 6. ubi Palaum sequens dicit, contrarium esse probabilius ac magis pium, imo de Sanctis Societatis certum esse si celebrent in templis eiusdem Societat. ex concessione Pontificum. Idem tenet Quintan. t. 2. sing. l. c.

1108. * De mutatione Missae idem puto dicendum ac dictum est de mutatione officii Tr. praeced. c. II. nn. 219. seqq., dummodo absit scandalum. Quod heic facilius locum habere potest et quae spectant ad *Proprium de Tempore* non enormiter pervertantur. Cf. n. 355. in fin.

Quoad Missas in aliena ecclesia celebrandas, habes decretum s. R. C. Urbis et Orbis, 1895. 9. Iulii.

Decretum est scilicet, ut omnes et singuli sacerdotes tam seculares quam regulares ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, Missas quum sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio eiusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano sive in Regularium Missali contineantur, exclusis

tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. Si vero in dicta Ecclesia vel Oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere vel votivam vel etiam de occurrente feria, iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis romani vel s. R. C. decreta prohibent.

Quaesitum est, an hoc decretum valeat pro Cappellis seu Oratoriis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum.

Responsum est: dummodo agatur de Cappella principali, quae instar Oratorii publici ad effectum memorati decreti, habenda est, Missas respondere debere kalendario loci, non celebrantis, 1896. 22. Maii. Itaque in aliis, si qua sint, minoribus oratoriis non prohibentur hoc decreto sacerdotes suum sequi kalendarium.

Si autem sacerdos in privato domestico oratorio celebrat, Missa cum Officio semper concordare debet atque id etiamsi officium celebrantis sit de Beato; cum nullum aliud sit kalendarium cui se conformet.

CLXVIII. 7. Si quis violet rubricam spectantem ad essentiam vel quasi essentiam Missae vel si nullam plane servet, peccat mortaliter. Esc. ex Fagund. p. 2. l. 3. c. 21. n. 9.

Clara res est.

APPENDIX

Ad ea, quae hoc volumine Tr. IX. c. 1. *de eiectis et forma eiiciendi* dicta sunt post n. 211., spectat hoc decretum editum ex mandato Summi Pontificis, a Congr. EE. et RR.

DECRETUM

Auctis admodum, ex singulari Dei beneficio, *votorum simplicium institutis*, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus et consequens, ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia, qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeant, ut illi vitam honeste traducant. Haec aliaque id genus, *etiam de alumnis votorum sollemnium*, perpendentes nonnulli sacri locorum Antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium ss. D. N. Leo PP. XIII. detulisset sacrae huic Congr. EE. et RR. negotiis et consultationibus praepositae, Emi PP. in conventu plenario habito in Vaticanis aedibus die 29. Augusti 1892., praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt *dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas.* Quae cum ss. D. N., in audientia d. 23. Sept. huius anni 1892. infrascripto secretario benigne impertita, probare et confirmare dignatus fuerit, ea, quae sequuntur, per praesens decretum, *apostolica auctoritate* statuuntur et decernuntur.

1. Firmis remanentibus Constitutione s. Pii V. diei 14. Oct. 1568. *Romanus Pontifex* et declaratione s. m. Pii PP. IX. edita 12. Iun. 1858. quibus superioribus ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo paupertatis ad sacros Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris Ordinibus vel quo-

modocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo mensae communis vel missionis, nisi illos tantum alumnos, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a s. Sede necnon dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a s. Sede Apostolica approbatae.

2. Hinc notum sit oportet, de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad maiores Ordines alumnus Congregationis votorum sollemnium promoveatur, quin prius sollemnem emiserit professionem, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum sit addictus.

Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota sollemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium: quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

3. Dispositiones contentae in Decreto s. C. Conc. iussu s. m. Urbani VIII. edito 21. Sept. 1624. incip. *Sacra Congregatio* ac in decreto eiusdem s. C. iussu s. m. Innocentii XII. edito 24. Iul. 1694. incip. *Instantibus* ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a superioribus ordinum Regularium servandus in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur da aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo. Ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, *nisi ob culpam gravem, externam et publicam et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis.* Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, superiores *praemittere* debent, distinctis temporibus, *trinam admonitionem et correctionem*, qua nihil proficiente, superiores debent *processum* contra delinquentem instruere, *processus resultantia accusato contestari*, eidem *tempus* concedere *congruum*, quo *suas defensiones* sive per se sive per alium eiusdem Instituti religiosum *exhibere valeat:* quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, superior seu tribunal defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec superior

cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen *nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata rite ad s. C. EE. et RR. appellaverit*, donec per eandem s. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit.

Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc s. C. ad effectum obtinendi dispensationem a sollemnitatibus praescriptis et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc s. C.

4. Alumni votorum sollemnium vel simplicium perpetuorum, vel temporalium in sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a s. Sede alio modo eis consulatur ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

5. Qui in sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti, sive perpetuis sive temporalibus sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus, vel perpetuis vel temporalibus, dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorum invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint: secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professioni vinculo iam forent soluti ob elapsum tempus, quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

6. Professi tum votorum sollemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae Theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu et quoad presbyteratum saltem per triennium; praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis suae mandato praefata s. Congr. constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae ex s. C. EE. et RR. 4. Nov. 1892.

I. Cardinalis Verga *Praefectus.*
Ios. M. Arch. Caesar. *Secretarius.*

Vides in § 2° nullam amplius carceris fieri mentionem.

FINIS.

INDEX

TRACTATUS IX. — De praeceptis particularibus

Caput I.	de statu religioso.	Pag. 1
Dubium I.	Quid sit status religiosus.	» ibid.
Dubium II.	Requisita ad valorem professionis	» 27
Dubium III.	Ad quid teneatur religiosus vi professionis	» 48
Dubium IV.	Ad quid obligetur vi votorum	» 56
	§. 1. De voto paupertatis	» ibid.
	§. 2. De voto castitatis.	» 95
	§. 3. De voto obedientiae.	» 102
Dubium V.	Qui possint vel debeant ingredi religionem	» 120
Dubium VI.	De apostatis et eiectis	» 154
	Appendix I. De religiosis dispersis.	» 170
	Appendix II. De privilegiis regularium.	» 173
Caput II.	De statu clericorum.	» 180
Dubium I.	De beneficiis ecclesiasticis.	» 195
Artic. I.	Quid et quotuplex beneficium ecclesiasticum.	» ibid.
Artic. II.	Quomodo acquirantur et conferantur beneficia.	» 201
Artic. III.	Quae requirantur ad accipiendum beneficium.	» 216
Artic. IV.	De pluralitate beneficiorum.	» 230
Artic. V.	Quibus modis beneficia amittantur	» 245
Artic. VI.	De pensione	» 257
Dubium II.	De horis canonicis	» 262
Artic. I.	Qui obligentur ad horas.	» ibid.
Artic. II.	Quanta sit haec obligatio.	» 280
Artic. III.	Quae excusent ab horis.	» 287
Artic. IV.	Quomodo horae recitandae	» 295
Dubium III.	Quid possint clerici circa dispositionem fructuum beneficiorum.	» 335
Dubium IV.	De habitu clericorum et de artibus, officiis, actionibus vetitis..	» 342

Appendix I. De Episcopis . . . . . Pag. 374
Appendix II. De parochis. . . . . » 378
Appendix III. De privilegiis clericorum . . . . . » 399
§. 1. Privilegia communia. . . . . » ibid.
§. 2. Privilegia episcoporum. . . . . » 413
Caput III. De statu laicorum, praesertim iudicialium . . . . . » 423
Dubium I. Requisita ad iudicium . . . . . » ibid.
Dubium II. De potestate et officio iudicis. . . . . » 431
Artic. I. Quid requiratur in iudice . . . . . » ibid.
Artic. II. Quid iudici servandum circa inquisitionem . . . . . » 436
Artic. III. Quid liceat iudici circa quaestionem sive torturam. . . . . » 449
Artic. IV. Quid servandum iudici circa sententiam et poenam. . . . . » 452
Appendix I. De iuratis . . . . . » 467
Appendix II. De arbitris. . . . . » 470
Dubium III. De advocato. . . . . » 472
Dubium IV. Quae obligatio referentis etc. . . . . » 480
Dubium V. Quod sit officium accusatoris. . . . . » 482
Dubium VI. De testibus. . . . . » 483
Dubium VII. De reo . . . . . » 489
Artic. I. An et quomodo teneatur fateri veritatem . . . . . » ibid.
Artic. II. Quid reo liceat circa fugam poenae. . . . . » 496
Dubium VIII. Quomodo confessario agendum cum reo. . . . . » 501
Dubium IX. Quae obligatio medicorum etc. . . . . » 502
Dubium X. Quae obligationes mercatorum, opificum et ceterorum secularium » 503
Appendix. Quae obligatio civium in libera republica. . . » 504

TRACTATUS X. — De sacramentis

SECTIO I. — De sacramentis in genere

Caput I. De natura sacramentorum n. l. . . . . » 507
Dubium I. Quid sit sacramentum. . . . . » ibid.
Dubium II. Quid circa materiam et formam servandum . . . . . » 510
Caput II. De ministro. . . . . » 515
Dubium I. Quid requiratur, ut minister det valide sacramentum. . . . . » ibid.
Dubium II. Quid ut licite. . . . . » 527
Caput III. De suscipiente sacramentum. . . . . » 547

Dubium I. De requisitis ad valorem sacramenti . . . . . Pag. 547
Dubium II. De licita susceptione. . . . . » 553
Caput IV. De sacramentalibus. . . . . » 557

SECTIO II. — De Baptismo

Dubium I. De materia baptismi. . . . . » 563
Dubium II. De forma baptismi. . . . . » 572
Dubium III. De ministro baptismi . . . . . » 577
Artic. I. Quis minister baptismi. . . . . » ibid.
Artic. II. An duo possint simul baptizare . . . . . » 581
Dubium IV. De subiecto baptismi . . . . . » 582
Dubium V. De ceremoniis baptismi . . . . . » 594
Artic. I. Quae servanda circa ceremonias baptismi. . . . . » ibid.
Artic. II. De patrinis. . . . . » 598

SECTIO III. — De confirmatione

Dubium I. Quid sit quae materia eius et forma. . . . . » 610
Dubium II. Quid sit minister et quodnam subiectum. . . . . » 617
Dubium III. De confirmationis necessitate et ceremoniis. . . . . » 621

SECTIO IV. — De venerabili eucharistiae sacramento

Caput I. De essentia eucharistiae . . . . . » 626
Dubium I. Quid sit ss. eucharistia. . . . . » ibid.
Dubium II. Quae sit materia eucharistiae . . . . . » 633
Dubium III. Qualis debeat esse panis in materia eucharistiae. . . . . » 636
Dubium IV. Quale vinum sit materia idonea . . . . . » 648
Dubium V. Quae conditiones requirantur ad materiae consecrationem. . . » 660
Dubium VI. De forma eucharistiae . . . . . » 670
Dubium VII. Quandiu Christus manet in eucharistia. . . . . » 676
Caput II. De causis et subiecto eucharistiae . . . . . » 681
Dubium I. De causis . . . . . » ibid.
Artic. I. De ministro eucharistiae . . . . . » ibid.
Artic. II. De licita administratione. . . . . » 689
Dubium II. De subiecto suscipiente eucharistiam. . . . . » 700
Artic. I. De dispositione animae. . . . . » ibid.

Artic. II. De dispositione corporis . . . . . Pag. 711
Artic. III. De obligatione sumendi eucharistiam . . . . . » 733
Caput III. De eucharistia, ut est sacrificium. . . . . » 758
Dubium I. Quid sit missa et quae obligatio sacerdotum circa illam . . . » ibid.
Dubium II. Cuius sit applicare fructum sacrificii . . . . . » 799
Dubium III. Quando et quoties liceat celebrare . . . . . » 807
Dubium IV. Quo loco celebrandam sit. . . . . » 817
Dubium V. Quae sint requisita ad missam. . . . . » 830
Appendix. . . . . » 851

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.B24 C001 V004
OPUS THEOLOGICUM MORALE IN BUSEMBAUM MED
3 0311 00044 1407

WITHDRAWN

48188

BX
1758
.B24 48188

AUTHOR Ballerini, Antonio

v.4 OPUS THEOLOGICUM MORALE

TITLE ~~IN BUSEMBAUM MEDULLAM.~~

~~240~~ ~~21,904~~ ~~31910~~
~~v. 4~~

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

3 0311 00044 1407